Bg l. 143/2

Digitized by Google

3q. L. 143/2

# BIBLIOTHECA BELGICA

SIVE

VIRORUM IN BELGIO VITA, SCRIPTISQUE ILLUSTRIUM CATALOGUS, LIBRORUMQUE NOMENCLATURA

Continens Scriptores à Clariſſ. Viris

VALERIO ANDREA, AUBERTO MIRÆO, FRANCISCO SWEERTIO,

Aliiſque, recenſitos, uſque ad annum M. D. C. LXXX

TOMUS SECUNDUS.

Cura & ſtudio

JOANNIS FRANCISCI FOPPE

Bruxellenſis, S. T. L. Metrop. ac Primat. Eccleſiæ Mechli Canonici Graduati ac Pœnitentiarii.

BIBLIOTHEQUE DU ROI

BRUXELLIS,

Per PETRUM FOPPENS, Typographum & Bibliopolam

M. D. CC. XXXIX.

Digitized by Google

JOANNES CARAMUEL DE LOBKOWITS
*Hispanus, ex Ord. Cist. S.T.D. Lov. Episc. Campan. ac Vigefc*
*Anno 1682.*

# BIBLIOTHECÆ BELGICÆ, SEU CATALOGI VIRORUM IN BELGIO VITA SCRIPTISQUE ILLUSTRIUM.

## *PARS SECUNDA.*

### JOANNES CARAMUEL A LOBCOWITZ,

LAurentio Caramuele nobili Luxemburgensi & *Catharinâ Frisiâ*, Lobcowitziæ, claræ inter Bohemos Domûs propagine, Matriti apud Hispanos natus est die 23. Maii 1606. In ipsâ pueritia mathematicarum artium amore ita vehementer exarsit, ut nisi opportunè providisset genitor, vix ad altioris gradûs disciplinas animum applicuisset. Grammaticæ, Rhetoricę ac Poëticæ studia intra triennii spacium confecit; eamque pangendi carminis facilitatem sibi paravit, ut Ovidii æmulus, vel unâ horâ centena funderet.

In Academia Complutensi philosophicis subtilitatibus animum ita alacrem adhibuit ( Professorem nactus *Benedictum Sanctium*, dein Episcopum Puteolanum ) ut inter 172. condiscipulos primus publicari meruerit. Cistercienſe dein Institutum amplexus, in Abbatia de Spina, Diœceſis Placentinæ, solemnia Religionis vota emisit. Hinc ad Salmanticensem Acade-

miam venit Theologus, & ad Complutenſem rediit Profeſſor. Sed interim viſum eſt Superioribus, *Caramuelem* ornatum titulo Abbatis Melroſenſis (fuit hæc quondam in Scotiâ) deſtinare in Belgium, ubi & extitit Vicarius Generalis Ciſtercienſis Ordinis per Angliam, Scotiam & Hiberniam.

Suſcepit eum Abbatia Dunenſis Brugis, cui (ut aiunt) affiliatus fuit. Quin & Abbas *Bernardus Campmans*, ſublime ingenium Viri hujus, jam tum ſcriptis ſuis toto orbe clariſſimi, ita ſuſpexit, ut omnes expenſas quæ ad ſuſcipiendum in Academia Lovanienſi in S. Theologia tum Licentiæ tum etiam Magiſterii gradum requirebantur, lubenter contulerit. Fuit itaque Actus ejus Doctoralis anno 1638. die 22. Septembris ita ſolemnis, accurrente undique curioſâ hominum multitudine, ut nullus ab ævo celebrior diceretur.

Docuit aliquamdiu ſuper *Caramuel* Theologiam Lovanii in Ciſtercienſi Collegio Abbatiæ Alnenſis, ſimulque in aula Bruxellenſi Sereniſſ. Ferdinandi Hiſpan. Infantis frequenter conciones habebat hiſpanicas. Interea Philippi IV. Regis Hiſtoriographus conſtitutus, anno 1638. ſcripſit pro Jure ejuſdem in Regnum Luſitaniæ, eò quidem fortiùs, quod jam tunc apparerent indicia ſubſecutæ defectionis Luſitanorum ab Hiſpanis. Promotus quoque ab eodem Rege Philippo ad S. Deſiboldi (vulgo *Diſſemberg*) Abbatiam in Palatinatu, eò iter direxit, ſimulque Anſelmo Caſimiro Archiepiſcopo Moguntino innotuit & charus fuit, qui eum ſibi in Pontificali munere Suffraganeum deſtinaverat.

Verùm mutatis in Palatinatu rebus, poſt incurſionem ac ſtrages Suecorum, exulantem Caramuelem vocavit ad ſe Imp. Ferdinandus III. eumque non ſolum præfecit Monſerratenſibus duobus Benedictinorum Monaſteriis, Viennenſi & Pragenſi, ſed & annuâ largâque penſione liberalem ſeſe illi præbuit. Aſſumptus etiam ab Erneſto Cardinale de Harrach Pragenſi Archiepiſcopo in Vicarium generalem, in præcipuâ exiſtimatione virtutis ac doctrinæ habitus. Pragâ interim ab Suecis obſeſſâ, ductor Eccleſiaſticorum *Caramuel*, factuſque è Monacho bellator, fortiſſimè adimplevit architecti militarisac Ducis partes; adeo ut remuneraturus Cæſar ſolutæ Urbis authores, ipſum etiam torque aureo inſignierit.

Ad ſacra regrediens, hæreticorum pluſquam xxx. millia in craſtra Eccleſiæ reduxit; fidem facientibus Litteris teſtimonialibus, ſibi à Cardinale Harrachio datis, ac *Theologiæ* ejus præfixis. Ad Reginorhadenſem item in Bohemia Epiſcopatum à Cæſare nominatus fuit.

Aſt ubi Alexander VII. ad ſummi Pontificatûs apicem anno 1655. evectus fuit, is *Caramuelis*, quocum olim Coloniæ amicitiam inchoarat, in magna etiam fortuna adhuc memor, eum ad ſe Romam evocavit.

Paulò poſt, Epiſcopatus unitos Campanienſem ac Sutrinum in Regno Neapolitano ei contulit, in quibus, mox à conſecratione die 4 Julii 1657. Romæ per Cardinalem Braccaeium obtentâ, fixam deinceps reſidentiam tenuit, modicam hanc præfecturam lautioribus ſibi in Germania oblatis præferens. Hîc latuit, diu noctuque Chartis invigilans, per XIV. horas ferè quotidie adhærens libris, parcus, ſorte ſuâ contentus; niſi quod ſubinde ægrè doleret, abundantiſſimos vigiliarum ſuarum fructus præ anguſtia rei familiaris lentè admodum in lucem erumpere. In urbe tamen vicina S. Angeli Longobardorum typographion proprio ære, pro libris ſuis edendis intertinebat.

Poſtmodum poſtulante Catholico

Rege, à ſede Campanienſi tranſlatus eſt 25. Septembris 1673. ad opulentiorem Viglevanenſem in Mediolanenſi Ducatu. Dumque illic ſeneſceret, viſitatus in tranſitu à Collegis Doctoribus Lovanienſibus *Steyartio*, *Vianæo*, & *Lupo*, Romam ab Academia deputatis, ut plurium Propoſitionum laxarum atque in praxi pernicioſarum (inter [illegible] & multæ ipſius *Caramuelis* erant) damnationem à S. Sede poſtularent, fertur hic Præſul illacrymando conqueſtus fuiſſe, mentem ſuam non rectè ab his Doctoribus fuiſſe intellectam.

Mirum quot ſcripſerit ediderítque Volumina, etiam alieno nomine, ut amicorum promoveret authoritatem, ea ſpargens in vulgus. Eorum ingentem Catalogum ipſe-met Francofurti anno 1647. & iterum in folio 1649. typis Coſmoverianis excudit Viennæ in Auſtria, & Ferdinando III. Imper. inſcripſit: redactum in Curſus ſeu Claſſes novem. 1. *Liberalem*, 2. *Mathematicum*. 3. *Muſicum*. 4. *Chiroſophicum*. 5. *Philoſophicum*. 6. *Theologicum*. *Scholaſticum*. 7. *Moralem Philoſophicum* 8. *Moralem Theologicum*, 9. *Scripturarium*. Seriem exhibuit *Carolus de Viſch*, in Bibliotheca Scriptorum Ord. Ciſter. à pag. 178. uſque ad 200. Quibus ſi addantur ea, quæ annis ſequentibus edidit, vel edere meditatus eſt, facile in molem XXX. & ultra Voluminum excreviſſent.

Notatu digna ſunt ea, quæ de Libro *Cornelii Janſenii* cenſuit *Caramuel*, ejuſque verbis retulit præfatus *Carolus de Viſch*, pag. 197.

*In Janſenii Auguſtino materia multa eſt, quæ formam Thomiſticam non recuſaret, ſi daretur agens extrinſecum, quod eam induceret. Ego enim, ſi per occupationes liceret, poſſem, ut puto, illam rudem, indigeſtam & monſtroſe conformatam materiam exuere Janſenianâ formâ, quæ quatuor Pontificibus diſplicet, & Catholicis ſinceris non placet, & veſtire Thomiſticâ, unius aut alterius anni ſpacio. Si hoc ſemel fieret, ceſſarent Controverſiæ, & novus ille liber, Angelici Doctoris Doctrinam magno ſuffragio confirmaret Sed hoc ipſum admonuiſſe ſufficiat; & utinam à Thomiſta aliquo perficeretur!* Sic quidem jactitabat *Caramuel*: ſi executioni mandare potuiſſet, magnus ſane fuiſſet Apollo.

Poſtremis vitæ annis cœcitas Præſuli ſeni aſſiduis vigiliis ſtudiiſque conſecto oborta eſt: mentis tamen vires ferme uſque ad mortem integræ, ut plura interim dictaret, ab amanuenſibus excipienda. Laboribus tandem nunquam intermiſſis mors lineam ultimam poſuit, in die feſto Nativitatis B. M. V. anno 1682. In Cathedrali Viglevanenſi ſepultus eſt, hoc brevi ad tumulum inſcripto Epitaphio.

MAGNUS CARAMUEL
EPISCOPUS VIGEFANI.

At è regione ejus ſepulcri, in facello SS. Sacramenti, hoc proſtat legentibus Elogium.

En, ubi lingua ſilet, & calamus
MAGNI JOANNIS CARAMUEL,
Qui vel XI. ætatis anno
Libros ſcribens, mox Monachus,
Pontificibus carus ac Regibus,
XXX. hominum millia
revocavit ab hæreſi;
Obſeſſam ingenio & enſe
liberavit Pragam;
Linguas omnes edoctus & diſciplinas,
Vitæ annis æquavit Volumina,
In LXXVII. ita veges,
Ut nunquam otiatus;
Demum in ſuis operibus immortalis,
Nuncio Comete, tum nato, cum obiit,
Dum in hac Cathedrali
Epiſcopi æternum chari
Pro Natæ Virginis feſto veſperæ
Solvebantur, cœlo natus terras reliquit
Anno M. D. C. LXXXII.

De Caramuele inter cæteros hoc tulit judicium *Erycius Puteanus*, Hi-

ſtor. Profeſſor Lovanii ; *Vir ſi ingenium, doctrinam, eloquentiam ſpectes, magnus, eximius ac plane divinus &c.* Ajunt alii, *fuiſſe ei ingenium ad octo, memoriam ad ſex, eloquentiam ad quinque, judicium ad duo.*

A recenſendo Operum ejus Catalogo ſuperſedendum duxi, cum pleniùs enarretur in Bibliotheca Hiſpanica Nicolai Antonii, in Italia ſacra Ugelli Tomo VII. novę editionis, inter Epiſcopos Campanienſes, item apud P. Niceron in Notitia Scriptorum illuſtrium Tomo XXIX. pag. 259. quos conſule : ac ſimul nota,

*Apologiam ejus pro antiquiſſima & univerſaliſſima Doctrina de Probabilitate, contra novam Proſperi Fagnani opinionem.* Lugduni 1663. in 4. prohibitam fuiſſe Romæ per S. Congreg. Indicis die 15. Januarii 1664..

## JOANNES CARNARIUS,

Gandenſis, Doctor Medicus & Profeſſor Patavinus, habuit ibidem

*Orationem De Podagræ Laudibus :* ἀδόξου θέματος, inquit Sanderus, quod ſolius ingenii ſtilique exercendi gratiâ excogitari ſolet : cujuſmodi apud Favorinum eſt encomium Febris quartanæ ; Calvitii apud Synefium ; Injuſtitiæ, ex perſona Glauconis, apud Platonem. Ita & Stultitiam Eraſmus, Anſerem Julius Cæſar Scaliger, Ovum Erycius Puteanus, Pediculum Daniel Heinſius, laudarunt.

Aliam præterea *Carnarius* habuit *Orationem in diſceſſu M. Antonii Venerii*, urbis Patavinæ Prætoris.

Scripſit & *Carmina de Thermis Patavinis.* Omnia Patavii, 1553. 8. excuſa, typis Joan. Bapt. Amici

## JOANNES CAROLUS DE LA FAILLE,

Antverpienſis, Societatis Jeſu, Mathematicis diſciplinis inclytus, eaſdem in Collegio Dolano apud Sequanos primùm ſexennio, dein Lovanii biennio, demum in Academia Madritenſi ab ipſo illius exordio multis annis profeſſus eſt.

Illi, dum Madriti degeret, Rex Catholicus Philippus IV. filium ſuum Joannem Auſtriacum Mathematicis inſtitutionibus imbuendum dedit. Quo in munere uſque adeo Sereniſſ. Principi fecit ſatis, ut hunc Præceptorem ſuum poſtea ſecum voluerit comitem, ſive in Siciliam, ſive in Catalauniam ut eas Provincias Prorex gubernaret, ſive quando Neapolim profectus eſt, Claſſis & Exercitûs Regii Ductor ſupremus. Evulgavit

*Theoremata de Centro gravitatis partium, circuli & ellypſis.* Antverpi 1632.

*Theſes Mechanicas.* Dolæ circa annum 1625.

Obiit Barcinone anno 1652. ætatis 52, eique ſequens ibidem Epitaphium ab illuſtri Diſcipulo poſitum fuit.

R.P. JOANNI CAROLO DE LA FAILLE,
Antverpiano,
Societatis Jeſu Sacerdoti,
Religioſæ vitæ innocentiâ
Et Mathematicis diſciplinis inclyto,
Sæculi noſtri Archytæ,
Qui obiit Barcinone
Pridie Non. Nov. anni M. D. C. LII.
Sereniſſ. Princeps
D. JOANNES AUSTRIACUS
Gotholaniæ pro Rege Gubernator,
Magiſtro ſuo incomparabili
H. M. P. C.

## JOANNES CAROLUS SCHETS,

Antverpianus, Vir Nobilis, Gaſparis Schetzii, Toparchæ Weſemalii, Hoboci & Grobbendonci è Catharina de Urſele filius, J. U. L. Protonotarius Apoſtolicus, & ſummæ Ædis Lambertinæ Leodii Canonicus.

IOANNES DE CARONDELET
Archiepiſcopus Panormitanus, Primas
Sicilię Prepoſitus S. Donatiam Brugenſ
Obijt 1544 Ætat 75.

C. Van Caukercken ſcalp.

Digitized by Google

Anno 1578. ad munus Consiliarii Ecclesiastici in supremo Mechliniæ Senatu assumptus, post biennium simili functurus apud Philippum II. Regem officio, in Hispanias evocatur.

Tum anno 1588. Cancellarius Ordinis Aurei Velleris designatus, ac paulò pòst ad Tornacenses Insulas à Rege nominatus, dum eas adire parat, immaturo fato ereptus est in itinere 4. Januarii 1595.

Pangendis versibus otium fallere solebat; extititque *Carminum* liber, ipso *Schetsio* authore, apud Lucam Torrium, Cameræ Rationalis Insulis Flandrorum quondam Assessorem.

## JOANNES CARON,

Machlinienſis, S. Rictrudis apud Marchianas Ordinis S. Benedicti in Gallo-Flandria Cœnobii Monachus, & Poëta, vixit ad finem sæculi XV. scripsitque ad Erardum Bertotum, Præceptorem suum,

*Opusculum* (ut ipse inscripsit) *Tumultuum, versu Elegiaco*: excusum in 4. (Parisiis, ut conjicio) apud Felicem Baligault, absque loco & anno.

## JOANNES CARONDELET,

Burgundus, J. U. Doctor, filius *Joannis de Charonde*, Burgundiæ Cancellarii (qui propter staturam exiguam corporis, *Carondeletus* dictus fuit) ab anno 1503. Consiliarii Ecclesiastici munus in supremo Mechlinienſi Senatu obivit. Transiit inde Bruxellas ad Sanctius Consilium, cujus & Præses anno 1527. renunciatus est.

Dignitatibus quoque Ecclesiasticis claruit: nempe Archiepiscopus Panormitanus ac Primas Regni Siciliæ, ab anno 1523. post cessionem doctissimi Cardinalis Thomæ de Vio Cajetani; Præpositus ad S. Donatianum Brugis Flandriæque Cancellarius ab anno 1520. Decanus Ecclesiæ Metrop. Bizuntinæ ab anno 1493. simulque Abbas Commendatarius Montis Benedicti in Burgundia, Præpositus Ecclesiarum Furnensis & Seclinienſis in Flandria &c.

Erant ea tunc tempora, quibus Burgundiones in Belgio (signanter *Carondeleti*, *Granvellani*, *Boisotii*, *Bonvaloti*, *Richardoti* &c.) favore Caroli V. Cæs. principali tum sacrâ tum politicâ authoritate potiebantur.

Desid. Erasmum literatorum principem fovit & coluit, ut plures illius ad hunc Præsulem testantur epistolæ.

Anno 1540 ingravescente ætate multiplicique infirmitate afflictus, supremam privati Consilii dignitatem sponte dimisit, ac tandem obiit Mechliniæ die 8. Februarii 1544. sepultus ad D. Donatianum Brugis, ante mausolæum quod juxta aram majorem sibi parari jusserat, hoc Epitaphio.

Reverendiſſimus Dominus
D. JOANNES CARONDELET,
Archiepiscopus Panormitanus,
Primas Siciliæ,
Præpositus S. Donatiani Brugensis,
Cancellarius Flandriæ perpetuus,
Decanus Metrop. Bizuntinę,
Abbas Commendatarius
B. Mariæ Montis-Benedicti,
Prępositus S. Walburgis Furnensis.
Et S. Piati Seclinienſis,
Caroli V. Rom. Imp. Aug.
Secretarius,
Aliorumque Consiliorum in Belgica
Præses primarius,
Humanæ fragilitatis memor,
Sibi posuit.
Obiit VIII. Februarii, Anno à Christo nato M. D. XLIV. ætat. 75.

Scripserat hic Præsul quædam *Consilia & Observationes Juris*: quæ temporis lapsu deperdita sunt.

Digitized by Google

## JOANNES CARPENTARIUS,

Ilienſis, apud Armenterianos ludi litterarii Moderator, dedit formandis juvenibus *Decalogicam Enarrationem*, ex illuſtrioribus Theologis depromptam. Antverp. apud Mich. Hillenium 1533. 4.

## JOANNES CARPENTEJUS,

J. C. Atrebas, & cauſarum patronus in Conſilio Arteſiæ, Poëta inſignis, dedit

*Eſaiam Prophetam*, Paraphraſi heroïcâ eleganter & facundè deſcriptum. Antver. typis Plantini 1588. 4.

*Vitam Malchi*, ex B. Hieronymo, & *S. Benedicti*, carmine heroïco. Ibid.

*Paraphraſis in Jeremiam Prophetam*, pari elegantiâ ac metro deſcripta, adſervari ſolebat Atrebati apud Dom. Wallart, ejus ex avia nepotem.

## JOANNES CARTHENIUS,

Sive CARTIGNY, Valencenas, Hanno, Prior Carmelitarum Bruxellenſium, S. Th. Doctor, & trium Linguarum bene peritus. Narrant Annales Hannoniæ (author. Vinchant & Ruteau) ad annum 1539, Carthenium juſſum fuiſſe abjurare publicè in Eccleſia S. Waldetrudis Montibus hæretica quædam dogmata, quæ antehac in Academia Lovanienſi propugnarat: eumque condemnatum fuiſſe ad carcerem perpetuum. Edidit Commentaria

*In Apocalypſin D. Joannis.*

*In Epiſtolas* aliquot D. *Pauli.*

*De quatuor Noviſſimis.* Antver. typis Joan. Belleri, 1588. unà cum *Lud. Granatenſi*, & *Ægidio Topiario*, de eadem re.

*Paraphraſin in VII. Pſalmos Pœnitentiales*, verſibus Elegiacis; MS. Tornaci in Biblioth. publ. Eccleſiæ Cathed.

Item *Orationem in Synodo Provinciali Cameracenſi*, anno 1565: extat ad calcem ejuſdem.

Præterea *Iter Equitis errantis* gallicè deſcripſit.

Et *Agapetum Diaconum De officio Imp.* gallicis rythmis expreſſit. Legitur utrumque hoc opus manuſc. in Regia ad S. Laurentium Bibliotheca.

Obiit Cameraci, anno 1580.

## JOANNES LE CHARPENTIER,

Cameracenas, quondam Abbatiæ S. Auberti Ord. S. Auguſt. Canonicus Regularis Cameraci; dein infamis Apoſtata à fide & Religione. Scientiâ inflatus, dignitatem Abbatialem ambierat: ſed fruſtra. Acceſſerunt libidinis ſtimuli, & cum vili amaſia commercium; quâcum tandem aufugit in Hollandiam, eamque ſibi in uxorem ſociavit. Interim modicâ penſione à Statibus Fœderatis ſuſtentatus, & in Academia Lugduno-Batava titulo Hiſtoriographi decoratus, miſeram illic vitam finiit circa annum 1670. ab ipſis etiam Acatholicis (prout ejuſmodi deſertorum ſors eſt) deſpectus. Scripſit

*Hiſtoire Genealogique des Pays-bas, ou l'Hiſtoire de Cambrai & du Cambreſis; enrichie des Genealogies, eloges & armes des Comtes, Ducs, Eveques & Archeveques, & de plus de 4000. Familles nobles &c.* 4. duo Tomi, Lugduni Batavorum apud Authorem 1664. Notarunt Eruditi, librum hunc ſcatêre fabulis, genealogiis confictis, nec non Diplomatibus, quæ ad calcem illius ſunt, truncatis ac falſificatis.

A viro præclaro, qui hunc *Joannem Carpentarium* noverat, olim intellexi, eum pœnitentiâ ductum, poſtulaſſe readmitti ad Abbatiam ſuam S. Auberti. Quod dum ei miſericorditer fuerat conceſſum, ipſeque uſque Valencenas perveniſſet, ſecum ducens liberos

à ſe è ſacrilego concubitu procreatos: conſilium illico mutavit, eoſque lacrymabundus reſpiciens, ajebat: ſe quidem præſentes ſibi titiones intueri, quibus in inferno æternum excruciandus foret; ſed tamen non poſſe ſe eos derelinquere. Ita miſer in Hollandiam rediit, ibique periit

## JOANNES CASELIUS,

Batavus, Hugoni Grotio familiaris, ſcripſit *de Studio publico*, *item liberalis doctrinæ*, quæ ſuo Tractatui de Studiis inſtituendis inſeruit Grotius.

Item *Notas in Tabulam Cebetis Thebani*, cum verſione è græco. Lugduni Bat. 1618. in 4.

## JOANNES CASENBROTIUS,

Brugenſis, J. C. *Lamoraldo* Comiti Egmondano, Flandriam Arteſiamque gubernanti à conſiliis, docuit exemplo ſuo, malum conſilium conſultori eſſe peſſimum. Dum enim ille in Flandria violari ac ſpoliari à Calvinianis templa Catholicorum patitur, auctore potiſſimùm *Caſenbrotio*, captus hic cum quibuſdam aliis iconoclaſticæ illius factionis fautoribus in arce Vilvordiana anno 1566. capite plectitur. Vir ceteroquin ingenii, aliiſque animi ac corporis dotibus in paucis excellens. Plures dein conſanguinei ejus, mutato in Flandria rerum ſtatu, lares fidemque avitam dereliquerunt, in Hollandiam profugi.

Legitur ejus *Oratio* Lovanii anno 1558. in Quodlibeticis habita, cum aliis nonnullis, in funere Magnorum virorum dictis

Item *Carmen* elegans *in laudem Marci Laurini & Huberti Goltzii.*

## JOANNES CASTELIUS,

Chelvus, in Geluwa Cortracenſis Caſtellaniæ pago natus, Flander, ex pædonomo Nobilitatis Flandricæ Paſtor in pago Somergemio, latini ac græci ſermonis callentiſſimus fuit. Edidit

*Inſtitutiones Artis Grammaticæ.*

*Epithetoru.a farraginem*, typis Plantin. 1573. 16.

Legitur *Elegia* ejuſdem ſatis ampla in *C. Jul. Cæſarem Hub. Goltzii.*

*Commentarii & Notæ Caſtelii in Anthologiam Græcorum Epigrammatum*, unà cum *Interpretationibns* eruditiorum omnium, qui eamdem Anthologiam carmine verterunt, leguntur in Biblioth. Lugduno Batava.

Denique *Caſtelii Epiſtolæ duæ monitoriæ*, *ad F. Cornelium Dordracenum*, apud Franciſcanos Brugis Concionatorem, ſub nomine *Stephani Lindii*, à Goltzio excuſæ anno 1567. proſcriptæ ſunt à Theologis Lovanienſibus, Albano Duce jubente. Mirè Caſtelius Goltziuſque exagitarunt olim prædictum Fratrem Cornelium, virum optimum & doctiſſimum, S. Theologiæ Profeſſorem, & trium linguarum peritum Sacerdotem, cujus antea meminimus, pag. 191.

## JOANNES DE CASTILIONE,

Canonicus & Archidiaconus Campiniæ Brabanticæ in Eccleſia Leodicenſi, Orator Maximiliani Imp. & Caroli Hiſpaniarum Regis, habuit ad Julium II. Pont. Max. Romæ anno 1503. *Orationem in præſtita ſolemni ejuſdem Principis obedientia.* Oratio quidem exſtat, verùm typographus neque nomen ſuum neque locum aut tempus adjecit.

## JOANNES A CASTRO,

Lovanienſis, frater germanus *Nicolai à Caſtro*, primi Middelburgenſium Epiſcopi, Canonicus ad S. Joannem Ultrajecti, reliquit

*Exercitia pia pro pœnitente, & iis, qui dignè accedere cupiunt ad SS. Sacramentum Altaris.* Legebantur Ultrajecti apud Gisb. Lappium à Waveren J. C.

Obiit auctor Ultrajecti anno 1588. Nonis Aprilis, annos natus LXXIII. sepultus in Ecclesia D. Joannis, sub insigni sarcophago.

## JOANNES CAUCHIUS,

Vulgò VAN CUYCK, Ultrajectinus, Vir Consularis, Antiquitatis peritissimus, atque Hadriani Junii elogio à Gratiis & Musis factus, & adjuvandis melioribus litteris natus; edidit unà cum Cornelio Valerio, & Guilielmo Cantero *Animadversiones in Officia Ciceronis*, typis Plantinianis, anno 1568. Restituit quoque *Fl. Carisium Sosipatrum*, itemque *Ausonii* Poëmata, additis *Notis*: quæ tamen hactenus lucem non vidcre.

Ejusdem studio ac curâ restitutus putatur *Æmilius Probus de Vitis Impp. Græcorum*, Ultrajecti excusus in 8. 1542.

Moritur anno 1566. XV. Kal. Decembris, filio relicto *Antonio à Cuyck*, Syndico Ordinum Provinciæ Ultrajectinæ.

## JOANNES CHAPEAVILLE,

Honoratis piisque parentibus, *Guilhelmo de Chapeaville & Margaretâ de Meers* ingenuis civibus Leodiensibus natus est Leodii Nonis Januarii, 1551. In paterno solo litteris humanioribus apprimè imbutus, parente illum ad praxim forensem, prout instituti ipsius erat, propellente, animum ad altiora studia, statumque Ecclesiasticum suâ sponte adjiciens, Philosophiam cùm Coloniæ tùm Lovanii audivit, eique studium Theologicum septennale summâ sedulitate, unà cum Licentiæ laurea, adjecit, sacris interim magnō pietatis sensu operatus.

Inde ægrè (quod ei solitudine sacrarumque studio litterarum nihil esset antiquius) à parente, defunctâ matre, pro senectutis solatio avulsus, Leodii in Synodalium Examinatorum ordinem ab Cardinale *Gerardo à Groisbeeck* Principe & Episcopo Leodiensi adscitus 1578; paulò pòst ab eodem ad S. Michaëlis Parochus, moxque simul ad D. Petri Canonicus constituitur. Subinde â Principe *Ernesto* Bavariæ Duce, *Gerardi* in Episcopatu Successore, contra hæreticam pravitatem Inquisitor esse jussus, anno 1582.

Postmodum à Sixto V. Pont. ad commendationem *Joannis Francisci* Vercellensis Episcopi tunc Nuncii Apostolici, Ernestique Principis, ac illustriorum Ecclesiæ Leodiensis Canonicorum instantiam, Canonicatu in Cathedrali Leodiensi auctus, primusque illius Pœnitentiarius renuntiatus 1587. Ad hæc (ut erant ipsius incrementa virtutum) multis renitentem precibus, Ernestus Princeps suum in spiritualibus Vicarium generalem 1588. & anno vertente Famennæ Archidiaconum decernit: quo etiam tempore illum veteres ipsius ad Divi Petri Collegæ suum Præpositum renunciant.

Pastorem egit circiter decennium, factis primo statim anno variis iisque luculentis ac pretiosis in Ecclesiam suam vetustate & incuriâ labescentem instaurationibus; concionibus festivis pariter ac Dominicis in eadem magno cum profectu habitis, Sacramentis etiam (funestâ tum grassante peste) populo non tantum suo, sed & alieno misere derelicto, prompto alacrique animo ministratis.

His aliisque piis exercitiis licet incumberet, nihilominus Theologiam in celebrioribus Urbis Monasteriis non

sine

sine frequenti quoque sœcularium auditorio, & insigni illorum commodo est interpretatus.

Seminarium Clericorum sub Ernesto Principe Leodii pro S. Theologiæ tyronibus ipsius potissimum consilio plantatum, ipse primus (quamvis Canonicus ac Pœnitentiarius Leodiensis) suis sacris eloquiis irrigavit: sed & ceu proprium fœtum curavit; ut merito de exurgente tùm hoc Seminario Auctoreque nostro sic cecinerit *Politus*, Poëta Leodius.

*Salve clara domus, studiis sacrata juventæ.*
*Salve iterum veneranda Domus, tuque inclyta pubes,*
*Quam præstans Chapeavillius amat: tibi Candidus ille*
*Divinas referabit opes, & sensa Tonantis*
*Strenuus incumbens plena ad subsellia pandet.*

Vicarius constitutus (annuente ac plurimùm ei tribuente Principe) egregiam ejusdem Seminarii structuram pœnè novam excitavit, Professores Theologicos notæ præstantioris ibidem instituit, studiosorum numerum cumulatè auxit; non tamen nisi magno pietatis & eruditionis facto, instar concursûs ad Parochiales, delectu. Aliud quoque pulcherrimum ab eodem dependens Seminarium Lovanii suscitavit, pro iis studiosis, quos vel celebrioribus vel difficilioribus Diœcesis provinciis præfici oporteret; delecto in primum Præsidem *Joanne Clario* S. T. D. & in primum Provisorem *Justo Lipsio* Historiographo Regio.

Principi *Ferdinando à Bavaria* in Episcopatûs administrationem per *Ernesti* patrui sui obitum venienti, quo Vicariatûs onere levaretur, supplex factus, senium & alia caussatus impedimenta, responsum à Principe retulit, operam ejus sibi & Ecclesiæ Leodiensi etiam necessariam. Quare in officio perstitit perseveravitque, donec innumeris propè laboribus ad Dei gloriam, & magnum Ecclesiæ ipsius incrementum confectis & superatis, cepit ex quadam orificii stomachi exulceratione sic laborare, ut nec cibum, nec liquamen fere admitteret: quâ tandem infirmitate ad duos circiter menses protractâ, postremis Ecclesiæ Sacramentis præmunitus, & utriusque Seminarii tam in morte quam in vita per pias fundationes memor, animam Creatori reddidit, finem plane tranquillum suspiciens, v. Idus Maii 1617. postea quam amplissimæ Diœcesi Leodiensi in primariis iisque difficilioribus officiis spiritualibus, operam suam annos fere XL. periculosissimis Ecclesiæ temporibus accommodasset. Sepulturam in humili ac suburbana D. Gertrudis Ecclesia, in sacello à se ad Deiparæ honorem pulchrè apparato, delegit. Scripsit porro, in gratiam præsertim Parochorum,

Tractatum *De Casibus Reservatis*, in usum præsertim Ecclesiarum Belgicarum. Leodii, 1596. in 8. item 1614, & aliàs sæpius.

*Elucidationem Scholasticam Catechismi Romani.* Ibid. 1600. & 1603. 8.

*Summam Catechismi Romani*, in gratiam Ordinandorum. Ibid. 1605. 8.

Tractatum *De administrandis Sacramentis tempore pestis.* Moguntiæ, 1612. 8. Coloniæ, 1625. & Lovanii, 1637. 12. typis Jacobi Zegers, item Salisburgi 1681.

*Vitam & Miracula* S. Perpetui, Episcopi Trajectensis, latino & gallico idiomate, anno 1601.

*Episcoporum & Rerum Leodicensium Scriptores* varios, uno simul fasce edidit, cum Notis & Censuris; Opus omnium eruditorum calculo probatum. Ibid. 4. 1612. 1612. 1616. Tomis III. Et in fine Tomi II,

Tractatum Historicum *De prima &*

*vera origine Festivitatis SS. Corporis & Sanguinis Domini.* In quibusdam vero exemplaribus Tomo I. Vita Authoris Chapeavilli præfigitur.

## JOANNES CHARLES,

Patriâ Antverpianus, Lovaniensem, Aurelianam, Patavinam ac Bononiensem, celeberrimas orbis Academias, studiorum gratiâ adiit, & anno ætatis XXIV. Doctoratûs in Jure utroque insignia Patavii tulit. In patriam redux causarum patronum Machlinlæ egit: dein Regio apud Frisios Senatuià Consiliis fuit & Procurator Fisci; ac demùm anno 1575. Senator & successivè Vice-Præses magni Consistorii Machlinensis. Verùm munere illo mundoque abdicato, Ordinem Minorum amplexus in ipso tirocinio vivere desiit. Scripserat apud Frisios,

*Rerum à Caspare Robleso Frisiæ Præfecto in Frisia gestarum* libros IV. ad Philippum II. Regem Catholicum: quos eidem in Hispaniam transmisit. Quid iis inde factum, ignoratur. Apud FF. Minores Mechliniæ positum ei hoc Epitaphium.

JOANNI CHARLES, J. U. Doctori,
Consiliario supremi Senatus Belgii,
Cui etiam aliquot annis
Cum laude præsuit,
Qui mundi vanitatem despiciens,
Ætatis anno LXXII.
In Ordinem FF. Minorum
Reformatorum receptus,
Innocentiâ vitæ, & puritate eximiâ,
Voluntariâ paupertate, meruit
In brevi explere tempora multa.
In primo novitiatûs & devotionis calore
Peste, hanc vitam cum illa beata
Mutanti, A. 1598. Idibus Septembris,
Liberi mœsti posuerunt

## JOANNES JACOBUS CHIFFLETIUS,

Eques Auratus, Philippi IV. Regis Catholici Archiater, Vesontione apud Sequanos *Joanne Chifletio* Patricio & Consulari, *Laurentii Chifletii* Senatoris Dolani filio, natus est anno 1588. die XII. Januarii. Absolutis in patriâ studiis, patris exemplo Medicam professionem spontè amplexatus, omnis deinde generis eruditionis comparandæ causa, Romam petiit, ubi inter Cives honorificè cooptatus est, tum varias quoque Europæ provincias peragravit, variasque Antiquariorum pinacothecas & illustrium virorum Bibliothecas lustravit atque excussit.

In patriam reversus, omnibus Reipublicæ honoribus cumulatus, ipsum quoque Consulare munus diu gessit; adeoque tum temporis gerebat, quo ab Imperiali suâ Civitate ad Serenis. *Isabellam-Claram-Eugeniam* delegatus, illa, cognitâ viri virtute & prudentiâ, eum in palatii sui intima, Archiatri titulo & dignitate, admisit. Ejusdem mox mandato in Hispaniam profectus, illic ab Rege Philippo IV. Archiater creatus, salutis ejus curam gessit: ab eodemque, cui comperta erat viri eruditio singularis, Historiæ inclyti toto orbe Ordinis Velleris aurei conscribendæ imperium accepit.

In Belgium redux, atque *Isabella* cœlo receptâ, *Ferdinando* item Principi Belgii Præfecto Archiater à cubiculis & consiliis fuit, vixitque magna apud eum integritatis ac doctrinæ æstimatione, uti & apud successores ejus in regimine Provinciarum Belgicarum, Joannem Austriacum Regis Philippi IV. filium, & Leopoldum Guilielmum Archiducem Austriæ. Unde meritò Virum hunc Belgium nostrum sibi vindicat, Belgicisque Scriptoribus accenset.

E vivis abiit anno 1660. ætatis suæ 72. tribus post se relictis filiis eruditione clarissimis, *Julio*, & *Joanne*, de quibus infra, & *Henrico Thoma*, Antiquario celebri, sed qui solâ *Dis-*

*ſertatione de Otthonibus æreis*, Antver. anno 1656. innotuit.

Porro quantę & quam variæ eruditionis fuerit *Joannes Jacobus Chiffletius* pater, ex hiſce ejus lucubrationibus pateſcet.

*Aſitiæ in puella Helvetica mirabilis phyſica Exſtaſis.* 8. Veſunt. 1610.

Δαιδαλματον (id eſt, artificioſorum operum) *Libri II. priores.* Pariſ. 1612 in 8.

*Veſuntio Civitas Imperialis, Libera, Scquanorum Metropolis*, plurimis nec vulgaribus ſacræ & prophanæ hiſtoriæ monumentis illuſtrata. Accedit Pars II. *de Archiepiſcopis Bizuntinis & aliis Eccleſiaſticis rebus.* Lugduni typis Claudii Cayne. 1618. in 4. ac denuo cum Auctario Lugd. 1650.

*De loco legitimi Concilii Eponenſis Obſervatio.* 4. Lugd. 1621. Quod ipſe in loco dicto *Nions* ad lacum Gebennenſem conſtituit.

*Lacrymæ priſco ritu fuſæ in exequiis Sereniſſ. Archiducis Alberti Pii, Belgarum Principis.* Antv. 1622. in 4.

*De Linteis ſepulcralibus Chriſti Servatoris, Criſis Hiſtorica.* Antv. 1624. in 4. Dein quidam anonymus tranſtulit gallicè, ediditque Pariſ. 1631. in 8.

*Portus Iccius Julii Cæſaris demonſtratus.* 4. Madriti 1626. item auctiùs Antver. 1627. Audomaropolim Artheſiæ urbem hîc inſinuat Author.

*Unitas fortis, à Marchione de Leganez Provinciis Belgicis nomine Philippi IV. propoſita anno* 1627. illuſtrata politicis Sapientum dictis. 4. Antver. 1628.

*Inſignia Gentilitia Equitum Ordinis Velleris Aurei*, Fecialium verbis enunciata; latinè, item gallicè. Antver. 1632. 4.

*Acia Cornelii Celſi, propriæ ſignificationi reſtituta. Alphonſus Nuñez Regius Archiater defenſus.* Ibid. 1633. 4.

*Geminiæ Matris Sacrorum Titulus ſepulchralis explicatus, & verus Exequiarum ritus unà detectus.* Antv. 1634. in 4. Extat item Tomo I. Novi Theſauri Antiquitatum Romanarum, per Sallengrium.

*De morte præcellentis Viri D. Franciſci de Paz, Archiatri primarii, Epiſtola.* Antver. 1640. 4.

*Diſſertatio militaris de Vexillo Regali* (quod à nonnullis pro Auri-flamma, vulgo *Oriflamme* habitum) *in Caſtellenſi pugna Francis erepto* (anno 1642.) *ductu Franciſci de Mello, Turris-lacunæ Marchionis.* Antver. 1642. in 4.

*Prælibatio de Terra & Lege Salica, & Vindiciis Lotharingicis.* Bruxellæ 1643. in 8.

*De Cauſis naturalibus pluviæ purpureæ Bruxellenſis, Clarorum Virorum judicia.* Bruxellæ 1647. 8.

*Childebrandus fictus ad larvas amandatus*, Opus Genealogicum, gallicè & latinè de induſtria mixtum. 4. Antver. typis Plantin. 1659.

Accedit ad calcem *Chronicon genealogicum*, vulgo Nivellenſe, à Chiffletio erutum è Bibliotheca regia Bruxellis.

*Receuil des Traitez de Paix, de Treve, de Neutralité entre les Couronnes d'Eſpagne & de France, depuis le Traité de Madrid en* 1526, *juſqu'en* 1611. 4. Antver. per Moretum 1643. item 1645. & 1650. & 1664. Amſtelod. in 12.

*Anaſtaſis Childerici Regis, ſive Theſaurus ſepulchralis Tornaci Nerviorum effoſſus, & Commentario illuſtratus.* 4. Antver. typis Plantin. cum fig. 1655. Hunc Theſaurum Magiſtratus Tornacenſis præſentavit Archiduci Leopoldo Gubernatori Belgii, à cujus morte tranſiit in Muſæum Joannis Philippi de Schonborn Electoris Moguntini, qui eum dono miſit ad Ludovicum XIV. Gall. Regem.

*Pulvis febrifugus orbis Americani*, juſſu Leopoldi Guilielmi Archiducis Auſtriæ Belgii ac Burgundiæ Proregis vindicatus. 1653. in 8. Pulveris, vulgo *Quinquina*, à PP. Jeſuitis è regno

Peruviæ anno 1650. Romam primùm allati virtutes, plures mox Medici impugnarunt. Pro Pulvere ſcripſit Chiffletius; contra *Vopiſcus Fortunatus Plempius*, Medicinæ Anteceſſor Lovanii, ſub nomine larvato *Melippi Protymi*; aliique plures.

Præter hæc Hiſtorica & Medica *Chiffletius* toto animi ſtudio Regi Hiſpaniarum addictus, eâque ratione omnino à Gallis averſus, contra eos varia evulgavit Opera Politico-Hiſtorica, ad Pacem publicam ſpectantia, quæ primùm ſeorſim, dein collectim ſunt edita Antverpiæ in officina Plantiniana Balth. Moreti fol. 1650; quorum hæc ſeries.

I. *Vindiciæ Hiſpanicæ, in quibus arcana Regia publico Pacis bono luce donantur.*

II. *Lumina nova, genealogica, Salica, Prærogativa, ſive Reſponſa ad Francorum objectiones.*

*Appendix ad Lumina nova, de Matrimonio Ansberti & Blitildis, adverſus Fabrum, & contra mentem explicatam Gallici Aſſertoris, circa Salicæ legis intellectum.* fol. Antverp. 1647. typis Plantin.

III. *Lampades Hiſtoricæ, contra novas Marci Antonii Dominici cavillationes.*

IV. *Alſatia Jure Proprietatis & Protectionis Philippo IV. Regi Catholico vindicata.*

V. *Lotharingia maſculina*, adverſus Anonymum Pariſienſem.

VI. *Commentarius Lotharienſis*; quo præſertim Barrenſis Ducatus Imperio aſſeritur; Jura ejus Regalia Carolo III. Duci Lotharingiæ & Barri abſolutè vindicantur.

Accedunt: *Stemma Auſtriacum, cujus annis abhinc millenis Jeron. Vignierius Congregat. Oratorii Presbyter priores novem gradus elucubravit.* fol. Antver. typis Plantin. 1650.

*Lilium Francicum, veritate Hiſtoricâ, Botanicâ & Heraldicâ illuſtratum.* fol. ibid. 1658.

*Verum Stemma Childebrandinum*, contra Davidem Blondellum Miniſtrum Calviniſtam, alioſque Auſtriaci ſplendoris adverſarios. Ibid. 1656.

*De Ampulla Remenſi nova & accurata Diſquiſitio, ad dirimendam litem de prærogativa Ordinis inter Reges.* Acceſſit *Parergon de Unctione Regum*, contra Jacob. Alex. Teneurium, vulgo le Tenneur, fucatæ veritatis alterum vindicem. fol. Ibid. 1651.

*Teneurius expenſus, ejuſque calumniæ palam repulſæ; cum Appendice ad Corollarium de Baptiſmo Clodovæi I. Regis.* fol. ibid. 1652.

*Imago Francici Everſoris, nempe Davidis Blondelli; Miniſtri Calviniſtæ: Clypei Auſtriaci liber prodromus.* Ibid. fol. 1655.

*De Pace cum Francis ineunda Conſilium, à præteritorum exemplis, miſſum in Hiſpaniam anno 1647., nunc vero publici juris factum, poſtquam Philippi IV. Regis Catholici armis penetrati ſunt atque deminuti fines Francorum anno 1650. cum ſpe & animo progrediendi plus ultra.*

Adduntur & quædam alia digna notatu per P. Niceron in Notitiis Virorum Litteratorum Tomo XXV. pag. 255. de Joanne Jacobo Chiffletio, aliiſque ejuſdem proſapiæ Viris eruditis.

## JOANNES CHIFFLETIUS,

Veſuntinus, *Joannis Jacobi* Archiatrorum Comitis, eruditiſſimi parentis non degener filius, Jurium ſtudia præelegit, quibus unà cum *Julio* fratre Lovanii operam dedit; ſimulque ſub diſciplina Clariſſ. Valerii Andreæ, J. U. D. ac linguæ Hebraïcæ Profeſſoris, huic ſacræ linguæ incubuit. Neque enim (ait idem *Valerius*) alienam arbitratus eſt à Juriſprudentia ejus Linguæ peritiam: præſertim cum *Antonio Auguſtino* atque *Andrea Alciato* facem præferentibus, multis in locis Pandectarum

& Codicis, Syriæ Phœnicis, quæ Ulpiani patria fuit, phrasim agnosceret, & planè Judaïcum dicendi genus.

Postmodum J. U. Doctor in Academia Dolana apud Sequanos renunciatus, itemque Sacerdos, Canonicatum in Cathedrali Ecclesia Tornacensi anno 1651. obtinuit, fuitque Philippo IV. Regi Catholico, Principibusque Belgii moderatoribus, Joanni Austriaco & Leopoldo Archiduci, à Sacris Oratorii.

Neque solis Jurium & Historiarum studiis delectabatur Chiffletius, sed & Numismatum ac Gemmarum antiquarum accuratâ cognitione, & in Musæum suum collectione.

Vivere desiit die 27. Novembris 1663, relictis, pro nota eruditionis, hisce elucubrationibus.

*Paræneſis Apologetica ad Linguam Sanctam.* Antv. apud Balth. Moretum 1642. 8.

*Consilium de Sacramento Eucharistiæ ultimo supplicio asficiendis non denegando.* 4. Bruxellis 1644. 4.

*Palma Cleri Anglicani, sive Martyrium VII. Sacerdotum in Anglia.* Bruxell. apud Joan. Mommart 1645. in 8.

*De Sacris Inscriptionibus, quibus Tabella D. Virginis Cameracensis illustratur, Lucubratiuncula.* Antv. 1649. in 4.

*Apologetica Dissertatio de quatuor Juris utriusque Architectis, Justiniano, Triboniano, Gratiano & S. Raymundo* 4. Antver. 1651. Prodiit iterum in Thesauro Juris Romani, curis *Everardi Ottkonis*, J. U. Antecessoris Ultraject. Tomo I. pag. 161.

*Commentarius in librum Joannis Macarii, cui titulus Abraxas, seu Apistopistus, quæ est antiquaria de Gemmis Basilidianis Disquisitio.* 4. Antverp. typis Plantini 1657. Accedit

*Abraxas Protheus*, seu multiformis Gemmæ Basilidianæ varietas. Vide infra de *Joanne Macario.*

*Socrates, sive de Gemmis ejus imagine cælatis, judicium.* 4. ibid. 1661.

*Annulus Pontificius Pio Papæ II. adsertus.* 4. Antv. 1658.

*Judicium de Fabula Joannæ Papissæ.* 4. Antv. 1666. contra heterodoxos.

*Vetus imago Deiparæ, in jaspide viridi inscripta Nicephoro Botoniatæ Græcarum Imperatori*, primùm edita atque historicâ declaratione illustrata, anno 1661 in 4.

*Aqua Virgo, Fons Romæ celeberrimus & prisca Relligione sacer, opus Ædilitatis M. Agrippæ, in veteri annulari Gemmâ.* 4. 1662. Antv. Extat item in Thesauro Antiquit. Roman. Græevii, Tomo IV.

Adde & *Aulam sacram Principum Belgii.* Antver. 1650. quam *Julio Chiffletio* authore, evulgavit *Joannes* frater.

## JOANNES ERNESTUS A CHOKIER,

Cognomento familiæ gentilitio DE SURLET, ERASMI frater, Toparcha de Velroux, Lexhy &c. Leodii nascitur anno 1571. die XIV. Januarii, ex antiqua stirpe Dynastarum arcis *de Chokier*, non procul Leodio. Jurisprudentiæ in præclara Lovaniensi Academia operam dedit, Historiisque & Antiquitatibus Romanis, manuducente CL. Viro *Justo Lipsio*, simul intendit.

Sumpta Doctorali in utroque Jure Aurelliis laureâ, Urbem Orbis Dominam petiit, & Paullo V. Pont. Max. innotuit. Leodium reversus, primùm ad S. Paullum, deinde ad S. Lambertum in Æde Cathedrali Canonicus, & Abbas sæcularis S. Hadelini in Oppido Visetensi, à Serenissimo Ferdinando Bavaro, Episcopo-Principe Leodiensi, in Spiritualibus constitutus fuit Vicarius Generalis; eidem Principi à consiliis, Vir prudens, & candidissimus litteratorum patronus, ipse litteratis-

simus, erga pauperes domosque Religiosas munificus, qui & Domum incurabilium, aliamque pro Pœnitentibus mulieribus extruxit. Sepultus in veteri Choro Ecclesiæ Cathedralis, sub mausolæo magnifico.

Symboli loco usurpare solebat; NIL ADMIRARI. Scripsit

*Notas in Senecæ libellum De tranquillitate animi.* Leodii, apud Leon. Streel, 1607. 8.

*Thesaurum Aphorismorum Politicorum*, seu Commentarium in *Justi Lipsii* Politica, cum Exemplis, Notis & Monitis &c. Romæ, 1610. Moguntiæ, 1613. 4. varièque locupletatum & recognitum Leodii, 1642. fol. Transtulit hunc Thesaurum in Linguam Germanicam *Andreas Heidemannus*, Northusius, Francof. in fol. sed non ex fide, multis scilicet truncatis, & non paucis de suo additis. Unde hanc ejus interpolationem refellere coactus, libellum edidit, hoc titulo:

*Specimen candoris Heidemanni*, id est, Detectio malæ fidei & calumniarum, quas bonus ille vir sex libris Politicis inseruit. Leodii, 1625. 8.

*Notas & Dissertationes in Onosandri Strategicum.* Romæ, Moguntiæ & Leodii, cum Aphorismis Politicis.

Tractatum *De Permutationibus Beneficiorum.* 1616. & 1632. 8. Prodiit hic iterum Romæ 1700. in fol. apud Franc. Gallerum, una cum Tractatibus de Beneficiorum Ecclesiasticorum & officiorum sæcularium Coadjutoriis, authore Nicolao Remocampio, vulgo Remouchamps, Leodiensi, J. U. D. & de Caussis Consistorialibus Felicis de Matta.

*De Re nummaria prisci ævi, collata ad æstimationem monetæ præsentis.* Coloniæ excudit Kinckius, 1620. 8. item Leodii 1649.

*Commentaria in Glossemata Alphonsi Soto*, quæ ille in *Regulas Cancellariæ Apostolicæ* olim scripsit. Ibid. 1621. 4. item Leodii per Leonardum Streel 1658. in 4. editio secunda auctior.

*Scholia in Preces*, ut vocant, *primarias Imperatoris*, in 4. 1621.

Tractatum *De Legato*, quo quid in obeundis Legationibus suis agere Legati debeant, instruuntur. Ibid. 1624. 4. & Leodii 1642. cum Aphorismis Politicis.

*Erotemata materiam Indulgentiarum & Jubilæi concernentia.* Leodii, 1626.

*Vindicias Libertatis Ecclesiasticæ*, divisas in duas partes. I. Agitur de Appellationibus à sententiis Judicum Ecclesiasticorum, etiam in civilibus caussis, inter Laïcos motis, non esse in Camera Imperiali interponendas, nec ab ea recipiendas. II. Contra impios Ecclesiæ Mastiges, illius bona ac jura usurpantes. Leodii apud Joannem Tournay. 1630. 4.

*Paræneſin ad Hæreticos nostri Temporis, & alios Ecclesiæ Mastiges.* Ibid. 1634. in 4.

*Apologeticum adversus Samuelis Maresii*, opidi Trajectensis Ministri *librum*, cui titulum fecit, *Candela sub modio posita per Clerum Romanum.* 1635. 4.

*Anchoram debitorum*, opus juridicum. Ibid. 1642. 8.

*De Senectute*, Leodii apud Joannem Mathiam Hovium 1647. in 4.

*Facis Historiarum Centurias duas*, quarum I. continet Mores diversarum Gentium. II. Ritus sacros &c. fol. Leodii 1650. Agebat Author tunc annum ætatis LXXIX. ac paulò post in fata concessit.

## JOANNES CHRISOSTOMUS LOOTS,

Ord. Eremit. S. Augustini, Conventûs Lovaniensis filius, quondam Gandavi Scholarum Præfectus, Terminariorum Dunkercæ Superior, Me-

chliniæ Magiſter Novitiorum & Prior, Provinciæ etiam Secretarius;

Luci dedit *Poëmata* ſua, inter quæ excelluit *Pompeius Magnus*, Tragœdia. Mechlin. 1639. apud Jaye.

Item vernaculè *Viam Vitæ*. 1654.

## JOANNES CHRISTOPHORUS,

Ordinis Prædicatorum Theologus & Philoſophus, claruit circa annum 1260. ſcripſitque

*In IV. Euangeliſtas.*

*In omnes Epiſtolas Pauli* libros XIV.

NB. In Bibliotheca Scriptorum Ord. FF. Prædicat. Pariſiis editâ per P. Echard, Tom. I. pag. 590. hic *Joannes Chriſtophori* S. T. D. natione Saxo, neutiquam Belga, fuiſſe aſſeritur.

## JOANNES CHRYSOSTOMUS A S. MATTHEO;

Hunc inter Scriptores Belgas ex Ordine FF. Carmelitarum Diſcalceatorum, in Bibliotheca ſua recenſet P. Martialis à S. Joanne; ſed an & quæ ediderit, non commemorat.

In ſæculo dictus eſt *Joannes Huſtin*, doctrinâ ac pietate inſignis; Sacerdos ſæcularis aliquot annos Leodii Philoſophiam docuit. Inſtitutum Carmelitanum Bruxellis die 23. Septembris, anno 1621. profeſſus eſt; cumque Lovanii Philoſophiam ac Theologiam docuiſſet aliaque Ordinis munia ſubiiſſet, Romam à Superioribus evocatus, Epiſcopatum Aſpahamenſem in Perſide huic Carmelitano Ordini addictum, & ab Urbano VIII. oblatum, invictâ humilitate recuſavit.

Miſſus Conſtantinopolim, inter barbaros angelicam vitam duxit. In ſuam Provinciam redux, Prioris ac Definitoris officiis functus, piè obiit Bruxellis die 21. Februarii, anni 1652.

## JOANNES CHRYSOSTOMUS VANDEN STERRE,

Natus Silvæducis anno 1591. litterarum humaniorum encyclopædiam in Scholis Soc. Jeſu Antverpiæ abſolvit; Canonicamque hinc Regulam inſtituti Norbertini ibidem in Cœnobio S. Michaëlis profeſſus, adſumpto *Chryſoſtomi* nomine, ac Philoſophicis apud ſuos diſciplinis eruditus, Theologicas Lovanii hauſit in ſui Ordinis Collegio. Poſt Sacerdotio initiatus, variiſque in Cœnobio ſuo functus officiis, demùm ex Priore in Abbatem anno 1629. adſumptus fuit.

Varia quoque ſcripſit, quibus candidum Ordinem potiſſimùm illuſtravit, quorum hic catalogus.

*Panegyricus in Inaugurationem Mathæi Irſſelii*, Abbatis, ſui prædeceſſoris. Antver. 1614.

*In Natalem B. Joſephi*, Canonici Ord. Præmonſtratenſis.

*In Natalem B. Evermondi* Epiſc. Raſeburgenſis, ex eodem Ordine.

*In Natalem B. Garemberti*, Abbatis S. Martini, ejuſdem Ord.

*In Natalem S. Joannis Chryſoſtomi.*

*In Venerabilem Euchariſtiam.*

*Vita* S. NORBERTI Præmonſtratenſium Patriarchæ, iconibus & elogiis illuſtrata. Antverpiæ 1622. 4.

*Vita ejuſdem S. Norberti*, flandrobelgicè, libris III. ibid. 1623. 4. & latinè libro quarto auctior, quo diſſeritur de ejuſdem Sancti in civitatem Pragenſem factâ tranſlatione.

Eandem reimprimi curavit anno 1656. *Polycarpus de Hertoghe*, ejuſdem Abbatiæ S. T. Profeſſor, cum ſuis annotationibus; fuitque dein ab Hagiographis Societ. Jeſu inſerta Tomo VI. Actorum SS. Junii.

*Natales Sanctorum Ordinis Præmonſtratenſis*, Ibid. 1625. 4.

*Lilium inter ſpinas*, ſive *Vita B. Jo-*

*ſophi*, Canonici Steinfeldienſis, Ordinis Præmonſtratenſis ex archetypo Steinfeldienſi fideliter expreſſa, & *Notationibus* illuſtrata: cum aliquot *Opuſculis piis ejuſdem Sancti.* Ibid. typis Plant. 1627. 8.

*Roſa in hieme*, ſive *Vita Venerabilis Wilhelmi*, Rothenſis Canonici, Ord. Præmonſtrat. auctore *Martino Mertz*, Priore dicti Rothenſis cœnobii, cum *Auctario.* Ibid.

*Hagiologium Præmonſtratenſe*, ſive Faſti SS. hujus Ordinis.

*Chronicon Præmonſtratenſe Eccleſiæ S. Michaëlis Antverpienſis*; quod ab Antonio Sandero Brabantiæ illuſtratæ inſertum fuit.

Vivendi finem fecit in Abbatia ſua anno 1652, ac juxta ſummum altare ſepulturam habet & Epitaphium.

D. O. M. S.
Reverendo admodum
Ampliſſimoque Domino
D. JOANNI CHRYSOSTOMO
VANDER STERRE,
Hujus Eccleſiæ abbati XLI.
Candidi ac Canonici Ordinis
Præmonſtratenſis
Per Circarias Brabantiæ & Friſiæ
Vicario Generali
Ac Viſitatori Apoſtolico,
Anno M. D. C. LII.
XXVIII. Julii piè mortuo,
NORBERTUS Abbas, ejus ſucceſſor
Poni curavit.

## JOANNES CHRISTENIUS,

Batavus Amſtelodamenſis, J. U. D. edidit

*Tabulas Inſtitutionum.* fol. Amſtelod. 1632.

*Diſſertationem de Jure Matrimonii, ſeu de Cauſis Matrimonialibus.* 8. Harderovici 1651. & 1659. ac rurſum Arnhemii, 1662. & 1668. Fuit Romæ prohibita per S. Congregationem Indicis.

## JOANNES CIERMANS,

Silvæducenſis, Societatis Jeſu Sacerdos, Matheſin annis aliquot Lovanii & Antverpiæ docuit; tum à Superioribus impetravit Miſſionem ad Regnum Sinenſe, in quo artes Mathematicæ ſub curâ P. *Jo. Adami Schall*, aliorumque Societatis Jeſu Miſſionariorum florebant mirificè: eâque occaſione ſanctum Chriſti Euangelium magno fructu promovebatur. Sed P. *Ciermans* ſuſcepto itinere, in Luſitania obiit anno 1648. Ediderat ante Lovanii Theſes Mathematicas, hoc titulo,

*Annus Poſitionum Mathematicarum*, quas defendit Illuſtris D. *Wolfgangus Philippus Jacobus Unverzagt*, *Baro de Ebenfort.* 1641. in fol. figuris æneis.

## JOANNES CLARIUS,

Tungrenſis, Lovanienſi Academiæ à juventute adſcriptus ac primùm Philoſophiæ in Pœdagogio Porcenſi Profeſſor, indeque ad S. Theologiam gradum faciens, anno 1584. die 29. Auguſti, ſupremo Magiſterio unà cum *Henr. Cuyckio*, dein Ruræmund. Antiſtite, aliiſque inſignitus. Præfuit Collegio S. Annæ, tum Majori Theologorum Collegio, ac demum Leodienſi Seminario Lovanii per Ernеſtum Bavarum Principem-Epiſcopum erecto primus Præſes datur. Præter Canonicatum in D. Petri, Theologicæ lectioni annexum, alium quoque per Academiæ privilegia Inſulis in D. Petri aſſecutus eſt, uti & in S. Crucis Leodii.

Primus ipſe, relicto Magiſtro Sententiarum, anno 1596. Summam Theologicam D. Thomæ Aquinatis in Scholis publicis cœpit prælegere. Carmen etiam pangere ſolebat non abſque vena poëtica, luſitque verſu Jambico

*Satyram*

*Satyram in Guilielmum à Naſſau*, Erneſtum Bavarum ab Epiſcopatu Leodienſi fraudulentis ſuis conſiliis avertere conantem. Lovanii, 1584. 8.

*Oden in eumdem*, Regis Catholici vaſallum perduellem, & Eccleſiæ Chriſti hoſtem. Montibus Hannoniæ, 1581. 8. apud Velpium.

Aliud viri illius, alioqui præſtantiſſimi & doctiſſimi, ſcriptum non vidi. Circumferebantur olim, quæ in Scholis *De Sacramentis Eccleſiæ* dictavit typis & lectu digna, è quibus ſuperſunt de *Pœnitentia & Extrema Unctione Tractatus* in Bibliotheca Hieron. Stevart, Eccl. Metrop. Mechlin. Decani & Canonici Grad.

Obiit Lovanii anno 1611. die XXII. Auguſti: ſepultus in choro templi ad S. Petrum; hoc Epitaphio.

Eximius D. ac M. noſter
JOANNES CLARIUS, Tungrenſis,
Hujus Ædis Canonicus, H. S. E.
Qui Scholaſticam Theologiam
Non minori cum laude quam fructu
Annos prope XX. profeſſus,
Pauperibus ex aſſe ſcriptis hæredibus,
In ſe conſtanter parcus
Ut in eos eſſet profuſus,
Verè CLARUS deceſſit.
Vixit annos LXIII.
Obiit Anno M. D. C. XI.
Menſis Auguſti die XXII.

## JOANNES CLAUBERGIUS,

Solingæ, Montium Ducatûs oppidulo natus anno 1622. litterarum latinarum ac græcarum peritiam non vulgarem Bremæ, Groningæ atque Salmurii apud Gallos percepit: tum Galliâ Angliaque peragratis, in Lugdunenſi apud Batavos Academia moratus eſt, audivitque *Joannem Rayum*, Philoſ. Prof. nova Cartheſii placita jucundè proponentem. His raptus *Claubergius*, ac primùm Philoſophiæ Profeſſor in Academia Herbornenſi, dein anno 1651. in Duisburgenſi, primus Cartheſiana ſyſtemata in Germaniam intulit.

Obiit Duisburgenſis Academiæ decor, Electori Brandeburgico carus, ac Rector ferme perpetuus die 31. Januar. 1665. recuſatâ Profeſſione Neomagi & alibi ſibi per Batavos oblatâ, relictâque uxore *Catharina*, *Gerardi Mercatoris*, conſanguineâ; ad cujus Coſmographi celeberrimi, in templo Duiſburgenſi olim ſepulti, tumulum, ſuum quoque apponi voluit Claubergius.

*Opera* ejus *Philoſophica*, primùm ſeorſim ac ſæpius edita, prodiêre ſimul II. Tomis in 4. Amſtelod. 1691. præfixo Authoris encomio.

## JOANNES CLOPPENBURGH,

Amſtelodamenſis, Calvinianæ ſectæ variis in locis apud Batavos Miniſter, Theologiæque Profeſſor in Harderovicenſi ac Franekerana Academiis; evulgavit quam-plurima, inter quæ,

*Deliciæ Biblico-Brielenſes*, ſive Collationes Criticæ cum Ludov. Capello, in XXV. ſelectos Pſalmos primùm, tum in varia loca V. & N. Teſtamenti. 8. Bremæ 1632. Franekeræ 1652.

*Sacrificiorum Patriarchalium Schola ſacra*, cum Spicilegio. 16. Leydæ 1637.

*Enarratio in Caput 53. Iſaiæ.* Franekeræ 1652.

*Epiſtola ad Ludov. de Dieu, de die quo Chriſtus & quo Judæi comederunt Agnum Paſchalem; item Tractatio de Sabbatho deuteroproto, ac ſuper utroque Collatio Epiſtolica cum Ludov. Cappello.* 12. Amſtel. 1634. item Groningæ 1660. Omnia dein inſerta magno Operi Criticorum ſacrorum, Londini 1660. & Amſtelodami 1698. edito.

Item *Opera omnia Cloppenburgii* curâ Joannis à Marck, Nepotis ejus, ſimul fuerunt reimpreſſa in 3. Vol. 4. Amſtel. 1684. ac rurſum Trajecti ad Rhenum 1708. in II. Vol. 4.

Extat ſequens ejus Epitaphium Franekeræ, indeque amplior ejus Vitæ ſeries.

Hoc tumulo conditus eſt,
Rever. ac Clariſſ. Vir,
D. JOANNES CLOPPENBURGH,
SS. Theol. Doctor & Profeſſor,
Olim Paſtor Aelburgenſis ab A. 1616.
Heuſdanus ab A. 1618.
Amſtelred. ab A. 1621.
Brielanus ab A. 1630.
S. Theol in Acad. Harderovicena Prof.
& V. D. Miniſter ab A. 1640.
Et poſtremò S. Theol. Profeſſor
Ac V. D. Miniſter Academiæ
Friſiorum Franekeranæ ab A. 1644.
Natus Amſtelred. A. 1592. 14. Maii.
Denatus Franekeræ A. 1652. 30. Julii.

## JOANNES CLUVERIUS,

In Academia Lugdunenſi apud Batavos Hiſtoriarum Profeſſor publicus, Philippi filius Gedanenſis Germani, qui in eâdem Leydenſi Academia ſimili Profeſſione, clarus anno 1623. obiit, varioſque inſignes libros præſertim Geographicos cum perenni doctrinæ famâ reliquit. Ipſe quoque edidit

*Epitomen Hiſtoriarum totius mundi, à primâ origine uſque ad annum* 1620, *& ultra.* 4. Lugduni-Bat. an. 1633, & aliàs ſæpius editam.

## JOANNES CNYFF,

Ultrajectinus, patricii ſanguinis, Ordinis Minorum de Obſervantia, Orator facundus, primus Epiſcopus Groeningenſis anno 1561. deſignatus, & conſecratus, interfuit Synodo Provinciali Ultrajectinæ anno 1565. ſuamque Diœceſin difficillimis rexit temporibus, imo & hæreſi jam prævalente. Anno 1578. Kalendis Octobr. Groningæ animam Creatori reddidit. Scripſit

*Commentarium in Pſalmos Miſerere, & de Profundis*, teutonicè & latinè. Antver. apud Steelſium.

## JOANNES COCCEIUS,

Vulgo COCK, Bremæ in Germania natus anno 1603, acquiſitâ per ſtudium indefeſſum non vulgari SS. Scripturarum Linguarumque orientalium peritiâ, conſtitutus primùm fuit anno 1630. Hebraicæ linguæ Profeſſor in patria. Famâ eruditionis vulgatâ, anno 1636. à Curatoribus Academiæ Franekeranæ in Friſiam evocatur, ubi & ſacras Linguas annos plures profeſſus eſt, ac reliquam dein ætatem tranſegit Lugduni-Batavorum. Ad eam enim Academiam à Curatoribus anno 1650. accitus, Theologiæ Calvinianę ac Scripturarum Profeſſor primarius fuit uſque ad obitum die 5. Novembris 1669.

Auctor fuit Sectæ *Cocceianorum*, hodieque inter Calviniſtas celeberrimæ. Sententiis ac ſcriptis *Coccei* ſeſe oppoſuit *Gisbertus Voetius*, cujus Sectatores dicti ſunt *Voetiani*: ſed numero & authoritate inferiores. Plurima ſcripſit Cocceius, præcipuè in Scripturam, quæ quia Calvinianis erroribus referta ſunt, hic prætermittimus. Recenſentur tamen ordine, Tomo II. *Bibliothecæ Sacræ P. Le Long pag.* 680.

*Opera ejus omnia* Theologica, Scripturiſtica, exegetica, didactica, polemica, philologica, in octo Vol. in folio, edita primò Francof. ad Mœnum 1689. ac rurſus Amſtelodami 1701.

*Opera Anecdota & Philologica.* 2. Vol in fol. Amſtelodami 1706.

Plura de *Joanne Cocceio* lectu digna reperies in Notitia litteraria Scriptorum illuſtrium per P. Niceron Tomo VIII. pag. 193.

## JOANNES COENS,

Hallenſis (quod eſt Hannoniæ oppidum cultu Deiparæ celeberrimum)

S. Th. Licentiatus, & ad S. Martinum apud Cortracenſes ab anno 1585. Paſtor, *Corn. Janſenii*, ac *Petri Simonis* dein Epiſcoporum, nec non *Joannis David* dein Societ. Jeſu Theologi, ſucceſſor fuit digniſſimus. Eccleſiaſtes admodum facundus, & zelo vitæ emendatioris morumque reformandorum tam in Clero quam in reliquo populo accenſus. Edidit *Aſcetici* argumenti varia *Opuſcula*, ſermone vernaculo conſcripta.

Item *Confutationem Apiarii*, ſive *Alvearii Romani*, libri ſane perniciosiſſimi *Philippi Marnixii, Sanct-Aldegondii*. Lovanii 1598. in 8. apud Maſium.

Obitus, zeluſque ejus paſtoralis in Epitaphio ſequente, quod columnæ chori D. Martini Cortraci affixum eſt, notatur.

„ Magiſtro JOANNI COENS, Hal-
„ lenſi, S. Theol. Licent. hujus Tem-
„ pli, dum viveret, utriuſque por-
„ tionis Paſtori, ob ſingulares animi
„ dotes, & in paſcendis ovibus verbo,
„ ſcriptis & exemplo XIX. annorum
„ ſpacio diligentiam laudatiſſimo, Ka-
„ lend. Octobr. Anno 1604. magno
„ Cortracenſium mœrore diem extre-
„ mum obeunti, poſitum Monumen-
„ tum.

*Corpus, mens, nomen, tegitur, reſidet, veneratur,*
*Terrâ, aſtris, Urbe hac, morte, fide, ſtudio.*

## JOANNES COENEN,

Mollanus, Brabantus, S. Theol. Licentiatus, Canonicus Norbertinus in celebri Tongerloa & Prior ibidem, nec non Lovanii quondam Præſes Collegii Præmonſtrat. item Præpoſitus Eccleſiæ Collegiatæ S. Sulpitii Dieſtenſis, vir cùm doctus tùm induſtrius; eruit è ſui Ordinis ac cœnobii Bibiotheca Dialogum *Honorii de Prædeſtinatione & Libero Arbitrio*. Antver. in 8. 1621. qui germanus *Honorii* partus eſt: non ille, quem *Georgius Caſſander* ediderat ſuppoſititium ac malæ fidei.

*Litanias* item *Marianas*, eaſque piiſſimas, in Tungerloa ante CCC. annos dici ſolitas.

Sed & *Carmen Sphæricum* magnâ aliquando ſubtilitare compoſuit, quod in orbem circumagi debebat, ut poſſet legi, nedum intelligi: excuſum Lovanii, 1602.

## JOANNES COGNATUS,

Vulgo COUSIN, Tornacenſis, Sacræ Theol. Licentiatus, & Canonicus Cathedralis Eccleſiæ in patria, ſcripſit

*De Fundamentis Religionis*, hoc eſt, *de Naturali Dei cognitione; de Immortalitate Animæ; & de Juſtitia Dei*, Orationes III. Duaci, apud Joannem Bogardum, 1597. 8. quarum primam recitavit Lovanii, in Quodlibeticis, ut vocant, Quæſtionibus, anno 1595. & Zangrii typis edidit. Scripſit item

*De proſperitate & exitio Salomonis*. Duaci 1599. 8.

*De rebus Tornacenſium* Tomos ſeu libros IV. Gallicè, 1619. 4. typis Marci Wion.

Collegit & ex antiquis ac probatis auctoribus *Hiſtoriam Sanctorum*, Cathedralis Eccleſiæ Tornacenſis patronorum, inſtar Hymnorum & Lectionum, quæ in Eccleſia recitari ſolent. Duaci, 1621. 1621. 8.

## JOANNES A CONDATO,

Hannonius, Carmelita Valencenenſis, claruit circa annum 1380. ſcripſitque,

*In Sententias* libros IV.

*In Canonicam Epiſtolam S. Joannis.*

*Sermones de Tempore & Sanctis.* Ex Arnoldo Boſtio.

## JOANNES CONTRACTUS,

Belga, Ordinis Minorum, ſcripſit *Sermones* ubcres *ad Populum*; excuſos jam olim per Colonienſes & Toloſanos, typis Joannis Roelhoff, fol.

## JOANNES COOLS,

Reineri filius, Horna-Batavus, Juris-Conſultus, Poëta, & *Hiſtoriographus Pacis Hiſpano-Batavæ*, Monaſterii Weſtphal. 1648.

## JOANNES CORNELII,

Dieſtenſis, Presbyter vitam Canonicam profeſſus anno 1419. in Monaſterio Bethleëmitico prope Lovanium, adoleſcens habuit in Studio Pariſienſi (ubi & Artium Magiſter promotus fuit) ſodalem *M. Heimericum de Campo*, poſtmodum famoſiſſimum S. Theologiæ Profeſſorem Lovanii. Qui cùm tempore magnarum vacantiarum apud Religioſos Bethleëmitas feriari ſolitus eſſet, doceretque eos Complementa Artis & ſcientiæ Raymundi Lulli, quod omne *Scibile* prænotabat; *Joannes* hic aſpernatus has ſpeculativas curioſitates, (ut aiebat) edidit partim metro, partim rithmo libellum, multos devotos conceptus continentem, quem

*Omne ſcibile pauperis* inſcripſit.

Item *Orationes & Meditationes* varias. Ita ferè Petrus Impens Chronici Bethleëmit. lib. 3. art. 7. §. ſcribens ſibi hæc omnia lecta fuiſſe.

Plenus dierum è vita abiit, anno 1472. ætatis 79.

## JOANNES CORVERUS,

Ruræmundenſis, *Philonis Judæi* libellum *De Nobilitate*, latino carmine reddidit. Coloniæ, apud Cholinum, 1564.

*Lamentationes* item *Jeremiæ Prophetæ* verſibus Elegiacis. Ibid. apud Birckmannos, 1566. 4.

## JOANNES COSTERIUS,

Propter innocentiam vitæ cognomento COLUMBA, Lovanienſis, Canonicus Regularis & anno 1554. Prior Vallis Martinianæ in patria: vixit cum *Martino Lipſio* pari animorum & ſtudiorum neceſſitudine ac contubernio; veteresque aliquot Patres ac Scriptores priſtinæ integritati ex fide reſtituit,

*S. Ambroſii* Opera, Tomis V. digeſta.

*Vincentium Lirinenſem contra Hæreſes:* cui & *Commentariolum* adjecit. Lovanii, 1568. 12.

*Sermones Guerrici*, *Abbatis Igniacenſis*. Lovanii, 1555. & Antver. 1576. 12. typis Nutii.

Scripſit quoque, Lovanii habitam, *Orationem* luculentam *in laudem Sanctarum Litterarum*. Antver. 1555. 8. apud Bellerum.

Præterea ex *D. Ambroſio* concinnavit *Commentarium in Cantica Canticorum*. Lovanii, 1558.

Denique ejuſdem nomine circumfertur *Explicatio Cantici Eccleſiaſtici*; excuſa à Bellero, 1575. 16. cum Thoma à Kempis (latiniore facto à Franciſco Tolenſi) de Imitatione Chriſti. Nam quæ *de Proprietatibus Religioſorum Oratio*, Lovanii annno 1565. edita, *Coſterii* præfert nomen, alterius eſt, *Cornelii* nimirum *Blocchii*.

Deceſſit Lovanii, anno 1559. ætatis 44. die IX. Martii, apud ſuos conditus. Epitaphium amico & ſodali ſcripſit *Jacobus Latomus*:

Coſterius *jacet hic; ſatis hoc monuiſſe, viator.*

*Nempe quis audito nomine plura roget? Sponte tibi hic ſubeant nivei & ſine crimine mores,*

*Canaque cum ſumma Religione Fides.*
*Invictum pectus, nulli penetrabile culpæ,*
*Virtutis cupidum, nequitiæque fugax.*
*Intentum ſtudiis ſemper, ſanctoque labori:*
*Denique per cunctos vita probata modos.*
*Artibus in cœlum ſi quis graſſetur eiſdem,*
*Exſpectet placidum poſt ſua fata Deum.*

## JOANNES COSTERIUS,

Aloſtanus, promotus anno 1561. octavus inter Magiſtros Artium, condiſcipulum nactus & amicum Guilielmum Eſtium; hinc S. Theol. Licentiatus, ac Paſtor oppidi Aldenardenſis in Flandria, edidit

*Inſtitutionem de exitu Ægypti, & fuga Babylonis*, hoc eſt, de exitu Catholicorum è civitatibus hæreticorum. Duaci apud Joan. Bogardum, 1580. 8.

Obiit in flore ætatis Aldenardæ, anno 1580. die x. Junii. Confundit hujus & *Joannis Coſterii*, Lovanienſis, ſcripta Poſſevinus in Apparatu ſacro, & è duobus unum facit.

## JOANNES COTOVICIUS,

Vulgo VAN CATWYCK, Ultrajectinus, J. U. Doctor, ac Miles Jeroſolymitanus, Terram Sanctam, aliaſque adiit ac luſtravit; ſcripſitque

*Itinerarium Jeroſolymitanum & Syriacum*: quo gentium variarum mores, inſularum, regionum, urbiumque ſitus, aliaque ob oculos ponit: Antver. 1619. 4. apud Verduſſium.

## JOANNES COTREAU,

Doctor Theologus Pariſienſis, & Canonicus atque Archidiaconus & Vicarius generalis Diœceſis Tornacenſis. Principe Epinoye Tornacum gubernante, Geuſiiſque ſupra modum favente, qui proinde Catholicos opprimebant & ſacra conculcabant, ſtetit Archidiaconus hic vir fortiſſimus pro avitâ fide Catholica, quam & continuis ad populum ſermonibus multiſque præclarè geſtis ſtabilivit. Deceſſit Tornaci die 4. Novembris 1592. Scripſit gallicè

Tractatum *De quiete & tranquillitate Animæ* libris III. Pariſ. 1575. 8. apud Guil. Chaudiere.

*Commentarium ſive Sermones* XXXII. *in Præcepta Decalogi.* Ibid. 1576. 8.

*Sermones ſuper Dominicas: De Plagis Ægypti.* Ibid. 1580. 8.

*Sermonem funebrem Petri Pintaflour Tornac. Epiſcopi.* 8. Pariſ. 1580.

*Orationem in funere Maximiliani Morillon Epiſc. Tornac.*

Item alias *Orationes* aliquot *funebres.*

## JOANNES COUDENBERGIUS,

Decanus Eccleſiæ S. Ægidii in opido Abbenbrocenſi, Diœceſis Ultrajectinæ, Philippo Auſtriæ Archiduci. Regi Caſtellæ &c. à Secretis, ſcripſit ad Carolum V. electum Imp.

*De Initio, progreſſu, & impedimentis Fraternitatis ſeptem Dolorum beatiſſimæ Virginis* MARIÆ. Antver. apud Mich. Hillenium, 1519.

Item *De Miraculis* 250. *ejuſdem Confraternitatis.* Utrumque librum recenſuit & de novo edi curavit *Georgius Colvenerius*, Duaci, 1619. 12. typis Petri Auroii.

## JOANNES COUTEREELS,

Antverpienſis, litterarum humaniorum & Arithmetices Magiſter Middelburgi in Zelandia, edidit gallicè atque vernaculè *Tractatum de Aritmeticâ*, 12. Middelburgi. 1660.

## JOANNES COUVILLON,

Inſulenſis, Societ. Jeſu Theologus,

Conimbricæ in Luſitania, Ingolſtadii in Germania, ac denique Romano in Gymnaſio Philoſophicas Theologicaſque diſciplinas explanavit: Concilio quoque Tridentino, Alberti Bavariæ Ducis nomine, anno 1562. interfuit. Vir per omnia magnus, tandem Romæ in D. Petri Baſilica Pœnitentiarius, ſenex moritur anno 1581. die 17. Auguſti.

Edidit ibidem apud Ant. Bladum 1554. *Concluſiones è priori Epiſtola D. Pauli ad Corinthios* deductas.

Reliquit & *Aſſertiones* in eamdem Epiſtolam.

Item *Quæſtiones in Pſalmos*. Sed eæ lucem nunquam videre.

Academia Ingolſtadienſis hoc elogio memoriam ejus perennavit.

„ JOANNES COVILLONIUS, Soc. „ Jeſu, ſacro-ſanctæ Theologiæ Doctor, natus Inſulis, nobili Flandriæ „ & maximorum ingeniorum matre. „ Unus ex primis Societ. Patribus fuit, „ qui Chriſto Ingoſtadii ſervierunt. „ Multa illi laus, ex diligentia, ex „ doctrina, ex candore dicti & facti. „ Major, quod qui aliis fuit maximus „ & primus, ultimus ſibi ſemper videbatur & minimus. Vir in ſumma ſimplicitate ſummus & prudens. „ Nihil in vita quærebat magis, „ quam quietem ſolitudinis, pacem à „ turbis mundi. Emiſſus tamen à ſuis, „ & quaſi Dei manu, in diverſas meſſes Galliæ, Italiæ, Luſitaniæ, Flandriæ, cum fructu magno plurimorum. Nec minori cum dignitate ac „ laude in Concilio Tridentino fuit, „ Sereniſſimi Ducis Bavariæ Legatus. „ Tandem ſenex moritur Romæ, cum „ è Pœnitentiariis, qui ad D. Petri „ obeunt ſummi Pontificis vicariam „ operam, unus cenſeretur. Tam ſcitè conſcientias hominum tractare „ noverat, ut maximus peccator dixerit, MALLE SE LANCINARI A „ COVILLONIO, QUAM SANARI AB „ ALIO.

## JOANNES VAN CRAESBEECK,

Arſchotanus (quod Brabantiæ opidum eſt, Ducatûs titulo illuſtre) S. Theologiæ Baccalaureus Lovanienſis, Religioſus profeſſus Abbatiæ S. Bernardi ad Schaldim, & ſubinde Lector in Villario ejuſdem Ord. Ciſtercienſis Cœnobio, obiit Prior in S. Bernardi anno 1610. Scripſit

*Commentarium in Regulam S. Benedicti.* Quem evulgarunt Religioſi S. Bernardi. Duaci 1624. 8.

## JOANNES CRISPINUS,

Vulgo CRESPIN, Atrebas, adoleſcens à patre Juriſperito ad capiendum ingenii cultum Lovanium miſſus, *Gabrielem Mudæum*, alioſque Anteceſſores quinquennium totum ante aditam Galliam audivit. Vixit dein in Galliis, profeſſione typographicæ ac litterariæ exercitationis clarus: uſus annos multos amico *Franciſco Balduino*, quocum à pueris educatus fuerat.

*Criſpinum* tamen poſtea *omnis humanitatis non minus quam juris obitum fuiſſe, ex quo factus eſt ſervus Allobrox*, ſcribit Balduinus in Reſponſione ſuâ ad Joannem Calvinum p. 89. ubi & Commentarium ejus *De Apoſtatis* notat. Dedit præterea *Criſpinus*

*Inſtitutionum Imperialium* libros IV. Annotationibus illuſtratos, editos auctoris, & Samuëlis filii typis.

*Nomenclaturam Actionum.*

*Heſiodi Opera & dies*, cum brevibus *Scholiis.*

Item *Lexicon Græco-Latinum.* 1595. fol.

Cum eſſet Pariſiis apud famoſum *Carolum Molinæum* amanuenſis, praxiſque juridicæ diſcipulus, eo ſuggerente

*Theodori Bezæ* amicitiam nactus est, cui & in Calviniſtarum refugio Gebennenſi adhæſit, artemque exercens typographicam, ibidem infelix obiit anno 1572. Edidit illic infamem hujus tituli librum

*Hiſtoire des vrais temoings de la verité de l'Evangile, qui de leur ſang l'ont ſignée, depuis Jean Hus, juſqu'au tems preſent: comprinſe en huit livres, contenant Actes memorables, &c.* fol. Genevæ 1570, atque iterum ibidem 1582. 1597. & 1609. cum auctario *Simonis Goulart*, Silvanectenſis, Prædicutii apud Genevenſes; atque aliàs ſæpius.

## JOANNES CROMBECIUS,

Duaci natus est anno 1563. ac Societati SS. Nominis Jeſu aggregatus, omnia penè illius munia cum laude obivit, & cum doctrinâ pietatem in primis conjunxit, quam ubique ejus ſcripta ſpirant,

*De ſtudio Perfectionis* libri II. Antver. 1613. 4. typis Trogneſii, & Moguntiæ, 1614. 8. Eoſdem libros auctor ipſe gallicè interpretatus eſt.

*Aſcenſus Moyſis in Montem* ſive *Tract. de Oratione*: tribus, ut inſcriptio habet, viis diſtinctus, Purgativâ, Illuminativâ, & Unitivâ. Audomaropoli, 1618. 8.

Obiit Audomaropoli VI. Nonas Octob. anno 1626.

## JOANNES CURRIFICIS,

Vulgò WAGEMAECKERS, Canonicus primùm Regularis, dein Monachus Ciſtercienſis in Villario, demùm Confeſſarius Monialium ejuſdem Ord. in Monaſterio de Marche-les-Dames in Namurceſio; ſcripſit

*Tractatum de Vitio proprietatis*, Pariſ. editum typis Marneffii, cum aliis ſimilis argumenti libellis, hoc initio: *Sicut modicum fermentum totam maſſam &c.*

Porro hujus Viri ſanctitatem ac doctrinam memoravit Henriquez in Menologio Ciſtercienſi, ad diem X Maii, quo inter Sanctos hujus Ord. ſors illius eſt.

## JOANNES CRUCIUS,

Aloſtanus, Presbyter & Paſtor Stabroeckanus, luſit *Carmen in horum temporum calamitates*, excuſum Antver. 1604. apud Arn. Coninex.

## JOANNES CRYTERIUS,

Dieſtemienſis Brabantus, Ordinem S. Auguſtini profeſſus in patria, S. T. Doctor, Eccleſiaſtes zeloſus & elegans, Priorem egit Dieſtemii, Coloniæ Agripp. Aquiſgrani, Betburgi. Fuit & Capituli provincialis Præſes, Diffinitor, Viſitator &c. In fata conceſſit in ſuo Dieſtenſi Conventu die 30. Junii 1675. Dudum poſt mortem illius prodiit

*S. Auguſtinus prædicans, ſive Conciones in omnes totius anni Dominicas, ex SS. Litteris & Auguſtino deſumptæ*, 12. Tomi II. Moſæ-trajecti 1714. apud Lamb. Bertus.

- - - - Idem *in Feſta totius Anni.* 12. Tomi II. ibidem.

## JOANNES CUSTOS,

Brechtanus Brabantus, Grammaticus celebris, primum in Artium promotione locum obtinuit anno 1496. è Lilienſi Pœdagogio Lovanii, & in Caſtrenſi Gymnaſio litteras docuit humaniores: deinde Scholæ Groningana in Friſiâ Rector præfuit, pòſt Antverpianæ ad D. Virginis. Conſenuit tandem, docuitque privatim in patriâ. Obiit anno 1526. Scripſit

*Grammaticam Latinam*, ſæpiùs evul-

gatam: quâ *Joannes Despauterius*, Lovanii *Custodis* auditor, in suis Commentariis Grammaticis concinnandis usus fuit. Retexuit eamdem *Martinus Lipsius*, typis Plantinianis. 8.

*Versus* quoque *Alexandri Grammatici* emendavit.

## JOANNES DALICK,

Theologus & prædicator ævi sui famosus, eoque nomine Leodii in pretio habitus, reliquit

*Sermones per anni circulum*, hoc initio, *Ad te levavi &c.* Meminit Albericus, trium Fontium Monachus Cisterciensis, in Chronico suo MS. ad annum 1195.

## JOANNES A DAVENTRIA,

Transisalanus, Ord. Minorum Magister, Provinciæ Colonienſis, hæreticorum, præsertim Anabaptistarum ac Lutheranorum, istis in locis grassantium strenuus impugnator, edidit

*Exegesin Euangelicæ Veritatis*, contra errores Confessionis Lutheranæ, Cæsari in Comitiis Augustanis exhibitæ. Coloniæ, 1535. 8. typis Melch. Novesiani.

Scripsit item contra Anabaptistas librum, cui titulus *Catapulta*. Aliaque.

## JOANNES DAUFFAIUS,

Vulgò D'AUFFAY, Bethunienſis, Artesius, Maxæmiliano & Philippo Austrio à Consiliis ac Libellis, scripsit

*De vera & legitima successione Mariæ Burgundæ*, Caroli Audacis filiæ ex asse hæredis, *ad Burgundiæ Ducatum, Comitatus Artesiæ, Burgundiæ*, itemque *Insulense, Duacense atque Orchiacense Dominia* Legebatur MS. in Bibliotheca publica Ecclesiæ Cathedralis Tornacensis, & alibi: sed evulgavit anno 1693. Godefridus Leibnitius J. U. D. in Mantissa Codicis Juris Gentium Diplomatici.

Lege etiam Testimonium P. le Long in Bibliotheca Histor. Galliæ, Num. 11973. ubi ait, Tractatum istum à *Joanne de S. Romain*, Procuratore Regio, fuisse refutatum.

Item scripsit in *Consuetudines Artesiæ & Bethuniæ*.

*De Advocatia Bethunienſi.*

*De Ponthivenſi Comitatu.*

*De Austrevandenſi Comitatu*, aliaque. Meminit ejus Locrius in Chronico suo Belgico ad annum 1211. 1270. 1479. & alibi.

## JOANNES DAVID,

Cortracensis, Pastor primùm in patria ad D. Martini, munus illud suum sanctè obivit, (duorum Pastorum, dein ad Episcopales Insulas evectorum *Corn. Jansenii* Gandensis, ac *Petri Simonis* Iprensis dignus successor) dedítque exemplum vitæ ac disciplinæ rigidioris, Pastoribns meritò imitandum.

Pòstmodum Societati Jesu anno 1581. nomen dedit, ac Collegio Cortracensi suâ curâ erecto primus Rector, tum Bruxellensi & Gandavensi etiam præfuit: dicendi venustate, inventionis solertiâ, atque excitandis ad pietatem hominum animis plurimùm excelluit: quò scripta ejus omnia, pleraque ascetica, spectant.

*Veridicus Christianus*, seu *de Fidei Christianæ capitibus*, Antverpiæ typis Plantinianis. 1601. & auctiùs 1606. 4.

*Occasionis arreptæ ac neglectæ Typus*: in quo illius commoda, hujus incommoda. Ibid. 1605. 4.

*Paradisus Sponsi ac Sponsæ*: in quo *Messis Myrrhæ & Aromatum, ex Mysteriis Passionis* CHRISTI colligenda: &, *Pancarpium Marianum*, sive *de B. Mariæ Virginis Laudibus gestisque*. Ibid. 1607. & 1618. 8.

*Speculo*

*Specula XII. Deum aliquando videre desideranti concinnata.* Ibid. 1610. 8.

Atque hæc quidem omnia Latinè, & cum Iconibus : quâ linguâ scripsit quoque libellum hoc titulo :

*Amputandum*, PUTABAM, *quæ radix stirps & germen est malorum.* Antver. typis Trognæsii, 1612. 8.

Belgico verò sive Flandrico idiomate plura scripsit Opuscula, pleraque Hæreticis refellendis idonea, in quibus miscuit utile dulci.

*Extinctorium famosæ facis Hollandiæ.* Antver. 1602.

*Alvearium*, adversus *Philippi Aldegundi* librum pestilentissimum, quem ille inscripsit *Alvearium Romanæ Ecclesiæ.*

*Araneum Hæreticum*, quo universa hæreseos œconomia demonstratur : quem *Theod. Petreius* Cartus. latinè reddidit.

*Labyrinthum Hæreticorum.* Antver. typis Trognesii, 1605. 8.

*Hæreticorum carnalem Ollam.* Ibid. 1610.

*Salvos conductus.* Ibid. 1610.

*Sordidas Hæreticorum Sponsas duas*, seu *Historiam Ecclesiæ Hæreticæ.* Uranopoli, 1608.

*Respiraculum pro bulliente musto Novatorum.* Ipris 1610.

*Excubitorem contra ariolos, incantatores & similes maleficos.* Silvæducis, 1619. 8.

*Viridarium Rituum ac Cæremoniarum Ecclesiæ :* cui adjecit *Oeconomum Christianum*, cum *Spongia Vitiorum.* Antver. apud Trognesium, 1608. 8.

*Lapidem Lydium*, sive *Hortulum delitiarum spiritualium Animæ ad perfectionem contendentis :* quem latinè idem *Petreius* interpretatus est.

*Sortem sacræ Sapientiæ*, sub nomine anagrammatico, *Donaes Indinau.*

*Horologium Passionis : Igniarium : Jubilum amantis Animæ : Spirituale Alphabetum, &c.* 1607.

Denique *Petri Simonis*, Episcopi Iprensis, *Opera* à morte ejus recensuit & edidit typis Plantin. 1609. fol.

Ipse piè defunctus est Antverpiæ anno 1613. die IX. Augusti, annos natus LXVII. ab initâ Societate 32.

## JOANNES DECKHERUS A WALHORN,

Falcoburgi in Transmosana Ditione natus anno 1583. die 20. Junii, patre *Joanne*, matre *Mariâ de Caldenbourg.* Lovanii J. U. L. gradu insignitus, dein Bruxellæ per annos plures Caussarum patronus extitit celeberrimus. Uxorem hîc duxit *Mariam van Pede*, *Joannis* in suprema Brabantiæ Curia Senatoris filiam, è qua præclaram reliquit posteritatem.

Ipse quoque anno 1643. in eadem Curia Senator omnium votis renunciatur ; sed dignitate hac frui vix potuit. Decessit enim Bruxellis toto necdum in Senatu transacto triennio, die 16. Decembris 1646. ætatis anno 63. sepultus Anderlaci in sacello S. Guidonis. Vir integritate nunquam interruptâ, liberali indole, moribus suavissimis conspicuus : præter Jurisprudentiam, iis quoque artibus, quibus ipsa humanitas nomen impartivit, plenè imbutus. Edidit

*Dissertationum Juris & Decisionum Libros II.* fol. Antv. 1631. typis Joannis Meursii. Prodiit dein Bruxellis in fol. apud Petrum Dobbeleer anno 1673. curante filio *Aurelio de Deckher* secunda editio ; tertia vero 1686. iisdem typis, curante *Joanne Baptistâ Christyn* J. U. L. supremi Brabantiæ Consilii dein Cancellario. In quâ præter disceptantium partium hinc inde nomina, sententias in magna Revisione retractatas, accessêre opiniones ac Decisiones conformes, quæ post mortem Authoris non modo in Hispania, Gallia, Belgio, sed &in supremis uni-

versæ Europæ Judicum conſeſſibus prodiêre.

Illius quoque fuit libellus poſthumus, *Philoſophus bonæ mentis.* 8. Bruxellis apud Mart. Boſſuyt. 1674.

## JOANNES DECKERIUS,

Haesbroeckanus, Flander, curſu Philoſophiæ abſoluto Duaci ſub *Leonardo Leſſio*, Romæ in Societatem SS. Nominis Jesu admittitur, miſſuſque Neapolim ad ſacræ militiæ tirocinium, ibidem ſtudia abſolvit Theologica. Romam reverſus, ſacriſque initiatus, mox Belgium repetiit: docuit Philoſophiam ac Scholaſticam Theologiam Duaci; hanc item Lovanii: profectuſque Græcium in Stiriam Academiæ illius fuit Cancellarius. Vir ſanè multis nominibus quà ab ingenio, quá ab eruditione omnigena commendandus, atque Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, potiſſimùm verò temporum in ſupputando peritiſſimus, ut de cæteris ejus virtutibus nihil dicam. Collegit illas ac deprædicat Bibliotheca Scriptorum S. J. Scripſit

*Exercitium Chriſtianæ Pietatis.*

*Orationem panegyricam in Exequiis Sereniſſ. Mariæ Annæ Archiducis Auſtriæ, uxoris Ferdinandi II. Imp.* Græcii dictam, & excuſam anno 1616. 4.

*Velificationem*, ſcu *Theoremata de Anno ortus ac mortis Domini, deque univerſa* Jesu *Chriſti in carne Oeconomia: à Laurentio Suſlyga* ſub *Joannis Deckerii* præſidio in Diſputationem adducta: unà cum *Tabula Chronographica à capta per Pompeium Jeroſolyma uſque ad deletam à Tito urbem ac Templum.* Græcii, apud Geor. Widmanſtadium, 1606. 4. Vide Card. Baronium, Tomo XII. Annal. in Appendice, & in recentioribus editionibus Tomo I. in Apparatu Num. 129. ubi Auctorem hunc, ſententiæ ſuæ non per omnia conſentientem, acriter perſtringit.

Cæterùm *Deckerius* Opus reliquit longè eruditiſſimum, & XL. annorum ſtudio comparatum, Tomis III. diſtinctum, *Theologicarum Diſſertationum mixtim, & Chronologicarum in Chriſti* Διαν∂ρώπου *Natalem*, ſeu *de primario ac palmari Divinæ ac humanæ Chronologiæ vinculo, qui eſt Annus ortus ac mortis Domini, Oeconomia.* Operis hujus delineationem exhibet Bibliotheca S. J. recenſetque alias *Deckerii* lucubrationes, quæ hactenus lucem non viderunt.

Vitæ ſuæ curſum abſolvit Græcii, die x. Januarii, anno ſalutis 1619. ætatis LIX. Religionis XLI.

## JOANNES DELPHIUS,

Batavus, à natali ſolo cognomen mutuatus, Argentorati munere Coëpiſcopi plures annos functus fuit, ſcripſitque

*De Poteſtate Pontificia.* Coloniæ typis Cholini, 1580. 8.

*De Notis Eccleſiæ.* Ibid. Aliaque, inviſa hactenus.

Interfuit anno 1557. unà cum Michaele Helding Epiſcopo Mersburgenſi, Petro Caniſio S. J. Franciſco Sonnio & Jod. Raveſteyn Theologis Lovan. celebri Colloquio Wormatienſi, cum Melanctone aliiſque Lutheranis habito, ſed abſque fructu, & improbante Rom. Pontifice.

## JOANNES DEL-RIO,

Brugenſis, J. C. Protonotarius Apoſtolicus, ex Canonico Officiali & Archidiacono fit anno 1607. Decanus Eccleſiæ Cathedralis Antverpienſis, ac Vicarius Epiſcopi, edidit ſe habitam

*Orationem in Funere Reverendiſſ. D. Joannis Miræi*, Antverp. Epiſc. typis Pantin. 1611. 8.

*Expoſitionem Moralem Pſalmi CXVIII.*

*Beati immaculati &c.* Ibid. in 12.

Item *Pſalmorum VII. Pœnitentialium.*

Vitam placidè & tranquillè finivit anno 1624. pridie Epiphaniæ; ſepultus juxta aram primariam chori Cathedralis, hoc Epitaphio.

Adm. Rev. Nobiliſque Viri
D. JOANNIS DEL-RIO
J. U. L. H. C. E. Decani,
Et Epiſcopatus Antverpienſis Vicarii Generalis,
Qui ſolutâ picturâ
Hujus ſummi altaris,
Fundatoque ſibi perpetuo anniverſario,
Tam in hac, quam in Cathedrali Brugenſi,
Variiſque legatis relictis
Ad ſubſidium Collegii Societat. Jeſu Antverpienſis,
Alioſque pios uſus,
Pietatem poſteris teſtatus
Reliquit;
Quod mori potuit, hîc depoſuit
Anno M. D. C. XXIV. die v. Januarii
Ætatis LXVIII.

## JOANNES DEMOPHYLAX,

(Quaſi *populi cuſtodem* dixeris) Flander, Carmelita Gandenſis, Poeta, ſcripſit juvenis adhuc (nam anno 1528. Lugduni obiit, ætatis 26.)

*Chriſtomachiam:* carmen laborioſum, conſtans acroſtichis perpetuis, Gandavi in 4.

*Chaldaicam fornacem: Catachreſin Iſraeliticam: De laude Lucis: Odas de Chriſti Natalitio: Carmen de Flandria.* Et alia, Lugduni ſimul typis edita, 1527. cum Auctoris effigie.

## JOANNES DES-LOIX,

Artheſius, è municipio de Tournehem Diœceſis Audomarenſis, Religioſus Ordinis FF. Prædicatorum, Conventûs Audomarenſis filius; ſtudiis apud ſuos in Belgio peractis, in Galliam ſe contulit, ibidemque anno 1613. in Cadomenſi Univerſitate Magiſtralem S. Theologiæ Lauream adeptus eſt. Præfuit dein Conventibus Valencenenſi, ac ſuo Audomarenſi; totique ipſi inferioris Germaniæ Provinciæ Prior Provincialis, Trajecti ad Moſam electus anno 1619, per quadriennium: quo tempore Provinciam hanc multis auxit Conventibus novis.

Exinde à ſacra Cardinalium Congregatione anno 1623. datus Veſuntione & in Burgundiæ Comitatu veræ Fidei adverſus hæreticam pravitatem Inquiſitor, totos in eo munere explevit annos 28. Demum annorum pondere preſſus, eâ dignitate abdicatâ, ad ſuos reverſus, nec ab iis quieſcere permiſſus eſt. Nam vividus ſenex Montenſi, quem erexerat Conventui, & poſtea iterum ſuo Audomarenſi præficitur Prior, iterumque etiam anno 1653. totius Provinciæ Rector, quam licet 85. ætatis annum jam ageret, toto rexit ac viſitavit, integris ſemper viribus, quadriennio.

At decimo tandem poſt expletum officium menſe, Audomari communem naturæ debitum ſolvit, 22. Januarii 1658. ætatis anno 90. profeſſionis 74. Fuit ibidem in odeio ſepultus. Scripſerat

*Speculum Inquiſitionis Biſuntinæ, ejus Vicariis & Officiariis exhibitum.* Dolæ apud Antonium Binart 1628. in 8. Cui per modum Mantiſſæ addidit,

*Jus Canonicum pro Officio ſanctæ Inquiſitionis*, in quo plura SS. Pontificum Diplomata referuntur.

*L'Inquiſiteur de la Foy repreſenté.* 8. Lugduni, ſeu potiùs Bizuntii, apud Joannem Poiteret 1634. in 8. quod eſt Operis prioris Compendium.

*Exercices ſpirituels pendant la celebration de la S. Meſſe.* 8. Duaci 1617.

## JOANNES DESPAUTERIUS,

Ninivita, Flander, Grammatico-

rum ſui temporis facilè princeps, ac Belgii noſtri Priſcianus, doctorem habuit Lovanii in Caſtrenſi Pædagogio *Joannem Cuſtodem* Brechtanum, ibidemque inter Philoſophos, ſive Artium Magiſtros, anno 1501. quartum locum obtinuit. Pòſt Lilii in Gymnaſio, dein Silvæducis, hinc Bergis S. Winoci, demùm Cominii, apud Flandros, ludum litterarium aperuit, multoſque erudivit, ſcriptis celebres.

Scripſit verò ipſe *Commentarios Grammaticos*, in quibus *Rudimenta*, *Grammatica*, *Syntaxis*, *Proſodia*. *De figuris* & *Tropis*. Pariſiis ſimul edidit Robert. Stephanus, 1537. fol. Lugduni Seb. Honoratus, 1563. 4. & alii alibi ſeparatim. In compendium eos contraxit *Sebaſt. Novimola*, Antverp. typis Plant. & *Gabriel. Prateolus*, Pariſ. 1562. 8.

Verſibus denique aucti, & in epitomen commodioremque ordinem digeſti ab *Adolpho Meetkercko* & *Franciſco Nanſio*, Brugenſibus, typis Plant. 1571. 4. ſed ſuppreſſo utriuſque nomine. In *Figuras Deſpauterii* edidit Collectanea *Hubertus Suſſannæus*. Pariſ. apud Sim. Colinæum, 1543. 8.

*Orthographia Deſpauterii*, curâ *Lævini Crucii*, edita eſt Pariſ. typis Badii, 1530.

*Ars Epiſtolica* ejuſdem, ibid. typis Mich. Vaſcoſani, 1535.

Sepultus eſt Cominii, apud Flandros, anno 1520. Sunt qui eum altero oculo orbum fuiſſe volunt: hinc *Adrianus Hecquetius* tumulum ejus hoc diſtricho ornavit:

*Hic jacet unoculus, viſu præſtantior Argo,*
*Nomen* Joannes *cui* Ninivita *fuit.*

## JOANNES DESPIENNES DU FAY,

Montenſis-Hanno, S. Theolog. & J. U. L. Cathedralis Eccleſiæ Namurcenſis Canonicus graduatus, atque ab anno 1636. Præpoſitus, curis gravioribus Muſas adjunxit, & inter Poëtas palmam retulit. Obiit 26 Decembis 1640. Edidit verſibus latinis

*Vitas Sanctorum*; item *De varietate Regionum & morum populorum.*

## JOANNES DESPIERRES,

S. Benedicti Inſtitutum in celebri Monaſterio S. Salvatoris Aquicinctino profeſſus, dein Collegii ejuſdem Abbatiæ in Academia Duacena Præfectus, ac demum Magnus Prior & Officialis Curiæ ſpiritualis Aquicinctinæ. Circa annum 1640. in eadem Academia Doctoralem S. Theologiæ lauream ſuſcepit, unà cum duobus ejuſdem Abbatiæ Religioſis Jacobo de Bourlez & Joanne le Theillier. In ſtudiis quoque Mathematicis excelluit; ideoque Authoritate Regiâ conſtitutus Profeſſor Matheſeos in prædictâ Univerſitate Duacena. Evulgavit

*Gloriam Sanctiſſimi Monachorum Patriarchæ Benedicti.*

*Calendarium novum ad Legendas Horas Canonicas*, ſecundum *ritum Breviarii Romani.*

*Vindicias Trithemianas*, ſive Specimen Steganographiæ Joannis Trithemii Abbatis &c. quo Authoris ingenuitas demonſtratur, & Opus à ſuperſtitione abſolvitur. 4. Duaci 1641.

*Authoritatem Scripturæ ſacræ Hebraïcæ, Græcæ & Latinæ*, hoc eſt, Textûs Hebraïci, Verſionis LXX. Interpretum, & Verſionis vulgatæ. 4. Duaci 1651. apud Balth. Bellerum.

*Commentarium in Pſalterium Davidicum*, quo Senſus Litteralis tam Textûs hebraïci quam Vulgatæ breviter exponitur.

*Calendarium Romanum novum*, & *Aſtronomiam Aquicinctinam*, cum nova & facili methodo inveniendi caracte-

res omnes temporum ; cujuſmodi ſunt Motus Solis, Lunæ, Veneris, Mercurii, & aliorum Planetarum, in Novi-luniis, pleni-luniis & quadraturis. Accedunt variæ temporum Epochæ, Aureus Numerus, Epacta, Littera Dominicalis, feſta mobilia, Indictiones, Concurrentes, & id genus alia ; idque in perpetuum, tam ante quam poſt Chriſtum natum ; item calculus Eclipſium ſolis & lunæ ad quemlibet Meridianum ; denique Arithmetica Aſtronomica, cum Canone Sexageſimorum & Logarithmorum. Cuncta ſimul excuſa fol. Duaci typis Laur. Kellami. 1657.

In Bibliotheca Aquicinctina ſpectatur ſphœra ferrea, quæ mediantibus pondere & rotis ( dum author illius *Jo. Deſpierres* viveret ) oſtendebat, adinſtar horologii, motus ſolis, lunæ cæterorumque planetarum.

Plura alia meditantem ac machinantem mors ſuſtulit anno 1664 die 28. Martii, ætatis ſuę 67.

## JOANNES DILLEN,

De Capella, Brabantus, S. T. L. annis aliquot Gymnaſiarcha fuit Silvæducenſis, ac poſtmodum anno 1589. in Univerſitate Lovanienſi Regens Pœdagogii, quod ab inſigni Falco dicitur ; demum ad S. Petri Inſulis Canonicus. Scripſit

*Grammaticam Linguæ Latinæ*, Silvæd. in 4. editam.

## JOANNES DILLEN,

Moſæ-Trajectinus, J. C. vir Conſularis ac Senatoriæ dignitatis, verſu & proſâ non malus, edidit

*Panegyricum Sereniſſ.* ISABELLÆ CLARÆ EUGENIÆ ſcriptum verſu Elegiaco, cum *Notis & Exegeſi rerum memorabilium ab* ALBERTO *Pio Auſtriaco geſtarum.*

*Diſſertationes Hiſtoricas de Origine Francorum & Stemmate Habsburgo-Auſtriaco ab his deducto* &c. Lovanii, typis Haſtenii, 1623. 4.

## JOANNES DIVITIS,

Sive RYCKIUS, Gandenſis, Cartuſianus in patria, migravit ad cæleſtem circa annum 1470. Scripta ejus recenſet *Theodorus Petreius* ; ſed quorum hactenus nihil in lucem editum fuit.

*De Indulgentiis anni Jubilei.*

*De Eſu Carnium pro omnibus Religioſis.*

*De participatione Miſſarum.*

*De Confeſſione Sacramentali.*

*Dialogum inter Tentatum & Conſolatorem.*

*De Virginitate*, idiomate populari.

*De Proprietate in Religione vitanda.*

*Quo pacto libri Sacræ Scripturæ, in vernaculam tranſlati linguam, ſæcularibus non ſemper conducant.*

*Conciones* aliquot. Et alia.

## JOANNES DOMYNS,

Machlinianus, Wavriæ Beatæ Mariæ Parochus, in vicinia Machlinienſi, edidit à ſe Latinitate donatam,

*Vitam D. Rumoldi*, Machlinienſium Præſulis ac tutelaris. Bruxellæ, 1569. 8. apud Mich. Hamontanum. Extat item in Actis D. Rumoldi, cum Notis R. P. Solerii S. J. Theol.

Mechliniæ mortuus an. 1578. & ad D. Petrum ſepultus eſt, hoc Epitaphio.

PAUPERTAS INGENIOSA.
Bellicam fugiens
Villarum devaſtationem,
Hîc ſepultus eſt Venerabilis Dominus
JOANNES DOMYNS,
Curatus in Wavria Mariæ
Anno M. D. LXXVIII.
Octob. die XXVIII.
CELERITAS INIMICA CONCILIO.

## JOANNES DONCKELS,

Canonicorum Regularium S. Auguſtini apud Tungrenſes Prior, vir pius & eruditus, moritur anno 1453. die XVI. Octob. Legitur hujus ibidem

Tractatus *De Gratitudine, ſub moraliſatione. Nicodemi & Joſephi ab Arimathia.*

## JOANNES DORRIUS,

Daventrienſis Tranſiſalanus, ſcripſit Carmine Elegiaco

*Encomium Ducatûs Geldrici*, Coloniæ, 1567. 8. annexum Compendio Chronici Geldrici Henrici Aquilii.

## JOANNES DRABBE, BONICOLLIUS,

Vernaculè GOETHALS, Gandenſis, Philoſophus clari nominis, vixit Pariſiis, uſus familiariter *Joanne Dullardo*, gentili ſuo, cujus *Quæſtiones in lib. Prædicabilium Porphyrii* à morte auctoris in lucem protulit, adjunctis aliquot *Quæſtionibus ſuis ac Difficultatibus* aſteriſco notatis: item *Expoſitione ſuccincta in lib. Porphyrii de quinque Vocibus.* Pariſ. 1521. fol.

## JOANNES DRIEDO,

Vulgò DRIDOENS, Turnhautanus (quod eſt celebre in Brabantia municipium) Lovanii univerſam ferè ſtudiorum encyclopædiam abſolvit, magnamque ſtudiorum ſuorum partem abſumpſit cùm in Philoſophicis ſcientiis, tum etiam Mathematicis; promotus anno 1499. primus in Scholis Artium è Pœdagogio Falconis, ubi & poſtmodum Philoſophiam docuit. Monitus à præceptore ſuo *Adriano*, poſtea illius nominis Pont. VI. (qui & Magiſterii pileum in ſacra Theologia Laureamque Doctoralem anno 1512. menſis Auguſti die 17. illi contulit) ut hiſce in rebus ne quid nimis, paullulum retraxit animum, ratus (id quod res eſt) artes liberales, Philoſophicaſque ſcientias eſſe tales, quas uſque ad tempus diſci oporteat, & ridiculum eſſe, illis pentus velle immorari, quibus tamquam S. Theologię famulis atque ancillis uti neceſſe ſit; quemadmodum ipſe ad Tractatum De captivitate & redemptione generis humani pluribus præfatur.

Doctor itaque Theologus renuntiatus, & ad S. Jacobum Paſtor conſtitutus, acrem ſeſe hæreſis Lutheranæ antagoniſtam præbuit, pari doctrinâ & modeſtiâ, ſine affectibus ullis: cujus proinde ſcriptis inter Lovanienſes Theologos faviſſe ſo maximè ſcribit libro XII. Epiſtolâ 18. ad Godeſcalcum Roſemondum Eraſmus. Scripſit verò

*De Gratia & Libero arbitrio.*

*De Concordia Liberi arbitrii & Prædeſtinationis.*

*De Captivitate & Redemptione generis humani.*

*De Libertate Chriſtiana.*

*De Scripturis & Dogmatibus Eccleſiaſticis* libros IV. è quibus tertius eſt *de Temporibus.* Verùm falli ſubinde virum alioqui doctiſſimum, in temporum præſertim ſupputationibus deceptum, ut ſuſpicor, ſuppoſititiis Beroſi, Metaſthenis Perſæ, Philonis Judæi & ſimilium titulis, monuit Antonius Poſſevinus libro II. Bibliothecæ Selectæ cap. XIV. & in Apparatu ſacro.

Edita ſunt Opera ejus omnia anno 1533. iterumque a Bartholomeo Gravio Typographo Lovanienſi Tomis IV. in 4. & fol.

Obiit Lovanii, ſummo ſui relicto deſiderio apud pios omnes & eruditos, anno 1535. ſepultus ad S. Jacobum, ante Altare Vener. Sacramenti, hoc Epitaphio.

Venerabilis vir
D. JOANNES DRIEDO, à Turnhout,
Dum vixit, hujus Ecclesiæ Pastor,
D. Petri Lovanienſis Canonicus,
Artium & S. Theologiæ
Professor celeberrimus,
Qui hæreſes contra Cathol. Fidem
Ingraſſantes
Multis doctiſſimis libris à ſe ſcriptis
Et editis, profligavit.
Virſanè multijugæeruditionis&pietatis,
Humanitatis ac modeſtiæ ſingularis,
Obiit atque hîc ſepultus eſt
A Nativitate Domini M. D. XXXV.
IV. menſis Auguſti.
Orate pro eo.

## JOANNES DRUSIUS,

Ex pago Cumptichenſi juxta Thenas ( unde nobilis per Hasbaniam familia nomen & originem habet ) oriundus, naſcitur anno 1568. parentibus honeſtiſſimis atque aviæ etiam paternæ nobilitate claris. Pueritiam & primam adoleſcentiam partim in oppido S. Trudonis, Leodii aut Namurci egit.

Lovanium deinde ab avunculo ſuo *Ambroſio Lootſio*, Abbate Parcenſi, evocatus, litteris ibidem humanioribus, Philoſophiæque operam dedit, & anno 1587. in dicto Parcenſi Cœnobio Religionis Præmonſtratenſis habitum à *Franciſco Vlierdeno* Abbate, Lootſii ſucceſſore, accepit. Tum exercitiis ſtudiiſque ſacris aliquamdiu unicè vacans, ita profecit, ut inter Ordinis illius eruditiſſimos habitus, ac S. Theologiæ laureâ inſignitus, unus dignus fuerit judicatus, cui domeſticum Theologicæ Profeſſionis ac Supprioris munus onuſque imponeretur. In quo deinceps omnique adeò vitæ & officii genere, ſibi ſemper par, ita ſe geſſit, ut omnium in ſe oculos affectumque raperet.

Quo factum, ut anno 1601. *Vlierdeno* humanis exempto, uni præ ceteris *Druſio* Inſulæ Abbatialis ſucceſſio deſtinaretur. Qua in dignitate totis XXXIII. circiter annis, quibus præfuit, veri Præſulis officia virtuteſque expreſſit; quamvis ſæpiùs aliò abriperetur, quippe Ordinis ſui per Brabantiam ac Friſiam Vicarius Generalis, Ordinum Brabantiæ Deputatus ordinarius, atque Academiarum Belgicarum à *Paulo V.* P. M. ac Sereniſſ. Principe *Alberto* conſtitutus Viſitator & Inſpectator.

Obiit anno à parta generi humano ſalute 1634. die XXV. Martii, intra annum vitæ LXVI. pro funere laudatus *à Liberto Fromondo*, S. Theol. Doctore & Prof. Lovanienſi. Edidit

*Exhortationem ad candidi Ordinis ſui Provinciæ Brabantinæ Religioſos, de iis, quæ eorum vocationem obligationemque concernunt &c.* Lovanii, typis Maſii, 1621. 12.

Præterea *Statutis Ordinis ſui* ( quorum ei à Patribus in Concilio generali commiſſum erat examen, totaque reformatio ) præmiſit *Præfationem*, longam, piam, eruditam.

Addi poteſt *Viſitatio Academiæ Lovanienſis* anno 1617. edita, in qua Abbas Druſius potiorem partem habuit.

## JOANNES DRUSIUS,

Vulgò VANDEN DRIESCHE, Aldenardenſis, Flander, natus anno 1550. die XXVIII. Junii, litteris cùm latinis tum græcis Gandavi, Philoſophicis verò ſcientiis Lovanii in Caſtrenſi Gymnaſio operam dedit; atque adoleſcens admodum exulantem in Anglia ſecutus patrem *Clementem Druſium*, pravè ibidem de Religione imbutus fuit.

Hebraïcas Oxoniæ litteras ab anno ætatis XXII. quadriennio; Lugduni apud Batavos ab anno 1577. ubi & poſt triennium duxit uxorem *Mariam*

*Vander Varent* Gandavenſem: tandemque ab anno 1585. ac reliquo vitæ tempore Franekeræ apud Friſios Hebraïca profeſſus eſt, ac vivere deſiit, anno 1616. die XII. Februarii.

Scripta illius, ut Critica potiſſimùm ac Grammaticen ſpectantia, erroribus quibuſdam expunctis, ſive item caſtigatis dicendi ac ſcribendi modis, legi poſſunt: pleraque etiam ad Sacram Scripturam illuſtrandam, ſublatis venenis, profutura.

*Grammatica Hebraïca.* Leovardiæ, 1612. 8.

*Notæ in Grammaticam Hebraïcam Nicolai Clenardi.* Lugd. Batavor. 1589. 8.

*De recta lectione Linguæ Sanctæ.*

*Alphabetum Hebraïcum vetus*, cum Notis.

*De Particulis Chaldaicis*, *Syriacis*, *Rabbinicis.*

*De Litteris* משה ובלב *Moſcheb Vechaleb* libri II.

*Veterum Sapientum Gnomæ.* Edita ſimul Franekeræ, 1609. 4.

*Tabulæ in Grammaticam Chaldaïcam.* 1602. 8.

*Severi Sulpitii Chronicon*, cum Commentario Druſii. 1607. 8.

*De tribus Sectis Judæorum*, libri IV. adverſus Nicol. Serrarium S. J. Theol. 1605. 8. Prodierunt iterum Delphis, 1703. curante Jacobo Triglandio.

*Tetragrammaton* ſeu *de Nomine Dei proprio.* 1604. 8. prodiit iterum Ultraj. 1707. in Decade Exercitationum Jo. Leuſdeni de vera pronuntiatione nominis *Jehovah.*

*Proverbiorum Claſſes II.* Et *Salomonis Sententiæ*, 1590. 4.

*Proverbia Ben-Siræ* latinè reddita & illuſtrata. 1597. 4.

*Apophthegmata Hebræorum*, *& Arabum cum Scholiis*, 1591. & 1612. 4.

*Animadverſionum* libri II. 1585. 8. Lugd. Batavor.

*Obſervationum ſacrarum* libri XVI. 1594. Franekeræ.

*De Quæſitis per Epiſtolam.* Ibid. 1595. in 8.

*Quæſtionum & Reſponſionum* libri III. 1583. 1599. 8.

*Locutionum ſacrarum Miſcellanea.* 1586. in 8.

*Hexapla Origenis* aliqua collegit: quæ dein multis partibus auctiora, è MSS. eruit, Notiſque illuſtravit *Bernardus Montfaucon*, Benedictinus Gallus, Pariſ. 1713.

*Annotationes in Eſtheram*, ex interpretatione *Sanctis Pagnini*, 1586.

*Commentarius in Ruth.* Et, *An Ruben mandragoram invenerit.*

*In Pſalmos Davidis veterum Græcorum Fragmenta.* Antver. 1581. 4.

*Caſtigationes & Notæ in Jeſum Sirach* ſive *Eccleſiaſticum*, ex interpretatione *Druſii.* 1596. 4.

*Lectiones*, *Conjectanea*, *& veterum Græcorum Fragmenta in Oſeam.* 1599.

Item *In Amos*, *in Nahum & in Habacuc*, *Sophoniam*, *Joëlem*, *Jonam*, *& Abdiam.* 1595. 8. ac rurſum Amſtelod. 1627. in 4. edente *Sixtino Amama*, Theologo Franekerano, fideliſſimo Druſii diſcipulo.

*Caſtigationes in Tobiam.*

*De Patriarcha Enoch*, anno 1615.

*In librum Haſmonæorum* ſive *priorem Machabæorum* 1600. 4. item Franek. 1650. unà cum Diſputatione *Alberici Gentilis in eundem librum.*

*De Haſidæis* quorum mentio in Machabæis. 1603. 8.

*In voces Hebraïcas Novi Teſtamenti*, Antver. 1582. & Franek. 1616.

*Parallela ſacra Locorum Veteris & Novi Teſtamenti.* 1588 4.

*Commentarius ad loca difficiliora Pentateuchi.* Ibid. 1617. 4.

*Annotationes in Novum Teſtamentum* ſeu *Præteritorum* libri X. 1612. & 1618. 4. cum Vita *Joannis Druſii*, auctore *Abele Curiandro*, qui Agnetem *Druſii* filiam

filiam anno 1604. uxorem duxerat.

Cetcrùm pene omnes hi Tractatus, ob magnam variamque quam continent eruditionem, inserti sunt *Corpori Criticorum Sacrorum*, per Pearsonum, Londini 1660. Multa quoque de Drusio ejusque Operibus digna notatu lege apud Niceronum in Notitia Scriptorum illustrium Tomo XXII.

## JOANNES DU BLIOUL,

Nervius, Ord. Minorum Theologus, Terram Sanctam adiit, loca à se visa, vicinasque provincias, & gentium iis in locis religionem moresque descripsit, ediditque

*Jerosolymitanæ Peregrinationis Hodœporicum*, septem Dialogorum libris explicatum. Coloniæ 1600. 8. apud Ger. Grevenbruchium

*Orationem Philippicam*, quâ inter hujus sæculi tenebras Veritatis domicilium demonstratur. Leodii, typis Henr. Hovii, 1597.

*Tractatum de libero arbitrio.*

## JOANNES DULLARDUS,

A Gandavo, sanguine & eruditione nobilis, claruit Lutetiæ Parisiorum primi nominis Philosophus ac Professor in Collegio Bellovacensi aliàs dicto *de Dormans*. Præceptorem ipse, præfando ad Logicam Joannis Buridani, laudat *Joannem Majorem*, qui anno supramillesimum quingentesimo vivebat.

*De Dullardo* ita Jodocus Badius epistolâ, quam præfixit Tomo I. Summæ Quæstionum ordinariarum Doctoris Solemnis *Henrici à Gandavo*, primùm à se evulgato: *Accedit etiam pia Magistri* Joannis Dullardi *memoria, qui primus horum Operum in lucem emittendi & auctor & adiutor fuerat: & qui nisi eum nobis invidissent fata, unus poterat tanti Civis æquiparare studia. Ut enim in Philosophia nihil Parisiense Musæum extulit emunctius, ita de Theologia ejus, qua initiatus obiit, omnem spem conceperamus maximam.* Hæc scripsit Badius anno 1520.

Unde conjicere est, *Dullardum* ante illum annum Parisiis (non autem anno 1377. Gandavi in Ordinis Prædicatorii Conventu) obiisse. Neque enim aut istius, aut alterius Ordinis eum umquam fuisse, hactenus indagando adsequi potui. Mortem illius immaturam lessu funebri atque epitaphio prosecutus est Eligius Houcharius circa annum 1523. Edidit

*Quæstiones in Aristotelis περὶ ἑρμηνείας.* Paris. 1509. fol.

*In libros VIII. Physicorum ejusdem.* Itemque

*In libros de Cœlo ac Mundo.* Ibid. fol.

*Dialogum de Sphæra Astronomica.* Ibid. cum *Pauli Veneti* Disputationibus in Physicen Aristotelis, 1512.

A morte hujus Auctoris, operâ *Joannis Drabbii Bonicollii* (de quo supra) prodierunt *Quæstiones in librum Prædicabilium Porphyrii*, secundùm viam Nominalium & Realium, ut titulus habet, adjunctis Quæstionibus aliquot ejusdem *Drabbii*. Paris. 1520. fol.

## JOANNES DUMÆUS,

Vulgò VANDER HAGHEN, Rotnacensis, Flander, Ordinis S. Dominici Theologus, & Lector Conventûs Gandensis græcè latineque pereruditus, & de propugnata Religione Ecclesiaque Catholica optimè meritus. Ecclesiastes fuit celebris, & in redarguendis hæreticis fortis ac zelosus. Conventui Leovardiensi in Frisia, paulò ante ejus eversionem, Prior præfuit. Demum cum valetudinis recuperandæ gratiâ Rotnacum ad natale solum se contulisset, diem supremum hîc obiit anno 1573. die 14. Aprilis. Laudatus magnopere apud Scriptores Ordinis sui

P. Echard, & P. de Jonghe. Multa ſcripſit, quæ in præfato Conventu Gandavenſi adſervantur, veluti

*Sermones Quadrageſimales.*

*Sermones ſuper Pſalmos Graduales. &c.*

## JOANNES DE DUREN,

A patria ſive loco natali ita dictus, Ordinis Minorum S. Franciſci Theologus, vixit anno 1468. teſte Eiſengreinio, à quo Vir doctiſſimus, nec ulli Theologorum ſecundus vocatur. Meminit Henricus Willotius in Athenis ſui Ordinis, & Poſſevinus in Apparatu ſacro; qui hæc ejus ſcripta recenſet.

*Sermonum de Tempore & Sanctis* libros II.

*Sermones Quadrageſimales.*

*De VII. Peccatis Mortalibus.*

*De Vitiis occultis : de Confeſſione.*

## JOANNES DUSSELDORPIUS,

Carmelitarum Prior Argentorati, moritur anno 1494. ibidem apud ſuos ſepultus. Scripſit

*De Obſervantia dierum Feſtorum.*

*Itinerarium Terræ Sanctæ*, ad quam ipſemet profectus fuerat.

*Sermones de tempore & Sanctis.*

Ex Petro Lucio de Scriptoribus Carmelitanis.

## JOANNES DE ECOUTE,

Sive Eechoutius, Angianus, Sacræ Theol. Profeſſor, & Theſaurarius Eccleſiæ S. Petri Inſulenſis, ſcripſit *Adverſus Bonetum & Franciſcum Maronis*, qui aſſerebant *D. Joannem Euangeliſtam verum fuiſſe ac naturalem Virginis Dei-paræ filium*; idque per tranſubſtantiationem corporis D. Joannis in corpus Chriſti. Legitur in Sportula Fragmentorum *Ægidii Carlerii* Decani quondam Cameracenſis.

Dum è terra ſancta revertitur, in Sclavonia diem ſupremum obiit, anno 1471. XVII. Februarii, depoſitus in opido Jaire dicto, ubi D. Simeonis Juſti corpus quieſcit.

## JOANNES D'ENNETIERES,

Tornacenſis, Vir nobilis, Toparcha de Beaumez, Maiſnil, &c. author libri,

*Le Chevalier ſans reproche, Jaques de Lalaing*, quo verſibus gallicis per libros XIV. expreſſit geſta heroïca Jacobi de Lalaing, quondam Equitis Aurati Velleris, qui anno 1453. in bello occubuerat. Prodiit in 8. Tornaci 1633.

## JOANNES EVERARDUS FOULLON,

Leodienſis, Societatem Jeſu ingreſſus anno 1625. etatis 17. ægregiâ dicendi facultate præditus fuit; ideoque quamvis eſſet ingenio ſubtili, & ad omnes diſciplinas tradendas idoneo, tamen ad miniſterium Oratoris ſacri præcipuè ſe applicuit, in quo totos 30. annos ingenti auditorum plauſu verſatus eſt.

Rexit Collegia Huenſe, & Tornacenſe : dumque hîc graſſante peſtilentiâ ſaluti ſociorum publico contagio expoſitorum conſulit, lue peſtiferâ ipſe quoque ictus occubuit, magno ſuorum & civium mœrore, die 25. Octobris 1668. Fratrem habuit *Eraſmum* Conſulem Leodienſem, eruditione multiplici, rarâque in peragendis Reipublicę negotiis dexteritate clariſſimum. Edidit P. Fullonius,

*Vitam S. Odæ viduæ.* Leodii 1641. gallicè.

Tractatum *S. Joannis Chryſoſtomi, quod nemo læditur niſi à ſe ipſo*, vertit gallicè.

IOANNES AB EYCK PICTOR

E. de Boulonois fecit



*Bellorum causas*, latinè; Namurci & Coloniæ 1646; gallicè fusiùs Leodii apud Bald. Broncart 1648. in 8.

*Jonam, typum hominis à Deo fugientis.* Tornaci apud viduam Quinque 1653.

*Veram Ecclesiam, omnium in fide errorum commune remedium.* 12. Leodii 1662.

*Bonam voluntatem optimæ consentientem.* Leodii apud Hovium 1667.

*Compendium Historiæ Leodiensis*, sub titulo: *Pauciloquæ veritatis*; Leodii apud Hovium 1656. in 24. majoris Operis prodromum, quod anno 1736. Leodii prodiit è MSS. à P. Fullonio relictis, III. Tom. in fol. apud Everard. Kints.

*Commentarios Historicos & Morales in libros II. Machabæorum*, Tomis II. fol. Leodii apud Hovium 1660. & 1664 Communi sane judicio nemo hos libros meliùs interpretatus fuit.

Scripsit quoque, assumpto nomine *Nicolai Fisen*, *Vindicias Ecclesiæ Tungrensis*, *contra Diatribam P. Godefr. Henschenii de Episcopatu Tungrensi & Trajectensi.*

## JOANNES VAN EYCK,

Brugensis, Pictor celeberrimi nominis, cujus hæc laus summa, quod inventor sit colorum oleo è lini semine expresso mixtorum, quibus ipse solebat sua pingere tam in tabulis ligneis, quam telis. Ejus tabulam Gandavi in æde Cathedrali positam, quæ triumphus agni est, cum Rex Philippus II. mirum in modum desideraret, nec auferre daretur, jussu Regis acceptâ duorum millium ducatorum mercede præter victum & alias impensas, iterum pinxit Michael Coxius.

Pluribus de Eyckio agit Sanderus, inter Brugenses eruditione claros. Obiit autem circa annum 1440. à Philippo Bono, Belgarum Principe Consiliarii titulo honoratus; sepultus Brugis in D. Donatiani, haud procul à fonte baptismali; versibus hisce supremo lapidi insculptis.

*Hic jacet eximiâ clarus virtute* JOANNES,
*In quo picturæ gratia mira fuit.*
*Spirantes formas, & humum florentibus herbis,*
*Pinxit, & ad vivum quodlibet egit opus.*
*Quippe illi Phydias, & cedere debet Apelles.*
*Arte ille inferior hac Policletus erat.*
*Crudeles, igitur, crudeles dicite Parcas,*
*Quæ talem nobis eripuere virum.*
*Et cum sit lacrymis incommutabile fatum,*
*Vivat ut in cœli parte, precare Deum.*

## JOANNES FABRI,

Vulgo LE FEBVRE, (quem alii Duacenum, alii rectiùs Parisiensem dicunt) Decretorum Doctor & Monachus Benedictinus, è Præposito Abbatiæ S. Vedasti Atrebati, Abbas primùm Trenorchiensis, vulgo *Tournus*, apud Cabilionum, dein Vedastinus Abbas ab anno 1370. cum præfuisset annos decem, Carnotensi Ecclesiæ in Gallia datus fuit Episcopus, simulque Ludovici Andium Ducis Siciliæ Regis Cancellarius.

Vixit tempore periculosi schismatis inter Urbanum VI. Pont. & Clementem VII. in cujus aula Avenione mortuus est anno 1390. die 11. Januarii, postea quam varias pro hoc Pseudo-Pontifice legationes obiisset. Scripsit quoque in ejus gratiam

Tractatum *de planctu bonorum, adversum Joannem de Lignario, qui Urbani VI. Pont. partes tuebatur.* Extat MS. inter Codices Bibliothecæ Colbertinæ.

Ei quoque adscribit P. Le Long in Bibliotheca Historic. Galliæ, Num. 7288.

*Diarium historicum, quo res gestas omnes, quibus interfuit singulis diebus, prout gestæ sunt, ab anno 1381. ad annum 1388. ordine describit.* Fol. MS. ex præfata Bibliotheca Colbertina.

Item *Les grandes Chroniques de Hai-*

*nault, depuis Philippe le Conquerant, juſqu'à Charles VI.* Extat in Bibliotheca Regia Pariſiis, tribus Vol. fol. teſte eodem Patre Le Long, Num. 15671.

Plura de hoc Præſule leges apud Oudinum de Scriptor. Eccleſiaſt. Tomo III. pag. 1197. item in Gallia Chriſtiana.

## JOANNES FABER,

Machlinienſis, J. C. doctrinæ fuit non contemnendæ, nec vulgaris ſtyli. Scripſit adverſus Alciati ſententiam in Quæſtione: *Utrum juramentum ſervandum ſit, ſi jurans alienare fundum dotalem, poſtea cum jurejurando contraveniat?* Coloniæ, 1569. 8.

*Progymnaſmatum ex utroque Jure* libros II. Lovanii, 1566. 8. typis Rutgeri Velpii.

Uſurpare ſolebat ſymboli loco: CEDO RATIONI. Grandior natu delirare cœpit: ac rufâ promiſſaque barbâ in paupertate ſordidè conſenuit.

## JOANNES FABER OMALIUS,

Ab Omalio Leodienſis agri municipio cognomentum mutuatus, J. C. fuit peritiſſimus, & celeberrimi nominis cauſſarum patronus, in liberis ſibi ſuperſtes & libris. Libros certè ſcripſit plurimos, ſed, quod dolendum, hactenus typis non vulgatos, licet multa ejus ſcripta multorum tranſcripta terantur manibus; veluti *de Senatuſconſultis, de Officio Proconſulis, Quæſtoris; Præfecti vigilum; de Officiario Prætore, Baillivis; de Divortiis & repudiis; de Cenſibus & Vectigalibus, de Alimentis, de Villa, Vivariis, Piſcinis, Saltibus, Venationibus, Aucupiis, Aquæductu, Fluminibus, Finibus agrorum, Vindemiâ, Glande legenda &c. deque Interdictis ad hæc omnia competentibus.*

*Conſiliorum* item plura reliquit volumina; & alia luce digniſſima.

Obiit anno 1622. ætatis LXXXII. pridie Nonas Januarii, illatus ad Dominicanos.

## JOANNES FABER,

De Carvinio, vulgo *Carvin l'Epinoy*, Gallo-Flandriæ municipio, verſus Inſulas, Ordinis FF. Prædicatorum S. Th. Doctor, à Maximiliano I. Imp. in familiam aſcitus eſt, cum in Belgium venit anno 1477. nuptias cum Maria Burgunda Caroli Audacis filia unica & herede initurus. Opus ſcripſit & edidit hoc titulo, in 4. ſed abſque loco, anno & nomine typographi.

*Compendioſa ex variis libris Exhortatio ad omnes Chriſti fidelium ſtatus, Collectio excellentis P. Domini Johannis Fabri de Carvinio, divi Prædicatorum Ordinis ſacræ Paginæ Profeſſoris, Maximiliani Cæſaris domeſtici Capellani.* Plura de eodem lege apud P. Echard inter Scriptores Ord. Dominic. pag. 856. Tomo I.

## JOANNES FABER,

Daventrienſis, ex Ordine FF. Prædicatorum Theologus, græcè doctus, circa annum 1520. celebris, ſcriptis contra Lutheranos & Anabaptiſtas editis emicuit, atque ab Eraſmo in Epiſtolis laudatur. Hic inter Scriptores Ordinis Prædicatorum prætermittitur.

Edidit tamen *Novum Teſtamentum Græcum* II. Vol. in 4.

## JOANNES FAIUS,

Sive FAYTA, (utrumque enim lego) de S. Amando, inter Abbates ad S. Bavonem Gandavi tertius eo nomine, in ordine verò LIII. S. Theol. Doctor, ab Univerſitate Pariſienſi, ante promotionem ſuam, ad Clemen-

tem VII. qui tunc contra Urbanum VI. Avenione pro Pontifice ſedebat, ad extirpandam Flagellatorum ſectam, miſſus, multas coram eo habuit *Orationes & Sermones*, quibus motus Clemens dictam Sectam annihilavit. Scripſit

*De eſu Carnium*, librum I. quem Trithemius laudat.

*Declarationes in Regulam S. Benedicti.*

*Quæſtiones ſuper Sententias.*

*Homilias varias*, Pariſ. excuſas.

*Manipulum Exemplorum.* Duaci, apud Belierum, 1614.

Reſignavit Prælaturam, ac paulò poſt obiit anno 1394. die VII. Febr. ſepultus in Sacello S. Amandi, teſte Sandero, libro IV. cap. IV. Rerum Gandavenſium.

## JOANNES FARINART,

Hanno-Servius (id eſt, ex *Chievre* oppidulo) Abbatiæ B. M. de Camberona Religioſus Ciſtercienſis, S. Th. Doctor in Academia Duacena renunciatus anno 1598. die 14. Octobris, è Patre Confeſſario Abbatiæ B. M. de Pratis Duaci, deſignatus Prior Coronæ Marianæ prope Heuſdenum in Diœceſi Sylvæducenſi anno 1596; inde proprii Camberonenſis Cœnobii Prior, ejuſdemque inauguratus Abbas anno 1614. Fuit & Vicarius Generalis Ordinis Ciſterc. in Belgio ac Diœceſi Leodienſi. Humanis exemptus die 3. Junii 1635.

Extant in Bibliotheca Camberonenſi duo ejus MSS. *Liber de Statu Religioſo*, item *de Inſtitutione Novitiorum.*

## JOANNES FENACOLIUS,

Vulgo Vennecool, Leonardi filius, Delphenſis Batavus, Miniſter Calvinianus in vicis de Wout & Maaſlant-ſluys juxta Delphos, fato functus anno 1645. Hiſtoricos veteres Romanos, qui ſimul etiam de rebus Belgicis ac fortitudine Batavorum ſcripſerunt olim latinè, puta *Julium Cæſarem*, *Cajum Cornelium Tacitum*, & *Cajum Suetonium Tranquillum*, in linguam vernaculam tranſtulit, hiſce titulis,

*De Wyd-beroemde Commentarien ofte korte Hiſtoriſſche Aanteeckeningen van den alderdoorluchtigſten Prince K. Julius-Ceſar eerſte Keiſer van Romen*, &c. Delphis 1614. in 8.

*De hoog-beroemde Geſchied-Boecken van van K. Tacitus Borgemeeſter van Romen* Delphis 1616.

*K. Suetonius Tranquillus, vant 't leven en daden der eerſte XII. Roomſe Keiſeren.* Ibid. 1619. & iterum Amſtel. 1645. In quibus (inquit Fenacolius, qui & Notas ſuas appoſuit) videre eſt conſuetudines antiquas geſtaque fortia veterum Batavorum.

## JOANNES FERNANDUS,

Brugenſis, *Caroli Fernardi* frater, claruit anno 1494, Orator, Poëta, & Muſicus ſtipendiarius Caroli VIII. Gallorum Regis, apud quem maximo in pretio fuit. Scripſit carmine

*Horas S. Crucis & Compaſſionis B. Virginis*, Pariſiis excuſas.

*De S. Joanne Baptiſta* librum I.

*Orationes*, *Epiſtolas*, & *Epigrammata* varia, teſte Trithemio.

## JOANNES DE FEUCY,

Canonicus Regularis Ord. S. Auguſtini, primùm anno 1516. Henniacenſis Monaſterii, ac deinde 1521. S. Eligii in Artheſia Abbas, vir fuit magni judicii atque experientiæ, in negotiis potiſſimùm regimen ſtatumque reipublicæ ſpectantibus, eoque nomine Carolo V. Cæſari in delitiis & à conſiliis, quamvis aliàs melioris litte-

raturæ Latinitatisque non minùs gnarus esset. In humiles humanitate, in improbos severitate uti solitum, testis est in Chronico suo Belgico ad annum 1520. Ferreolus Locrius. Posteritati reliquit, vernaculo sermone,

*Chronicon Forestariorum & Comitum Flandriæ.* Incipit : *L'an de l'Incarnation notre Seigneur &c.* Legitur MS. in Monte Eligiano, beneficio D. Claudii Doresmiculx, qui illud fortuitò nactus obtulit *Francisco Doresmieulx*, dicti loci Abbati.

Fato eripitur 24. Aprilis 1542. sepultus in Monte S. Eligii : hoc Epitaphio apposito.

*Conditur hoc sculpto sub marmore* Feucius *Abbas*,
*Judicio clarus, nec pietate minor.*
*Hanc virtute Domum, tectis, & honoribus auxit,*
*Consilio juvit Belgica sceptra suo.*

## JOANNES FIENUS,

Vulgo Fyens, Turnhautanus, Reipublicæ Andoverpianæ multis annis Doctor Medicus, & Musicus insignis, quam scientiam pœne puer avidè amplexus fuit, adeoque Sylvæducis choraulum egisse affirmare identidem solebat filius ejus *Thomas Fienus*, quamvis asseverare non auderet, sacras Cantiones, quæ nomine *Joannis de Turnhout* circumferuntur, esse parentis sui. In re Medicâ dedit

*Commentarium de Flatibus humanum corpus infestantibus.* Antverp. 1582. 8. apud Henr. Henricium, & Francof. 1592. 8.

Moritur Dordraci, Alexandro Farnesio, Duce Parmensi, Antverpiam obsidente, anno 1585. IV. Nonas Augusti, relicto filio, ut dixi, *Thoma Fieno*, indolis paternæ ac doctrinæ hærede, primario in Universitate Lovaniensi Medicinæ Professore. Dordraci in templo primario legebatur hæc simplex inscriptio, teste Swertio.

Doctor Joannes Fienus,
Medicus Antverpianus,
Obiit II. Augusti M.D.LXXXV.

## JOANNES DE FLANDRIA,

E nobili & avito Principum nostratium Stemmate, patrem habuit Guidonem de Dampetrâ Flandriæ Comitem; ipse Episcopus olim Metensis in Lotharingia, & Præpositus Eccl. Colleg. S. Donatiani Brugis Flandriæque Cancellarius, dein anno 1282. electus Leodiensium Episcopus, obiit 1292.

Promulgavit Leodii *Statuta Synodalia* anno 1287, eorumque *Modificationes* anno 1290. Quæ primùm è duobus MSS. Codicibus, uno Abbatiæ Parcensis prope Lovanium, altero Colbertino, in lucem prodierunt Parisiis anno 1717. Tomo IV. *Thesauri novi Anecdotorum* pag. 830. & sequent. studio & labore Domnorum Edmundi Martene & Ursini Durand Benedictinorum Congregationis Gallicanæ S. Mauri.

## JOANNES FLEMING,

Vir Nobilis, Dominus de Wyneghem in agro Antverpiensi, Limburgi natus, Poëta fuit non inelegans, ut, quæ ab ingenio ejus amœnissimo & gratiarum pleno profecta recitat in Vertumno suo Joannes Goropius Becanus, testari queant. Prosequitur mortem illius ibidem lugubri lessu Becanus, itemque H. Junius, Gerardus Falkenburgius, & Joannes Latomus.

Swertius in Athenis Belgicis refert hoc ejus Epitaphium, cumque Antverpiæ denatum ait anno 1568, sepultum in Æde Cathedrali, sacello B.M.V. sed inscriptionem ab Iconoclastis fuisse dirutam:

*Hoc quis sub tumulo cubet, Viator,*
*Huc illuc oculos agens, requiris*

*Qui te rem doceat, docebo. Quis tu?*
*Qui tecum loquor, umbra. Quæ? Poëtæ.*
*Ubi? poſt tabulam. Quid ergo dicis?*
*Hoc quod tu loqueris. Quod illud? ipſum*
*Quod neſcis, maneas ineptè, necdum*
*Scis quod neſcieras.* FLEMINGUS *ille*
*Omnes quem poterant amare pravi,*
*Omnes debuerant amare ſani,*
*Hic jacet. Nihil addo, nec neceſſe,*
*Novit cetera Mundus univerſus.*

Fuit & *Joannes Flemingus*, Medicus Limburgi natus, mortuus Cracoviæ in Poloniâ, Sigiſmundi Regis Archiater.

## JOANNES FLORAGIUS,

Aliàs VLADERACCUS, Chriſtophori filius, Sylvæducenſis, græcè latinèque doctiſſimus, & in muſica litteriſque pingendis excellens, è belgico latinum fecit

*Calvinum*, *Dialogum Poëticum*: quo è ſchola Calviniana prodeuntes diſcipuli, ut perfidi, ſeditioſi, tumultuoſi, avitoſque Principes è thronis ſuis depellentes, graphicè depinguntur. Sylvæducis, apud Schefferum, 1582. in 8.

*Epigramma* latinum & græcum *in Laudem Civitatis Sylvæducenſis*: item *in laudem Dominii Helmondani*, & *de Obſervatione Arcis Helmondanæ*, Ibid. & alia.

## JOANNES FLORIANUS,

Antverpienſis, Ludum litterarium in patria moderatus eſt, & finem vivendi fecit Antverpiæ anno 1585. die XXVIII. Junii. Dedit

*Grammaticam Latinam*, compendio conſcriptam, typis Plant. 8.

*Joannis Leonis de Africæ totius deſcriptione* libros IX. ex italico latinè interpretatus eſt. Ibid. apud Joan. Latium, 1556. & Tiguri apud Geſneros fratres.

Item *Ovidii Naſonis Metamorphoſin* Belgicè.

## JOANNES DU FLOS,

Atrebatenſis, vixit Pariſiis, ediditque ibidem

*Rhetoricarum Præceptionum Tabulam*, 1554. 4. apud Simonem Calvarinum.

## JOANNES DE LA FONTAINE,

Valencenenſis Hanno, Poëta, Philoſophus, Mathematicus, claruit anno 1412. ſcripſitque rythmis gallicis librum de ſecretis Alchimiæ ſeu de transformatione metallicâ, quem inſcripſit

*Fontem amantium Scientiam*, Pariſ. typis Guil. Guillardi. 1561.

## JOANNES FORESTUS,

*Jacobi* filius, Hornanus, Batavus, J. C. ex Secretario Ordinum borealis Hollandiæ, in ſupremæ, quæ Hagæ-Comitis, Curiæ Aſſeſſorum ordinem cooptatus eſt anno 1638, poſteaquam, adoleſcentiam optimis artibus ac linguis diligenter impendiſſet. Ad Poëſim Græcam pariter ac Romanam, atque utriuſque elegantiam, naturâ ſtudioque factus, hæc prodidit ingenii ſui monumenta;

*Poëmatum Græcorum & Latinorum* volumen.

*Hymenæum Auriacum*, ſive de nuptiis *Guilielmi*, Principis Auriaci, cum *Maria*, Britanniæ Regis primogenitâ: typis Raphelengii & Elzevirii deſcripta.

Obiit 27. Octobris 1651.

## JOANNES DE LA FOSSE,

Juriſconſultus Belga, ſimul & Poëta, deſcripſit verſu

*Hæreſin ac rebellionem Hollandorum Gulielmo Principi Auriaco aſſertam* ab anno 1559. uſque ad ejus obitum 1584. Subnectitur *Regum Hiſpan. in ſingulas Belgicæ Provincias plenum jus & Dominium*. 4. Brux. apud Schovartium 1644.

## JOANNES FRANCISCUS,

Lovanienſis, *Epitomen Syntaxeos* ſeu *Grammaticam* veriùs, latinè edidit. Antverp. typis Tillenii, 1573. 8.

## JOANNES FRANCISCI A CORTGENA,

Goudanus, edidit Hiſtorica quædam de Provincia Ultrajectina, belgico idiomate. Latino autem deſcripſit *Spectacula* exhibita Comiti *Leiceſtrio*, Ultrajecti gubernacula Provinciæ acceptanti, in 4.

## JOANNES FREDERICUS A CHOKIER,

Leodius, *Joannis* Vicarii generalis Leodienſis & *Eraſmi à Chokier* patruelis, S. Th. Licentiatus Eccleſiæ Leod. Canonicus, & Præpoſitus Colleg. Walcurienſis, multa ſcripſit: vivus tamen nihil edidit. Prodiit à morte

*Enchiridion Precationum & Litaniarum, per ſingulos dies hebdomadæ diſtributum.* Leodii, typis Joan. Ouwerx, 1636. 12.

Moritur verò anno 1635 die xv. Martii, dum c poſitioni & editioni novi Breviarii ſuæ Eccleſiæ inſudat, multis piis fundationibus relictis; ſepultus in choro veteri dictæ Eccleſiæ.

## JOANNES FREDERICUS, GRONOVIUS,

Natus anno 1611, vi. Idus Septembris Hamburgi in ædibus avi materni, Canonici, & Ducis Holſatiæ Comitiſque Schaumburgici Conſiliarii, patre *Davide Gronovio* Wiſmarienſi, J. C. Duci Holſatiæ à conſiliis, poſt & Collegii Canonicorum Hamburgi, denique Urbis Bremenſis Syndico.

Tirocinia ſtudiorum altiorum poſuit in Gymnaſio Bremenſi ab anno ætatis xv. & partim illic, partim in Hamburgenſi peregit ad annum xx. Tum viſis obiter Lipſienſi & Jenenſi Academiis, conſedit Altorfii Noricorum, & Juris præcipue ſtudium Bremæ pulchrè inceptum, excoluit. Interea patre defuncto, anno 1633. domum rediit: ſequenti Groningam ivit, & *Antonio Matthæo* J. U. Doct. quicum patri ejus olim in Marpurgenſi Academia familiaritas fuerat, aſſiduus adhæſit. Sed citiùs inde, quam initio conſtituerat, pellectus in Hollandiam, ipſos quinque annos variis iocis, majore quam unquam contentione, & fere totus in litteris egit, etſi Legum interim ſtudium nunquam omnino deponeret.

Anno 1639. menſe Aprili, rebus convaſatis, neque ſperans ſe poſthac in Belgio Fœderato ſedes poſiturum, mare tranſiit, & celebrioribus Angliæ urbibus luſtratis, in Galliam trajecit. Dumque in Juliomagenſi Andium Academia menſes fere ſex reſidet, ſummos illic in Jure honores pridie Kalendas Martias 1640. promeruit ac ſuſcepit.

Viſâ deinde & Italiâ, ac proximâ illi Germaniâ, per Bojarios, Vindelicos, Helvetioſque, in Galliam, mox in Belgium rediit, eo animo, ut in patriam reverteretur. Sed Daventrienſem Hiſtoriarum & Eloquentiæ Cathedram, quò litteris ante ipſum annum Romæ acceptis ſollicitatus erat, etiamnum vacuam, per diſceſſum *Martini Schoockii* ad Academiam Groninganam, offerentibus iterum ejus Scholæ Curatoribus, libens annuit; atque hic quoque ſecundam ſuam anno 1659 uxorem duxit *Catharinam Glagoviam*; cum è priore plures inter liberos *Jacobum Gronovium*, eminentis doctrinæ Virum, ſuſcepiſſet.

Invitantibus dein Acrdemiæ Lugno Batavæ

ho-Batavæ Curatoribus, Hiſtoriarum ac Linguæ græcæ profeſſionem hîc auſpicatus eſt 8. Auguſti 1658. & Academiæ Rectoratum paulò poſt geſſit, omniumque fere Eruditorum elogia promeruit.

Tandem Lugduni diem ſupremum obiit die 28. Decembris 1671, ætatis anno 61. pro funere laudatus à *Joanne Coccio* in cathedra ſucceſſore. Hæc quoque ſcripta reliquit.

*Diatriben ad Statii Papinii Sylvas.* Hagæ 1687. 8.

*Obſerv ionum libros III.* Leydæ 1639. item Amſtel. 1662.

*Elenchum Anti-Diatribes adverſum Emericum Cruccum*, Pariſiis.

*Monobiblos Obſervatorum in Scriptoribus Eccleſiaſticis.* Davent. 1671.

*Titum Livium*, cum Notis variorum, accurante J.F. Gronovio. 8. Amſtel. 1665. 3. vol. & aliàs ſæpius.

*Lucii Annæi Senecæ Tragœdias recenſitas & Notis adornatas.* Leydæ primùm, dein Amſtel. 1682. in 8.

*Hugonem Grotium de Jure Belli ac Pacis*, cum *Notis denuo edidit*, Amſtelod. 1680 in 8. & aliàs, uſque ſepties.

*De Seſterciis, ſeu ſubſecivorum Pecuniæ veteris & Romanæ Libros IV.* Acceſſerunt *L. Voluſius Macianus J. C. Balbus Menſor de Aſſe; Paſſchaſii Groſippi Tabulæ Nummariæ; Mantiſſa & tres* Ἀντεξηγήσεις *de Fœnore unciario & Centeſimis Uſuris*; (adverſus Theologiſtorico-Philoſophologum, id eſt, Martin. Schoockium) item *de Hyperpyro*, *Salmaſii Epiſtola & ad eam Reſponſio &c.* Daventriæ 1643. item Amſtelod. 1656. in 8. & Leydæ 1691. in 4.

*Auli Gellii N .s Atticas*, cum Notis & emendationibus edidit, Lugd. 8

*Obſervationes ad Benedicti Paulini Petrocorii de Vita B. Martini Carminum libros VI.* cum Animadverſionibus J.F. Gronovii &c. Lipſiæ 1681. in 8.

*Exercitationes Academicæ de Muſæo Alexandrino*; extant in Jac. Gronovii Theſauro Antiquitatum Græcarum Tomo VIII.

*Propemptikon ad Legatos Fœderati Belgii*, cum Pacificationi Monaſterienſi interfuturi Daventriam conveniſſent.

*Gratulationem ad Principem Auriacum Guilielmum II.* cum paternum imperium ab Ordinibus delatum, ſimul cum hæreditate adiiſſet. Amſtelodami. Et alia plura, ac ſignanter Notas in Plinium, Tacitum, Plautum alioſque Authores veteres.

## JOANNES FREDERICUS LUMNIUS,

(A pago *Lummen* ditionis Leodicenſis, æquali ferè Dieſtemium inter & Haſſeletum intervallo) Paſtor fuit devotarum Virginum, quas Begginas vocant, Antverpiæ: Vir pietate, doctrinâ ſcriptiſque clarus, & Reipulicæ utilis; *Nicolai Eſchii*, Begginarum Dieſtenſium Rectoris optimi, optimus diſcipulus. Rebus Antverpiæ ob Religionem turbatis, Leodium ſeceſſit, & annos ibi aliquot moratus eſt; donec recuperatâ Antverpiâ, ad priſtinum munus rediit. Ex ſcriptis hæc vidimus;

*De extremo Dei Judicio, & Judæorum vocatione* libros II. Antver. 1567. & 1594. in 8. Venetiis, 1569. 4.

*Theſaurum Chriſtiani Hominis*, è ſcriptis B. Auguſtini, libris VI. typis Plantini, 1588. 8.

*Strenam Evangelicam*, *De Vita & Paſſione Chriſti*, Carmine. Ibid. 1568. 8.

*Elegiam* benè longam *de Piaculis Adamiticis*, 1600. 8.

Brabantico verò idiomate dedit Dialogos IV. *De Virgine lapſa.* typis Plantini, an. 1571. 8.

*De Chriſtianæ Vitæ reformatione*, libros V.

*De diſciplina domeſtica*, libros VII. Ibid. 1589.

*Olympiam*, seu *de sui conversione Dialogum*, 1600. 8.

*De mundi fuga & ad cœlum cursu*, libros IV. Lovanii, 1580.

*Exercitia spiritualia in gratiam Virginum Antverpiensium*, 1610. in 12.

*Meditationes in Missæ Sacrificio*, pro Laïcis.

Denique *de Origine Begginarum* scripsit Latinè. Liber exstat MS.

A laboribus ad quietem abiit, placidè, & dormienti similis, anno 1602. ætatis LXIX. VI. Kal. Martii, sepultus in Begginagio, hoc Epitaphio.

D. O. M.
R.D. JOANNES FREDERICUS LUMNIUS
Hìc situs est,
Pietate, Doctrinâ, scriptisque
In vulgus editis clarus,
Et Reipublicæ utilis,
Loci hujus Instaurator & Pastor
Ann. XI. & mens. VII.
A laboribus ad quietem abiit
Anno Sal. M. D. C. II.
VI. Kal. Martii, Ætatis LXIX.

## JOANNES FREDERICUS MATENESIUS,

Colonienſis, S. Theol. Licentiatus, ad S. Cunibertum Canonicus & Pastor, Historiarum ac Linguæ Græcæ in Academia Agrippinensi Professor Ordinarius, criticus c. :ditus ac curiosus;

*De luxu & abusu vestium nostri temporis*, *Discursus XL*, hispanicè prius editos à Thoma Trugillo Ord. Prædic. latinitate donavit. 8. Coloniæ 1612.

Scripsit *De triplici Coronatione*, *Germanica*, *Lomb... dica & Romana*. 4. Colon. 1622.

*Critices Christianæ libros II. de ritu bibendi super sanitate Pontificum*, *Cæsarum*, *Principum*, *Ducum*, *Magnatum*, *amicorum*; &c. 8. Coloniæ, apud Butgenium. 1611. Exhibet *Matenesius* hoc libro insignem craterem *Mart. Lutheri*, tria vini pocula capientem; quem tribus hausti bus evacuare solebat quintus ille Euangelista, in derisionem Fidei Romano-Catholicæ.

*Syntagma Criticum*: nescis quid serus vesper vehat: *De sommo potuque Christianorum*, *quem potum* somniferum *vocant*. Coloniæ apud eumdem 1612.

## JOANNES FREITAGHIUS,

Arnoldi filius, qui in Academia Groningana Medicinæ professione ac libris editis claruit; ipse quoque Medicinæ ibidem Doctor atque Professor circa annum 1630, antiquæ etiam Philosophiæ contra Recentiores strenuus vindicator; ut patet ex his illius Operibus.

*Disputatio Medica*, *Calidi innati essentiam*, *juxta veteris Medicinæ & Philosophiæ decreta explicans*, *oppositа Neotericorum & Novatorum paradoxis*. Groningæ, apud Joh. Sas. 1632. in 8.

*Disputatio Medico-Philosophica*, *de Formarum origine*, *adversus venerandæ antiquitati repugnantem Neotericorum doctrinam exhibitam*. Ibid. 1633. in 8.

*Disputatio Medica de morbis substantiæ*, *& cognatis Quæstionibus*, *contra hujus temporis Novatores & Paradoxologos*. Ibid. 1632. in 8.

*Aurora Medicorum Galeno-Chimicorum*, *seu*, *de recta purgandi Methodo*, *è priscæ sapientiæ decretis postliminio in lucem reducta* &c. Francof. 1630. 4.

*Noctes Medicæ*, *seu de abusu Medicinæ Tractatus*, &c. contra Medicastros & Empyricos. Francof. 1616. in 4.

*De Opii natura*, *& Medicamentis opiatis* &c. Groningæ 1632. Lipsiæ 1635. 8.

*Oratio Panegyrica de persona & officio Pharmacopæi*, *& Pharmacopolio ritè rectèque instruendo*. Gron. 1633. in 4.

*De Lithotomia*, *seu calculi vesicæ sectione*, *Consultatio*. Extat apud Joh. Beverovicium, de Calculo.

*Detectio & solida refutatio novæ Sectæ Senerto-Paracelticæ*, recens in Philoso-

IEAN- FROISSARD.
HISTORIEN.

phiam & Medicinam introductæ : quâ antiquæ veritatis oracula, & Aristotelicæ ac Galenicæ doctrinæ fundamenta convellere & stirpitus eruderare moliuntur Novatores. Sic præfert titulus libri, editi Amstelod. per Joh. Jansonium 1636. in 8. item apud Guil. Blauw, ibid. 1637.

## JOANNES FROISSARD,

Valencenensis Hanno, (hanc enim statim initio Operis sui patriam sibi fuisse, ipse-met agnoscit) claruit anno 1400. & ultra, Canonicus ac Thesaurarius Capituli Chimacensis in Hannonia; item D. Petri Insulensis Canonicus (teste P. Buccelino in Gallo-Flandria, pag. 25.) nec non Sacellanus domesticus Guidonis de Chastillon, Comitis Suessionensis ac Blesensis, Domini de Avenis, ac Chimaco, &c. Fuit Historicus ævo suo celeberrimus, & eo majori fide dignus, quod ea sola referat, quæ vel coram vidit, vel ab ipsis qui viderant & præsentes adfuerant, audita referat.

In aula Eduardi III. & Richardi II. Regum Angliæ annis multis versatus est; scripsitque gallicè ad instantiam Roberti Namurcensis, Domini de Beaufort, res suo tempore per Gallos & Anglos gestas, ab anno 1326. usque ad 1400. quas Autor anonymus ad 1498. produxit.

*Chronicques de France, d'Angleterre, d'Ecosse, d'Espagne, de Flandres &c* Parisiis, III. Vol. 1503. & 1505. In quatuor autem Tomis fol. 1518. quorum primus apud Joannem Petit; II. apud Franc. Regnaut; III. & IV. apud Antonium Verard. *Dionysius. le Sauvage* Historiographus Gallus eadem Chronica postmodum recensuit, correxit & edidit Lugduni IV. Vol. fol. 1559. atque hæc editio omnium optima rarissimaque æstimatur.

Prodiit item anglicè Londini 1523. fol. apud Richardum Sinson, jussu Henrici VIII. Regis, & ex versione *Joannis Bourcher Knight Lord Berners*, qui tum Caleti præerat.

Idem *Froissardi Opus omne breviter collectum & latino sermone editum à Joanne Sleydano*, Caroli V. Cæs. Historiographo. 8. Paris. 1537. & 1562. Francof. in fol. 1578. item Heidelbergæ, Amstelod. &c. Verumtamen Sleydanus multis in locis Historiam illam mutilam reliquit; tametsi ipse-met præfetur, nullam à se prætermissam historiam, quæ vel memorabilis sit, vel cognitu digna.

In flandricum eam quoque transtulit *Gerricus Potters vander Loo*; in fol. Compendium insuper cum Annotatis suis dedit *Franciscus de Belleforest*, Historiographus Gallus, Paris. apud Hulpeau 1572. in 16.

Postremò hæc notanda sunt. *Froissardum* excepit *Enguerrandus Monstrelet*, qui ab anno 1400. usque ad tempora Philippi Burgundi, Boni cognomento, luculentam annorum LXIV. contexuit historiam. *Monstreletum* vero *Philippus Cominæus*; & hunc *Joannes Molinetus* excepit.

Plura de eo Vossius, inter Historicos latinos, Oudinus de Scriptor. Eccles. Tomo III. & P. le Long in Bibliotheca Historicorum Galliæ.

## JOANNES FUNGERUS,

Leovardiensis Frisius, puer Lovanii ingenii fructum cepit : post obitas dein Germaniæ Galliæque Academias, sumptamque supremam Juris lauream, in patriam redux, Leovardiensis Scholæ Rector fuit. Scripsit

*De Puerorum disciplina, & rectaeducatione* librum I. Lugduni Batavor. apud Raphelengium, 1580. 8.

*Symbolorum Ethicorum Explicationes.*

Franekeræ, 1598. 8.

*De Conflagratione mundi*; typis Commelinianis, in 8.

*Etymologicon Trilingue*, Latinum, Græcum & Hebraïcum. Lugduni in Gallia, 1607. 4.

*Etymologicum Latinum:* Antiquitatibus & Animadverſionibus paſſim refertum. Francof. 1604. 8.

*Novam Proverbiorum Farraginem*, è græcis latiniſque auctoribus. Lugduni apud Batavos, 1585. 8.

Sacrorum Carminum Syllogen, *Meſſiados* libros IV. *Hymnum in laudem SS. Trinitatis.* Et alia, à Raphelengio excuſa, 1591. 8.

## JOANNES GAELIUS,

Harlemius, Batavus, Juriſconſultus, vivere deſiit anno 1621. ætatis XLVI. die III. Junii. Scripſerat

Tractatum *De Teſtamentis & Jure Codicillorum.* Lugd. Batavor. 1617. 8.

Item *Refutatiunculam* latinam *Epiſtolæ Juſti Lipſii de Induciis Belgicis.*

## JOANNES GALLEIT,

Leodienſis, patre Montenſi in Hannonibus ortus, Architectonicæ peritiſſimus, ſcripſit

*Epitomen Arithmetices novæ conſiderationis*, Alberto Auſtrio Belgarum Pro-Regi inſcriptam.

## JOANNES DE GALLEMART,

Framinerienſis Hanno, S. Theologiæ Doctor & Profeſſor Duaci, ac Regii ibidem Seminarii Præſes, dedit auctas repurgataſque

*Deciſiones ac Declarationes Illuſtrium Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, ad diverſa exemplaria, ac præſertim correctionem Petri de Marcilla.* Duaci, 1618. 8. 1655. & aliàs. Porro S. Cardinalium Congregatio librum hunc improbavit 6. Junii 1621; quòd Declarationes multas aut ſuſpectas, aut ſane non authenticas contineret.

Item evulgavit unà cum Leandro a S. Martino Benedictino Anglo, S. T. Doct. Duaceno, *Commentarium in Prologos S. Hieronymi & illuſtrationes in Gloſſam ordinariam Lirani &c.* fol. VI. Vol. Duaci anno 1617.

Extinguitur igne lœmico, dum morbo illo laborantibus adſiſtit, Duaci 1625.

## JOANNES GAMANS,

Nievenarius, natione Juliacenſis, origine Gelder, natus anno 1606. in Societate Jeſu poſtrema vota profeſſus Antverpiæ anno 1641. at poſtmodum in Provinciam ſuperioris Rheni tranſlatus, plures annos in caſtris Regiis verſatus, plurima in Germania Belgioque collegit de Sanctis, & Vitas quaſdam ipſe Commentatione Hiſtoricâ illuſtravit; ut *Vitam B. Godefridi Capenbergenſis*, ex Ord. Præmonſtratenſi, apud Bollandum in Actis SS. ad diem 13. Januarii; item *Vitam S. Thiadildis*, Abbatiſſæ Freckenhorſti in Weſtphalia, apud eundem 30. Januarii.

Vivebat etiamnum anno 1672, editionem novam Conciliorum Moguntinenſium meditatus, teſte Leibnitio, in præfatione ad ſupplementum Cod. Juris Gentium.

## JOANNES DE GANDAVO,

Scripſit in *Ariſtotelem de Anima*, Venet. & MS. in Biblioth. Bodlejana Oxoniæ.

## JOANNES GARETIUS,

Lovanienſis, Canonicus Regularis Ord. S. Auguſtini ad S. Martinum in patria, deinde Virginum velatarum

IOANNES GARETIVS CANONICVS AVGVSTINIANVS.

*Impia Caluini damnans commenta, nouenis*
*Classibus adstruxi, Cerealia munera prorsus*
*Transmutata, Dei, quod certi est regula, verbo,*
*Desinere in veram, meliori germine, carnem.*

*Aub. Miraeus.*



Mishagensium, juxta Antverpiam; pòst, rebus inibi turbatis, Gandavi ejusdem instituti Pœnitentium, ut vocant, Præfectus, celebris fuit Ecclesiastes, & SS. Litterarum studiosissimus, doctrinæ & industriæ nomine meritò laudatus. Collegit ediditque

*De Veritate Corporis Christi in Eucharistia* priscorum Patrum Testimonia, per classes IX. distincta. Antverp. 1561. 1563. & 1569. ac rursum Lugduni apud Ant. Jullieron 1671. Laudavit magnopere hunc Librum Garetii *Antonius Arnaldus* Doctor Sorbonicus, in Opere suo quod contra Calvinianos Ministros edidit *de Perpetua Fide circa Mysterium SS. Eucharistiæ*; atque ex eo sese quam-plurima excerpsisse professus est.

Pari stylo pertexuit Garetius Tractatus sequentes:

*De mortuis, vivorum precibus juvandis.* Ibid. 1564. 16.

*De Sacrificio Missæ.* Ibid. 1561. 12.

*De Sanctorum invocatione.* Gandavi, 1570. 8.

Obiit in patria, è gravissimis calculi doloribus, anno 1571. die 21. Januarii, sepultus apud Martinianos. Fratrem habuit *Henricum Garetium*, Doctorem Medicum.

MEMORIÆ
F. JOANNIS GARETII,
Canonici Regul. Ord. D. Augustini,
Ecclesiastæ celeberrimi,
Et SS. Literr. studiosiss.
Qui mortem obiit
Ipso D. Agnetis,
Anno M. D. LXXI.
SUPERIS REFLORESCAT.

Ibidem.

*Rectæ perpetuo tenore vitæ,*
*Et constanter, & ad perennitatem*
*Doctos qui coluit, pios & omnes:*
*Non ipse impia, quæ nocère possunt*
*Sectatus studia, Eruditus ipse*
*Hanc* GARETIUS *urnam habet, fusque*
*Hic est. Cum Aönidum choro vel unum*
*Si commercium habes, Deum precaris*
*Exhortor, moneoque te Viator.*
*Ejus denique, carne qui solutæ*
*Humanas animas laboriosis*
*Viventum precibus docet juvari,*
*Ne gravère pios juvare Manes,*
*Lectis & violis rosisque, casta*
*Illius venerare busta, famâ*
*Qui notissimus, editisque libris*
*Indelebile prorsus obtinère*
*Nomen perpetuis meretur annis.*
*Et si vermis homo cinisque fiat,*
*Morte & palliduli cadant ocelli,*
*Nullo umquam, meliore qui per orbem*
*Vivit parte sui, interibit ævo.*
*Dum clari Pharii solo Colossi*
*Stabunt, nomen erit* GARETIANUM.

## JOANNES VAN GEFFEN,

Agri & territorii Silvæducensis, edidit *Carmina* quædam, & *Proverbia* magis obvia, cùm nonnullis *Moralibus Dialogidiis* Antver. typis Trognæsii, 1617.

## JOANNES GELDRIUS,

Ruissellanus, Flander, Brugis ludum aperuit litterarium; fuitque eorum unus, qui, *Laurinorum* auspiciis, Historiam Romanam ac Græcam, typis & industriâ *Huberti Goltzii* evulgatam illustrarunt. Habuit & alia præmanibus, ut *Epigrammata Græca*, latino versu reddita; sed quid iis factum, nescimus.

## JOANNES GERBRANDUS,

De Leydis, Batavus, Carmelita Conventûs Harlemensis, obiit ibidem anno 1504. Scripsit, teste Trithemio,

*Historiam sui Ordinis*, libris X.
*Collationes Sanctorum.*

*De Feſtis Dei-paræ, & de Doloribus ejuſdem.*

*Sermones de Tempore & Sanctis.* Aliaque, quæ videre non contigit.

*Chronicon Epiſcoporum Ultrajectenſium & Comitum Hollandiæ*, à S. Willibrordi temporibus ad annum 1417. *Gerbrando* auctore, edidit Francof. *Franciſcus Swertius* typis Aubrianis, cum *Reineri Snoy* Annalibus Comitum Hollandiæ, & *Ægidio à Roya* Abbate, 1620. fol.

Scripſit etiam *Chronicon Egmondanum*, *ſive Annales Regalium Abbatum Egmundenſium*; quos hactenus latitantes eruit, collegit & primus edidit, adjectis Obſervationibus ſuis, *Antonius Matthæus*, Jurium in Academia Lugduno-Batava Anteceſſor; 4. Lugduni Batavorum apud Freder. Haaring, 1692.

*De Origine & rebus geſtis DD. de Brederode*: ſlandricè; edidit idem Ant. Matthæus inter Analecta Veteris Ævi Tomo II. anno 1698.

## JOANNES GERULPHUS,

Hulſtenſis, Flander, Cartuſiæ Lovanienſis Vicarius, latinè, græcè, hebraïcè non vulgariter doctus, vivere ibidem deſiit anno 1605. die XII. Auguſti. Reliquit

*Librum Sententiarum*, verſu Elegiaco, latino ac græco.

*Res geſtas SS. Belgii* vario metro.

*Martyrium Cartuſianorum Angliæ*, ſub Henrico VIII. verſu heroïco.

*Eccleſiaſten & Proverbia Salomonis*, eodem verſu.

E græco latinè interpretatus eſt libellum quendam *de Obedientia*. Aliaque, prælo & luce digna, reliquit.

## JOANNES GESSELIUS,

Amersfortius, litteras humaniores ac Dialecticam Scholæ patriæ moderator docuit, ediditque ibidem

*Corn Valerii Dialecticam*, Erotematibus diſtinctam, 1584. 8.

## JOANNES GEVARTIUS,

Turnholtius, Bruxellâ oriundus, J. C. variis Reipublicæ negotiis exercitus, atque à Belgarum Principibus, *Alberto*, *& Iſabella Clara Eugenia*, ad prima duodecennalium Induciarum fundamenta cum Fœderati Belgii Ordinibus, poſt civile XL. annorum bellum, jacienda delegatus, elatâque uxore Antverpiæ in B. M. V. Canonicus & Officialis.

Vir fuit in hiſtoriis, cùm ſacrâtum profanâ, patriâ præſertim, multùm verſatus; ut quod moliebatur *de Ducibus Brabantiæ* opus, fidem feciſſet, nî mors immatura vitæ filum, operiſque incidiſſet. Pontus Heuterus in Hiſtoriâ Belgicâ non parum ſe à *Gevartio* adjutum fatetur. Filios reliquit *Carolum* J. C. Turnhauti, dein Liræ Decanum ac Canonicum, & *Caſperium*, item J. C. & S. P. Q. Antverpienſi ab Actis, ſcriptis clarum.

Obiit autem anno 1623. ſepultus in D. Virginis, atque Epitaphio marmoreo ſtatuâque in Sacello SS. Coſmæ & Damiani ab iiſdem filiis ſuis ornatus.

XPΩ Deo pacis Sacr.
Vir Clariſſ. JOAN. GEVARTIUS
Juriſconſultus, ut morum,
Ita Hiſtoriarum veterum
Antiquitatiſque patriæ ſtudioſiſſimus,
H. S. E.
Qui variis Reipubl. negotiis exercitus,
A Sereniſſimis Auſtriæ Archiducibus
ALBERTO &
ISABELLA CLARA EUGENIA
Belgii Principibus, anno M. D. C. VII.
Ineunte, ad prima Induciarum
Duodecennalium fundamenta
Cum Fœderatis Belgii Ordinibus
Jacienda, in Bataviam delegatus,

Poſt continuos annorum XL.
Bellorum civilium motus
Tranquillitati publicæ viam ſtravit.
Mox, elatâ jam pridem uxore
Dna. CORNELIA ARTSIA
Matronâ moribus & virtute ſuſpiciêda,
Jam ſenior, vitæ quietioris cupidus,
In Canonicorum Cathedral. Eccleſiæ
Antverpienſis Collegium adſcitus,
Juriſdictioni ſacrę per Diœceſim
Summâ integritatis famâ præfuit.
Obiit pridie Kal. Maii
Anno ſal. M. D. C. XXIII. ætat. LX.
Parenti optimo Monumentum hoc
Cum lacrymis poſuerũt liberi ſuperſtites
CAROLUS GEVARTIUS J. C.
Et Collegii Canonicorum
Opp. Liræ Decanus,
GASPARUS GEVARTIUS J. C.
Cæſareus Regiuſque Conſiliarius,
Et Hiſtoriographus, Archigrammateus
Antverpianus.
Deceſſit x. Kal. Aprilis anno Chr.
M. D. C. LXVI. ætatis ſuæ LXXIII.
JOAN. ANNÆUS, Gaſparis F. unicus
Eximiæ ſpei puer,
Duodecennis fato functus,
Parenti luctum,
Et deſiderium incomparabile reliquit.

## JOANNES GHEESDALIUS,

Flander, è vico Berchemio prope Aldenardam oriundus, litteras humaniores Antverpiæ docuit, Poëta & Muſicus utrimque excellens: edidit

*Stichologiam*, ſive de ſyllabarum & Carminum ratione libros III. vario metro. Antver. typis Plant.

*Catechiſmum*, ſeu Capita Doctrinæ Chriſtianæ, ſimiliter Carmine. Ibid. 8.

*In Natalem Domini* varii generis Carmina. Gandavi, 8.

Præfuit quoque Scholæ Marianæ Antverpiæ, ibique *Franciſcus Swertius* in Athenis Belgicis diſcipulum ejus ſuiſſe ſe gloriatur. Muneri huic immortuus, ſepelitur in magno B. M. V. cœmeterio. *Maxemil. Vrientius* amico ſingulari hoc Epitaphium luſit.

*Quod fuerat*, GHEESDALE, *tui mortale, ſepulcro*
*Hoc jacet; at ſolus non tamen ipſe jaces.*
*Quin quod habent ſancti Libethrus & Hemus & Aon,*
*Cirraque & æternis fontibus Aſcra madens:*
*Omne ſimul tecum jacet hoc* GHEESDALE, *ſepulchro:*
*Tot juga, tot fontes tam brevis urna tegit.*

## JOANNES GILEMANS,

Canonicus Regularis S. Auguſtini, & Supprior, ut vocant, in Rubra Valle juxta Bruxellam, Vir piiſſimus, ſummo labore atque induſtriâ *Vitas Sanctorum* plurimas collegit, & manu ſuâ deſcripſit. Ex his

*Hagiologium Brabantinorum*, Tomis II. diſtinxit.

*Novale Sanctorum*. Tomis item duobus.

*Sanctilogium*, Tomis quatuor. Adſervabantur omnia Manuſcripta in dicto Rubræ Vallis Cœnobio, magnoque fuerunt uſui PP. Hagiographis Societatis Jeſu Antverpiæ, in concinnandis Actis SS.

Obiit Auctor, ſive Collector, anno 1487.

## JOANNES GLUEL,

Aquiſgrano, civitate Imperiali oriundus, Ordinis Carmelitani Prior Colonienſis, qui & diem ſuum obiit in eodem Conventu, anno 1399. Memoratur à Trithemio, qui inter cætera ingenii ſui ſtudiique monumenta ſcripſiſſe eum refert

*Speculum Carmelitarum*, ſive de Origine & profectu Ordinis ſui.

Digitized by Google

*Quadrageſimale*, incipit *Theſaurizate vobis.*

*Sermones de Sanctis.*

## JOANNES GODART,

Atrebas, Ordinis SS. Trinitatis Religioſus, ſcripſit

*Chronicon ſui temporis*, ad Carolum V. Imp. Ex Locrio.

## JOANNES GODSCALCUS YSERMAN,

Delphius, anno 1561. iter in terram Sanctam abſolvit & deſcripſit. Vide ſupra *Chriſtiannm Adrichomium.*

## JOANNES GODSCALCUS,

Antverpienſis, per XL. ferè annos ludum aperuit litterarium, optimeque de juventute urbeque meritus fuit: Vir inſigni probitate, bonarumque artium ſcientiâ ſummè præditus, uti ſepulchralis inſcriptio eum deprædicat. Edidit

*Latini Sermonis Obſervationes*, ordine alphabetico, magnam partem ex *Barth. Riccio*, collectas ac digeſtas. Antver. 1536. 8. & Coloniæ, 1540. apud Gymnicum.

*Antverpiani Emporii Topographiam*, carmine, apud Ægid. Dieſtenſem.

Obiit Antverpiæ, anno 1571. III. Idus Junii, ſepultus in D. Jacobi, hoc Epitaphio.

D. O. M.
Inſigni Probitate viro
M. JOANNI GODSCALCO,
Bonar. Artium ſcientiâ
Summè prædito
Optimeque de juventute Antverp.
Merito,
JOANNA VAN DEN BRULE
Cariſſ. ejus uxor
Deſideratiſſimo marito,
Optimique liberi
Honorando patri dolentes poſſ.
Vixit annos circiter LXIII.
Obiit an. M. D. LXXI. III. Idus Junii.
Sub lapide hoc dormio,
In Chriſto lapide vivo.

## JOANNES GOEDAERT,

Medioburgenſis Zelandus, Pictor, ad egregiam quâ pollebat in arte miniculatoria peritiam exercendam, inſecta ſibi delegit. Quæ ut accuratius, microſcopio mediante, depingeret ac deſcriberet, erucas, vermes, aliaque ejuſmodi animalcula vitris incluſit, convenienti alimento ſuſtentavit, & antequam ſe ad tranſmutationes accincerent depinxit; exactè etiam notavit tempus ac modum tranſmutationum; quæque ex eis prodierunt animalcula nova, ſuis coloribus depinxit. Unde & per delineationes demonſtravit, tantam eſſe ſymmetriam partium in vermiculo, quanta eſt in elephante.

Obiit circa annum 1668. Deſcriptiones autem quas belgico ſermone dederat, in latinum traduxerunt, additis commentariis ac notis, Medioburgi anno 1662. & 1667. *Joannes de Mey* & *Paulus Veezaert.* Dein anno 1685. idem opus ſub titulo: *Metamorphoſis naturalis, ſive Deſcriptionis hiſtoricæ ortûs, proprietatis &c. Inſectorum*, edidit Londini in Anglia *M. Liſter* è Regia Societate Londinenſi, cum Appendice Scarabæorum, aliorumque animalculorum Angliæ. Poſtmodum ſæpius in omnibus ferme regionibus & idiomatibus reimpreſſus fuit hic liber, quarto etiam Tomo adauctus. Goedartium tamen in quibuſdam emendavit *Joannes Swammerdam*, Doctor Medicus apud Amſtelodamenſes, in ſua Hiſtoria generali Inſectorum.

## JOANNES VAN GORCOM,

*Guilielmi* filius, Batavus, ab hæreſi ad Eccleſiam orthodoxam traductus,

&

IOHANNES · GOROPIVS · BECANVS

C. Pme. de . Boulenois . fcit

& in alium virum mutatus, operâ Ven. *Peregrini Pulleni*, reliquum vitæ transegit Sylvęducis, & Presbyter ordinatus fuit, populumque Christianum ad vitæ morumque emendationem, & ad veram pietatem traducere & ipse cùm voce tùm scriptis conatus fuit. Quò spectant pleraque ab eo idiomate populari conscripta:

*Explicatio Mystica in Cantica Canticorum.*

*Hortulus Florum Spiritualium*; docens, qui impii vitandi, probi imitandi.

*Scutum Spirituale*, sive Controversiæ Fidei. Antver. apud Verdus. 1610. in 8.

*Excitatio spiritualis ad unionem cum Deo*, in verba Psal. 72. *Mihi autem adhærere Deo bonum* &c. Ibid.

*Nuptiæ spirituales inter Deum & Naturam humanam.* Silvæducis, 1611. 8. apud Schefferum.

*Consolatio Ægrotorum*, Ibid. 1614. in 12.

*Speculum perfectioris cognitionis.* 8. Antver. apud Guil. van Tongeren. 1618. Flandricè.

Præterea dedit *Epitomen in omnes D. Pauli Epistolas*, ex Commentariis *Guil. Estii*, Doctoris Theologi Duacensis, & *Cornelii à Lapide*, S. J. Theol. Antverp. typis Nutii, 1620. 8.

Item alteram librorum *Joannis Alvarez de Paz*, S. J. *de Vita Spirituali ejusque perfectione.* Ibid. in 8.

Vitam piè actam, felici fine clausit Silvæducis anno 1628. IV. Kalen. Novemb. depositus in Monasterio Clarissarum.

## JOANNES GOROPIUS,

Vernaculè Van Gorp, Hilvarenbecæ apud Brabantos anno 1518. in Vigilia S. Joannis natus, divinarum atque humanarum rerum, bonarumque artium ac linguarum, latinæ, græcæ atque hebraïcæ, peritissimus fuit. In Philosophicis Lovanii studiis inter multos eminuit, promotus anno 1539. in Magistros Artium tertius: exactissimam deinde Medicinæ ac Matheseos scientiam, præeunte *Gemma Frisio*, assecutus, Italiam, Hispaniam, Galliam peragravit. Eleonoræ Galliæ, ac Mariæ Pannoniæ, Reginis, à valetudine fuit: in patriamque reversus, annos multos Antverpiæ Medicinam factitavit.

Leodici cùm esset apud Gerardum Groesbequium S. R. E. Cardinalem & Eburonum Principem, ingestâ fortuitâ de linguarum vetustate disputatione, patriæ linguæ (quæ illi Cimbrica) antiquitatem propugnandam suscepit, subtiliter certè atque ingeniosè; novoque docendi genere demonstrare conatus est vetustissimam illam Philosophiam (quam olim Linus, Orpheus ac Thamyras in Thracia docuere) ab ipso Noacho, ejusque filiis, Japeto præsertim profectam esse ac gentibus traditam, eamque cum Moyse, ac sacro sancta ejus Historia optimè convenire; quemadmodum eam in rem ad posthuma *Goropii* Opera pluribus præfatur *Lævinus Torrentius.* Scripsit autem

*Origines Antverpianas*: quas *Beccselana* inscripsit, novem libros complexa, *Atvatica*, *Gigantomachiam*, *Niloscopium*, *Indo-Scythica*, *Saxonica*, *Gotho-Danica*, *Amazonica*, *Venetica*, & *Hyperborea.* Antver. typis Plantini, 1569. fol.

Accesserunt à morte auctoris, *Hermathena*, *Hieroglyphica*, *Vertumnus*, *Gallica*, *Francica*, & *Hispanica*, typis iisdem, 1580. fol.

Utinam verò gravius Vir ille & ingenio isto dignius argumentum tractandum delegisset: Scriptor alias, in iis etiam rebus, quæ à sola ferè conjectura pendent, argutissimus & acutissimus; dignus vel ideo qui à matu-

ræ ætatis viris cum judicio & attentione legatur. Vide Juſtum Lipſium Cent. III. ad Belgas Epiſt. XLIV.

Deceſſit Trajecti ad Motam anno 1572. die 18. Junii, ætatis anno LIII. ſepultus apud D. Franciſci Sodales, marmoreo ornatus tumulo, procurantibus *Lævino Torrentio* dein Epiſcopo Antverp. & *Caſpare Surchio*, hujus quoque inſcriptionis authoribus.

D. O. M.
JOANNI GOROPIO, Becano,
Divinarum atque humanarum rerum
Bonarumque Artium peritiſſ.
CATHARINA DE CORDES
Uxor & filiolæ II.
Conjugi ac parenti dulciſſ.
Cum lacrymis poſſ.
Procuratoribus Lævino Torrentio
Et Gaſpare Surchio,
Quibus ille res ſuas moriens
Commendavit.
Vixit ann. LIII. obiit IV. Kal. Julii,
Anno M. D. LXXII.

## JOANNES A GOUDA,

Ultrajectinus, natus parentibus patriciis anno 1571, nomen Societati Jeſu dedit Tornaci anno 1588. Docuit in ea, præter litteras humaniores, Philoſophiam Duaci, & Theologiam Moralem Antverpiæ; totoſque inde XXV. annos cùm Antverpiæ tum Bruxellæ concionibus ad populum habendis impendit, eâ dicendi facilitate ac venuſtate, ut celeberrimi nominis Eccleſiaſtes haberetur. Accedebat comis quædam affabilitas & perſuadendi facultas, quâ etiam adverſariæ partis homines detinebat. Scripſit vernaculo ſermone,

*Apologiam pro vera in Vener. Euchariſtiæ Sacramento Tranſubſtantiatione*, contra *Franciſcum* & *Samuelem Lansbergios*, patrem & filium, ſectæ Calvinianæ Miniſtros Roterodamenſes. Antver. typis Hieron. Verduſſii, 1609. 8.

*Victricem Tranſubſtantiationem*, adverſus eoſdem. Ibid. 1611. 8.

*Examen Franciſci Gommari*, *Joannis Uytenbogardi & Da..elis Caſtellani.*

*Pro VIII. Propoſitionibus Franciſci Coſteri*, S. J. adverſus *Henricum Brand*, Miniſtrum Zirixæum. Ibid. 1611. 8.

*Pro iiſdem Propoſitionibus*, adverſus *Henricum Boxhornium*, Apoſtatam & Miniſtrum Bredanum. Hic ille eſt, contra cujus apoſtaſiam ſcripſit Orationem graviſſimam Henricus Cuyckius Ruræmund. Epiſcopus, quæ inter ejus Opera prodiit.

*Pro cultu & invocatione Sanctorum*, adverſus eumdem *Boxhornium*, *Guillielmum Perkinſonum & Joannem Bogardum* Miniſtros.

*Pro Conſultatione Leonardi Leſſii S. J. de Fide capeſſenda*, adverſus *Michaelem Hogium*; typis Plantini, 1612. 8.

*Demonſtrationem C. & L. Mendaciorum Henrici Boxhornii*; typis Verduſſii, 1610. 1611. & 1614. 8.

*Examen de officio & auctoritate Magiſtratus Chriſtiani in rebus Fidei Eccleſiaſticis.*

*Brevem Explicationem myſterii SS. Euchariſtiæ.* Silvæducis, 1612; aliaque.

Obiit Bruxellæ anno 1630. die XXVIII. Decembris, morte, qualem ſæpiùs deſideraverat, ſubitaneâ, vix integro unius horæ quadrante ſanus & mortuus. Vide Biblioth. Scriptorum S. J.

## JOANNES GRATIANUS GREGORII.

Vulgo Gooris, Bruxellenſis, quondam Paſtor ad S. Jacobum Antverpiæ, dein Cathedralis Eccleſiæ Brugenſis Canonicus uſque ad annum 1631, quo viâ permutationis factus eſt Canonicus Anderlechtenſis prope Bruxellam. Obiit ibidem 2. Nov. 1659. terræ mandatus in navi Eccleſiæ. Contexuit,

*Vitam & martyrium* CAROLI *Boni, Flandriæ Comitis.* Brugis 1629. Flandricè, & 1630. in 4. latinè.

*Exegesin Sacram, sive breves Discursus super Euangelia Dominicalia totius anni.* 8. Bruxellis apud Jo. Mommaert 1638. Tom. II.

*Vitam S. Guidonis, Patroni Anderlechtensis.* 12. Brux. flandricè.

## JOANNES GREVIUS,

Clivìensis, olim ante Synodum Dordracenam Minister Remonstrantium Heusdeni, cujus captivitas, condemnatio & fata fusè describuntur à Ger. Brantio Histor. Reform. Lib. I. cap. 55. In ergastulo Amstelodamensi captivus, hunc scripsit librum, contra Torturam,

*Tribunal reformatum, in quo sanioris & tutioris justitiæ vis Judici Christiano in processu criminali commonstratur, rejectâ & fugatâ Turturâ, cujus iniquitas, multiplex fallacia atque illicitus inter Christianos usus, liberâ ac necessariâ Dissertatione aperitur.* 8. Amstelod. item Hamburgi 1624; opusculum apud eruditos rarissimum.

## JOANNES GRIVELLUS,

J. C. Eques, Dominus de Perrigny, Fontaine &c. è Burgundiæ Comitatu oriundus, natusque in opido Lons-le-Saulnier anno 1560. idibus Martii, familiâ antiquâ & nobili; primùm in suprema Burgundiæ Curia Consiliarius, Belgarum inde Principibus Alberto & Isabellæ à consiliis fuit secretioribus, ac libellorum supplicum Magister, & à morte *Joannis Richardoti* Præsidis, negotiorum Burgundicorum Curator Relatorque. Vixit Bruxellæ ab anno 1608. totis XVII. annis, ac devixit anno 1624. pridie Idus Octobris, conditus ad S. Gaugericum, in choro templi, sub Epitaphio infrascripto. Edidit

*Decisiones Senatûs Dolani*; laudatum atque utile opus. Antver. typis Joan. Keerbergii, fol. & Coloniæ Allobrogum, 1631. fol.

Simile reliquit Opus *Decisionum Concilii Privati*; quod tamen extremæ voluntatis elogio vetuit edi, legebaturque apud *Claudium Grivellum* filium, Equitem, supremi Senatûs Dolani Assessorem.

*D. O. M.*

*Cy gist Messire* JEAN GRIVEL, *Seigneur de Perrigny, Fontaine, la Mire &c. Conseiller & Maistre aux Requestes du Conseil Privé de Sa Majesté, qui decéda en cette ville de Bruxelles le XIV. d'Octobre M. D. C. XXIV.*

## JOANNES GROPPERUS,

Susato, Westphaliæ ac Diœcesis Colonienſis oppidulo ortus, J. U. ac S. Theol. Doctor eximius, eloquentiâ admirabili, rarâ eruditione instructus, & Colonienſis Ecclesiæ in Catholica Religione tuenda decus ornamentumque singulare. Præpositus fuit Ecclesiæ SS. Cassii & Florentii Bonnensis, eodemque titulo per Diœcesin hanc Archidiaconus, nec non ad S. Gereonem Coloniæ Canonicus & Scholasticus.

Ferunt eum tam admirandæ fuisse continentiæ, ut cum aliquando domum reversus vidisset mulierculam lectum suum sternentem, non modo illam è cubiculo durioribus verbis propulsarit, sed lectum ipsum attactu mulieris quasi pollutum ratus, ipsemet è fenestra videntibus omnibus præcipitarit; in exemplum præsertim Ecclesiasticorum, quorum plurimi isto infelici sæculo incontinentiç labe infecti erant.

Tanto studio in hæreticis à Colo-

nienſi civitate arcendis defudavit, ut *Pater patriæ*, qui ejus ſaluti omnino conſuleret, merito vocari potuerit. Unde & à Paulo IV. Pont. anno 1555. inter S. R. E. Cardinales cooptari meruit, inſcius ipſe ac plane invitus: ſed purpureum pileum remittentem, Pontifex Romam accivit, ut quem literis non inflexerat, emolliret facundiâ, vel authoritate cogeret. Itaque itineri extemplo ſe dedit Groppe-rus: verùm vi diræ ægritudinis interceptus, Romam ſemi-mortuus intravit, ubertim complorante Pontifice, boniſque omnibus tanti Viri obitum, qui paulò pòſt in Urbe contigit 13. Martii 1558. anno ætatis ſuæ 58. *Antonius Poſſevinus*, in Apparatu ſacro, ingenii ejus monumenta enumerat.

*De veritate Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia, de aſſervatione Euchariſtiæ, de Chriſto in Euchariſtia adorando, de Communione alterius ſpeciei*; è germanico latinè reddidit Laurentius Surius Carthuſianus. 4. Coloniæ 1560.

*Inſtitutionis Chriſtianæ Enchiridion*, Concilii Colonienſis nomine.

*Inſtitutionem ad planiorem Chriſtianæ Religionis cognitionem.*

Quin & *Statutorum Concilii Provincialis Colonienſis anno 1549. per Adolphum Archiepiſcopum habiti*, conditorem præcipuum fuiſſe *Gropperum*, aſſerit Card. Palavinus in Hiſtoria Concilii Tridentini Libro IV. Cap. 14. Num. 2. 4. & 5. uti & libri ſequentis.

*De juriſdictione Eccleſiaſtica, Reformatione morum*, aliiſque. Extat impreſſus apud *Melchiorem Goldaſtum*, Lutheranum, in Collectione Legum Conſuetudinumque Cæſarearum, in titulo; *Acta Conventûs Ratiſponenſis.*

Corpus ejus Romæ in Germanorum æde ſacra B. Mariæ de Anima, ad pedes Adriani VI. Pont. tumulatum fuit; hoc elogio.

D. O. M.
D. JOANNI GROPPERO,
Religionis Fideique Catholicæ
Propugnatori acerrimo,
Poſt incredibiles labores
Summis cum periculis
Pro Eccleſiæ ac Religionis cõſervatione
Magno ſemper & invicto animo
exanthlatos,
Multaque præclara Litterarum
Monumenta edita, ac perpetuam
Fidei Pietatiſque conſtantiam,
Incomparabilem doctrinam
Summaſque virtutes, abſenti,
Nec quidquam minus cogitanti
In ſacrum S. R. E. Cardinalium
Collegium coöptato,
Prærnaturâ adhuc morte,
Et quando ſui opera
Imprimis deſiderabatur,
Ex humanis erepto,
Fratri piiſſimo atque optimè merito
Godefridus & Gaſpar Gropperii, fratres
Et alumni mœſtiſſimi poſuere.
Vixit annos LVII. dies XVIII.

JOANNES VAN DER GROEN,

Batavus Auriaci Principis hortulanus, artem ſuam ſcribendo quoque exercuit, ediditque linguâ, quam unicam callebat, vernaculâ

*Hortulanum Belgicum*, cum iconibus multis hortorum, arborum, florum, labyrinthorum, fontium &c. 4. Bruxel. 1687.

JOANNES GUBERNATOR,

Patriâ Gedinenſis, latinè vertit è gallico

*Symbola Heroïca Claudii Paradini*, Canonici Belliocenſis, & *Gabrielis Simeonis.* Antver. apud Steelſium, 1563. in 16.

JOANNES GUIDONIUS,

Caſtiletanus, quod in Eburonibus

eſt opidum, ad quartum ſupra Namurcum lapidem, ſcripſit librum cui titulus,

*Minervalia:* in quibus Scientiæ præconium atque Ignorantiæ ſocordia conſideratur, Artium liberalium in Muſicen decertatio lepida appingitur, & ad Virtutem calcar proponitur. Trajecti ad Moſam, 1554. 4. typis Jac. Bathenii.

## JOANNES GUILIELMI,

Harlemius, S. Theol. Licentiatus, primùm Atrebatenſis Collegii alumnus, pòſt Societatis Jeſu Lovanii Rector, & S. Scripturæ, Linguarumque Hebraïcæ ac Chaldaïcæ Interpres, diſcipulum inter alios nactus fuit Robertum Bellarminum, poſtea S.R.E. Cardinalem. Vir, ſi quis alius, de Bibliis ſacris, quæ Regia vulgò appellantur, à *Philippo II.* Rege Catholico, cujus auſpiciis edita ſunt, quàm maxime meritus, concinnavit

*Indicem Biblicum*, & cum Bibliis Regiis, & ſeorſim editum.

*Varias* item *Lectiones in Latinis Bibliis Editionis Vulgatæ*, ex manuſcr. collegit, & ad textum Hebraïcum, Chaldaïcum, Græcum ac Syriacum diſcuſſit. Leguntur in Apparatu Bibliorum Regiorum, curante Bened. Aria Montano.

Lovanii, anno 1578. ipſis Kal. Octobrib. igne lœmico extinguitur.

## JOANNES GYA,

Caſletanus, Flander; ſacrarum Litterarum Lutetiæ Pariſiorum aſſiduus & diligens Profeſſor, *Guilielmo Budæo* admodum familiaris vixit: in cujus etiam

*De Contemptu rerum fortuitarum* libros III. Commentarios ſcripſit. Pariſiis, apud Badium. 1526. 4.

Deceſſit Pariſiis, anno Dom. 1557. ut patet ex diſticho hoc numerali *Franciſci Thorii*,

CasLetUM *genUIt*, *rapUIt te* GaLLIa, GYa
*neXIbUs xUtUs CorporIs, aſtra CoLIs*.

## JOANNES HANNART,

Oratorii Duaceni Presbyter, pius æquè ac eruditus, ſcripſit gallicè

*Receuil des bons Pretres.* 4. Duaci apud Balth. Bellerum. 1665.

*Receuil des Bons Chanoines.* 4. Ibid. 1666.

*Receuil de pluſieurs Eccleſiaſtiques, Religieux & Seculiers, qui ont été devots aux ames du Purgatoire.* 4. Ibid. 1673.

## JOANNES HARENNIUS,

Valencenas, Joanni olim Calvino familiaris, & annos plus minùs XVIII. Miniſter Calviniſta, anno 1586. die IX. Martii, publicè hæreſin abjuravit Antverpiæ in Collegio Societatis Jeſu, & cauſas ſui ad Catholicos reditus ibidem vulgavit, Petri Belleri typis.

Vidit & morientem Calvinum Genevæ; de cujus interitu memorabilia ſunt ipſius Harennii verba: *Calvinus in deſperatione finiens vitam, obiit turpiſſimo & fœdiſſimo morbo, quem Deus rebellibus & maledictis comminatus eſt, prius excruciatus & conſumptus. Quod ego veriſſimè atteſtari audeo, qui funeſtum & tragicum illius exitum & exitium his meis oculis præſens aſpexi.* Ita refert Petrus Cudſemius in Hyperaſpiſte pro Tractatu de deſperata Cauſa Calvini, pag. 23.

Legitur tamen Harennius poſtea rediiſſe ad vomitum Veſaliæ Cliviorum, factuſque ibidem Walonicæ nationis Prædicans anno 1610. die VII. Martii. Prolixè hoc ipſum narrat Petrus Borrius lib. XXI. Hiſtoriæ ſuæ Belgicæ in fine.

## JOANNES HARLEBEKIUS,

Flander, à natali ſolo ſic dictus, ſcripſit librum,

*De Hora ſolida :* qui in Bibliotheca Eccleſiæ Cameracenſis MS. exſtare dicitur.

## JOANNES DE HASELA,

fortè ex Haſſeleto, ditionis Leodicenſis opido, Ord. Prædicatorum, claruit anno 1345. teſte P. Echard in Bibliotheca Ordinis Prædic. ſcriptoque reliquit

*Libellum de Quæſtionibus Caſualibus, quæ in Summa S. Raymondi & Apparatu ejus vel non continentur, vel minus planè explicantur.* Extat MS. in Prioratu ad S. Martinum Lovanii.

## JOANNES DE HAZE,

Silvæducenſis, Societatis Jeſu, Doctor Theol. in Academia Herbipolenſi apud Germanos renunciatus, Coloniæ Philoſophiam, Herbipoli Theologiam annos aliquot interpretatus eſt. Rectoris officium bis Embricæ Cliviorum, Provincialis ſemel obivit.

Obiit Embricæ, VIII. Kal. Aprilis, anno 1624, ætatis 81, Religionis 62, & à ſuſceptâ quatuor votorum ſolemni profeſſione 53.

Edidit, vel perfecit potiùs, *Opus Catechiſticum Petri Buſæi*, ejuſdem Societ. idem ſanctorum Patrum auctoritatibus illuſtando ac locupletando.

*Chronologiam*, in folio patenti.

*Cæſarii Heiſterbachenſis Exempla* illuſtravit : cum luculenta Prætatione, quâ viſiones, illis contentæ, confirmantur & aſſeruntur.

## JOANNES HAVRÆUS,

Gandenſis, Vir Nobilis, Wallæi Toparcha, à primis ætatis annis culturæ ingenii ac litterariæ mirè addictus fuit atque ab annorum XI. ἀποδημία, non minùs doctrinâ variarumque rerum cognitione nobilis, quàm nobilitate ac ſtemmate majorum conſpicuus. In utroque dicendi ſcribendique genere pœnè par : dum enim Poëtam agit, robuſta ac maſcula oratio in verſibus ejus ſpirat ; dum Oratorem, pura & elegans dictio eſt ; dum Juriſconſultum & Judicem, Ariſtidis cujuſdam Flandrici, Doctoriſque J. U. (nam & titulo illo inſigniri meruit) perſonam exhibere ſolet.

Conſulari apud Gandenſes dignitate, ſummâ prudentiæ & integritatis famâ perfunctus, ſupremiſque teſtamenti tabulis bis mille & ſexcentis florenis annuis in pauperes rarâ liberalitate erogatis, deceſſit Gandavi anno 1625. pridie Non. Martii, ſepultus in D. Michaëlis, ſub Epitaphio ſequente. Symboli loco uſurpare ſolebat hæc verba, NESCIT LABI VIRTUS ; indeque ſcriptionis argumentum ſumpſiſſe videtur, editâ

*Arce Virtutis*, ſive *De vera animi tranquillitate Satyrâ.* Gandavi, 1621. 4. quam deinde duabus Satyris auxit, ediditque à morte auctoris Caſperius Gevartius J. C. typis Plantin. 1627. 4.

Meditabatur & *de bono Senatore* librum, nondum typis editum.

D. O. M.
V. N. JOANNI HAVRÆO,
Wallæi Toparchæ,
Ariſtidi Flandrico,
Qui conſulari apud Gandenſes dignitate
Summâ prudentiæ & integritatis
Famâ perfunctus,
Supremis Teſtamenti Tabulis,
Bis mille & ſexcent. floren.
Annuis in pauperes
Rarâ liberalitate erogatis,
Deceſſit anno M. D. C. XXV. prid.
Non. Mart. H. M. P.
Vixit annos LXXIV. M. V.

Digitized by Google

## JOANNES DE LA HAYE,

Canonicus Cath. Eccleſiæ Tornacenſis, *Epiſtolam* ſcripſit, ad Viglium Zuichemum, *de Reliquiarum S. Cypriani ad Eccleſiam Rotnacenſem tranſlatione.* Legitur in Operibus Cypriani, Pamelii curâ editis.

## JOANNES DE LA HAYE,

Servius ex agro Athenſi, Hanno, Societ. Jeſu Theologus, Philoſophiam ſacraſque Lovanii & Duaci profeſſus eſt litteras; Rectoris munere diu functus. Vitâ defungitur Duaci, annis meritiſque gravis, anno 1614. ætatis ſuæ LXXIV. die XIV. Januarii. Edidit

*Euangeliſtarum Quaternionem*, ſeu *Euangelicæ Hiſtoriæ Diſpoſitionem.* Duaci, typis Balth. Belleri, 1606. 4. Quod opus poſtea SS. Patrum Græcorum Latinorumque ſententiis locupletavit, inſcripſitque *Triumphum Veritatis, ordinati Euangelii quadrigâ invectæ, SS. Patrum exercitu inſtructæ.* Ibid. 1609. fol. Tomis II.

*Apparatum Euangelicum, quo ea diſquiruntur & illuſtrantur, quæ de Euangelio & Euangeliſtis poſſunt diſputari.* Ibid. apud Laur. Kellamum, 1611. 4.

Hunc ne confundas cum *Joanne de la Haye* Pariſienſi, Minorita, multorum Commentariorum in S. Biblia erudito collectore; qui obiit anno 1661.

## JOANNES HECKIUS,

Medicus ac Philoſophus, ſcripſit, *Diſputationem de peſte*, & quare ea in in Belgio potiſſimùm graſſetur, Daventriæ editam, 1605. 4.

## JOANNES VAN HEELU,

Dictus DE LEEWE, deſcripſit rythmo vernaculo *Prælium Woeringanum*, cujus ipſe teſtis & ſpectator fuit oculatus, inſcripſitque Margaretæ Angli-canæ uxori Joannis II. Ducis Brabantiæ & Limburgi. Originale adſervabatur olim in Curia Bruxellenſi, ante ejus incendium. Idem Latino & heroïco carmine expreſſit anno 1641. *Franciſcus Dongelbergius*, in ſuprema Brabantiæ Curia Senator.

## JOANNES VAN HEEMSKERCK,

J. C. Batavus, in ſupremo Hollandiæ Senatu Conſiliarius ab anno 1645. uſque ad 1656. quò è vivis abiit die 27. Februarii; inter graviores curas non aſpernatus eſt Antiquitates patrias indagare, ediditque vernaculè

*Arcadiam Batavam*, ſeu de origine, geſtis, libertatibus, re nautica &c. Veterum Batavorum. Prodiit primùm 1637. in 8. dein quartâ editione Amſtelod. 1662. ac rurſum ibid. 1707. cum fig.

## JOANNES DE HEESTERT,

Borchlonius, ditionis & Diœceſis Leodienſis, Canonicus Regularis, profeſſus in Bethleem, prope Lovanium anno 1427. Rector ſeu Confeſſor Monialium S. Urſulæ, in opido Lovanienſi, per annos duodecim, ibidem. peſte extinguitur anno 1458. Compoſuit

*Rithmum* pulcherrimum *in honorem* XI. *Mille Virginum* Incipit: *O Virnantes Chriſti Roſæ* &c. Aliquot verſus illius in Belgica ſua Chriſtiana exſcribit, & adſcribit per errorem *Joanni Lanſpergio*, Cartuſiano, Arnoldus Raiſſius. Verùm ex Petro Impens Chronici Bethleemit. lib. IV. art. 5. §. 3. qui integrum Rythmum recitat, ſatis conſtat, eum eſſe hujus *Joannis de Heeſtert.*

Addit ibidem Impens, edidiſſe &

Opuſculum, ad inſtar Rationalis divinorum Officiorum, *De Cæremoniis divini Officii in ſuo Ordine*; ſed liber iſte, inquit, ampliùs apud nos non reperitur.

## JOANNES DE HEGELSOM,

Bredanus, vir ad omnem modeſtiam pietatemque compoſitus, patriâ ob Fidei Orthodoxo-Romanæ profeſſionem profugus, Sacerdotium in Eccleſia Cathedrali Leodienſi, quo ſuſtentaretur obtinuit, ubi & in Domino obdormivit anno 1632. Luſit heroïco carmine

*Panegiricum Ferdinando Bavaro, Epiſcopo, Principi Leodicenſi*, &c. Leodii, 1613. 4. typis Chriſtiani Ouwerx.

## JOANNES HEINSBERGIUS,

Joannis Domini Heinsbergenſis filius, ex Præpoſito Aquiſgranenſi in Leodienſem Antiſtitem electus anno 1419. Eccleſiam, Principatumque totis annis XXX. & quod excurrit, adminiſtravit: verùm cùm ferre ultrà civium Leodienſium effrenem inſolentiam non poſſet, ultrò Epiſcopatui ceſſit anno 1455.

Anno 1446. *Synodum* celebravit, & Decreta ſeu Statuta, tum ſua, tum Prædeceſſorum ſuorum in unum corpus redacta conſcribi, publicari & obſervari mandavit. Prodiit liber Lovanii anno 1500. typis Theod. Aloſtenſis.

*Reformationes Cleri Leodienſis*, anno 1446. ab hoc Epiſcopo factæ, per Capitulum maius Leodienſe ſigillatæ, ac poſtea pe Nicolaum V. Pont. approbatæ, extant inter Concilia generalia Harduini Tomo IX. pag. 1304.

Obiit anno 1459. die XVIII. Octobris, ut Zantfletus habet, vel potiùs XIX. ut Eccleſiæ Heinsbergenſis MSS. monumenta.

## JOANNES HEMELARIUS,

Hagienſis Batavus, S. T. L. Calvinianam hæreſim, in qua natus erat, *Juſto Lipſio & Ægidio Schondonckio* S. J. Presb. quos doctores & familiares habuit, adhortantibus ejuravit. Quin & diſcipulum hunc ſuum Lipſius, in Italiam cogitantem, anno 1600. luculento Teſtimonio proſecutus eſt, ob mores optimos, faciles, lepidos, ob doctrinam variam, in Græcis, Latinis, proſâ, verſu. Extat illud integrum in Athenis Belgicis Franc. Sweertii, pag. 436.

Romæ Illuſtriſſ. Cardinali *Bartholomæo Cæſio* in deliciis fuit, in cujus familiâ per ſexennium verſatus eſt, ejuſque beneficio Canonicatum in Æde Cathedrali D. Virginis Antverpiæ obtinuit. Illic quoque Epiſcopis *Miræo* & *Maldero* gratiſſimus, multa pro his, pro Diœceſi, pro Capitulo utiliter geſſit. Sororem habuit nuptam *Theodoro Golio*, patri *Jacobi Golii*, Profeſſoris Leidenſis, & *Petri Golii* Profeſſoris Linguæ Arabicæ Romæ.

Auctor fuit *Hemelarius*, *Expoſitionis Numiſmatum Imperatorum Roman. à Julio Cæſare ad Heraclium*, ex Muſæo Illuſtris Viri *Caroli Ducis Croïaci*, quam Operi ſuo *Jacobus Bæus* adjecit, tacito (ut ſtipulatus erat) nomine. Antv. apud Verduſſium, 1614. 4. ac rurſum ibidem 1627. & 1654. in fol. cum inſigni Auctario.

Dedit quoque *Paræneticon Angeli Cuſtodis ad Hugonem Grotium, ſuper nupero ejus carcere*, verſu Jambico, typis Plantin. 1621. 12. Fama eſt, *Hemelarium* allaboraſſe, ut *Grotium* ad Fidem Catholicam adduceret; quod ex binis Grotii Epiſtolis innuitur, quas in Bibliotheca Leidenſi aſſervari Burmannus aſſerit.

*Orationem in funere Joannis Malderi V. Antverp. Epiſcopi*, an. 1633. habitam.

JOAN-

## JOANNES HENRICUS GOBELINUS,

Presbyter, J. U. L. Ecclesiæ Collegiatæ S. Gudilæ Bruxellis Canonicus, Vir nobilis, & Artis heraldicæ ac genealogicæ peritus, scripsit

*Preuves de la Maison de Bette, produites au Chapitre de S. Waudru à Mons de la part de Mademoiselle de Lede* 4. Bruxellis 1646.

## JOANNES HENRICUS MANIGART,

Leodius, S. T. L. in Academia Lovaniensi, dein Leodii ad S. Remigium Pastor, simulque in Collegiata S. Bartholomæi Canonicus, Examinator Synodalis &c. Illius sunt

*Flores selecti, ad exercitium eorum, qui ad SS. Missæ Sacrificium offerendum se præparant.* 12. Leodii anno 1656.

*Providus Pastor, sive modus ægros & moribundos juvandi.* 8. Leodii 1680.

*Praxis pastoralis, sive Medulla Theologiæ Moralis, præcipue tractans de Sacramentis, Censuris, Casibus reservatis* &c. 8. Coloniæ 1673. & alias sæpius.

## JOANNES HENTENIUS,

Nechlinensis, (patria enim illi *Nechlinia* sive *Nalina*, Diœcesis Leodicensis pagus, prope Tudinium) adolescens in Lusitaniam profectus, professus est Ordinem primùm S. Hieronymi illic celebrem. Post S. Dominici Lovanii Religiosus, & Doctor Theologus anno 1551. die XII. Maii renuntiatus, triumque Linguarum peritissimus, Prior ac Regens Studii, vitæ morumque exemplo præfuit. In corrigendis, pristinoque splendori restituendis sacris Bibliis, Caroli V. Imp. jussu, à Facultate Theologica ad hoc deputatus, indefesso labore, judicii acrimoniâ, laudabiliter injuncto munere perfunctus fuit. Hæc prima Bibliorum *Lovaniensium* editio fuit anno 1547. Item alia Antverpiæ 1570. (rarissimâ) cum figuris. Secuta est altera per eosdem Doctores Lovan. 1580. Vide plura apud *P. le Long*, Bibliot. sacræ Tomo I. pag. 263.

Insuper Doctor *Hentenius* vertit è græco, quâ linguâ in primis excelluit,

*Euthymum Zigabenum in IV. Euangelia.* Cui subjecit

*Refutationem libelli de Legali Christi Sacerdotio.* Lovanii, apud Rescium, 1543. Paris. & alibi.

*Oecumenium in Acta Apost. D. Paullum, & Canonicas Epistolas.* Lovanii, & Antver. 1545. in fol. item Parisiis, Tomis II. 8.

*Arethæ in Apocalypsin.* Antver. apud Steelsium, 1545. Huic adjecit, à se primò erutum, *Remigium Altissiodorensem Episcopum in XI. posteriores Prophetas Minores.*

*Alphonsi Madrilienſis* libellum *de vera Deo inserviendi methodo*, ex hispanico latinum fecit. Lovanii, 1577. 12. apud Zangrium, & Coloniæ, 1606. 12.

*Commentarii in Genesin, Ecclesiasten, Acta Apostolorum, & Euangelistas*, Lovanii, apud Dominicanos MSS. adservantur.

Obiit Lovanii anno 1566. ætatis LXVII. die XIII. Octobris, studiis atque excarnificante calculo consumptus. Frequens illi in ore erat, *Publicum se bonum privato semper prætulisse.* Unde defuncto hoc posuit Epitaphium Petrus Baccherius ejusdem instituti Doctor Theologus.

*Prætulit* HENTENIUS *privatis publica rebus*
*Commoda, Cœnobio dives, inopsque sibi:*
*Jactet Aristidem præclarum Græcia, Roma*
*Publicolam,* HENTENIO *dum sit uterque minor.*

Plura de Hentenio lege in Belgio Dominicano P. de Jonghe, pag. 152.

## JOANNES HERMANNUS CRUL,

Amſtelodamenſis, Poëta elegans, vernaculè expoſuit *Mundum Papyraceum*, 8. Amſtel. 1646.

## JOANNES DE HESDINIO,

Arteſius, Ord. Fratrum S. Joannis Jeroſolymitani, Philoſophus & S. Theologiæ Doctor Pariſienſis, qua in Univerſitate eum Lecturas & plures & elegantes pronuntiaſſe ſcribit Trithemius. Claruit temporibus Wenceſlai Imp. & Bonifacii IX. Pontificis circa annum 1390. & 1400. Fuitque Capellanus domeſticus Philippi de Alenſonio Archiepiſcopi Rothomagenſis, ac S. R. E. Cardinalis. Memorantur hæc ejus ſcripta

*Scholaſticæ Phraſes in Job.* 2. Vol. Pariſ. MS. in Bibliotheca Navarræa.

*Commentarius in Euangelium Marci.* MS. Oxonii in Bibliotheca Balliolenſi.

*Lectura in Epiſtolam ad Titum.* Ibid. & alibi.

*Lecturæ in Euangelium S. Joannis*, liber I.

*Libri XIV. in Epiſtolas Pauli*, teſte Trithemio.

*Item in Apocalipſim*; teſte Swertio.

*Commentarius in Novum Teſtamentum*

Tractatus *De Annuntiatione Dominica*

*Opus Sermonum de tempore & SS.* MS. in Bibliotheca Abbatiæ Fuſniacenſis Diœc. Laudun.

## JOANNES HESIUS,

Presbyter Trajectenſis, deſcripſit *Itinerarium* ſeu *Peregrinationem* ſuam *Jeroſolymitanam* per Arabiam, Indiam, Æthiopiam, aliaſque remotas mundi regiones, anno 1389. factam: in qua multa mirabilia fidemque exſuperantia, ex ævi illius credulitate, narrantur. Antver. 1565. 8. apud Joan. Withagium, & alibi.

## JOANNES HESSELIUS,

Lovanienſis, in Scholis Artium primus renunciatus eſt anno 1541. Porcenſis Pœdagogii tunc alumnus. Inde Theologiam Litteraſque ſacras in Parcenſi Abbatia juxta Lovanium toto octennio profeſſus, omnium calculo dignus fuit, qui unà cum *Martino Rithovio* laudatiſſimo dein Iprenſium Epiſcopo, Magiſtralem S. Theologiæ lauream anno 1556. die 19. Maii ſuſciperet. Primus quoque minori Theologorum Collegio Præſes datus, & ad Tridentinam poſtea Synodum, *Joanne Haſſelio* inibi vitâ functo, una cum aliis Doctoribus Belgis delegatus finem ejuſdem Concilii ſpectavit.

Vir fuit ingenio in primis perſpicaci & propè divino; quippe ad comprehendendum celerrimus, ad excogitandum acutiſſimus, ad indagandum ſagaciſſimus: memoriâ item tenaciſſimâ, fideliſſimâque; quibus accedebat ardens & indefeſſum inquirendæ veritatis ſtudium. Ut cum, brevi quidem, ſed meritiſſimo elogio, Nicolaus Sanderus libro de Imaginum cultu nominet *præclariſſimum, non Academiæ, ſed totius orbis lumen*; & Bellarminus de Scriptoribus Eccleſ. Sæculo I. in fine, *Virum multæ doctrinæ & judicii.*

Non deſunt tamen, qui redarguant *Heſſelium*, quod ſicuti amicitiâ ſpeciali colebat *Michaelem Baium*, ita & in eandem dogmatum novitatem cum eo conſenſerit. Narrat in Hiſtoria Concilii Trident. Card. Pallavicinus, Libro XV. 7. Num. cap. 7. & ſequent. inſignem Commendoni Nuncii Apoſtolici ſollicitudinem, ut ad Tridentinam Synodum mitterentur Baius atque Heſſelius; tum ut in eorum doctrinam invigila-

retur; tum ut hortatu Præſulum ac Theologorum meliora ſenſa reciperent. Hoc etiam intuitu Cardinalis Granvellanus Baium & Heſſelium Theologos ſuos domeſticos, cum ampliore honorario, nuncupavit; ut eo magis à novis dogmatibus alieni eſſent.

Scripſit autem Heſſelius partim in Scripturam eruditos Commentarios, partim de Fidei Controverſiis, quibus hæreſes ſuo tempore graſſantes ſtrenuè profligavit, Tomis II. hoc ordine diſtinguendos.

*Cathechiſmus Latinus*; primùm Lovanii prodiit 1571. in 8. deinceps in 4. cujus liber I. *Symboli Apoſtolici Explicationem* continet. II. *Dominicæ Orationis & Salutationis Angelicæ Explicationem.* III. *Decalogum*; omnia hæc antehac ſæpiùs & ſeorſim edita. IV. *Explicationem VII. Sacramentorum.* Et quidem quæ de tribus prioribus ſcripſerat *Heſſelius*, jam olim typis prodierant: de quatuor vero poſterioribus, diſcipulorum calamis à ſæculo excerpta, primùm impreſſa ſunt anno 1660. Editio autem VII. prodiit Lovanii apud Hieron. Nempæum 1674.

*Commentarius in Paſſionem Dominicam.* Ibid. 1568. 8.

*Commentarius* in priorem *B. Pauli Epiſtolam ad Timotheum:* item in priorem *B. Petri Canonicam.* Ibid. 1568. 8. Et *In Epiſtolas Canonicas S. Joannis.* Antver. 1601. 8.

*In Euangelium ſecundùm Matthæum.* Lovanii, 1572. 8.

*De Schiſmaticis Templis Judæorum, & vero Dei templo*, ex hiſtoria Joſephi. Ibid. 8.

*De Cathedræ Petri perpetua firmitate.*

*Confutatio Fidei novitiæ*, quam *ſpecialem* vocant, adverſus *Joan. Monhemium.* Ibid. 1568.

*De Invocatione Sanctorum*, contra eundem. Ibid. 8.

*De Communione ſub unica ſpecie*, adverſus *Georgium Caſſandrum.* 1573. Inter Epiſtolas ſelectiores illuſtrium Virorum, à *Petro Bertio*, Leidæ anno 1617. primùm editas, binæ extant *Heſſelii ad Caſſandrum* (nempe Cent. I. Epiſt. 49. & 51.) in quibus hanc ejus doctrinam de Communione ſub utraque ſpecie perſtringit acriter, ac ſubjungit, pag 261. *Uſquequo claudicas in duas partes? ſi Dominus eſt Deus, ſequere eum: ſi autem Baal, ſequere eum. Si Proteſtantes (ut aiunt) ſunt veritatis & ſinceræ Fidei præcones, ſequere eos apertè. Si autem (ut re-vera eſt) Eccleſia Catholica, hoc eſt Papiſtica, eſt ea, quæ fundata eſt ab Apoſtolis ſuper petram, adverſus quam nunquam prævalebunt portæ inferi, ſequere eam. Nec confidas, te tuo ingenio invenire poſſe præter eam aliquem tutum portum, in quo ſecurus acquieſcas.... Plantatio quæ contra hanc inſurgit, ſive à Proteſtantibus, ſive ab his qui inter Catholicos & Proteſtantes, veluti medii, utroque extremo ſe intelligentiores reputant, quia à Patre cæleſti non eſt plantata, eradicabitur &c.* Ita Heſſelius, Epiſt. datâ Lovanii 1565.

*De corporali præſentia Corporis & Sanguinis Domini in Euchariſtia.* Ibid. 1564. & 1568. item Pariſ. 1583. 8.

*Confutatio Confeſſionis Hæreticæ*, Teutonicè emiſſæ: quâ oſtenditur Euchariſtiam eſſe Sacrificium propitiatorium. Lovanii, 1567. 8.

*De Celebratione divinorum Officiorum Linguâ Latinâ.*

*De Officio pii viri, vigente hæreſi*, adverſus *Caſſandrum.* Antver. apud Plantin. 1566. 8. Inſertus dein Indici Librorum prohibit: Romano.

*Cenſura de quibuſdam Sanctorum Hiſtoriis.* Lovanii, apud Wellæum, 1568. 8. cum Uſuardo Molani. Scripta autem Cenſura illa, ut ibidem Molanus teſtatur, in librum, qui inſcribitur, *Paſſionale de Sanctis per annum*, & in Parco legitur.

*Epiſtola* ejuſdem *de Conceptione Virg. Dei-paræ* legitur apud Corn. Schultingium Tomo 2. Biblioth. Eccleſiaſticæ p. 46. Præterea

*Quæſtio, ad quid teneantur Religioſi vi Voti ſui?* reſpondendo ad propoſitum Abbatis Aquicinctini: item *de Obligationibus Religioſorum:* prodierunt primùm ad calcem editionis recentioris anno 1691.

Obiit Lovanii calculi doloribus exhauſtus, ac demum apoplexiâ correptus, ætate adhuc florente 44. annorum, Chriſti anno 1566. die 7. Novembris, ad S. Petrum in Eccleſiæ ambitu ſepultus, hoc Epitaphio.

Hic è regione ſepultus eſt
D. JOANNES HESSELS à Lovanio,
Sacerdos, hujus Eccleſiæ Canonicus,
Et Regius S. Theologiæ Profeſſor.
Vir celeberr. & pietate ac eruditione
Incomparabilis,
Qui hæreſes ſuo tempore graſſantes
Tum vivâ voce,
Tum editis libris
Strenuè profligavit,
Et moriens Lovanii, VII. idus Nov.
Anno incarnati Verbi M. D. L. XVI.
Ætatis vero ſuæ XLIV.
Piis doctiſque omnibus,
Et Theologicæ imprimis Scholæ
Maximum ſui deſiderium reliquit.
Orate pro eo.

*HeſſeLs prô CeCIdIt ſeptenâ noCte noVeMbris,*
*SoLa theoresIs gLorIa ChrIſte tUæ.*

## JOANNES HEURNIUS,

Ultrajectinus, natus eſt anno 1543. Primos pueri annos in patria formarunt *Georgius Macropedius* & *Arnoldus Eyckius*: adoleſcenti Medicinam ac Matheſin Lovanii tradidit *Gemma Friſius*: Medici titulum & inſignia Doctoralia Ticinenſis contulit Academia. Domum reverſus, ab annorum XII. peregrinatione, ac poſtea anno 1581. ætatis ſuæ 38. Lugdunum Batavorum accerſitus, ibidem ſummo cum honore famæque celebritate, nec minori tum in docendo, tum in ſcribendo venuſtate, Medicinam annos ipſos XX. explanavit, ſcripſitque utiliſſimos in re Medica Tractatus, omnes typis Franc. Raphelengii Leidæ editos. Eorum hæc ſeries eſt.

*Inſtitutiones Medicinæ.* Item *Modus Ratioque ſtudendi Medicinæ*, 1592. & 1596. 8.

*Praxis nova Medicinæ*, libris III. 1587. & 1590. 8.

*De Morbis humani Capitis, Oculorum, Aurium, Naſi, Dentium, Oris, Pectoris*, 1594. 4.

*De Morbis Ventriculi.* Accedit ejuſdem *Reſponſum*, ad Præſidem & Conſiliarios ſupremæ Curiæ Hollandiæ, *Nullum eſſe aquæ innatationem Lamiarum indicium.* Item *Oratio de Medicinæ origine, Æſculapidum & Hippocratis ſtirpe ac ſcriptis*, 1608. 4.

*De Morbis Mulierum*: & *de Humana felicitate liber*, 1607. 4.

*De Febribus*, 1594. 4.

*De Peſte*, 1604. 4.

*Hippocratis Coi Prolegomena, & Prognoſticorum libri III. cum Paraphraſtica verſione, & brevibus Commentariis*, 1597. 4.

*In ejuſdem Hippocratis de Hominis natura libros II. Commentarius*, 1609. 4.

Item *in libros IV. de Victus ratione in morbis acutis*, eodem anno in 4.

*Aphoriſmi Hippocratis*, græcè & latinè, *brevi Enarratione illuſtrati*; cum hiſtoriis, obſervationibus, cautionibus & remediis ſelectis, 1609. 4.

Opera omnia *Joh. Heurnii*, tam ad Theoriam quam ad Praxin Medicam ſpectantia, evulgata ſunt ab *Ottone Heurnio*, filio, Leydæ II. Tomis in 4. 1609. & rurſus ibidem 1658. fol. Elenchum Tractatuum vide in Lindenio.

Renovato, pag. 605.

Vivere desiit anno 1601. ætatis LVIII. die XI. Augusti, Leidæ in D. Petri Templo primario conditus, hoc Epitaphio

Hic situs est Vir celeberr.
D. JOHANNES HEURNIUS,
In Academia Leydensi
Primarius Medicinæ Professor
Per annos XX.
Et in eadem VI. Rector Magnificus,
Magnæ prudentiæ,
Summæ in docendo & scribendo
Venustatis ac celebritatis.
Vitâ laudabiliter transactâ
Obiit XI. Augusti An. M. D. CI.
Vixit annos LVIII.

*Heurnius Hyppocratis genius hac conditur urnâ,*
*Cui non inveniet Terra Batava parem.*
*Flete ô Pœonides, & crines solvite Musæ:*
*Occidit en vestri famaque solque chori.*

Verdoesius M. D. posuit.

## JOANNES HOGHEN,

Deduxit *Chronicon Leodiense* à tempore Adulphi ad suam ætatem. Exstat Manuscr. Lovanii, in Collegio Societ. Jesu.

## JOANNES DE HOLLANDER,

Gandensis, Flander, Canonicus in D. Waldetrudis Montibus apud Hannones, descripsit è *Dionysii Harduini* Analectis atque adversariis *De Nobilitate*, librum, prodromum (ut vocat) alterius Operis, in quo Flandriæ nobiliores familias ab ipsa stirpe atque origine recenset, & in plures ramos diducit. Edidit Antver. 1621. 4. Guil. à Tongris.

## JOANNES HOLONIUS,

Vulgò HOLOGNE, Leodius, Societ. Jesu, Eloquentiam in Academia Ingolstadiensi professus, edidit ibidem

*Orationem Funebrem in Exequiis D. Martini Eisengreinii dictam*, typis Davidis Sartorii, 1578.

Obiit senex Augustæ Vindelicorum 12. Julii 1622.

## JOANNES HONORIUS VAN AXEL DE SENY,

Ultrajectinus, J. C. Civis & Advocatus Curiæ Romanæ, in concives suos Romæ peregrinos, & nudos, aliterve ejus operâ egentes, admodum benignus & munificus fuit; quem nemo propterea deprædicaverit satis. Fundavit Romæ anno 1627. insigne Collegium S. Norberti, quod hodieque possidet Abbatia Tungerloensis in Brabantia, eòque quotannis quosdam è Religiosis suis transmittit, studiis Theologicis imbuendos.

Scripsit porrò Honorius

*Juris totius Canonici Compendium*, sive *Summam*, *in Libros V. Decretal.* sacri Concilii Trid. Decretis accommodatam. Coloniæ, 1630. 4. & rursum ibidem 1656. Tomis II. in 4.

## JOANNES HOORNBEECK,

Harlemi apud Batavos natus die 4. Novembris 1617. Ministerium Calvinianum Coloniæ Agrippinæ annis aliquot secretò exercuit: græci hebraïcique sermonis imprimis peritus.

Inde ad professionem Theologicam in Academia Hardrovicensi evocatus, oblatum munus recusavit: sed anno 1644. ad sacras Litteras in Academia Ultrajectina docendas invitatus, Cathedram hanc acceptavit, fuitque hìc simul Calvinianæ sectæ Minister. Anno 1654. die 7. Junii ad eandem Professionem à Curatoribus Academiæ Lugduno-Batavæ assumptus in locum *Jacobi Triglandii*: extremum ibi clausit diem.

Digitized by Google

Kalendis Septembris 1666, ætatis anno 49. laudatus pro funere per *Abrahamum Heydanum*, Theologiæ Profeſſorem. Varia ſcripſit in S. Scripturam, item Theologica & Hiſtorica,

*Diſputationes X. Anti-Judaïcas.* Leydæ 1644. in 4.

*De convertendis & convincendis Judæis*, Libros VIII. Leydæ 1655. in 4.

*De Baptiſmate antiquorum.* Ultraj. 1647. 4.

*De ultimo Chriſti Paſſchate, & Reſurrectione Chriſti.* Ibid.

*Socinianiſmum confutatum.* 4. Ultraj. III. Vol. 1650. & ſequentibus.

*Examen Bullæ Papalis, quâ Innocentius X. abrogare nititur Pacem Germaniæ.* 4. Ultraj. 1653.

Acceſſere *Bullæ Urbani VIII. de ſuppreſſione Jeſuitiſſarum, de cultu imaginum, de Feſtis: unà cum Scholiis: additâ Bulla Clementis VI. Pont. quâ mandat Angelis Paradiſi* &c. 4. Ibidem. Ambos hos libros proſcripſit S. Congregatio Ind. die 10. Junii 1658.

*Miſcellanea ſacra, in quibus lectiſſimæ cujuſvis argumenti, Theologici, textualis, dogmatici, practici, hiſtorici, & ritualis veteris & novi, Exercitationes continentur.* 4. Ultraject. 2. Vol. 1677. Prohibita Romæ 20. Auguſti 1690.

*Theologia moralis*, Reformatorum. 4. Leidæ 1668.

*Orationes habitæ in Academia Ultrajectina.* Ibid. 1658. in 8.

*Summa Controverſiarum Religionis cum Infidelibus, Hæreticis, Schiſmaticis; id eſt Gentilibus, Judæis, Mahummudanis, Papiſtis, Anabaptiſtis, Enthuſiaſtis & Libertinis, Socinianis, Remonſtrantibus, Lutheranis, Browniſtis, Græcis.* Ultraj. 1653. in 8. item cum Auctario ibid. 1658. Colbergæ 1676. Francof. ad Viadrum 1697.

*De Converſione Indorum & Gentilium*, Libri II. Amſtel. 1669. 4 Acceſſit *Vita Authoris, à Davide Stuarto* Philoſ. Prof. Lugduno-Batavo edita.

Et alia multa, ſpiritum Calvinianum ubique redolentia, quorum ampliorem ſeriem vide apud P. Niceron, in Notitiâ Virorum ſcriptis illuſtrium, Tomo XXXIII. pag. 299

## JOANNES VAN HORNE,

Amſtelodami natus anno 1621, patre *Jacobo*, Indiarum Occidentalium Præfecto, avo *Petro Hornio*, præclaro mercatore Antverpienſi, olim probè Catholico. Peractis in Academia Ultrajectina Medicinæ ſtudiis, in Italiam profectus eſt, & Venetorum caſtra aliquamdiu ſecutus. Poſt alias varias peregrinationes, Univerſitatem Baſileenſem inviſit, ubi & clariſſimus Medicorum ordo eum honorifico Diplomate ſibi Doctorem adoptavit. Neque minorem laudem famamque conſetus eſt in Univerſitatibus Monſpienſi & Aurelianenſi.

Patriæ redditus, primùm Anatomes ac Chirurgiæ Profeſſor Amſtelodami conſtituitur; at paulò poſt, anno nempe 1653. eodem munere in Academia Lugduno-Batava à Curatoribus honoratus, ſtabilem illic ſedem fixit. Linguas ſeptem, ſupra vernaculam, apprimè calluit, ac tandem Academiæ Lugdunenſis decus, ibidem obiit die 5. Januarii 1670, pro funere laudatus à Collega *Carolo Drelincurtio*, Oratione quæ extat inter hujus Opera Medica. Evulgavit autem Hornius, teſte Lindenio de Script. Med.

*De Aneuriſmate Epiſtolam*, extat cum *Theod. Bartolini* Anatomicâ Aneuriſmatis diſſecti Hiſtoriâ, Panormi, 1644. in 8.

*Novum Ductum Chyliferum*, primùm delineatum atque deſcriptum. Lugd. Batav. 1652. in 4.

ΜΙΚΡΟΚΟΣΜΟΣ, ſeu, *brevem Manuductionem ad hiſtoriam corporis humani:*

in gratiam Discipulorum. Lugd. Bat. 1660. in 12. & aliàs 1665. etiam Lipsiæ, 1675.

Μικροτεχνη, id est, *brevissimam Chirurgiæ Methodum*. Lugduni Batavorum, apud Jacobum Chovet, 1663. in 12. item Lipsiæ 1675.

*Leonhardi Botalli Opera omnia Medica & chirurgica* à mendis repurgavit, methodicè disposuit, Notis ac paragraphis distinxit &c. Lugduni Batavor. apud Daniel. & Abrah. à Gaesbeeck, 1660. in 8.

*Galenum de Ossibus*, græcè & latinè cum Vesalii, Sylvii, Heneri, Eustachii, Exercitationibus, ad eandem Galeni doctrinam, edidit Lugd. Batav. 1665. 12.

*Prodromum Observationum suarum circa partes genitales in utroque sexu* Ibid. 1668. in 12.

*Observationes Anatomico-Medicæ*; extant cum aliorum ejusdem generis Observationibus excusis. Amstelodami, 1674. in 12.

## JOANNES HORRION,

Leodiensis, Societ. Jesu, Philosophiam Moguntiæ, ibidemque & Paderbornę Theologiam Scholasticam ac S. Scripturam cum laude fructuque professus est. Vivere desiit Coloniæ Agrippinæ 21. Augusti 1641. Edidit

*Vitam B. Aloysii Gonzagæ*, S. J. ex italico *Virgilii Ceparii* latinè. Coloniæ, typis Bern. Gualteri, 1608.

*Commentarium Prudentii Sandovalii de Sanctis Leandro, Isidoro, Florentio*, ex Hispanico. Legitur in Sideribus *Christophori Brouweri*, ejusdem Societ.

*Titi Livii Patavini Historiarum librum XXXIII.* in Bibliotheca Ecclesiæ Cathedralis Bambergæ MS. primùm repertum, cum *Castigationibus & Notis*, nomine Gymnasii Paderbornensis, ad Theodorum Episcopum, Academiæ Fundatorem. Paderbornę, typis Matthæi Pontani, 1607.

Ejusdem est *Panegyricus in natali Academiæ Paderbornensis ejus fundatori Theodoro Furstembergio Paderbornensi Episc. oblatus anno* 1616. Ibid. Editus iteratò cum *Monumentis Paderbornensibus* Ferdinandi Furstembergii Episc. 4. Amstelodami apud Elzevir 1672.

## JOANNES HOCXSEMIUS,

Sive DE HOCXSEM, à vico cognomine, ditionis Leodicensis, prope Hugardiam, sic dictus, anno à salute parta 1348. mense Februario, natus est, ut ipse de se loquens Chronici sui libro I. cap. XI. his versibus testatur; locum sive parochiam nativitatis suæ cap. XII. indigetando Hugardiam:

*Mille ducenteno, bis quarto septuageno*
*Anno, sum mundo natus sub mense secundo.*

Studiis melioribus, itemque Geometriæ, Philosophiæ ac Jurisprudentiæ, in Aurelianensi Academia atque alibi operam dedit, & Jura publicè professus fuit. Tandem Canonicus & Scholasticus Leodici ad S. Lambertum, & ad S. Petrum eadem in urbe Præpositus, Legationes varias obivit, pro jurisdictione Ecclesię Leodiensis tuenda, variasque Epistolas scripsit, ad summum Pontificem, ad Cardinales, ad Regem Galliæ, ac Brabantiæ Ducem; virumque fuisse ingenio acri, aperto & lepido præditum, passim in ejus scriptis videre est.

Scripsit deduxitque ab anno 1247. ad sua tempora,

*Historiam & Res gestas Episcoporum Leodicensium*: editam à Joanne Chapeavillio, Leodii, 1613. Tomo II. cum aliis id genus Scriptoribus.

*Digitum florum utriusque Juris*, ordine Alphabetico.

*Flores Auctorum & Philoſophorum*, ſimili ordine : quorum ipſe auctor meminit Chronici ſui libro II. cap. XXVII. in fine.

Vivebat etiamnum anno 1403. quo ad Pacem cum plebe Leodienſi firmandam deputatus fuit ; quæ vulgo dicitur *la Paix des Saize*. ( Ita P. Fiſen in Hiſtoria Leod. atque hinc corrige Chapeavillum & Val. Andream, qui *Hocxemium* anno 1348. obiiſſe exiſtimant. ) Legitur Epitaphium illius Leodii, in Eccleſia Cathedrali, laminę æneę inciſum, in Sacello vulgò *Wingaerde* nuncupato :

*Inclyte, juſte, ſagax, Legum venerande Profeſſor,*
*Artibus ingenuis, generoſe Scholaſtice polles :*
*Pauperibus perlarga manus, Cleri decus ingens,*
*Magnanimus, conſtans, ſtudii flos, lumen honoris,*
*Præbendis quo fulta decem te fuderat Hocſem,*
*Canonicum præſens habuit locus ara patronum,*
*Præpoſitum Petrus, trabeavit ſcibile cunctum.*
*Aureolâ Doctor potiaris gratus* JOANNES.

Ibidem in parte muri ſuperiori lapidi marmoreo inſculpti leguntur verſus ſequentes :

Hocſem *quem genuit* Jo. *ſtruxit ſemicapellam,*
*Hanc Aquilæ ſolus dotando Scholaſticus Aram,*
*Præpoſitus ſancti Petri, Legumque Profeſſor.*
*Centum ter decies Domini ter quinque ter annis*
*Donati feſto fuit ara ſacrata Joannis.*

## JOANNES HOUDANUS,

Vulgò HOUDAIN, Lutoſanus Hannonius, primùm Gymnaſii Latini apud Aveſnenſes Rector, ibidemque ad S. Nicolaum, & dein ad S. Urſmarum apud Binchienſes Canonicus,

*Cornelii Muſſi*, Epiſc. Bitontini, ex Ord. Minorum adſumpti, *Orationes XVI. in Decalogum* ex Italico Latinè interpretatus eſt. Montibus, 1636. 8.

Item *Orationes ejuſdem XIX. in Symbolum Apoſtolorum, de paſſione Domini, & de duabus dilectionibus Dei ac proximi.*

Luſit & *Manalippum*, Tragœdiam, ſive *Prodigium D Joannis Apoſtoli & Euangeliſtæ*, vario metro.

## JOANNES HOYBERGIUS,

Mollanus, Brabantus, S. T. B. F. Canonicus Regularis Ord. S. Auguſtini & Prior in Corſendonca, prope Turnhautum,

*Joannis Latomi Canonicam Corſendoncanam*, De Origine ac progreſſu ejuſdem Cœnobii, primùm edidit, continuavit, atque *Notationibus* illuſtravit, 8. Antverpiæ apud Hieron. Verduſſium 1644. Hanc Cœnobiarchiam Tomo II. ſuæ Brabantiæ illuſtratæ inſeruit *Antonius Sanderus*.

Cœterùm *Hoybergius* Prior anno 1644. Turnhauti litterarum humaniorum Palæſtram, per ſuos regendam, probante Magiſtratu inſtituit. Obiit anno 1647. die 20. Octobris.

## JOANNES A S. HUBERTO,

Namurcenſis, Ord. Fratrum Minorum ſtrictioris Obſervantiæ, Leodii, Namurci, atque Aveſnis Guardianus, ac S. Theologiæ Lector, compoſuit librum de *Joſeph Patriarcha*, qui *Dicæarchus Ægiptius* inſcribitur. Leodii, 1613. apud Joann. Streel.

## JOANNES HUCHON,

Neolanus, ſive ex Annœulin, quæ

Caſtel.

Caſtellaniæ Inſulenſis parochia eſt, in Univerſitate Duacena S. Theol. Doctor, in urbe Inſulenſi Paſtor Eccleſiæ S. Salvatoris, nec non Chriſtianitatis (ut illic vocant) Decanus, Librorumque Cenſor, evulgavit

*Theologiam practicam de Sacramentis*, cum Commentario ad primam partem Enchiridii *Petri Binſfeldii* Suffraganei Trevirenſis, Doctoris Theologi abſolutiſſimi. 12. Inſulis apud Simonem le Franc. 1641.

Gallicè verò: *Miroir de la Croix, ou Meditations ſur la Paſſion de N. S. & autres points importans, pour tous les jours de la ſemaine, avec des Reglemens ſpirituels.* 12. Inſulis apud Toſſ. le Clercq. 1640.

*Penſée ſalutaire pour les fidels tres-paſſez: avec l'Hiſtoire d'un certain eſprit de l'Hopital-Comteſſe de Lille, puis nagueres delivré; compoſé par ordre de Mgr. l'Eveque de Tournai.* 12. Inſulis, 1641.

## JOANNES HUGO A LINSCHOTEN,

Harlemenſis Batavus, poſt duodecim annorum peregrinationem, in Belgium patriamque redux; ac tandem mortuus Enchuſæ anno 1601. Edidit vulgari noſtrâ linguâ

*Navigationem ac Itinerarium Indiæ Orientalis*, in cujus metropoli Goâ anno 1584. apud Archiepiſcopum ejus loci vixit. Et adjunxit ex Hiſpanico aliquot Navigationum Diaria ad diverſa loca; & Computum proventuum, quos Rex Hiſpaniarum annuè ex Indicis terris recipit. Excuſum eſt hoc opus 1595. & ſequent. fol. Amſtelodami, item Francofurti, cum chartis & mappis, ut vocant.

Prior verò Operis pars, quod eſt Itinerarium, etiam latinè traducta legitur Continet VIII. partes in 2. Vol. in folio, cum figuris fratrum de Bry. Poſt mortem ejus dein prodierunt Amſtelodami duo Volumina ſequentia cum fig. anno 1638.

*Hiſtoire de la Navigation de J. H. de Linſchot aux Indes Orientales: contenant diverſes deſcriptions des lieux juſques à preſent decouverts par les Portugais, obſervations des coutumes & ſingularitez de delà, & autres declarations: avec des figures des plantes, Cartes Geogr. & autres.* Fol. Amſtelod. 1638.

*Le grand routier de mer de J. H. de Linſchot, contenant une inſtruction des routes & cours qu'il convient de tenir en la navigation des Indes Orientales, & au voiage de la côte du Breſil, des Antilles, & du Cap de Lopo Gonſalvez, avec la deſcription des côtes, havres, iſles, vents, courants d'eau &c.* fol. Amſtel. 1638.

## JOANNES HUGO QUARRE',

Salinis, Burgundiæ Comitatûs oppido natus, in Univerſitate Pariſienſi S. T. D. Congregationis Oratorii Berulliani Presbyter, è Gallia in Belgium evocatus à Mechlinienſi Archiepiſcopo *Jacobo Boonen*, primus fuit Præpoſitus Oratorii Belgici ab anno 1631. Fuit & concionator in aula Bruxellenſi mirè facundus, ac Metropolitanæ Eccleſiæ Mechlinienſis Canonicus ab anno 1643, primuſque poſſeſſor Præbendæ à prætato Archiepiſcopo erectæ.

Congregationis ſuæ inſtituto plurium Paſtoratuum ac Beneficiorum unionem ac plerarumque Domuum erectionem acquiſivit, tam in Belgio quam in Burgundia. Deceſſit Bruxellis 26. Martii 1656. ætatis 66. Sacerdotii 43. ſepultus in cœmiterio Lacæ Partheniæ juxta Bruxellam. Scripſerat Vir iſte, pietate æque ac doctrinâ eximius, hos Tractatus aſceticos.

*Treſor ſpirituel pour vivre en Chrétien parfait.* Pariſ. 1636.

*Le Treſor ſpirituel, ou l'obligation d'aimer Dieu, &c.* 8. Pariſ. 1638.

*Devots entretiens de l'ame Chrétienne.* 12. Brux. 1640.

*Traité de la penitence Chrétienne.* 12. Pariſ. 1648.

*Le riche Charitable ou la neceſſité de l'aumone*, 12. Bruxell. 1653. Et forte alios.

## JOANNES HUMETZ,

Aërienſis Artheſius, Presbyter, quondam apud Nervios in Gymnaſio S. Pauli Rhetorices Profeſſor; edidit

*Bellum Septimeſtre*, ſive Ariam, à Gallis obſeſſam & captam, moxque ab Hiſpano recuperatam. 4. Audomari 1644.

## JOANNES HUNÆUS,

Vulgo *Huens*, è vico de Wyckmaele, juxta Lovanium, Canonicus Regularis Ord. S. Auguſtini, Cœnobii Bethleëmitici ibidem annis XXIX. Prior; obiit anno 1657. Edidit

*Orationem*, ſive *Concionem exhortatoriam*, habitam in Comitiis Capituli generalis Windeſemenſis. Lovanii, typis Jac. Zegers 1637. 8.

## JOANNES JACOBS,

Aſtenſis, è Diœceſi Silvæducenſi oriundus, olim Lovanii quartus in Scholis Artium anno 1595, deinde Philoſophiæ Profeſſor in Pœdagogio Falconis, atque anno 1605. Canonicus Eccleſiæ Cathedralis Brugenſis, vigore Privilegiorum Academicorum. Vir doctus ac pius, & in ſacris ritibus apprimè verſatus: obiit Brugis die 31. Januarii 1647. Evulgavit

*Compendium Cæremoniarum in celebratione divinorum Officiorum obſervandarum.* 12. Antverpiæ apud Joannem Cnobbaert 1621.

*Feſta propria Eccleſiæ Cathedralis S. Donatiani Brugenſis*, item de Vita & Miraculis ejuſdem Sancti. 12. Brugis 1638.

*De Miraculis Deiparæ Ommelenſis*, qui eſt vicus Aſtenſis Dominii, prope Silvamducis.

## JOANNES JACOBUS COURVOISIER,

Burgundus, Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula, S. Theol. Lector, ſecundò Provincialis in Belgio, Montibus Hannoniæ, Bruxellis, Anderlaci Corrector, atque in Aula Bruxellenſi coram Sereniſſ. Principibus Ferdinando S. R. E. Cardinale & Leopoldo Archiduce facundus Eccleſiaſtes. Vivendi finem fecit in Conventu Anderlechtenſi juxta Bruxellam, Kalendis Aprilis 1652. Illius ſunt gallica aſcetica ſequentia.

*La Sainte Auſtriche, ou l'Idée d'un vrai Prelat, tirée de la vie de S Maximilien Apotre & Patron de l'Auſtriche.* 4. Bruxellis 1638.

*Octave du S. Sacrement, ou les Extaſes de la Reine de Saba.* 4. Bruxell. 1632.

*La Vie & le trepas de la Sereniſſ. Infante Iſabelle, ou le Sacré Mauſolée.* 12. Bruxell. 1634.

*Le Pedagogue Angelique, ou l'Introduction à la Devotion de l'Ange Gardien.* 12. Ibid. 1636.

*Octave du S. Sacrement prechée à Lille, ſur le mariage miſtique de Samſon avec Dalile.* 4. Bruxell. 1638.

*L'Obeliſque ſepulchral, dreſſé à Renay, ſur l'heureux trepas de Jean Comte de Naſſau.* 4. Brux. 1639.

*Le Trone Roial de la Paſſion de N. S. ou le Roi des Affligez* 4. Antv. 1642.

*La Vie & le trepas de Ferdinand Prince Cardinal, ou le Prince immortel.* 4. Brux. 1642.

*Octave des grandeurs de Marie, ou le bocage sacré de* N. D. *de Boisleduc.* 4. Ibid. 1649.

*La Madelaine convertie, ou les Roiales Victoires de l'amour divin sur le cœur de Ste. Marie Madelaine.* 4. Paris. 1645.

*Les maximes des Patriarches ou fondateurs des Ordres Religieux.* 4. Bruxell. 1648. 2. vol.

*Le triomphe des SS. Martirs Vit & Modeste.* 4. Duaci 1652. seu sermones ibidem habiti, dum eorum corpora Româ ad Ecclesiam PP. Minimorum Duacensium transferrentur.

*Le tresor des Oeuvres spirituelles de S. François de Paule, receuillis de divers Auteurs.* 12. Bruxell. 1646. dein Leodii 1657. Transtulit eundem in linguam flandricam P. *Nicolaus Lombaerts* ejusdem Ordinis Antverp. 1668. in 8.

## JOANNES JACOBUS WISSEMBACH,

Natione Nassovio-Germanus, at longa apud Batavos commoratione ac professione accensendus Belgis: natus est anno 1607. die 8. Octobris in vico Fronshusio, sub Ditione Principis Nassovio-Dillenburgii, patre Joanne, ibidem Verbi Calviniani Ministro, qualis item fuit *Jacobus* avus ejus paternus, avusque maternus Jacobus Reiffenbach, è cujus filia *Annâ* genitus est Wissenbachius.

Perceptis Herbornæ litteris humanioribus, biennium ibidem inter Theologos exegit: sed his valere jussis, ad Jurisprudentiam se transtulit, hortantibus præsertim consanguineis suis *Matthæis*; quorum familiæ laus studiorum & maximè Jurisprudentiæ fuit hereditaria. Jura audivit Herbornæ, Franekeræ, Groningæ, ac Marpurgi: atque in postremâ Universitate, post examinum, disputationum & lectionum solemnia, anno 1631. in ordinem Doctorum utriusque Juris cöoptatus est. Tum in Academia Palatina Heydelbergensi publicam Juris Professionem auspicatus est: paulo post, Baroni de Sinzendorf, natione Austriaco, ut Ephorum & peregrinationis socium se adjunxit: & cum illo Galliam, Italiam Angliamque peragravit. Tandem Franekeram rediens, defuncto *Henrico Rhala*, Institutionum Professore ordinario, Nonis Decembris 1640. extraordinariæ Professioni inauguratus, post triennium ad ordinariam, post quadriennium ad Pandectarum Professionem, & nominatim Primariam evectus est. Stipendium ejus primo 400, dein 800, tum mille, post 1200. postremo 1600. fuit florenorum: quousque nemo antehac in ea Academia honoratus fuerat.

Rectoratum Academiæ Franekeranæ tertiùm administravit: vocationes quoque aliunde sibi oblatas respuit, puta Herbornensem, Daventriensem, Harderwicanam, Trajectensem ac Groninganam, & quo minus Leidensem haberit nihil obstitit: testatus interea verbis & factis se toto affectu apud Frisios teneri. Exactæ Juris Romani peritiæ summam Historicæ antiquitatis & Philologiæ græcæ atque latinæ peritiam adjunxit.

Scripsit adhuc juvenis *Emblemata Triboniani*, quæ postmodum Franekeræ creatus Professor denuo edidit.

Item *Notas Nomico-Philologicas in Historiam Euangelicam Passionis Dominicæ.*

*De Verborum significatione & de Regulis Juris Commentationes Cathedraticas.*

*Disputationes ad Instituta Imperialia*; quibus accedunt

*Contradictiones Juris Canonici.*

*Emblemata Triboniani, cum Novis* Observationibus.

*Diatribe de Mutuo, ejusque Vindiciæ, contra Salmasium.*

*Sylloge Errorum Irenianorum* (fuit au-

tem *Irnerius* antiquus Bononienſium J. C.) Franck. 1640. in 8.

*Compendium Juris Feudalis.* Quæ omnia auctiora ſimul prodierunt in 4. tertiâ editione Franekeræ an. 1666. ſimul cum Vita Authoris, è qua hoc ejus Elogium deſumptum eſt. Prohibentur Decreto Congregationis Indicis Romæ 18. Julii 1729.

Edidit quoque *primam & ſecundam Pandectarum partem.*

Poſtremo *in Codicem* diſputare inſtituit & perſecutus eſt ad ſeptimum uſque librum, quæ duobus Tomis publicavit: ad reliqua inchoata manus aliena expectabatur.

Uxorem duxit Wiſſenbachius anno 1650. Eliſabetham, Joannis Cloppenburgii Theologiæ Profeſſoris filiam, ex qua ſemel ad paucos dies parens, vitam cum eâ concorditer annis pluſquam 12. egit. Huic ſuperſtes, poſt annuum luctum, ſecundis votis junxit ſibi Rixtiam filiam Horatii Domans, Conſulatu aliiſque honoribus functi. Aſt paulò poſt tabe confectus, nullis relictis prolibus, Franekeræ XIV Kal. Martias 1665. diem extremum obiit. Plura in laudem ejus dixit *Guilielmus Cup*, J. U. D. & Anteceſſor, funebri Oratione ex decreto Senatûs habitâ.

In Templo Franekerano extat hoc ejus Epitaphium.

„ Monumentum ſepulchrale Viro
„ incomparabili D. JOANNI JACOBO
„ WISSENBACH Naſſovio, J. U. D. &
„ Profeſſori per XXIV. annos in Fri-
„ ſiorum Acad. celeberrimo, A. 1665.
„ 16. Febr. denato, à ſecunda Con-
„ juge RIXTIA DOMANS erectum

*Hoc ſaxo tegitur toto celeberrimus orbe*
WISSENBACH, *Legum gloria, Juris honos.*
*Ingenio, eloquio, calamo, virtute, ſecundus*
*Nulli, quem Cathedræ, Curia, templa, fora,*
*Innumeræ gentes, Belgæ, Germania, lugent,*
*Friſia, tuque virum non habitura parem.*

## JOANNES JENNYN,

Brugenſis, S. Theol. & J. U. Doctor, Pœnitentiarius ac Protonotarius Apoſtolicus, Eccleſiæ Parochialis S. Ægidii in civitate Brugenſi Paſtor, ac demum in Cathedr. Iprenſi Canonicus, evulgavit

*Veram Confraternitatis SS. Trinitatis de Redemptione Captivorum Ideam, originem, propaginem, Privilegia & Regulas ejus complectentem.* 8. Brugis apud Luc. Kerckhove 1640. Romæ anno 1652. & Brux. 1666.

Accedit *Oratio* panegyrica, *de Indulgentiis ejuſdem Ordinis* & Confraternitatis, ab eodem Auctore, tunc illius per Provincias Belgii Directore generali, habita in Academia Duacena, anno 1652.

## JOANNES LE JEUNE,

Atrebas, Roberti, nati prope Lendium, J. U. Doctoris & Baillivi urbis Atrebatenſis filius (ut retulit Val. Andreas) Epiſcopus primò fuit Ambianenſis & Conſeranenſis in Gallia, hincque Morinenſis anno 1437. ac poſt biennium in Concilio Florentino, Philippi Boni Burgundiæ Ducis Orator. Hujus commendatione S. R. E. Cardinalis ab Eugenio IV. Pont. renunciatus eſt anno 1439.

*Vitam* itaque *Eugenii IV. Papæ* ſcripſiſſe ac Nicolao V. ejus ſucceſſori dedicaſſe, refert Locrius.

Romæ è vivis ſublatus eſt anno 1451. vixdum quadragenarius, inter Purpuratos opulentiſſimus, teſte Enguerando Monſtreleto in Chronicis. Jacet in Eccleſia ſua titulari S. Laurentii, hoc Epitaphio.

Hic jacet corpus Rev. Patris,
Domini JOANNIS

Tituli S. Laurentii in Lucina
S. R. E. Cardinalis
Presbyt. Morinenſis nuncupati,
Qui obiit anno M. CCCC. LI.
Miſerere mei Deus,
Quia in te ſperavit anima mea.

## JOANNES JONES,

Vide infra LEANDRUM A S. MARTINO.

## JOANNES JORDANÆUS,

Noviomagenſis Gelder, Presbyter ac Sacellanus Illuſtriſſ. Principis Chriſtophori Bernardi à Galen Monaſterienſis Epiſcopi, evulgavit

*Motuum Monaſterienſium, noviſſimique belli & pacis enarrationem*, nec non dicti Monaſterienſis Epiſcopi in ſuam Civitatem feſtivum ingreſſum, unà cum Litteris gratulatoriis Alexandri VII. Pont. 4. Monaſterii Weſtphaliæ 1661.

## JOANNES IPERIUS,

Cognomento LONGUS, ab Ipra Flandriæ opido, loco natali, Iperius dictus, in Academia Pariſienſi Decretorum Doctor, dein ab anno 1365. Abbas Cœnobii S. Bertini, apud Audomaropolim Arteſiæ; Vir cum primis induſtrius, pius & eruditus, qui ſtudio delectatus hiſtorico, conſcripſit *Monaſterii ſui Chronicon*, ab anno 590. quo ferè tempore natus fuit S. Bertinus, uſque ad annum 1294. Abbates complexus LIV. variiſque cùm ſacris tum profanis, præſertim Epiſcoporum Morinenſium, inſertis hiſtoriis.

Hoc olim Chronico Jac. Meyerus in concinnandis Flandriæ Annalibus non mediocriter adjutus fuit. Exſtat MS. apud Bertinenſes, & alibi; meditaturque à ſeculo editionem illius *N. Vitus*, Richardi J. U. D. Duac. filius, ibidem Religioſus; ut & poſtmodum Domnus *Lucas Dacherius*, nî morte præventus fuiſſet.

Vide Meyerum libro XIII. Annal. Flandriæ: qui ex Thoma Diacono, ejuſdem loci Monacho, refert illum tam craſſum & tanti fuiſſe abdominis, ut vix potuerit incedere, nec dormire, niſi ſedendo.

Fuit & alius *Joannes de Ipra*, hujus loci Abbas ex Monacho Lobienſi: verum ut ab hoc noſtro Hiſtoriographo diſcernatur, obſerva, priorem claruiſſe anno 1187. & obiiſſe 1230, adeoque ducentis fere annis noſtrum præceſſiſſe. Obiit hic anno 1383, ut probat hoc ejus Epitaphium, hodieque extans in Sacello S. Dionyſii, præfatæ Abbatiæ Bertinianæ.

Hîc jacet piæ memoriæ
JOANNES, oriundus de Ypra,
Quondam Abbas Monaſterii,
Qui rexit XVII. annis,
Et obiit anno Dni. M.CCCLXXXIII.
Secundâ die menſis Januarii.
Orate pro eo. Requieſcat in pace. Amen.

Porrò Chronicon Iperii, ſecundum duo Exemplaria MSS. unum Duacenſe, alterum Gemblacenſe, primò in lucem dederunt anno 1717. in Theſauro ſuo novo Anecdot. Tomo III. pag. 442 Domni Martene & Durand Monachi Benedict. è Congregatione S. Mauri.

Idem vero Chronicon S. Bertini continuatum, & è MS. Codice Monaſterii S. Vedaſti editum ab iiſdem Benedictinis Gallis, extat Tomo VI. pag. 613. in nova Collectione Vett. Monumentorum.

*Vitam S. Erkembodonis*, authore Jo. Iperio, Notis illuſtravit God. Henſchenius S. J. ediditque inter Acta SS. ad diem XII. Aprilis.

Extat etiam Pariſiis in Bibliotheca Regia Num. 8389. liber hujus tituli; *Itineraire de la peregrination & du voiage que fiſt un bon Preud-homme des Freres Precheurs, qui ôt nom Frere Ricul.* (Vide Scriptores Ord. Prædic. Tom.

I. pag. 504.) In cujus fine legitur: *Sont en ce livre contenue par ſobrieté les Royaumes & les Gens, les Provinces, les Loix, les Sectes, les Hereſies, les Monſtres, & les merveilles, que ledit Frere trouva ès parties d'Orient. Et fu cils livres tranſlaté de Latin en François par Frere Jean de Ypre, Moine de S. Bertin en Saint-Omer, en l'an M. CCC. LI. accomplis.*

## JOANNES ISAACUS,

Hollandus, edidit *Opera Mineralia & Vegetabilia*, ſive de Lapide Philoſophico, libros II. Middelburgi, apud Richardum Schilders, 1600. 8.

*De tribus ordinibus Elixiris:* & *Lapidis Theoria.* Bernæ, 1608. 8. cum *Bern. Penoti* Denario Medico.

## JOANNES ISACIUS PONTANUS,

Natus quidem Henſingone in ponto Danico, ſed parentibus Harlemenſibus, publici negotii cauſſa in Daniam profectis; ſemper in Belgio vixit, Medicinæ Doctor in Academia Baſileenſi creatus anno 1601, & Philoſophiæ naturalis Artiumque Mathematicarum in Gymnaſio Gelro-Velavico Hardervici Profeſſor, ac Sereniſſ. Daniæ Regis, Ordinumque Geldriæ Hiſtoriographus. Scripſit

*Hiſtoriam Urbis & Rerum Amſtelodamenſium*, 1611. fol. quæ tamen pleriſque meritò diſplicet, ob inutiles ſæpè excurſiones; adeò ut vel ideò apud bonos & æquos rerum arbitros minùs fidem inveniat, ſcribereque ipſe coactus ſit Apologiam pro ejuſmodi excurſionibus, Cœnobia præſertim ſacraque immutata ſpectantibus. Prohibitus liber Romæ per S. Congregationem 12. Novembris 1616:

*Analectorum Libros III. in quibus ad Plautum, Apuleium & Senecas, ac paſſim ad Hiſtoricos antiquos & Poëtas Cenſuræ.* Roſtochii 1599. in 4.

*De affectu hypochondriaco Theſes*, quas pro Medicinæ laurea poſuit Baſileæ 1601. in 4.

*Itinerarium Galliæ Narbonenſis*, & *Gloſſarium priſco-Gallicum.* Lugd-Batavor. 1606. in 12.

*Collectanea & Notas ad Macrobium.* Ibid. 1628. 8.

*Notas & Obſervata Politica ad lib. 1. L. Flori*, unà cum *Oratione Iſagogica ad eumdem Florum.* Amſtelod. 1626. in 16.

*Obſervationes in Tractatum de Globis Cœleſti & Terreſtri*, auctore *Roberto Hueſio*, Anglo. Ibid. 1617. 4. item Oxonii 1663. in 8.

*Origines Rerum Francicarum* Libris VI. in quibus præter Germaniæ & Rheni Chorographiam, Francorum Origines & primæ ſedes, aliaque ad gentis Gallicæ tranſitum &c. ordine deducuntur. 4. Harderwici 1616. Prohibit. Romæ 1619.

*Rerum Danicarum Hiſtoriam* libris X. unà cum *Chorographica ejuſdem Regni Urbiumque Deſcriptione.* Amſtelodami 1631. fol.

*Diſceptationes Chorographicas de Rheni divortiis atque oſtiis, & accolis populis*, Partes II. adverſus *Phil. Cluverum.* Ibid. 1617. in 8.

*Diſcuſſionum Hiſtoricarum* libros II. quibus præcipuè, quatenus & quodnam mare liberum vel non liberum clauſumque accipiendum ſit, diſpicitur expenditurque; contra Seldenum, Anglum, de Mari clauſo. Ibid. 1637. 8.

*De Pigmæis Theoremata.* Hardrov. 1629. in 4.

*Apologiam pro Hiſtoria Amſtelodamenſi*, contra Pontum Heuterum, ad Arnoldum Buchelium J. C. Amſtel. 1628. & 1634. in 4.

*Hiſtoriæ Geldricæ* libros XIV. præmiſſâ *Ducatus Geldriæ & Comitatus Zutphaniæ Chorographicâ Deſcriptione.* Ibid. 1639. fol. Opus præ cæteris laudatum,

ab Arnoldo Slichtenhorſtio vernaculè redditum Arnhemii 1654. fol.

*Cornel. Tacitus integritati ſuæ reſtitutus.* Amſtel. 1630.

*Poëmatum Libri VI.* Amſtelod. 1634. Utrum autem Pontano bene ſucceſſerit Ars poëtica, collige ex hac Petri Scriverii cenſura. Cum enim Pontanus poſuiſſet hunc verſum pro ænigmate.

*Dic mihi, quid majus fiat quo pluria demas?*

Reſpondit ex-templò Scriverius.

*Pontano demas carmina, major erit.*

Vivere deſiit Hardrovici anno 1640. ætatis 69. relictâ *Annâ* filia, quæ *Antonio Matthæo*, Jurium Anteceſſori in Academia Ultrajectina celeberrimo nupſit. Plura de Pontano lege in Notitia P. Niceronii de Scriptor. illuſtribus Tomo XIX. pag. 390. item Tom. XXXII. pag 271.

Vitam & encomium Pontani, libroſque ab eo editos retulit *Claudius Mollerus*; quibus adde hos verſiculos.

*Pontanus Danos, Trojanos ſcripſit Homerus,*
*Magnus hic eſt Græcis: major at ille Gothis.*

## JOANNES JUNCHÆRUS,

Vulgo Jonckheere Furnenſis, Flander, Canonicus Regularis Ord. S. Auguſtini in Viridi Valle, deinde Prior in Valle Martiniana ejuſdem inſtituti apud Lovanienſes, conſcripſit

*Virilegium Viridis Vallis:* quod ibid. manuſcr. legitur, ut & *Epiſtolæ* ejuſdem ad diverſos, Reges, Principes &c.

Moritur anno à Chriſto nato 1509. XVI. Kal. Februarii.

## JOANNES JUVENIS,

Vulgo de Jonghe, Iprenſis Medicus, ſcripſit

*Commentarium in Galeni libellum de Theriaca.*

*De Medicamentis Bezoardicis.* Antver. cum libello Ægidii Gerardi de Herba Panacea, 1587. 16.

## JOANNES VANDER LAEN,

Amſtelodamenſis, Societatis Jeſu Theologus, ac per annos XVIII. Miſſionarius in Hollandia, ad laborum præmia emigravit Harlemi die 10. Julii 1669.

Edidit vernaculè ſub nomine *Leonardi van Saenen, Vindicias Menſæ Fidei, P. Jacobi Stratii S. J.* contra Everardum Schuttenium, Calvinianum Zwollenſem; 1653.

Item *Regulam Fundamentalem Fidei.* 1661.

## JOANNES DE LAET,

Antverpienſis, non inutilem concinnandis Commentariis deſcriptionibuſque Principatuum ac Regnorum præcipuorum orbis univerſi, operam præſtitit. Prodierunt omnes *typis Elzevirianis*, exiguæ quidem molis libelli, ſub titulo Rerum-publicarum: ſed vel propter ipſum characterum nitorem, magno apud omnes in precio habiti. Cujus generis ſunt

*Hiſpania*, ſive *de Regis Hiſpan. Regnis & opibus Commentarius.* Lugd. Batavor. 1629. 24.

*Gallia*, ſive *de Francorum Regis Dominiis & opibus.* Ibid. eodem anno.

*Belgii Confœderati Reſpublica.* Ibid. 1630.

*Turcici Imperii Status*: ſeu diſcurſus varii de Rebus Turcarum.

*Perſia*, ſeu *Regni Perſici Status.* Ibid. 1633.

*De Imperio magni Mogolis*, ſive *India vera* Comment. 1631.

*Portugallia*, ſeu de illius regnis & opibus. Ibid. 1642. in 24.

*Reſpublica Poloniæ, Lithuaniæ, Pruſſiæ & Livoniæ.* Amſtel. 1642. in 24.

*Novus Orbis, seu Descriptio Indiæ Occidentalis, novis Tabulis geographicis, & variis animantium, plantarum, fructuumque iconibus illustrata.* Libr. XVIII. fol. Lugd. Bat. 1633. apud Elzevir; item gallicè iisdem typis 1640. Flandricè vero ibid. 1630 & 1644. 2. Vol. fol.

*De Gemmis & Lapidibus.* 8. Leidæ 1647.

*Notæ ad Dissertationem Hugonis Grotii de Origine Gentium Americanarum*; & Observationes aliquot ad indaginem difficillimæ illius Quæstionis. 12. Amstelod. apud Elzevir. 1643. Americanos non adeo antiquos esse contendebat *Grotius*, & ex Europa eo perveniſſe, vel per conjunctionem regionum, vel quod per tempestatem eò fuerint delati. Adversus eum insurrexit *Laetius*; quæ causa fuit, cur *Grotius* alteram ediderit *Dissertationem de Origine Gentium Americanarum, adversus Obtrectatorem, opaca bonum quem facit barba.* Pariſ. 1643. in 8. Nota, quod *Laetius* barbam more Capucinorum aleret, ut vel inde majorem sibi authoritatem affectaret. Cumque non satis eleganter scriberet, risit eum *Grotius* hoc Epigrammate.

*Latius haud Latius satis est: nec scribere cessat*
*Latius; ut sileat Latius, est satius.*

Dedit interim *Responsionem ad Dissertationem secundam H. Grotii de Origine Gentium Americanarum.* 8. Amstel. apud Elzevir. 1644. item 1646.

*M. Vitruvii Pollionis de Architectura Libri X. cum Notis; præmittuntur Elementa Architecturæ collecta ab Henr. Wottono; accedunt Lexicon Vitruvianum Bern. Baldi Urbinatis, & ejusdem Scamilli impares Vitruviani; de Pictura libri III. Leon. Bapt. de Albertis; de Scupltura excerpta ex Pomponio Gaurico; Lud. Demontiosii Commentarius de Sculptura & Pictura*; omnia collecta à Jo de Laet fol. Amstelod. 1649.

## JOANNES LAMBERTI,

Bruxellensis, J. U. Licent. & in suprema Brabantiæ Curia Advocatus, spartam illam suam, provinciamque quam sustinuit, non parum adornavit, edito

*Elencho Practicarum & Juridicarum Quæstionum* libris II. Prior suprema testantium elogia respicit: alter versatur circa contractus rerum personarumve. Bruxellæ, typis Lucæ Meerbecii, 1639. 4.

## JOANNES LAMBOY,

Nobili utrimque apud Eburones familiâ *Lamboyâ* & *Passartiâ* oriundus, Canonicus Regularis Tungrensis, ac Rector Monialium ejusdem Ord. Conventus Ruræmundensis, ibidem supremum suum diem obiit. Hujus supereſt

Tractatus *de Philosophicis ac Theologicis aliquot Quæstionibus*, in Partes duas distributus. MS. apud Regulares Tungrenses.

## JOANNES LANGECRUCIUS,

Vulgo Langecruys, Hilvari-Becanus (quod est Silvæducensis territorii municipium) vixit multis annis Lovanii, docuitque & artes liberales, & Jurium Licentiatus Decretum Gratiani aliquamdiu publicè professus est, donec ad extraordinariam in Jure civili Professionem publico decreto Magistratus Lovanienſis adsumeretur. Præfuit etiam per annos aliquot Collegio Winckeliano in eâdem Academia.

Vir fuit in primis modestiæ, ceterarumque virtutum dotibus insignitus, dignusque repertus, cui nihil tale ambienti, ultrò & de improviso, præterque omnium exspectationem, per puram & simplicem resignationem *Joannis Baptistæ de Langhe*, J. U. Doctoris, Canonici & Officialis Machliniensis,

nienſis, Caſletana in Flandria Eccleſiæ D. Petri Præpoſitura, Rege annuente, anno 1568. die XVI Junii, obveniret.

Qua de re plura ſcribit ipſe *Langhe-Crucius*, in eo libro, quo tractat de Divinis Officiis debitè peragendis, quem *Speculum Eccleſiaſticorum* inſcripſit, libro IV cap. XXVII. Edidit illud Duaci, 1584. 8. unà cum Tractatu *De malorum horum temporum Remediis.* Scripſit præterea

*De Vita & honeſtate Canonicorum & aliorum Eccleſiaſticorum* Ibid. 1587. 8.

*Flores Spirituales*, Deo offerendos, *ex Pſalmis* decerpſit, & in Precationum formam redegit. Antver. 1592. apud Bellerum.

Deceſſit provectâ jam ætate Caſleti, anno 1604.

## JOANNES LANS,

Athenſis Hanno, Theologus ac Juriſconſultus, & in Univerſitate Bononienſi Doctor, ætate jam provectior Societatem Jeſu anno 1583. Vilnæ apud Lithuanos complexus eſt. Eloquentiam dein Poſnaniæ ac Jaroſlaviæ tum publicè tum privatim profeſſus fuit, eidemque labori immortuus Jaroſlaviæ anno 1591. ætatis ſuæ 50.

Scripſit, ſuppreſſo nomine, *Orationem Equitis Poloni pro Societatis Jeſu Clericis*, contra ficti Equitis Poloni in Jeſuitas Actionem I.

## JOANNES LANTFORTIUS A TURNHOUT,

Silvæducenſis, græcè latinèque in paucis peritus, per annos ferè quinquaginta labore indefeſſo juventutem in patria inſtituit, *Georgii Macropedii* & *Cornelii Valerii* auditor, multorumque ipſe & magnorum virorum doctor. Admodum familiarem habuit Terentium Poëtam, ſcripſitque Opuſcula quædam ἀνώνυμα, veluti

*Præcepta Syntaxeos*, in compendium redacta.

*Annotationes*, ſeu *Scholia in diverſos Grammaticos, Oratores, Poëtas &c.*

*Tomos IV. Epiſtolarum* ſeu *Thematum*, diſcipulis prælectorum.

Plenus dierum è vita abiit, anno ſalutis 1611. ætatis ſuæ LXXXVII. conditus in Eccleſia Cathedrali.

## JOANNES A LAPIDE,

Aliàs MOREL, Antverpienſis, Canonicus Norbertinus Eccleſiæ Grimbergenſis, Collegii Theologici Ordinis Præmonſtratenſis in Academia Lovanienſi Præſes, ac S. Theologiæ Profeſſor; eâdem Præſidentiâ dimiſſâ conſtitutus Prior in Abbatiâ ſua Grimbergenſi; ibique obiit die 31. Januarii 1654. ætatis anno 59. Scripſerat

*Laudationem Funebrem Reverendiſſ. D. Cornelii Janſenii* S. Theol. Doctoris, Iprenſium Epiſcopi, Lovanii habitam, editamque, typis Bernardini Maſii, 1641. 4. Romæ prohibitam.

*Orationem Encomiaſticam in Laudem S. Matris Tereſiæ à* JESU. Ibid. typis Jac. Zegeri, eodem anno, in 4.

## JOANNES LATOMUS,

Bergizomius, Canonicus Regularis S. Auguſtini, præfuit Thronianis ejuſdem inſtituti Canonicis juxta Herendalium Brabantiæ opidum, & Romæ Capituli Windeſemenſis Ordinis ſui negotia geſſit apud Gregorium XIII. Pont. Pauca ſcripſit, & ferè carmine ſeu vinctâ numeris oratione. Pauli Jovii doctorum Virorum Elogiis *Epigrammata* adjecit, ſæpiùs edita.

*Joannis Feri*, Franciſcani, *Sermones Quadrageſimales* è germanica lingua latinè reddidit.

*Corſendonca*, ſive *Origo* ac *Progreſſus Canonicæ Corſendoncanæ*; cum *Catalogo Priorum*, authore *Latomo*, edita primùm anno 1644. Antverpiæ apud Verduſſium, curâ *Joannis Hoybergii*, Prioris Corſendoncani.

Item *Paradiſi B. Mariæ*, Cœnobii ejuſdem Ordinis ac Capituli, prope Romerſwaliam in Zelandia, MS. uti & *Hiſtoria* brevis *Cœnobii ſive Abbatiæ Trudonopolitanæ*, Ord. S. Benedicti.

Jubilæum ſacerdotale XXV. annorum celebravit anno 1576. ætatis LIII. perorante tunc in laudem ejuſdem *Franciſco Tolenſi*; alteroque pòſt anno, nimirum 1578. Kalendis Sextil. Antverpiæ in vivis eſſe deſiit, conditus in templo cœnobii Facuntini, ubi aliquando Epitaphium hoc lectum fuit:

*Hanc Urbem, mortemque ſimul vidique adiique,*
*Atque hîc ignotâ condor ut exul humo.*
*Quod tamen haud refert; quando omnis terra ſepulcrum*
*Eſt homini, aut verum verius exilium.*
*Quis tamen hîc jaceam, paucis cognoſce, viator,*
*Conveniunt vitæ carmina curta meæ.*
*Patria erant Bergæ; vitæ ordo Monaſticus: in quo*
*Luſtris quinque Throni Cœnobiarcha fui.*
*Nomen* JOANNES LATOMUS: *trieteride primâ*
*Poſt decimum accubui. Dic bona verba, & abi.*

## JOANNES A S. LAURENTIO,

Duacenſis, Eccleſiæ Collegiatæ apud Lenſenſes Decanus, & Græcarum litterarum in Academia Duacena Profeſſor Regius, vivere deſiit in patria anno 1616. Edidit à ſe habitam

*Orationem Funebrem in obitum Joannis Miræi*, Antverpienſium Epiſcopi. Duaci, 1611. 8.

## JOANNES LAUTENS,

Gandavenſis, Conſiliarius & Magiſter Rationum in Camera Inſulenſi, edidit

*Annotationes ad Memorias Oliverii Marcani*, gallicè. Gandavi apud Ger. Salenſonium, 1567. 4.

Item *Inſignia nobilium aliquot Familiarum Flandriæ*, vulgò *le Jardin des Armoiries, contenant les armes de pluſieurs Roiaumes & Maiſons nobles des Pais-bas.* 12. Gand. 1567.

## JOANNES LEMMIGO,

(Dictus aliàs *de Lemmeghe*, patriâ Groninganus) Friſius, ſcripſiſſe dicitur *Hiſtorias Friſiæ & Groningæ*, inter factioſos tempore Anarchiæ & rebellionis. Citantur in Supplemento *Vorperi Taboritæ*. Floruit circa annum 1494. teſte Suffrido Petro.

Chronicon ejus Groninganum primus è latebris eruit *Antonius Matthæus* J. U. D. inter Analecta veteris Ævi Tomo I. pag. 102.

## JOANNES LENSÆUS,

Belliolanus, (qui obſcurus Athenſis agri apud Hannones eſt vicus, *Lenſæi* natalibus nobilis,) *Joannis Briardi*, Doctoris Theologi, ex Eliſabetha ſorore nepos, decurſo Lovanii in Falconenſi Pœdagogio Philoſophiæ ſtadio, & anno 1559 ſeptimus inter Magiſter Artium promotus, eamdem plures ibidem annos explanavit, ac per privilegia Academica Canonicatum in Cathedrali Tornacenſi obtinuit.

Sacras deinde litteras, primùm in Parcenſi ad urbis muros Abbatia, poſt in urbe ipſa & Academia Profeſſor Regius docuit, S. Th. Doctor anno 1570. die 12. Septembris, unà cum *Joanne*

*Molano* ( Viro ititem ſcriptis clariſſimo ) renunciatus.

De Fidei Controverſiis non minùs eleganter, quàm ſolidè diſſeruit, hæreſeſque ſuo tempore graſſantes, tum vivâ voce tum editis libris, ſtrenuè profligavit. Vir linguæ diſertæ, calami & laboris indefeſſi, ut ſcripta ejus hodieque loquuntur, in quibus ſolidam S. Auguſtini doctrinam & Tullianam ſuaviterque fluentem Lactantii dictionem paſſim expreſſit. Scripſit verò,

*De una Chriſti in terris Eccleſia*, Libros VI. Lovanii, 1577. & 1588. 8.

*De unica Religione conſervanda*. Coloniæ, 1579. in 8.

*De admirabili Eccleſiæ Concordia*, Libros VI. Lovanii, 1582. 8.

*De Verbo Dei non ſcripto*. Antver. typis Plantin. 1591. 8.

*De Libertate Chriſtiana*. Ibid. 1590. in 8.

*De Fidelium Purgatorio*. libros II.

*De Limbo Patrum* librum I. Coloniæ 1583. & Lovanii, 1584. 8. apud Maſium.

*De Eccleſiaſtica Satisfactione Pœnitentis*, adverſus *Benedictum Aretium*. Lovanii, 1585. 8.

*De Fide, Spe, & Charitate*, contra hæreticos. Ibid. 1599. 8.

*De variis generibus, cauſis atque exitu perſecutionum, quas pii in hoc mundo patiuntur*. Lib. I. Ibid. 1578.

*De Officio hominis Chriſtiani conſtituti in perſecutione*. Ibid. 1578. apud Zangrium.

*Orationes duas, I. contra Pſeudo-Patriotas, hoc eſt Rom. Eccleſiæ deſertores, qui ſe ſolos Patriæ amatores eſſe falſo jactitant. II. contra Genethliacorum ſuperſtitionem*. 1579. 8. Lov.

*De ſui ac Reipublicæ Chriſtianæ contra impium invaſorem defenſione*. Lovanii, 1582. 8.

*Confutationem libelli cujuſdam*, Antverpiæ editi, *contra Sereniſſ. D. Joannem Auſtriacum*, quâ parte conſcientiæ, ut vocant, libertas in eo requiritur. Ibid. 1578. 8.

*Doctrina Facultatis Theologicæ Lovanienſis, contra Articulos Bajanos, edita voluntate ac juſſu Illuſtr. D. Joannis Bonhomii Vercellenſis Epiſcopi & Nuncii Apoſtolici in Belgio*, authorem habet Lenſæum, teſte Martino Steyartio S. T. D. Lovanii, qui hanc Doctrinam inſeruit libro ſuo in Propoſitiones damnatas, à pag. 162. ad 192.

*De Juramento Antverpiæ in domo civica concepto* 12. *Aprilis* 1582, *quod juſſu Ducis Alanzonii à civibus exigitur*, *Epiſtola* ad Doctorem Petrum Caſtillo. Lovanii 1582. 8.

Scripſit & *univerſam Controverſiarum ſeriem*: quam an temporum injuria & tempeſtas, an viri modeſtia ſuppreſſerit, dubitat Miræus, in Elogiis Belgicis pag. 36. Alia ſua Scripta & lucubrationes commendavit Collegæ ſuo *Joanni Clario* S. T. D. è quibus

*Controverſiæ de Scriptura, Juſtificatione & Meritis operum*, quondam à Lenſæo dictatæ in Seminario Regio Lovanii, extant MSS. apud Ampl. D. Stevart Eccl. Mechl. Decanum.

Vivere deſiit Lovanii, anno 1593. poſtridie Kal. Julii, conditus ad Altare D. Petri. Fratrem habuit *Arnoldum*, Medicum ac Mathematicum, ſcriptis quoque celebrem. Legitur in D. Petri ſequens Lenſæi Epitaphium.

Hîc è regione ſitus eſt
JOANNES LENSÆUS, Belliolanus,
Hujus Eccleſiæ Canonicus,
Regius S. Th. Profeſſor celeberrimus:
Qui hæreſes ſuo tempore graſſantes
Tùm vivâ voce, tum editis libris
Strenuè profligavit,
Et moriens II. Julii
Anno M. D. XCIII.
Doctis omnibus ſummum ſui
Reliquit deſiderium.

*Vitam S. Servatii Epiſc. Traject. cum Officio.* 8. Coloniæ 1649.

*Auroram in Leone*, in inauguratione Maximiliani Henrici Principis Bavari, Coadjutoris Colonienſis. Coloniæ 1643.

## VEN. FRATER JOANNES DE LEEUWIS,

Sive LEONIUS, Affligemienſis, primus Cocus Monaſterii Viridis-Vallis, Canonicorum Regularium juxta Bruxellam; *Bonus Cocus* vulgò dictus, *propter pietatis abundantiam, quam cunctis optimo ſuo miniſterio noverat impendere*, ut ait Henricus à Pomerio in ejus Vita: qui & ingenii illius hæc monumenta vulgari idiomate ſcripta recenſet.

*De Decem Præceptis.*
*De Oratione.*
*De Inſpiratione.*
*De ardenti Amore Dei.*
*De tribus Magis.*
*De Articulis.*
*De Differentia inter naturalem & ſupernaturalem generationem.*
*De Electione Divina.*
*De VII. Calamitatibus.*
*De VII. Signis Zodiaci ſpiritualiter expoſitis.*
*De Origine omnium rerum.*
*De novem Choris Angelorum.*
*De paupertate Spiritus.*
*Contra Errorem dogmatis M. Eckardi*
*De Spirituali manducatione Corporis Chriſti*
*De VIII. Beatitudinibus.*
*De Judicibus.* Et alia.

Piè obiit anno 1377. die Stæ. Agathæ ſacro. Vide *Arnoldum Raiſſium* in Auctario ad Natales SS. Belgii 22. Januarii.

In navi Eccleſiæ Viridis Vallis aſſervantur religioſè Venerabilis hujus Fratris exuviæ, additâ hac inſcriptione litteris æreis in cœruleo lapide.

Reliquiæ Fratris
JOANNIS DE LEEUWIS,
vulgo BONI COCI,
Viri à Deo illuminati
& Scriptis Myſticis clari.
Obiit anno M. CCC. LXXVII.
V. Februar.

## JOANNES DE LILLERS,

Cameracenas, J. U. L. quondam Auditor Cauſſarum Curiæ Metropolitanæ Cameracenſis, Notarius Apoſtolicus &c. ob varios exceſſus carceri mancipatus, ac tandem per ſententiam Præpoſiti & Scabinorum Cameracenſium, 20. Februarii 1606, dictus infamis, totoque illo territorio proſcriptus; ſtylum nihilominus acuit mordacem contra Erectionem Montium Pietatis in Belgio, contraque Wenceſlaum Cobergherum eorumdem authorem. Hinc varii ejus libelli.

*La Caſſandre des Monts de Pieté Belgiques*; Feriunt altos culmina Montes; &c. 4. 1626. ſine loco typi, aut nomine impreſſoris.

Item *Alexipharmaca Exhortatio ad R. D. Davidem à Mauden, Eccleſiæ Bredanæ Decanum & B. Mariæ de Capella Bruxellis Paſtorem, quâ Cenſura ſapientiſſimorum DD. Sorboniæ Pariſienſis, ac Almarum Univerſitatum Lovanienſis & Duacenſis, reſpectivè S. Theol. & J. U. Doctorum de Montibus perperam dictis Pietatis in Belgio, contra normam verorum Pietatis Montium noviter erectis, & libelli Magiſtri Joannis de Lillers Advocati, ob eandem opinionem prædictorum DD. Doctorum, contra horum Montium impietatem è Belgio proſcripti, à doctrina Hypocondriaca dicti D. Davidis a Mauden, abuſivè Montes prædictos defendentis, vindicantur; Authore J. D. L. M. Sacræ Theologiæ Doctore.* Pariſiis 1627.

Veſani hominis impoſturas, qui falſò ſeſe Doctorem Sorbonicum venditabat,

redarguerunt, præfatus *David à Mauden*, *Joannes Bouch* S. T. D. Archidiaconus Tornacenſis, & P. *Leonardus Leſſius*, S. J. ad calcem Operis ſui de Jure & Juſtitia.

## JOANNES VANDER LINDEN,

Antverpienſis, Frater Alexianus ſeu Cellita profeſſus Conventûs Antverpienſis, illiuſque dein Pater, & ſuorum in Belgio Provincialis; anno 1633. iter Jeroſolymitanum aggreſſus eſt, ad viſitanda Terræ Sanctæ loca, quæ Salvator noſter ſuo olim ſanguine cruentavit. Reverſus in patriam, nec non Eques S. Sepulchri Dominici creatus, edidit vernaculam ac piam itineris ſui deſcriptionem anno 1635. quæ ſæpius reimpreſſa, pueris in ſcholis eorum trivialibus hodiedum prælegitur.

## JOANNES LIVINÆUS,

Teneramondæ natus eſt, *Clarâ* matre, *Lævini Torrentii* Antverpienſium Epiſcopi ſorore, Gandavo oriundus, & à primis inibi annis educatus: unde Gandenſem ſcribere ſe maluit. Græcas latinaſque Litteras Coloniæ hauſit; quibus Lovanii ſacra adjecit ſtudia. Romam inde profectus, Bibliothecam Vaticanam aliaſque luſtravit atque excuſſit, Græcamque LXX. Interpretum Verſionem ad libros calamo exaratos unà cum *Guilielmo Cantero* contulit. Latinè è græco interpretatus eſt,

*Gregorium Nyſſenum & Joannem Chryſoſtomum de Virginitate.* Antver. typis Plantin. 1579. 4.

*Theodori Studitæ Catecheſes* CXXXV. quas etiam *Scholiis* illuſtravit. Ibid. 1602. 8. typis Joan. Belleri.

*Andronici* item *Imp. CP. Diſputationem cum Judæis*, Ingolſtadii, *Petro Stevartio* procurante, anno 1616. 4. editam.

*Panegyricos XII. veteres* recenſuit, ac Notis illuſtravit; typis Plant. 1599. 8.

Latuerunt apud heredes ejus, *S. Joannis Chriſoſtomi Epiſtolæ aliæ*, item *Euripidis Tragœdiæ*, *Athenæi Deipnoſophiſtæ*, aliaque de Græcis per Livinæum Latina facta, & cum MSS. comparata.

Vitâ deceſſit, Antverpiæ ad D. Virginem Canonicus & Cantor, anno 1599. ætatis LII. die 13. Januarii: conditus in Cathedrali Æde & juxta Præſulis Lævini Torrentii tumulum, hoc Epitaphio.

D. M. O.
JOANNES LEVINEIUS, Gandenſis,
L. TORRENTII Antverp. Epiſcopi
Ex Sorore Nepos,
Canonicus & Cantor hujus Eccleſiæ;
Qui ut genere & eruditione,
Sic & tumulo proximus avunculo,
Hîc quieſcit;
A Græcis Patribus illuſtrandis,
In qua Lingua valde excelluit,
E medio curſu abreptus
Ætatis LII.
Chriſti anno M. D. XCIX. Idib. Jan.

## JOANNES LOEMELANUS,

Cognomento HUBERTI, Brabantus, è Paſtore Weldano ac Ghelano, quæ Brabantiæ municipia ſunt, in ſuprema Brabantiæ Curia Conſiliarius, itemque Canonicus & Archidiaconus Famennę in Eccleſia Leodicenſi, nec non ad D. Rumoldum Mechliniæ ab anno 1509. item ad B. M. Antverpiæ Canonicus. Nuncius quoque & Commiſſarius Apoſtolicus ſurrogatus à Leone X. Pont. in locum Hadriani VI. tum Præpoſiti ad Salvatorem Ultrajecti; fuit & Vicarius in ſpiritualibus temporalibus ac beneficialibus *Cardinalis de Enckevoirt*, tunc Præpoſiti Mechlinienſis: olim vero Profeſſor Ordina-

IOANNES LIVINEIVS TENERAMVNDANVS,
GRÆCARVM LITTERARVM PERITISSIMVS.

*Attica priscorum mutas dum verba Latinis,*
*Et reddis vitæ ſcripta ſepulta ſuæ;*
*Inuida te Lachesis crudeli funere merſit,*
*Quodq; alijs aufers, hoc tibi, dixit, habe.*



LVDOVICVS VIVES VALENTINVS

E de Boulonois fec.

rius ad Codicem in Academia Lovanienſi.

Scripſit *Interpretationem Brevium atque Indulgentiarum*, quas per triennium Pontifex Dominiis Caroli Archiducis Auſtriæ conceſſerat. Exſtat in 4. excuſa.

Multas eaſque pias fundationes reliquit Lovanii in Domo pauperum ſive Standonica, in Pœdagogio Porci, & in Beginagio ibidem. Deceſſit Antverpiæ anno 1532. die XVII. Octobris.

## JOANNES LOPPERS,

Friſius, Romæ opuſculum quoddam edidit in negotio Schiſmatis Veneti pro Cæſ. Cardinale Baronio, tractans locum illum Scripturæ, *Occide & manduca*. Vide Thuanum Hiſtor. ſui temporis lib. CXXXVII. ad annum 1606.

## JOANNES DE LOVANIO,

Dictus *Præcurſor*, Monachus Villarienſis, Ordinis Ciſtercienſis, collegit è diverſis Scripturis opus pium, continens Pſalterium, Orationes ſcilicet 150. ſuper agonizantibus legendas, cum devotiſſima Litania, quod inſcripſit *Agoniam Morientis*. Manuſc. ibid.

## JOANNES DE LOVANIO,

Cartuſiæ Antverpienſis, nunc Liram tranſlatæ, profeſſus, vir impenſè doctus ac probatæ fidei Hiſtoricus, teſte *Theod. Petreio*, inter alia ingenii ſui monumenta ſcripſit

*De Vitis Summorum Pontificum*; plurima interſerens, inquit idem Petreius, quæ jucunditate materiæ cupidum poſſint detinere lectorem. Meminit ejuſdem Boſtius cap. XXIV. de Script. Cartuſ. & Petrus Sutor Vitæ Cartuſ. lib. II. tract. 3. cap. VII.

## JOANNES LUDOLPHUS VAN CRAYWINCKEL,

Gelenſis, Campinienſis, Canonicus Norbertinus in Tungerloa, & Vice-Præpoſitus in Præpoſitura Monialium Vallis-Liliorum Mechliniæ, dein Paſtor in Oeleghem. Vir inſigni modeſtiâ ac eruditione, magnâque dicendi facundiâ præditus, vernaculè edidit

*Caſtitatem triumphantem*, ſeu *Vitam S. Dympnæ*, Virginis & Martyris, filiæ (ut fertur) Regis Hiberniæ, ac Municipii Gelenſis Patronæ. Quo in libro præter vitam ac miracula Sanctæ, multa alia curioſa de Campinia rebuſque ad Tungerloam ſpectantibus proferuntur. Mechliniæ 1652. in 4. & aliàs per compendium.

*Meditationes in Dominicas & Feſta*, ſlandricè. 8. Antverpiæ 1661, ac rurſus ibid. 1714. Tomi II.

*Menologium*, ſeu vulgariter, *Legendam SS. Ordinis Præmonſtratenſis*. 4. Mechlin. 1664. Tom. II. in 4.

## JOANNES LUDOVICUS VIVES,

Origine quidem Hiſpanus, ac patriâ Valentinus, ſed longo incolatu Belgis accenſendus. Domi Grammaticis, Lutetiæ Dialecticis ac Philoſophicis ſtudiis navavit operam. Lovanii vero Latinas Græcaſque Litteras perfectiùs addidicit, ac dein publicè privatimque Hiſtoriam veterem ac litteraturæ melioris Authores docuit.

Datus hîc aliquando præceptor fuit *Guilielmo Croio*, adoleſcenti nobiliſſimo, quem *Caroli V.* Cæſaris munificentia, muneri necdum maturum, ad Came-

racenam & Toletanam Sedem, ipsamque etiam dignitatem Cardinalitiam non diu post promovit. Commentarios suos in *Augustinum de Civitate Dei*, anno 1522. perfectos, Henrico VIII. Anglorum Regi dedicavit, qui eruditionem Authoris admiratus, eum in Angliam evocavit, ac filiam primogenitam Mariam, latinis ac politioribus litteris imbuendam, curæ ejus commisit. Verùm, ob improbatum Regis divortium, iram ejus vix evasit, in custodia per sex menses detentus.

Relictâ igitur Anglia, ubi & olim Doctoralem Jurium lauream in Oxoniensi Academia susceperat, Brugis dein rerum fortunarumque suarum sedem fixit, ductâ uxore *Margareta Valdaurâ*, hispanis parentibus oriundâ. Vixit illic ad extremum usque diem, scribendis libris, corruptis artibus litterariis restituendis, veræque & Christianæ Philosophiæ seminibus spargendis, intentus unicè : *Thomæ Moro* Angliæ Cancellario, & *Desid. Erasmo* imprimis carus : maximisque ævi præcedentis hominibus comparandus : adeo ut vulgatum præloquium tres Viros eo tempore reliquis omnibus ante-ferret : *Budæo* ingenium, *Erasmo* dicendi copiam, *Vivi* nostro judicii laudem adjudicando.

Devixit Brugis die 6. Maii 1540, ætatis anno 48. sepultusque fuit in Æde primaria D. Donatiani, ubi aliquando inscriptum fuit in tabella juxta odeium hoc ejus Epitaphium

D O. M.
Joanni Ludovico Vives,
Valentiano,
Omnibus Virtutum ornamentis,
Omnique disciplinarum genere,
Ut ampliss. ipsius Litterarum
Monumentis testatum est, Clariss.
Et Margaretæ Valdauræ,
Raræ pudicitiæ
Omnibusque animi dotibus
Marito simillimę,
Sexûsque fœminei ornamento,
Utrisque ut animo & corpore
Semper conjunctissimis,
Ita hîc simul terræ traditis,
Nicolaus & Maria Valdaura,
Sorori & ejus marito B. M.
Mœstiss. posss.
Vixit Joannes annos XLVIII. M. 2.
Mortuus Brugis pridie Nonas Maii
Anno M. D. XL.
Margareta vixit ann. XLVII. M. 9.
Obiit pridie Idus Octobris
Anno M. D. LII.

Opera ejus primùm edita seorsim, prodierunt simul typis Basilæensibus apud Episcopium juniorem 1555. duobus Vol. quorum I. complectitur sequentia.

*De ratione studii puerilis, Epistolæ duæ.* Has denuo edidit Thomas Crenius inter *Consilia & Methodum auream studiorum optimè instituendorum.* 4. Roterod. 1692.

*Exercitatio Linguæ Latinæ, seu Dialogi* : qui & in gallicum idioma paulò post translati prodierunt, curis *Ægidii de Houstleville*, Constantiensis, & *Benjamini Jamin.* Germani quoque & Poloni suos fecêre, uti & novissimè Itali, typis 1708. Florentinis, & 1718. Venetis.

*De conscribendis Epistolis libellus* : prodiit aliquando cum Opusculo Erasmi, ejusdem plane argumenti.

*Rhetoricæ, seu de ratione dicendi, libri III. & de Consideratione liber unus.*

*Declarationes VI. de præsenti statu Europæ & Bello Turcico.*

*Diversa Opuscula* : nempe *Pompejus fugiens, Fabula de Homine*; *liber Pseudo-Dialecticus, Prælectiones IV. in varia*; *Ædes Legum.*

*Isocratis Orationes duæ, Areopagitica & Nicocles*, latinè conversę

*De causis corruptarum Artium, Libri VII.* nempe de corruptela Grammaticæ,

ces, Dialectices, Rhetorices, Philosophiæ naturalis ac moralis, & ipsius Juris Civilis.

*De tradendis disciplinis, seu de Institutione Christiana.*

*De Artibus libri VIII. nempe de prima Philosophia libri tres; de Censura Veri, libri duo; de Disputatione liber; de explanatione Essentiarum, de instrumento Probabilitatis.* Hi Tractatus de Artibus & disciplinis, simul Libri XX. prodierant primùm Antverpiæ & Brugis anno 1531. cæterisque *Vivis* operibus eruditione prævalent.

*Interpretatio allegorica in Bucolica Virgilii, item in Georgica.*

Et *in Suetonium quædam.*

Tomo II. *de initiis, Sectis & laudibus Philosophiæ.*

*Anima Senis*, sive Prælectio in Librum Ciceronis de Senectute.

*De somno & vigilia*, sive Prælectio in Somnium Scipionis.

*Introductio ad veram Sapientiam.*

*Satellitium Animi, vel Symbola*, Principum institutioni destinata; prodiit etiam gallicè.

*Genethliacon* Jesu-*Christi*, sive *de tempore, quo natus est Christus.*

*Veritas fucata*, seu *in Triumphum Christi Præfatio.*

Jesu *Christi Triumphus.*

*Clypei Christi Descriptio.*

*Virginis Deiparæ Oratio.*

*Meditationes in VII. Psalmos pœnitentiales.*

*De Passione Christi Meditatio*, in Psalmum XXXVII.

*Excitationes animi in Deum.*

*Commentarius in Orationem Dominicam*, cum precationibus &c: etiam gallicè anno 1570.

*De sudore* Jesu *Christi sacrum diurnum.*

*De Veritate Fidei Christianæ*, adversus Ethnicos, Judæos, Agarenos seu Mahumetanos ac perversos Christianos. Libri V. postremus Authoris fœtus. fol. Basil. apud Oporinum.

*De Anima & Vita* libri III.

*De officio Mariti*, liber unus.

*De Institutione Fœminæ Christianæ*, jussu Catharinæ Reginæ Angliæ: dein etiam gallicè, hispanicè, &c.

*De Concordia & Discordia, in humano genere*, libri IV. ad Carolum V.

*De Pacificatione.*

*De conditione miserrima vitæ Christianorum sub Turca.*

*De subventione pauperum*, sive de humanis necessitatibus, libri II. item Flandricè Antv. 1566. in 8.

*De Communione rerum.*

*Epistolæ variæ*, quarum multæ extant inter Erasmi Epistolas.

Præterea *D. Augustini de Civitate Dei Libros XXII.* ad priscæ venerandæque vetustatis exemplaria collatos, eruditis Commentariis illustravit. Prodierunt primùm Basileæ apud Frobenium fol. 1522. cum Epistola dedicatoria ad Henricum VIII. Angliæ Regem: dein Parisiis apud Carolum Guillard 1555. Lugduni 1570. & Antverpiæ apud Plantinum, item gallicè, ex translatione Gentiani Herveti 1574.

In his Commentariis quid Lovaniensibus Theologis, quid Martino Navarro aliisque displicuerit, observavit Antonius Possevinus in Apparatu sacro, agens de S. Augustino. Prohibentur autem in Indice Tridentini, donec expurgentur: & Cardinalis Bona, *Lud. Vivis* insolentiam culpat, quippe qui Augustinum docêre præsumpserit.

*Descriptio temporum & rerum Romanarum*, illius etiam est: prodiitque sub *Joannis Warseni* nomine Lovanii 1534.

*Epistola ad Henricum VIII. Angliæ Regem de Francisco I. Galliæ Rege à Cæsare capto*,

Et alia, *de Pace inter Cæsarem &*

*Galliæ Regem, deque optimo Regni ſtatu.*

*Philalethæ Hyperborei in Anti-Catoptrum ſuum, quod propediem in lucem dabit Paraſceve; ſive adverſus improborum quorumdam temeritatem, Illuſtriſſ. Angliæ Reginam ab Arthuro Walliæ Principe priore marito ſuo cognitam fuiſſe, impudenter & inconſultè adſtruentium, ſuſannis extemporaria.* Luneburgi 1533. Opus Lud. Vivi paſſim adſcriptum, tametſi quidam id *Joanni Cochlæo*, Theologo Germano attribuant. Prodiit contra *Speculum Veritatis*, pro cauſa Henrici VIII. Regis editum.

Plura vide in Nicolai Antonii Bibliotheca Hiſpana, & in Notitia Virorum Litteratorum P. Niceron Tom. XXI. pag. 172.

## JOANNES LUYDIUS,

Tungrenſis, S. Theol. Licentiatus & Profeſſor in Academia Colonienſi, *Arnoldi* Doctoris Theologi frater, vivebat anno 1520.

*Summam Capreoli in Magiſtrum Sententiarum* in compendium redegit atque illuſtravit. MS. apud Regulares Tungrenſes.

## JOANNES LYDIUS,

Natus quidem Francofurti in Germania; ſed longo incolatu Belgis accenſendus; quippe qui ab anno 1602. Miniſterium Calvinianum exercuit apud Veteraquenſes in Hollandia, uſque ad 1643. quo obiit.

*Nicolai de Clemangiis*, Theologi Pariſienſis, & Archidiaconi Bajocenſis, Opera omnia edidit, Leidæ, 1613. 4. & *Analecta* quædam adjecit in librum ejuſdem Auctoris (qui tempore ſchiſmatis vixerat) De corruptæ Eccleſiæ ſtatu.

*Narrationem hiſtoricam Conciliorum omnium Eccleſiæ Chriſtianæ Gabrielis Prateoli*; cui addidit Lydius Caſtigationes ſuas. Leidæ 1610. in 8. apud Haeſtenium. Verum in præfatis duobus libris pleraque in contumeliam & injuriam Eccleſiæ Catholicæ conquiſita ſunt.

Adjunxit & *Gloſſarium Latino-Barbarum*. Item anno 1606. edidit patris ſui *Martini Lydii Apologiam pro Eraſmo*, quę extat Tomo X. Operum Eraſmi, Leidæ 1703.

## JOANNES MACARIUS,

Vulgò L'Heureux, Greveninganus, Flander, Eccleſiæ Aërienſis apud Arteſios Canonicus, Vir in linguarum græcæ atque latinæ cognitione eximius, quas puer Bergis S. Winoci, apud Flandros, ſub *Paulo Leopardo* hauſerat: annos ipſos viginti egit in Urbe orbis dominâ, in ſcrutandis veterum monumentis, excutiendiſque Bibliothecis aſſiduus; multaque è media Græcia allata Latio donavit. Nihil tamen umquam in lucem ad doctorum ora venire paſſus eſt, quâ erat modeſtiâ bonis & doctis omnibus ſubmoleſtâ.

Scripta ſchedaſque ſuas moriens Bibliothecæ Collegii Trilinguis Buſlidiani, apud Lovanienſes, legavit: è quibus luce & prœlo digna ſunt:

*De Antiqua ſcribendi ratione.*

*De natura verbi medii*; ac ferè de tota natura Verborum græcorum: ex rudiori majoris operis delineatione.

*Inſcriptiones Græcæ*, *Macario* interprete; cum *Notis* ejuſdem.

*Emendatio Bibliorum Romana.*

*Diſquiſitio antiquaria de Gemmis Baſilidianis*, cui titulus, *Abraxas* ſeu *Apiſtopiſtus.*

Hunc librum *Macarii*, Notis ac Commentariis illuſtravit (adjecto *Abraxâ Protheo, ſeu multiformis Gemmæ Baſilidianæ portentoſâ varietate*) Vir Clariſſ. *Joannes Chiffletius*, J. C. Canonicus Tornacenſis anno 1657. Antverpiæ typis Plantin. in 4.

*Commentarius de Picturis & Sculptu-*

*vis ſacris antiquioribus*, præſertim quæ Romæ reperiuntur; cui titulus, *Hagioglipia.*

*Baſilius Seleuciæ Epiſc. de Vita B. Theclæ*, interp. *Macario.*

Ejuſdem *Homiliæ in quatriduanum Lazarum: in proditionem Judæ & myſticam Cœnam: in ſanctum Paſcha: in Abraham & Iſaac.*

Ejuſdem *Epiſtola ad Optimum*, de eo Scripturæ loco, juxta LXX. *Omnis qui occiderit, ſeptuplum vindictam exſolvet.*

*Cyrilli Oratio in Transfigurationem*, & altera *De Dei-para.* Item *in Hypapantem*, id eſt, *Purificationis diem.*

*S. Chryſoſtomi Homilia in Theophaniæ diem.* Omnia interprete *Macario.*

Moritur autem Aëriæ, anno 1604. die XXV. Auguſti.

## JOANNES MAHUSIUS,

Vulgo MAHIEU, Aldenardenſis, inter Artium Magiſtros Lovanii primum locum nactus anno 1524. Pœdagogii Falconenſis alumnus; nomen dedit poſtmodum Ordini Minorum, in eoque Sacras litteras & didicit gnaviter, & Lector non minori diligentia fructuque interpretatus eſt. Compendio contraxit

*Franciſci Titelmanni Commentarium in Pſalmos.*

*Eraſmi Annotationes in Novum Teſtamentum.* Antver. 1538. 8.

Præterea *Homilias LIV. D. Joannis Chriſoſtomi in XXV. priora capita Matthæi*, Antverpiæ typis Joan. Steelſii 1537. editas, *purgavit à fœcibus Arianorum.* Leguntur & alia Manuſc. Antverpiæ, apud FF. Minores.

Poſteaquam anno 1551. Seſſioni XI. Tridentini Concilii aliiſque quibuſdam ſequentibus interfuiſſet, unus ex VIII. Theologis illuc per Mariam Reginam Hungariæ è Belgio deputatis; inde redux, anno 1561. per Philippum Regem primus Eccleſiæ Daventrienſis Antiſtes deſignatus eſt, eoque nomine Concilio Provinciali anno 1565 apud Trajectum interfuit. At propter ſenium & hydrophiſin tanto impar oneri, locum fecit *Ægidio Montano*, Franciſcanorum Miniſtro. Multa hic in Aldenardinæ urbis direptione anno 1572. III. Nonas Octobris, die S. Franciſco ſacro, à Geuſiis hæreticis, hominibus malefanis, paſſus, vulneribus ſaucius, calumniis & opprobriis laceſſitus, pedibus conculcatus, putridi & abjecti cadaveris inſtar relictus fuit.

Obiit verò anno 1577. die x. Maii, in patria; ſepultus in choro FF. Minorum, ubi ad ejus effigiem ſequens extat inſcriptio.

Vera Effigies

„ Reverendi admodum Patris, F. „ JOANNIS MAHUSII, primi Daven- „ trienſis Epiſcopi Electi, in odium „ Fidei à Geuſiis in hoc oppido inter- „ fecti * quarto Octobris ann. M. D. „ LXXII. De quo Martyrologium „ Franciſcanum quarto Nonas Octo- „ bris. Jacet ſepultus è regione hujus „ Tabellæ, ſub lapide, cui inſculpta „ eſt effigies Fratris Minoris. Hanc „ Memoriam affectûs ergo curarunt „ renovari ejuſdem Reverendi Patris „ devoti & honorabiles nepotes DD. „ MAHUSII, Anno M. D. C. LV.

*NB.* Error tamen eſt in hac Inſcriptione: non enim interfectus fuit Præſul *Mahuſius*, ſed ſolùm graviter à Geuſiis vulneratus, & non niſi poſt quinquennium illic obiit.

## JOANNES MAJERIUS,

à Ghela, Brabantiæ municipio, Carmelita Thenenſis, ac Doctor Theologus, (an autem Lovanii ad hunc gradum promotus fuerit, ex Faſtis Academicis non conſtat) fuit græcè latinèque diſertiſſimus (hominem Athe-

nis, non Thenis dixisses enutritum) ex Priore Bruxellensi Belgicæ Provincialis. E scriptis illius manusc. adservari solebant Thenis,

*Commentaria in pleraſque D. Pauli Epiſtolas.*

*In X Decalogi Præcepta.*

*Sermones de Tempore & Sanctis.*

*Orationes*, latinè & græcè conscriptæ, & Lovanii pronuntiatæ. Sed hæc omnia anno 1636. exercitûs Franco-Batavi lanienâ atque incendio periisse credendum est.

Obiit Antverpiæ circa annum 1577. ibique sepultus in Sacello B. M. septem Dolorum, hoc Epitaphio.

*Hic recubans Doctor ſuffragia ſacra*
JOANNES
MAIERIUS, *Thebidæ filius ædis, avet.*
*Floruit hic quondam multis caput Ordinis annis*
*Parthenii: rexit ſubdita colla probè.*

## JOANNES MAJOR,

Atrebas, Societatis Jesu Presbyter & Theologus, edidit Exemplis Notisque auctius,

*Speculum magnum Exemplorum*, Duaci typis Belleri sæpiùs evulgatum.

Obiit Duaci die VIII. Septembris, anno 1608.

## JOANNES MALDERUS,

Leeuwis S. Petri, Territorii Bruxellensis municipio, anno 1563. pridie Idus Augusti nascitur, Zegero & Elisabethâ Walravens probis honestisque parentibus. Litteris humanioribus edoctus Bruxellis, Philosophiam Duaci, Theologiam Lovanii didicit, Artisque Aristotelicæ Professor extitit in Pœdagogio Porci; S. Theologię Magisterio insignitus Lovanii die 22. Augusti 1594. unà cum *Petro Lombardo* dein Archiepisc. Armachano, & *Jacobo à Caſtro* dein Episc. Ruræmund. Anno 1596. fit Professor Theol. Regius, unàque in D. Petri Canonicus. Anno 1598. Regii Præses Seminarii, ac tandem anno 1611. ad Cathedram Episcopalem Antverpiensem adsumptus fuit; qua in dignitate annos vixit unum & viginti, desiitque in vivis esse anno 1633. XII. Kal. Novembris, septuagenario major.

Ejus Vitam ac Virtutes Oratione funebri expressit *Joannes Hemelarius*, Canonicus Antverpiensis: nempe in præcellenti doctrina summam animi moderationem, in moribus modestiam, in dignitate humilitatem, in admissionibus facilitatem, in sermone junctam cum gravitate comitatem, in vultu amabilem benignitatem. Talem certè & ingenii monumenta exhibent, stilo non affectato, sed acri emunctoque judicio conscripta prælectaque partim Lovanii, & postea ad limam revocata atque ampliata, partim ab eodem Episcopo horis succisivis meditata.

Idiomate quidem patrio subditis suis dedit *Inſtructionem Catecheticam*, typis Plantin. 12 Latinè verò scripsit elegantissimos Commentarios

*De SS. Trinitate, Creatione in genere, & de Angelis*, ad Primam partem D. Thomæ, 1634. fol.

*De Fine & Beatitudine hominis: de Actibus humanis: de Virtutibus, Vitiis & peccatis: de Legibus: de Gratia, Juſtificatione & Meritis*, ad Primam Secundæ, 1623.

*De Virtutibus Theologicis*, & *de Juſtitia ac Religione*, ad Secundam Secundæ, 1617. fol.

*Anti-Synodica, ſive Animadverſiones in in Decreta Conventûs Dordraceni, quam vocant Synodum Nationalem de V. Capitibus inter Remonſtrantes & Contra-Remonſtantes controverſis.* Antv. Plant. 1620. 8.

Prolixè laudat hunc librum *Joannes Henricus à Seelen*, Theologus licet Lutheranus Lubecensis, in selectis Litte-

rariis ibid. editis 1726. pag. 759.

Tractatum *De abuſu Reſtrictionum mentalium* 1625. 8.

*De Sigillo Confeſſionis Sacramentalis.* 1626. 8.

*Commentarios in Cantica Canticorum.* 1628. in 8.

*Meditationes Theologicas*, univerſæ Theologiæ Summam complectentes. 1631. in 8.

E cathedra quondam docuerat pius hic Præſul, proventus Eccleſiaſticos ſuſtentationi ſuperfluos in pios uſus impendendos; & fecit quod docuit. Magnificum namque in Academia Lovanienſi erexit Theologorum Collegium, quod & ſibi heredem moriens per teſtamenti tabulas ſcripſit. Sepultus in choro Cathedralis ſuæ, appoſitâ hac Inſcriptione.

Deo S. & Memoriæ poſteritatis.
Depoſitum JOANNIS MALDERI,
Epiſcopi Antverpienſis V.
Cui Viro Leeuwa S. Petri lucem,
Bruxella litteras,
Duacum Philoſophiæ,
Lovanium per omnes ſtudiorum Gradus
Doctoralem Theologiæ Lauream,
Doctrinæ prærogativa Lectionem
publicam, prudentia Seminarii
Regii curam, fama virtutis eximiæ
Inſignis hujus Cathedræ dignitatem,
Nihil ambienti, nihil expectanti,
ex merito contulêre.
In quâ cum regendo, providendo,
Docendo, ſcribendo, vivendo,
Pius, benignus, pervigil, bonus, fidelis,
Carus omnibus ac venerabilis,
Pater, Paſtor, Præſul,
Præfuiſſet, profuiſſet, præluxiſſet,
Annis XXII. Menſibus II. Diebus XIV
Ad mercedem laboris conſequendam
evocatus, deceſſit ætatis ſuæ Anni
LXXI. Menſis tertii die XI.
Chriſti Domini M.D.C.XXXIII.
XII. Kal. Novembr.

Symbolum Præſulis, à nominis etymologiâ derivatum, erat: MALO DE RE.

## JOANNES A MALINIS,

Sive à MACHLINIA, Carmelita, ſcripſit, teſte Paledorpio Carmelitano,

*Speculum Hiſtoriale Ordinis Carmelitani*, libris X. Fortè idem cum *Joanne Paſchaſio*, ejuſdem Ord. Monacho, de quo infra.

## JOANNES MALPÆUS,

Medicus Audomarenſis in Arteſia, edidit

*Tabulas in Hippocratis Coi libellos III. De Prognoſticis.* Pariſ. apud Mart. Juvenem, 1563. 4.

## JOANNES DE MANDEVILLE,

Anglus, Vir nobilis, Eques, profeſſione Medicus, poſt XXIII. annorum peregrinationem, Leodii ſedem vitæ mortiſque delegit, obiitque anno 1372. ſepultus apud Guilielmitas, ubi hodie ſequens ejus Epitaphium legitur.

*Itinerarium* ejuſdem variis linguis excuſum, in omnium verſatur manibus, teſte Clariſſ. *Valerio Andrea*, ad calcem ſuæ Bibliothecæ Belgicæ. Verum ab eruditis, ac ſignanter apud P. Niceron de Scriptoribus illuſtr. Tomo XXV. pag. 250. mendaciis ſcatêre dicitur. Titulus hic eſt.

*Joannis de Mandeville Itinerarium à terrâ Angliæ in partes Jeroſolymitanas, & in ulteriores Tranſmarinas, ab Autore primùm gallicè conſcriptum anno 1355. & poſtea latinè verſum, in* 4 charactere Gothico, & abſque loco & anno editionis. Prodiit certè Flandricè 1483. Zwollis in 4. Gallicè Lugduni 1487. & Pariſiis 1542. Italicè 1496. & Venetiis 1534. Hiſpanicè Valenciæ 1540. fol. item Anglicè Londini 1696. in 4.

Hic jacet Vir Nobilis,
Dominus JOANNES DE MANDEVILLE,

Aliàs dictus, ad Barbam,
Miles, Dominus de Chambdy,
Natus de Anglia,
Medicinæ Professor,
Devotissimus Orator,
Et bonorum suorum largissimus
Pauperibus erogator;
Qui toto quasi orbe lustrato,
Leodii
Diem vitæ suæ clausit extremum,
Anno Domini M. CCC. LXXII.
Mensis Novembris die XVII.

## JOANNES MANTELIUS,

Ordinis Eremit. S. Augustini, nastur Hasseleti, Comitatus Lossensis opido primario, anno 1599. Cursu litterarum humaniorum absoluto Leodii, anno ætatis decimo quinto Religioni Augustinianæ nomen dedit. In qua Philosophiam didicit, laureamque Licentiæ in Academia Duacena anno 1636. obtinuit. Bonam deinde juventutis partem docendæ Rhetoricę impendit; atque primis illis annis impensè Musicâ & Geographiâ delectatus est. Ætate provectior eloquentiæ sacræ se totum dedit, & in primariis Belgii civitatibus per plures Quadragesimas conciones ad populum habuit.

Egit Priorem Antverpiæ, Ipris, Hasseleti, Coloniæ; Leodii Vicarium, Provinciæ Visitatorem, &c. Anno 1647. à Provincia Belgica Romam ad Capitulum generale ablegatus, Lauream Doctoralem S. Theologiæ in alma Urbe assecutus est. Ultimis vitæ diebus transactis Hasseleti, in Christo obiit, qui Christo vixerat, die 23. Februarii 1676, ætatis 77. Religiosæ vitę 60. Sacerdotii 52. sepultus in Choro Conventus, sub majori sarcophago, in memoriam Viri, de suis, æque ac ipsimet Fundatores optimè meriti, collocato. Evulgavit

*Manuale Confraternitatis Corrigiatæ*, flandricè. Leodii, 1627.

*Dies devotarum mentium*, item fland. Antver. apud Henr. Aertsium 1634.

*Speculum Peccatorum*, sive *Admiranda S. Augustini conversio*, historicâ narratione, discursibus moralibus & Emblematibus in æs incisis adornata. Ibid. 1637.

*Oratio in laudem B. Mariæ Virg.* occasione Statuæ, in templo Augustiniano Thenis redivivis ei dedicatæ. Ibid. cum Orationibus Nicasii Baxii, 1638.

*Tabula chorographica Principatus Leodiensis & Comitatus Lossensis.* Amstel. apud Henr. Hondium, 1639.

*Ars artium*, sive *de regimine Sanctimonialium, Diatribe.* Antver. typis Plant. 1640. 8.

*Feriarum Academicarum* liber singularis.

*Oratio in Funere Henrici Lancilotti*, Ordinis Eremit. S. Augustini S. Theol. Doctoris Lovanienſis, habita Antverpiæ: cum *Epicedio in mortem ejusdem*; typis Henr. Aertssenii, in 4.

*De officio pastorali Libri II.* Antver. piæ 1643.

*Ægidii Albertini Emblemata Hieropolitica versibus & prosâ illustrata, sub nomine Joannis Melitani à Corylo, ejusque Musæ errantes.* Colonię 1647.

*Thaumaturgi Physici Prodromus.* Coloniæ 1649.

*S. Augustinus de Venerab. Eucharistia, sive Augustissimo Corporis & Sanguinis Domini mysterio, quà Sacrificium & Sacramentum est, quid Catholicus S. Ecclesiæ Doctor senserit, Libri duo.* Leodii apud Henr. Tornay 1655.

*Stemma Comitum Lossensium*, ibidem.

*Liber singularis de Officio Christiani, juxta sanctissimos mores, probatissimamque S. Augustini Doctrinam, ad revocandam in usum veterem SS. PP. concinnandi methodum.*

*Haſſeletum, ſeu totius Hiſtoriæ Loſſenſis Compendium.* 4. Lovanii apud Andr. Bouvet 1663. Hunc librum Diplomatibus Loſſenſibus, Privilegiis, Pactis, Donationibus &c. auctum, denuo edidit Laurentius Robyns J. U. D. & Advocatus Leodienſis, in 4. Leodii 1717.

## JOANNES MARCHIANENSIS,

Cœnobii Ord. S. Benedicti Religioſus, ſcientiæ profundioris, ſcripſit proſâ & carmine,

*Vitam & actionum geſta Euſebiæ Virginis.* Proſa incipit, *Cùm primùm ad ſcribendum* &c. Carmen verò

*Ordinibus variis, quorum compagine veſtis* &c. Habentur MSS. in dicto Cœnobio, & meminit Molanus ad Uſuardum, 16. Martii.

## JOANNES MARCHINELLUS,

Carmelita Leodienſis, vixit anno 1410. & ſcripſit

*De Pugna Spirituali.*

*Quæſtiones Theologicas.*

*Sermones ad populum.* Et alia.

## JOANNES MARIUS,

Vulgo LE MAIRE, DE BELGES, Valencenas (alii Bavacenſem autumant) fuit primùm Margaretæ Auſtriacæ, quæ pro Carolo V. nepote ſub annum 1512 Belgium gubernavit, pòſt Annæ Britannicæ Ludovici XII. Francorum Regis conjugis Hiſtoriographus ac Judiciarius. Scripſit gallicè, de Origine Francorum à Troyanis,

*Les tiers livres des Illuſtrations de Gaule & ſingularitez de Troyes, intitulé nouvellement de France Orientale. Auquel principalement eſt comprinſe au vray la Genealogie hiſtoriale du tres-ſaint, tres-digne & tres-Chrétien Empereur Charles le Grand, en ligne maſculine, depuis Francus fils d'Hector de Troyes.* fol. Pariſiis 1512. item ibidem in 4. 1513. 1515. &c. Et cum correctione ſeu reſtitutione per Antonium du Moulin, fol. Lugduni apud de Tournes 1549.

In quibus eum merum fabularum textorem egiſſe, poſt Franciſcum Belle-Foreſtium, notat Raphaël de Bello-Campo ad lib. I. cap. V. Andr. Silvii de Geſtis Regum Francorum, & Adr. Junius Hiſt. Bataviæ pag. 73. de eodem ſcribens inquit, *Paulò ante meam ætatem*, Joannes Marius, *titulo tenus Galliarum illuſtrationem profeſſus, denſiſſimis potiùs eas tenebris involutas obſcuravit, editis impudentiſſimis ineptiſſimiſque commentis; quamquam à vulgo Gallorum impenſius laudari meruerit, uti eſt cuique genti prona fides in laudem gloriamque ſuæ originis.*

Simile judicium de *Joanne Mario* refert P. le Long in Bibliotheca Hiſtoricorum Galliæ ad Num. 6664.

Alter ejuſdem Authoris fœtus hic eſt: *le Traicté intitulé, de la difference des Schiſmes & des Conciles de l'Egliſe, & de la preeminence & utilité des Conciles de la ſaincte Egliſe Gallicane.*

*L'Hiſtoire du Prince Syach Yſmail, dict Sophy.*

*Le ſauf-conduit du Souldain aux François, pour frequenter en la Terre Saincte, avec le blazon des armes des Venitiens. Imprimé pour Maiſtre Jan le Maire, Judiciaire & Hiſtoriographe*, expenſis propriis, *par* Etienne Baland *Imprimeur de Lyon, demourant en la grand-rue du Puis-Pelu &c.* fol. 1511.

Porro priorem librum: *de Schiſmatum & Conciliorum Eccleſiæ univerſalis differentia, deque Gallicanæ Eccleſiæ Conciliorum præſtantia & utilitate*, è gallico in latinum tranſtulit *Simon Schardius*, J. U. D. Lutheranus, eumque vocat *elegantiſſimum.* Prodiit ad calcem *Theoderici de Niem*, Argentinæ apud Laz. Zetnerum 1609. in 8. Sed notet lector,

cum à PP. Concilii Tridentini in prima damnatorum Classe jam ante notatum.

## JOANNES MARNIX,

à Sta. Aldegunde, Baro de Pottes &c. tantò magis Fidei orthodoxæ Regique Catholico addictus, quo acriùs his contradixit famosus *Philippus Marnixius* (quem fratrem *Joannis* asserit Carpenterius in Stemmatibus Camerac.) Scripsit gallicè

*Resolutions Politiques ou Maximes d'Etat*, quas Alberto Belgarum Principi dicavit. Bruxell. 1612. item Rothomagi 1631. in 8.

Item *Representations* &c. Brux. 1622.

## JOANNES MASIUS,

Lovaniensis, patrem habuit cognominem, matrem *Joannam Pinocciam*, apud Lovanienses nobilis & patricii stemmatis. Ipse verò Canonicus Regularis in Parcensi Norbertini Ordinis Cœnobio, ac S. Theol. Licentiatus, domi forisque omnibus pictatis & curarum exercitiis, præsertim in Parochia de Libbeecke jam antè subactis, educatusque in spem successionis à laudatissimo Præsule *Joanne Drusio*, eo mortuo ad Abbatialem dignitatem omnium votis promotus fuit anno 1635. Edendam curavit

*Expositionem in Euangelium S. Joannis*, auctore *Jacobo Jansonio*, præmissâ ejusdem *Jansonii Vita*. Lovanii, 1631. in 8.

Meditabatur & *Historiam de Origine ac Progessu Cœnobii seu Abbatiæ Parcensis*; quam penè affectam reliquit.

E vivis abiit, apoplexiâ correptus, Bruxellæ, die 24. Maii 1647.

## JOANNES MAUBURNUS,

Aliàs Mombburnus, vel Mamburnus, vulgò *Joannes de Vinea*, & *de Bruxella*, Canonicus primùm Regularis D. Augustini, in Monte S. Agnetis, tunc Trajectensis Diœcesis, ubi *Joannes Temporalis* voluit nuncupari; pòst in Abbatia S. Severini, juxta Castrum Nantonis, in Francia, ubi disciplinam regularem, quæ multis retrò annis penitùs corruerat, restituit; ac demùm Livriacensis Monasterii in eadem Gallia ac Diœcesi Parisiensi Abbas: ubi similiter, pulsis irreformatis moribus, Canonicæ ac Regularis observationis viros instituit. Vir fuit sermone humilis, sed sublimis scientiâ. Floruit anno 1500. scripsitque

*Rosetum Exercitiorum Spiritualium*, & *sacrarum Meditationum*: opus plenum pietatis, & odoriferis rosis refertum, impressum primò Basileæ, 1491. typis satis incorrectis, ut & Auctor ipse conqueri solebat; Parisiis, 1510. fol. typis Badii; Mediolani 1603. emendante *Basilio Serenio*, Canonico Regulari; denique Duaci, 1620. fol. apud Bellerum, recensente *Leandro à S. Martino*, S. T. D. Duaceno. Commendatur opus dignissimum, quod omnium devotorum, maximè Religiosorum, manibus nunquam excidat, sanctissimis cogitationibus & affectibus seraphicis pariendis maximè accommodatum.

*Apologeticon Officii Canonici sui Ordinis*, sive Responsio ad tria, quæ Ordini Canonicorum Regularium objiciuntur, cujus ipse in Roseto suo meminit Tit. V. Alphab. XVI. Extat MS. in Corsendoncano Monasterio, hoc initio: *Quoniam in priori Tractaculo.*

*De Viris illustribus sui Ordinis*, sive *Venatorium Canonicorum Regularium*. MS. ibidem & Lovanii ad S. Martinum.

*Tractatum in Psalmum CXVIII. Beati immaculati in via*. MS. in Monasterio viridis-Vallis juxta Bruxellam.

Con-

*Commentarium in Cantica Canticorum; de Conſcientia*, & alia. MSS. ibidem.

## JOANNES A MECHLINIA,

Dictus HULSHOUT, ex Ordine FF. Carmelitarum Doctor, Philoſophiam ac Theologiam publicè docuit, magnamque eruditionis ſuæ laudem acquiſivit, Trithemio teſte. Claruit circa ann. 1500. Edidit

*Copulata ſecundùm doctrinam Alberti Magni in libros III. Ariſtotelis de Anima.* Coloniæ, 1491.

*Commentaria in parva Naturalia Ariſtotelis.* Ibid. 1498.

*Speculum Hiſtoriale Ordinis Carmelitarum*, Libris X. prodiit anno 1507.

Theologica illius *Super Sententias*, *in Pſalterium*, *Quæſtiones varias*, *Sermones* & *Collationes*, videre nondum contigit; citat tamen Sixtus Senenſis, libro VI. Bibliothecæ, ac Trithemius. Legitur, apud Regulares Corſendoncanos *Expoſitio Joannis à Mechlinia* (fortè hujus noſtri) *in Pſalterium*, Tomis duobus deſcripta. Prologus primæ partis incipit: *Omnis pars laudet Dominum.* Alterius vero partis initium eſt: *Miſericordiam & judicium &c.*

## JOANNES A MEERHOUT,

Dieſtenſis, Canonicus Regularis S. Auguſtini in Monaſterio Corſendoncano, juxta Turnhautum, anno 1420. profeſſus, humanis & divinis litteris inſtitutus, teſte Joanne Mauburno, in ſuo Venatorio Canonicorum Regularium. Multa ſcripſit, quorum pleraque αὐλόγραφα, id eſt, manu auctoris deſcripta leguntur in prædicto Monaſterio, in quo diem clauſit extremum grandævus anno 1476.

*Compendium Grammaticæ* libris IV.

*Etymologiæ variorum Nominum & Verborum* *De Arte memoriæ.*

*Commentarii in P. Virgilii Æneida.*

*Canones Aſtronomici*, ad inveniendum Aureum Numerum, Indictiones & Biſſextum.

*Expoſitio in duo Præcepta Decalogi.*

*Expoſitio Paſſionis Dominicæ.*

*Vita Ven. Mariæ de Lille*, Beginæ in Herentals, cognatæ ſuæ.

*Chronicon de mirabilibus eventibus.*

*Geſta Pontificum Tungrenſium & Leodienſium*, uſque ad *Ludovicum Borbonium*, cum aliis ejuſdem *Chronicis.*

Addit his Mauburnus *de Regno Dei* Libros XVIII.

*Abſidam de Vita & Paſſione Domini*, proſâ & metro.

*Cytharam decachordam de Paſſione Domini.*

*De viribus lapidum*, ad Dom. de Ravenſteyn.

*De Arte Oratoria: Pharetram metricam*

*De Chirurgia* &c. Aliaque alii recenſent, quæ omnia, unà cum infinitis aliis tam manuſc. quàm impreſſis Codd. quadragenario Corſendoncanorum exilio perierunt.

## JOANNES MELAS,

Clivenſis, deſcripſit verſibus *Vitam Luthardi*, decimi Cliviæ Comitis, inter Sanctos relati.

## JOANNES MEURSIUS,

Loſduni natus, ad primum ab Haga-Comitis lapidem, anno 1579. patre *Joanne van Meurs*, quondam Preſbytero & Canonico Regulari Domûs XII. Apoſtolorum Ultrajecti, qui deſerto Monaſterio Hagam ſe contulit anno 1576, præcoque factus Pſeudo-Euangelii, ſarticem duxit Harlemenſem, è qua hic natus eſt Meurſius. *Ita Heuſſenius in Hiſtoria Ultraj.* pag. 103.

Duodecennis Orationes latinas ſcribere cœpit; vix tredecennis carmen

Græcum pangere. Expleto ſtudiorum curriculo, delegit eum *Joannes Barneveltius*, Hollandiæ Syndicus ſupremus, ut filiorum ſuorum ſtudiis præeſſet; quod munus Meurſio poſtmodum (ubi fortuna Barneveltio adverſata eſt) nocivum fuit. Sumpto Aureliis in Gallia anno 1608. in Juriſprudentia Doctoris titulo, patriæ redditus, Hiſtoriæ primùm, deinde Græcarum litterarum Lugduni apud Batavos Profeſſor conſtitutus eſt; qua in functione cùm jam inde ab anno 1610. diligentiam operamque ſuam Academiæ illius Curatoribus probaſſet, anno 1625. à Chriſtierno IV. Daniæ Rege ad Hiſtorici Regii munus, Profeſſionemque Hiſtoriarum ac Politices in Soranam Academiam (quę poſtmodum Roſchildam tranſlata eſt) evocatus, ibidem anno 1639. die 20. Septembris, ætatis 60. vivere deſiit, calculi doloribus conſumptus. Uxorem duxerat *Annam Catharinam Bilderbeccium*, è quâ genuit *Joannem Meurſium*, eruditione celebrem: de quo inferiùs pag. 693. Extat in Sorana Eccleſia Epitaphium, Meurſio à vidua & filio poſitum.

Siſte Viator;
Aſpice hìc
JOANNEM MEURSIUM.
Nec majora quære Elogia.
Teſtantur Viri ſcripta,
Quod maius hoc nomine
Nihil habuerit
SORA.

| Natus | Denatus |
|---|---|
| M.D.LXXIX. | M.D.C.XXXIX. |

Vir fuit inexhauſtæ lectionis & laboris conſtantis: ſcripſit multa, quorum hic ſyllabus:

*Notæ* breviores *ad Macrobii Saturnalia*. Lugd. Batavor. 1597. 8.

*Exercitationes Criticæ*, ſive *Curæ Plautinæ*, & *Animadverſionum miſcellarum* libri IV. Ibid. 1598. 8.

*Criticus Arnobianus & Hypocriticus Minutianus*. Ibid. 1598. 8.

*De Gloria* liber I. cum *Auctario Philologico*. Ibid. 1600. 8.

*De Funere* liber; & *de Puerperio* Syntagma. Hagæ-Comitis, 1604. 8.

*De Luxu Romanorum* liber ſingularis, cum *Mantiſſa* ſive Obſervationibus Criticis, & *Notis in Aſtrampſychi Oneirocriticon*. Ibid. 1605. 4.

*Panegyricus dictus* Jacobo I. *Regi Britanniæ*, in auſpiciis Regni, 1603.

*Cato de Re ruſtica*, cum *Notis*, 1598.

*Apuleii Apologia*, cum *Notis* brevioribus, 1607.

*Phædri Fabulæ*, cum *Animadverſionibus*. 1610.

*Meditationes Chriſtianæ in Pſalmum* CXVI. & CXIX. 1604. Heydelb. 8.

*Dionyſius*, ſive de Authoribus iſtius nominis.

*Rerum Belgicarum* liber I. de Induciis Belgicis, 1612.

*Rerum Belgicarum* libri IV. de rebus per ſexennium ſub Ferdinando Duce Albano in Belgio geſtis, 1614. 4.

De utroque libro hæc refert notatu digna, Hieron. *Groſchuſius*, præfatione ad novam librorum rariorum Collectionem. *Rerum Belgicarum Hiſtoriam libro uno complexam, anno* 1612. *compoſuit* Meurſius; *in qua cum partium ſtudio adductus, ac liberiùs rem exponere videretur, dici non poteſt, quanto in periculo verſatus ſit Vir optimus, & quos magno numero adverſarios ceperit. Ille quidem famæ ac fortunæ conſulturus, non multo poſt tempore eandem retractavit Hiſtoriam* (anno 1614.) *& partim quædam delevit, partim nova inſeruit, & ſe-ipſum quaſi caſtigavit. Verum & hac poſtremâ curâ nihil gratiæ à Belgis retuliſſe* Meurſium, *non ignoro. Multi in Belgio adeo exacerbati erant in Authorem, ut ipſum ex officio ſuo, quod gerebat ſplendidiſſimum, licet ſub alienæ cauſæ prætextu, vellent ejectum. Operæ itaque pretium eſt, cognoſcere, quid in utraque editione contineatur,*

*quid caſtigatum, quid in molliorem ſenſum quandoque tractatum ſit.* Ita Groſchufius. Prof. Halæ-Saxon. Editio prima apud Batavos rariſſima eſt: ſecundam Fœderati Belgii Ordinibus nuncupare voluit *Meurſius*: ſed honeſtè recuſarunt.

*Guilielmus Auriacus*, ſive de Rebus ab eo geſtis, uſque ad exceſſum Lud. Requeſenii, 1620. item Amſt. 1638.

*Athenæ Batavæ*, ſive de Urbe Leidenſi & Academia, Viriſque claris, qui utramque ingenio ſuo ac Scriptis illuſtrarunt. Libri II. Leydæ 1625. Prohibiti Romæ per S. Congregat. Indicis 26. Januarii 1634.

*Aelnothus* vetus Scriptor *de Martyrio S. Canuti Regis Daniæ*, cum *Notis*. Hafniæ in 4. Item *Anonymus de Paſſione S. Caroli ejus filii.*

*Hiſtoriæ Danicæ* Libri III. de Rebus geſtis à *Chriſtiano I. Joanne* ejus filio, & nepote *Chriſtiano II.* Ibid. 1630. 4.

*Poëmata* varia, *Jambi*, *Elegiæ* &c. 1602. 8. Leidæ.

De Græcis aut edita primùm, aut Latinè facta, Notiſve explicata, aut quæ ritus Græcos antiquitatemque ſpectant, circumferuntur iſta:

*Lycophronis Caſſandra*, libro Commentario illuſtrata, natali *Meurſii* XVIII. 1597. & 1599. 8.

*Theocriti Spicilegium*, cum Notis. 1597. 8.

*Georgius Codinus de Originibus Conſtantinopolitanis*, cum *Notis*; apud Commelinum, 1607. in 8. Extat etiam in Corpore Hiſtoriæ Byzantinæ, in fol.

*Conſtantinus Imp. Porphyrogeneta de adminiſtrando Imperio, ad Romanum filium; & Tactica* ejuſdem, *Meurſio* interprete & Scholiaſte. Lugd. Batav. 1611. 8.

*CL. Æliani & Leonis Imp. Tactica*, ſive de inſtruendis aciebus, græcè & latinè, ex interpretatione & cum Notis *Joannis Meurſii* & *Sixti Arcerii*. 4. Leydæ 1613.

*Gloſſarium Græco-Barbarum*, cujus prima editio, in qua 3600. vocabula collecta erant, lucem adſpexit Lugd. Bat. anno 1610: iterata vero editio 1800. vocabulis auctior, anno 1614. in 4.

*Herodis Inſcriptio* Græca, totidem verſibus expreſſa.

*Heſychii Mileſii Opuſcula, de Originibus Conſtantinopolitanis*, & *de Viris doctrinâ claris*, græco-lat. cum *Notis*. 1613.

*Beſſarionis* Cardinalis Niceni *Epiſtola*, græco-latinè, cum *Notis*.

*Conſtantini Manaſſis Annales*, græcè & latinè, cum *Notis*, 1616. 4.

*Palladii Hiſtoria Lauſiaca*, græcè, cum *Notis*, 1616. 4.

*Euſebii*, *Polychronii*, *Pſelli Expoſitiones in Cantica Canticorum*, græcè cum *Notis*, 1617. 4.

*Chalcidius*, græcè item & cum *Notis*.

*Authores Muſices antiquiſſimi*, *Ariſtoxenus*, *Nicomachus*, *& Alipius*, cum Notis Meurſii 4. Lugd. Bat. 1616.

*Theophylacti Bulgariæ Archiep. Epiſtolæ*, Græce, cum Notis. 4. Amſt. 1617.

*Heraclides Ponticus.*

*Philoſtrati Epiſtolæ* aliquot, cum *Diſſertatione de Philoſtratis*, 1616.

*Theodori Metochitæ Hiſtoria Romana*, à Julio Cæſare ad Conſtantinum Magnum, græco-lat. cum *Notis.*

*Procopii Gazæi in Libros Regum & Paralipomenon*, Scholia, græco-latina. 4. Leydæ 1620.

*Apollonii Alexandrini* Θαυμάσια, ſive Hiſtoriæ Commentitię liber, græcè cum *Commentario*, 1620. 4.

*Antigoni Cariſtii* παραδοξα, ſive Hiſtoriarum mirabilium collectanea, 1619. 4.

*Phlegontis Tralliani* opuſcula *de Rebus Mirabilibus*, cum *Notis*, 1620. 4.

*Variorum Divinorum* liber unus, ſive *Orationes Patrum Græcorum numquam antehac vulgatæ*, 1619. 4. cum Notis, videlicet *Anaſtaſii*, Antiochiæ Archiepiſcopi *in lætum nuntium Immaculatæ Deiparæ allatum: Andreæ Hieroſolymita-*

*ni*, Cretæ Archiepiſcopi *in Vitam humanam & defunctos: Methodii de Libero Arbitrio*: *Timothei*, Presbyteri Conſtantinopolit. *de accedentibus ad S. Eccleſiam*, & *de duabus Jeſu Chriſti naturis*, & *Hilarionis Monachi de Pane myſtico Græcorum*, *& azymo Latinorum*.

*Porphyrii Philoſophi* Opera Omnia, græcè, cum *Notis*.

*De Populis Atticæ* liber ſingularis, in 4.

*Atticarum Lectionum* libri VI. 1617. 4.

*Archontes Athenienſes* 1621. 4.

*Fortuna Attica*, ſive de Athenarum origine, &c. 1622. 4.

*Cecropia*: de Athenarum arce, 1622. 4.

*Orcheſtra*: de Saltationibus Veterum, 1618. 4.

*Græcia Feriata*: de Feſtis Græcorum libri VI. 1619. 4. Item *Græcia ludibunda*.

*Panathenæa* ſive de Minervæ feſto, 1619. 4.

*Eleuſinia*: de Cereris ſacro & feſto, 1619. 4.

*Piſiſtratus*, de ejus, liberorumque vita & tyrannide, 1623. 4.

*Solon*, ſeu de ejus vita, legibus, dictis ac ſcriptis. 4. Hafniæ 1632.

*Areopagus*, ſive de Senatu Areopagitico, 1624. item italicè Venet. 1628.

*Athenæ Atticæ*, ſive de Athenarum Antiquitatibus, 1624.

*Regnum Atticum*.

*Bibliotheca Attica*, ſive de antiquis Atticis Scriptoribus.

*De Regno Laconico* libri II. item de *Piræo & de Helladii Chreſtomathia*. Ultraj. 1687. 4.

*Miſcellanea Laconica*, libri IV. edente *Sam. Puffendorfio*. 4. Amſt. 1661.

*Theophraſtus*, ſive de illius libris, qui temporum injuriâ interciderunt. Item *Lectiones Theophraſteæ*.

*Denarius Pythagoricus*, ſive de numerorum uſque ad denarium qualitate ac nominibus ſecundùm Pythagoricos, 1631.

*Æſchylus*, *Sophocles*, *Euripedes*, ſive de Tragœdiis eorum, libri III. in 4.

*Theſeus*, ſive de ejus vita rebuſque geſtis, liber poſthumus. Accedunt Paralipomena Meurſii, de Pagis Atticis, & excerpta ex Viri Clar. Jacobi Sponii Itinerario de iiſdem Pagis. 4. Ultraj.

*Themis Attica*, ſive de Legibus Atticis, Libri II. 4. Ultraj. 1685.

*Creta*, *Cyprus*, *Rhodus*, ſive de nobiliſſimis harum Inſularum rebus & antiquitatibus, Commentarii poſthumi. 4. Amſtel. 1675. primùm prodierunt.

Porro plerique Tractatus Meurſii inſerti dein fuere Theſauro Antiquitatum Græcarum, per Gronovium.

Ad editionem inſuper paraverat *Gloſſarium latino-barbarum*.

*Codinum de Officiis Eccleſiæ & aulæ Conſtantinop.* cum verſione latina, ac *Notis*. Opus dein editum à Jacobo Goar, 1648. extat in Corpore Hiſtoriæ Byzant.

*Harpocrationis Lexicon X. Rhetorum*, cum animadverſionibus: dein editum à Nicolao Blancardo Leydæ 1685.

*Bibliothecæ Græcæ libros IX.*, ſingulos Muſarum nomine inſcriptos. Extant nunc Tomo X. Theſauri Antiquit. Græcarum Gronovii.

*Chronicon Conſtantinopolit. Anecdotum*, cum latina verſione & Notis.

*In Parthenii Erotica*, Notas.

*Athenæi Mechanica*, græcè, cum Notis.

*Apollodori Poliorcetica*, græcè, cum Notis.

*Julii Africani Ceſti*, græcè cum Notis.

*Meletius de natura hominis*, græco-lat.

*Menander Rhetor*, *de diviſione cauſarum in genere demonſtrativo*, græco-lat. cum Notis.

*Familiæ Atticæ*.

*Dionyſia*, ſive de Bacchi apud Athenienſes feſto.

Plura item de Meurſio lege apud Niceronum in Notitia Scriptorum illuſtr. Tomo XII. pag. 181. Operum

ejus omnium nova Collectio sub prelo sudat ab anno 1736. Florentiæ, curantibus Clariss. Viris Tartino, & Franchio.

## JOANNES MEURSIUS,

Joannis ex Anna Catharina Bilderbecciâ filius, natus Lugduni apud Batavos, educatus in Sorana Danorum Academia, patre eò evocato, diem quoque hîc clausit extremum, florente adhuc ætate. Edidit

*Majestatem Venetam*, sive de Jure Reipublicę illius in Regnum Cypri adserto. Lugd. Bat. in 12.

*Collectanea de Tibiis Veterum.* Soræ 1641. in 8. Extat quoque Tomo VIII. Antiquitat. Græcarum Gronovii.

*Observationes Politico-Miscellaneas.* Hafniæ. 1641. in 8.

*Arboretum Sacrum*, sive de arborum, fruticum, & herbarum consecratione, proprietate, usu ac qualitate, libros III. Lugd. Bat. 1642. Extat item cum *Libris IV. Hortorum P. Renati Rapini* S. J. Galli, poetæ celeberrimi, editis Leidæ 1668. & Ultraj. 1672. in 8.

*De Coronis*, liber singularis. Soræ 1653. Accessit *C. Ricci Diacepsis de Coronatione Regia, ejusque Rituum rationibus.* Hasniç 1671. in 8.

*Dissertatio Apologetica, adversus Samuelem Maresium, pro Dissertatione Marci Zuerii Boxhornii, de Trapezitis.*

Addit P. Niceron in Notitia Litteraria, Tomo XII. pag. 199. *Jo. Meursio* juniori perperam adscribi opus aliquod infame, cujus verus author fuit *Joannes Westrene*, J. C. Hagiensis.

## JOANNES DE MEY,

Medioburgensis Zelandus, Theologus Calvinianus, nec non Medicinæ Doctor in Valentina apud Gallos Academia creatus, variis in locis Prædicutius fuit, ac postremo quidem Medioburgi, ubi diem extremum obiit die 8. Aprilis 1678. ætatis anno 61.

Multa scripsit vernaculè, simul edita Mediob. 1681. recusa Delphis 1704. fol. quæ cum amplo hujus Ministri elogio citat *D. Petrus la Rue* in sua Zelandia Litterata pag. 5.

Latinè vero id unicum: *Physiologia sacra, sive Expositio locorum Pentateuchi Moysis aliorumque S. Scripturæ; in quibus agitur de rebus naturalibus*, editio tertia in 4. Mediob. 1661.

## JOANNES A MEYEN,

Bergizomius, Brabantus, in Italia claruit, & *Virgilii Maronis Opera* ex doctissimorum virorum notationibus illustrata dedit. Venetiis, Manutii typis, 1576. Francof. 1576. 8. iterum 1617. 8.

Pollicebatur similem industriam in Horatii Satyris, & Sallustii fragmentis: sed morte præventus, gratificari ea in re posteris non potuit.

## JOANNES MIRÆUS,

Bruxellæ natus est anno 1560. VIII. Idus Januarii. Ætate provectior Philosophiæ Aristotelicæ primùm Lovanii Castrensi in Gymnasio òperam dedit. Rebus Lovanii turbatis, Duaci in Regio prosecutus est, ubi & Græcas post Litteras ac Rhetoricen tradidit. Sacræ Theologiæ laureâ anno 1588. insignitus, Bruxellæ in Basilica D. Jacobi juxta Principis palatium Pastor constituitur, mox S. Gudilæ eadem in urbe Canonicus, demùm anno 1604. Antverpiensibus Præsul datur. Obiit magno urbis patriæque damno ac luctu, Bruxellę, anno 1611. die 12. Januarii, ætatis LI.

De Vita rebusque à *Miræo* gestis legi poterunt Laudationes funebres *Joannis Del-Rio*, *Joannis à S. Laurentio*,,

& Parentalia *Laurentii Beyerlinck*. Edidit porrò *Miræus*

*Statuta Synodi Diœceſeos ſuæ*, anno 1610. celebratæ; præmiſſâ *Oratione ad Clerum*, quâ ſuperiorum temporum calamitatem ob oculos ponit, typis Plantin. 1610. 8.

Scripto conſignare ac mandare prelo cœperat *Beneficia ac Miracula B. Virginis in Aſpricolle*, juxta Sichemium, Brabantiæ opidum, à ſe, ne fraus aut aut fucus imponeret, publico mandato Matthiæ Hovii Machlinienſium Antiſtitis explorata atque inquiſita. Ab illo poſtmodum ſua hauſit *Lipſius*, ut ipſe fatetur ingenuè: & *Philippus Numannus*, S. P. Q. Bruxellenſi à Secretis, ſua inde ſermone patrio ferè ad verbum interpretatus eſt.

Poſita illi fuit in choro Cathedralis Eccleſiæ tumba marmorea, appoſitaque hæc pro encomio ulteriore Inſcriptio.

D. O. M.
JOANNES MIRÆUS
Epiſcopus Antverpienſis Quartus
H. S. E.
Qui oblatam ſibi famâ virtutis
Dignitatem, cum diu recuſaſſet,
Sic ut cogendus foret,
Eâ vigilantiâ, magnanimitate,
Integritate, benignitate
Ac prudentiâ geſſit,
Ut Virum muneri,
Non munus Viro datum appareret.
Sed heu fidem ſortis humanæ!
Vixdum ſeptimam
Turbidis tempeſtatibus meſſem
Hoc Colono per-induſtrio
Antverpia guſtaveras,
Cum ſerenato per Inducias
Tandem Reipublicæ cœlo,
Tu ſpe uberioris frugis,
Ipſe vitâ excidiſtis,
Januarii die XI.
Anno ſal. M.D.C.XI. ſuo LII. ineunte.
Omnibus, etiam hoſtibus luctuoſus.
Quiſquis hæc legis,
Deum venerans precare.
*Chronicon.*
NON ConfUnDar In œternUM.
Pſalm. 30.

## JOANNES MOERMANNUS,

Rector Scholæ Eccleſiæ B. Mariæ Antverpienſis, Aſtrologus & Mathematicus, edidit

*Grammaticam Linguæ Latinæ*, in 8.

*Apologos Creaturarum*, Carmine, cum Iconibus, typis Plantin. 1592. quamvis citet Val. Andreas, non eſt Moermanni, ſed Gerardi de Jode.

Obiit Antverpiæ, anno 1621. ætatis LXV. ſepultus in D. Virginis ante Altare S. Annæ.

## JOANNES MOLANUS,

Civis & Theologus Lovanienſis, optimis procreatus parentibus, altero Schoonhoviano, *Henrico Vermeulen*, Lovanienſi alterâ, verùm Inſulis Flandrorum (quò pater diſcendi idiomatis gallici gratiâ, cum uxore prægnante, conceſſerat) anno 1533. in hanc lucem effuſus, & non niſi materni ac vernaculi, hoc eſt, brabantici ſermonis gnarus, Lovanium reductus, Lovanienſis audire maluit.

Ad liberalium artium ſtudia à prima mox ætate admotus, in iis perdiſcendis ſedulam navavit operam: ab his ſemper vitiis abſtinens, quibus indomita illa juventus obnoxia eſſe conſuevit. Ariſtotelicæ Philoſophiæ lauream adeptus eſt anno 1558, ſextus inter Magiſtros Artium, & inde totum ſe divinis ſtudiis conſecravit, ſimulque Antiquitati & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ita animum adjecit, ut ſtudii Theologici ad Sacræ Licentiæ gradum vix exacto curriculo, poſt editum à ſe Uſuardi Martyrologium, recognitum & Notationibus auctum, cœperit mox in-

noteſcere, & inter primos haberi.

Theologici verò Magiſterii titulo anno 1570. die 12. Septembris, unà cum *Joanne Lenſæo* donatus, & Pontificii ac Regii Cenſoris auctus honore, magna cum laude, judicii acrimonia (addo & facilitate) eas partes ſemper eſt executus: functus interim munere quoque Profeſſorio in publico Academiæ Gymnaſio, nec non Regii Theologorum Seminarii, anno 1579. per Philippum II. erecti, primus Præſes; & inter has, aliaſque functiones, cùm publicas tum etiam privatas, à ſcriptione numquamvacabat.

Qua in re miſcuit utile dulci; in omni pænè ſcriptione ſua id ſibi propoſitum habens, ut utilitatem antiquitate & jucundâ rerum geſtarum contextam varietate temperaret. Erat enim, ut dixi, cùm in omni hiſtoriarum genere, tum in ſacra potiſſimùm verſatus, idque luſtrando venerandæ antiquitatis per Belgium monumenta, & antiquæ fidei Hiſtoriographos volutando, ut libri ab eo relicti declarant, non ex proprio conficti cerebro, ſed ex melioris notæ Hiſtoricis ferè concinnati, quos proinde plurimùm æſtimari ab omnibus par eſt.

*Tanti viri*, inquit Cardinalis Baronius Præfatione ad Martyrologium Romanum cap. IX. *de Eccleſia Dei & veritate Catholica optimè meriti, nec brevem ſcedulam deperire æquanimiter patior: cui (dicam ingenuè) iſthæc omnia hac ex parte accepta fero, quòd in denſiſſimam ſilvam primus ipſe ingreſſus, mihi aliiſque aditum patefecit: quo etiam nomine cùm ego, tum eruditi omnes plurimùm nos ei debere lubenter agnoſcimus & confitemur.* Scripta *Molani* ſunt,

*Uſuardi Martyrologium*, Annotationibus auctum. Lovanii 1568. 1573. & 1577. 8. typis Hieron. Wellæi. Cui adhæret

Tractatus *De Martyrologiis.*

*Indiculus Alphabeticus*, & *Chronicon Sanctorum Belgii*, cum *Calendario Belgico.*

*Calendarium Eccleſiaſticum* ejuſdem excudit Antver. Plant. 1574. 12.

*Natales Sanctorum Belgii*, à morte editi, *Petri Louwii* curâ, è *Molani* ſcedis: cum *Chronica Sanctorum Belgii recapitulatione.* Ibid. 1575. apud Joan. Maſium, & Duaci, 1616. 8. Ipſum verò ἀντίγραφον, à *Molano* adornatum, editiſque Natalibus auctius, adſervabat olim Lovanii *Petrus Zangrius* Typographus. *Arnoldus Raiſſius*, Duacenus, Canonicus D. Petri ibidem, Auctarium ſuperaddidit, 1626. 8. Duaci.

*Diarium Eccleſiaſticum de Medicis Sanctis.* Ibid. 1595. 8. cum Præfatione *Henrici Cuyckii* dein Ruręmund. Epiſcopi, de Molani Vita.

*Militia ſacra Ducum ac Principum Brabantiæ*, cum Notis *Petri Louwii*, typis Plantinianis, 1592. 8.

*De Picturis & Imaginibus ſacris.* Lovanii, 1574. 8. Accedunt in quibuſdam editionibus *Orationes Quodlibeticæ III. una de Imaginum uſu in Eccleſiis. 2. de precibus pro Martyrio affectis. 3. de Communione extremo ſupplicio afficiendorum Euchariſtica.*

*De Canonicis*, libri III. id eſt, *de Canonicorum vitâ, officiis & dominio, & ſervis Eccleſiarum.* 12. Colon. 1587. Lov. 1670. &c.

*De fide hæreticis ſervanda*, libri III. quibus accedunt: *De Fide rebellibus ſervanda*, liber I. & *de Fide & Juramento, quæ à tyranno exiguntur* Ibid. 1585. & ſimul excuſa.

*De piis Teſtamentis, & quacumque alia piæ voluntatis diſpoſitione.* Ibid. 1584. 8.

*Orationes III. de Agnis Dei; de Decimis dandis*, & *de Decimis recipiendis.* Coloniæ, 1587. 8.

*Theologiæ Practicæ Compendium per Concluſiones*, Tractatus V. Ibid. 1585. & 1590. 8.

Digitized by Google

Lucem non viderunt hactenus: *Martyrologium Romanum*, amplis Notationibus illuſtratum.

*Annales urbis Lovanienſis*, libris XIV. quibus Notas ſuas ad Militiam ſacram inſtruxit *Petrus Louwius*. Vidit eos Valerius Andreas, ſed mutilos & imperfectos.

Addit Niceron in Notitia ſua Literaria Tomo XXVII. pag. 347. *Antverpiadem*, ſive Urbis Antverp. Hiſtoriam; ſed hæc nulli (quod ſciam) unquam innotuit.

*Bibliotheca Theologica*: cujus pars altera: quæ eſt *Materiarum*, eſt edita Coloniæ, 1618. 4. altera pars viſa fuit apud *Aubertum Miræum*, Decanum, dum vixit, Eccleſiæ Cathedralis Antverpienſis.

*Obſidio Lovanienſis anni* 1572. tractata Quæſtione Quodlibeticâ *Utrum Univerſitas Lovanienſis in Belgicis hujus anni incurſionibus nihil gloriæ, ſplendoris & auctoritatis ſuæ perdiderit?* Item, *Utrùm habenda ſit annua commemoratio noviſſimæ obſidionis?*

Meditabatur etiam *Tractatum de Libris prohibitis, & officio Cenſoris*, prout inſinuavit libro II. de Canon. cap 26.

Lovanii ſubito catarrhi defluxu extinctus eſt anno 1585. die 18. Septembris, ſupellectili univerſa & Bibliothecâ relictâ Seminario Regio; ſepultus in D. Petri, ad altare S. Agnetis, hoc Epitaphio.

Conditus hîc jacet
D. Joannes Molanus,
S. Theologiæ Profeſſor,
Apoſtolicus ac Regius Librorũ Cenſor,
Eccleſiæque hujus Canonicus;
Qui editis libris clarus,
Ac inſigni condito teſtamento;
Quo pauperibus ſtudioſis,
Ad ceram Paſtoralem ſerio ſe præparantibus
Annuos trecentos florenos legavit,
Obiit Lovanii, magno ſui relicto Deſiderio, anno M. D. LXXXV. Septembr. XVIII.

*Aubertus Miræus*, Decanus Antver. hoc quoque *Molano* poſuit Epitaphium honorarium.

*Nulla meum condent Lethæa oblivia nomen,*
*Clarus & à ſera poſteritate colar.*
*Id facient Divi, quorum pia facta tenebris*
*Eripui, calamo reſtituique meo.*
*Forſan & ætherea præconem ſede locabunt*
*Numina; eroque ſacri pars aliquando Chori.*

Porrò *Joannis Molani*, Flandri, *Carmen* legitur cum Arnoldi Berchemi Carminibus, Antver. anno 1560. evulgatum: quod *Joanni Molano* Theologo perperam ab aliis adſcribitur. Fuit enim ille Scholæ Bremenſis Rector, & quædam alia ſcripſit damnatæ lectionis. Obiit anno 1583. die XVI. Julii.

## JOANNES MOLINÆUS,

Vulgò VANDER MEULENE, Gandavenſis, tertius Lovanii inter Magiſtros Artium anno 1543 è Pœdagogio Lilienſi; utriuſque linguæ cognitionem puer eam erat conſecutus, ut nondum annos natus XX. Ariſtotelis Ethica ſummâ cum audientium admiratione græcè enarraret; epiſtolas ex tempore utroque idiomate dictaret tam elegantes, ut non niſi ſummâ curâ & ſtudio ſcriptæ viderentur: tantâ memoriâ, ut ad duas treſve horas cum audientium ſtupore publicè & memoriter oraret.

Anno 1559 unà cum Viris Clariſſ. *Petro van-der-Ano & Joanne Ramo* renuntiatus J. U. Doctor: item anno 1562, poſt *Martinum Rithovium* Iprenſem Epiſcopum, electus Decanus ad S. Petrum Lovanii. Fuit & Ducisſæ Parmenſi, dum illa Belgium adminiſtraret, ab eleëmoſynis; & per Privilegia Academica Cadetenſis Canonicus.

In Italiam profectus, ut erectionem

nem recentem quorumdam Episcopatuum Belgii supprimi postularet, cùm, sicut creditur, parum ex animi sententia iter illud succesſiſſet, animi dolore, vel nimio ex studio in phrenesin lapsus, ac relapsus identidem, tandem apud FF. Cellitas concluſus è vivis rapitur Lovanii anno 1575. die XXIX. Septembris.

Edidit ibidem in fol. typis Gravii, 1562. *Decretum Ivonis Carnotenſis*, operâ suâ recognitum XVII. libris constans, nempe de Baptismo, de Missa, de Rebus Eccles. de obsérvat festivitat. &c. Contendebat Molinæus, Decretum Ivonis ordine & Canonum conciliatione longè prævalere Decreto Gratiani; ast contra eum pro Gratiano scripsit *Boetius Epo* J. U. D. Duacensis. Ceterum *Joannes Fronto-Ducæus*, Canonicus Regularis S. Genovevæ Parisiis, hanc *Molinæi* editionem contulit cum alio Manuscripto antiquissimo Bibliothecæ S. Victoris Parisiensis, & à multis mendis emendatam brevibusque Notis illustratam anno 1647. rursus evulgavit: unde satis intelligitur, quæ editio præferenda.

## JOANNES MOLINET,

Diverniæ, in agro Bolonienſi ad Oceanum natus, Margaretæ Austriæ Belgicarum Provinciarum Gubernatrici à Bibliothecis, & Canonicus in Aula Comitis apud Valencenas Hannoniæ Oppidum, Poëta elegans, & Gentis Burgundicæ atque Austriacę Historiographus non contemnendus; descripsit Tomis III. gallicè

*Chronicon, ſive Res ætate ſua geſtas, ab anno* 1474. *ad annum* 1504: nondum editas. Leguntur Atrebati in D. Vedasti, Tornaci in Bibliotheca Cathedrali, (olim quoque Bruxellis in Biblior. regia) item Insulis apud D. *Godefroid* Carthophylacem regium. Idem ille, qui nuper *Philippi Cominæi Memorialia* ediderat, Notisque ac Diplomatibus illustrarat, pariformem *Joannis Molineti* (qui Cominęum pone subsequitur) editionem jam inchoarat: sed mors conatibus obstitit.

*Facta & Dicta ejuſdem Molineti*, gallicè in 8. edita sunt Parisiis 1537. apud Langeliers. Refertque inter facta & jocosa *Adrianus Hecquetius*, quæ Molinetus lepidè & fecit & dixit; homo (ut scribit) prorsus ad facetias natus.

Transtulit quoque, rogante *Philippo Duce Clivienſi*, è versu in prosam gallicam, famosam Fabulam poëticam, cui titulus: *Le Roman de la Roſe*, authoribus *Guilielmo de Lorris*, anno 1260. & *Joanne Clopinel*, sive *de Meun* an. 1300. Quem librum *Joannes Gerſon* Cancellarius quondam Parisiensis judicavit pestilentissimum, flammisque devovendum; Sermone in Dominicam IV. Adventûs. (*Vide Chevillier de Origine Typographiæ* pag. 222.) Prodiit autem translatio *Molineti* Parisiis apud Michaelem le Noir in fol. anno 1521, suppositis his versiculis

*Le Romant de la Roſe,*
*Moralizé clair & net,*
*Tranſlaté de vers en proſe*
*Par voſtre humble Molinet.*

*Poëmata & Verſus Molineti*, gallicè, figuris illustrati, adservantur in Biblioth. Ecclesiæ Cathedr. Tornacensis.

Obiit anno 1507. sepultus in Aulæ Sacello, apud cineres præceptoris sui *Georgii Caſtellani*, Equitis, celebris item Historici, hoc appenso Epitaphio:

Me MOLINET *peperit Divernia Bolonienſis,*
*Pariſius docuit, aluit quoque Vallis Amorum.*
*Et quamvis magna fuerit mea fama per orbem,*
*Hæc mihi pro cunctis fructibus Aula fuit.*

## JOANNES DU MONCEAUX,

Hannutensis Brabantus, Societ. Je-

ſu Sacerdos, anno 1651. die 28. Octobris, ætatis 62 Namurci vitâ functus; ſcripſit digeſſitque gallico ſermone

*Vitam & res geſtas S. Adiliæ*, Virginis in Orpio, Diœceſis Namurcenſis pago, quieſcentis. Molanum conſule in Natalibus SS. Belgii 30. Junii. item Acta SS. Junii per PP. Societ.

Eadem linguâ ſcripſit ediditque *Antidotum Peccati*, ſive *Tractatum de Pœnitentiâ*. Leodii 1624. in 12.

## JOANNES MONSENUS,

Amſtelodamenſis, Batavus, S. Th. Licentiatus, edidit

*Deciſionem* è ſcriptis Canonicis, *ab Apoſtolorum provenire conſuetudine, populo ſub panis tantum ſpecie ſacram Synaxin eſſe tribuendam*. Coloniæ, typis Gaſp. Gennepæi 1546. 8.

*Interpretationes locorum aliquot obſcuriorum S. Scripturæ*. Ibid. typis Joan. Ruræmundani, 1540.

## JOANNES DE MONSTEROLIO,

Eccleſiæ Collegiatæ S. Petri Inſulis in Gallo-Flandria Præpoſitus ab anno 1398. Canonicus quoque Eccleſiæ Pariſienſis, nec non Delphini, item Ducis Burgundiæ, ac tandem Caroli VI. Francorum Regis Secretarius; occiſus fuit proditoriè per Burgundiones Pariſiis anno 1418. ætat 63.

*Epiſtolæ ſelectæ illius ad varios Reges Prælatos ac Principes*, Numero LXXVI. ad temporis ſui Hiſtoriam intelligendam per-quam utiles, primùm fuerunt editæ anno 1720. per PP. Benedictinos S. Mauri in Gallia Tomo II. noviſſimæ Collectionis Diplomaticæ, pag. 1312

## JOANNES MORETUS,

Antverpienſis, Typographus celeberrimus, *Chriſtophori Plantini* gener, cujus filiam *Martinam* uxorem habuit; *Balthazaris Moreti* pater (de quibus ſupra) Vir haud vulgaris literaturæ, & officinæ dotalis in urbe Antverpienſi ex aſſe heres & ſucceſſor; quem præter librorum ingentem numerum nitidiſſimis typis deſcriptorum, amicitia & familiaritas incomparabilis Viri *Juſti Lipſii* plurimùm nobilitavit; cujus etiam ſcripta, inter præcipua, quæ ex illa officina prodierunt, numerari jure optimo merentur. *Ita Bern. Malincrot de Typograph.* pag. 97.

Adſcribit *Joanni Moreto* Swertius in Athenis Belg. verſionem *Conſtantiæ Juſti Lipſii in linguam belgicam*. Antv. typis Plantini 1584. 8.

Moritur anno 1610, ſepultus in Cathedrali Antverp. è regione tumuli Plantini, hoc Epitaphio.

Chriſto Reſurgenti ſacrum.
JOANNI MORETO, Antverpienſi,
Magni PLANTINI genero,
Ejuſdem virtutum atque artium,
Laboris & conſtantiæ heredi,
Queis juvenis ſeneſcentem ſocrum juvit,
Vitâ functum ſuperſtes expreſſit,
Publicè utiliſſimus, privatim benignus
Paſſim modeſtus, probus, prudens,
Omnium bonorum elogio Bonus
Vixit, præclarum ſuis Honeſti
Exemplum, annos LXVII. menſes IV.
Obiit, inſignem in Deum
Pietatem teſtatus,
X. Kal. Oct. M. D. C. X.
MARTINA PLANTINA,
Opt. marito cum lacrymis
Optimè apprecata ſibi & poſteris,
Mortalitatis memor.

## JOANNES MOROCOURT,

Nervius, Cartuſiæ Valencenenſi multos annos præfuit, & carmine luſit *Threnodiam in Lutherum*. Antver. 1540. typis Criniti.

*Vitam S. Brunonis* ſive *Brunoniados*

libros IV. Ibid. 1540. 4.

*Vitam S. Hugonis*, ſive *Hugoniados* libros totidem.

*De Nativitate Domini.*

*De rebus geſtis S. Laurentii Martyris.*

Obiit anno 1548. 17. Idus Octobris.

## JOANNES MURMELLIUS,

Natus eſt Ruræmundæ (quæ celebris Geldriæ civitas eſt, ad Ruræ ac Moſæ confluentem ſita) patre *Theodorico*, viro majoris fidei candoriſque, quàm aut litteraturæ aut opulentiæ. Puer Græcarum ac Latinarum litterarum Profeſſorem *Alexandrum Hegium* Daventriæ audivit: Coloniæ Agrippinæ artium liberalium inſignia accepit, non ſine inſigni eruditionis prorogativa. Non multò pòſt, fortunâ novercante (ut de ſe ipſe ſcribit Præfatione ad libros Didaſcal.) compulſus fuit alios docere, dum ab aliis mallet diſcere; & coactus profiteri artem Grammaticam, dum magis cuperet audire dilucidam & ſinceram ſacrorum voluminum explicationem.

Bonas itaque litteras, pulsâ paulatim barbarie, multis in locis fide optimâ reſtituit: atque imprimis Monaſterii Weſtphalorum in Schola Lutgeriana annis XI. ſub Rectore *Timanno* Con-rectore; (unde perperam Valerius Andreas eum Correctorem operarum typographicarum nominavit) poſtmodum verò Rector per triennium.

Docuit inde ab anno 1500. Alcmariæ, apud Batavos, annis XV. Daventriæ, apud Tranſiſalanos, uno dumtaxat anno; moriturque relictâ miſella uxore & pupillo infantulo, anno 1517. VI. Nonas Octob. non ſine ſuſpicione veneni, ut quidem tunc creditum fuit: nam qui ægrotanti adfuere Medicæ periti artis, peripneumomâ extinctum affirmabant. Scripſit Murmellius ſolutâ vinctâque oratione ſequentia:

*Tabulas Grammatices.* Pariſ. typis Chriſtiani Wecheli, & alibi.

*Rudimenta.* 8. Pariſ. apud Wechelum 1530, & 1534. apud Colinęum.

*De arte Verſificatoria*, ſive *Tabulas in Artem componendorum Verſuum.* Ibid. & Norimbergæ, cum *Eobani Heſſi* explicatione, 1552. 8. Eaſdem Tabulas in Compendium redegit *Godefridus Remeus*, Lugduni excuſas.

*Protrepticon Pœnitentium.*

*Didaſcalicôn* libros II. Priori de artibus agit, cùm liberalibus tum mechanicis: alter ad artium liberalium ſtudia paræneſin continet. Coloniæ, 1510. 4.

*Enchiridion Scholaſticorum*, ſeu de officio diſcipulorum. Swollæ, apud Petrum de Breda, in 4.

*Pappam Puerorum*, libellum puerorum inſtitutioni utilem. Antverp. 1551. 4. apud Joan. Loëum.

*Nucleum.* Coloniæ, apud Gymnicum.

*Scoparium, ad profligandam è Scholis barbariem.*

*Iſagogen in Prædicamenta ſeu Categorias Ariſtotelis.* Pariſ. 1535. 8.

*De Compoſitis Verborum* libros II. Carmine. Monaſterii.

*Ecphraſin*, ſeu *Commentarios* eruditos *in A. Perſii Satyras.* Coloniæ, 1534. Pariſ. 1546. & 1553. Antver. &alibi.

*Commentarios in Boethium de Conſolatione Philoſophiæ*, partim ipſius, partim *Rod. Agricolæ.* Coloniæ, 1535. apud Cervicorum.

*In B. Hieronymi Epiſtolam ad Nicium*, Aquilcienſis Eccleſiæ hypo-diaconum: cujus & ſelectiores Epiſtolas collegit. Coloniæ, 1505.

*In B. Hieronymi Epiſtolam ad Nepotianum, de Clericorum & Sacerdotum officiis*, Swollæ, 4.

*Scholia in B. Cypriani Carmen, de Ligno ſalutiferæ Crucis.*

*Elegiarum Moralium* libros IV.

*Eclogas* XVI. Monaſterii, 1504.

*Epigrammatum* librum I. Ibid. 1510.

*Florea ſerta D. Virginis Dei-paræ*, vario metri genere.

*Caroleia*, in laudem Caroli Geldriæ Ducis.

*De Hymnis Eccleſiaſticis* librum I.

*Deſcriptionem urbis Monaſterienſis*, verſu Sapphico. Monaſt. 1502.

*Flores ſeu Sententias Catulli, Tibulli Propertii, Ovidii.* Coloniæ & alibi.

Addidit Bibliotheca Tigurina *Commentaria in Prudentium, in Politiani Ruſticum:* aliaque, neſcio an excuſa typis.

Hermannus Buſſchius Paſiphilus, hoc illi poſuit Epitaphium.

*Non* MURMELLIUS *hic jacet ſepultus,*
*Sed tantum cinis aridus Poëtæ:*
*Sed pulvis gelidæ levis favillæ,*
*Parvæ relliquiæ ſilentis urnæ.*
*Ipſe ad ſidereas abivit oras,*
*Felix Elyſias futurus inter*
*(Ærumnis procul omnibus) catervas.*
*Quare nec lacrumas, viator, ullas,*
*Nec mæſtas gemitu cie querelas,*
*Virtutis comes interire neſcit.*
*Mortem proterit ipſa ſolâ Virtus.*

De *Joanne Murmellio* agit quoque P. Niceron in Notitia Virorum ſcriptis illuſtrium, Tomo XXXIV. pag. 114.

## JOANNES A MYRICA,

Lovanienſis, Cartuſianus, Profeſſione Bruxellenſis, ſcripſit

*Medicinam Errantium*, libris II.

*Enarrationem Catholicam Orationis Dominicæ.*

Obiit Rutilæ, in Lotharingiæ confiniis, anno 1582. Cartuſiæ illius Vicarius. Memoratur & in Bibliotheca Tigurina *Joannes* quidam *à Myrica*, ſive *Myrinca* (ita enim ibi legitur) Lovanienſis, qui *de Conjugio Chriſtiano Sermonum* libros III. luſerit verſu heroïco, Argentinæ excuſos: verùm libri illi Catholici aut ſanæ doctrinæ non ſunt.

## JOANNES A NAARSSEN,

Dordracenus Batavus, Medicinæ Doctor creatus in Univerſitate Cadomenſi apud Gallos, dein peragratis Suecia, Moſcovia, Boruſſia, ac majori parte Germaniæ, Medicus atque Hiſtoriographus Guſtavi Adolphi Regis Sueciæ conſtituitur. Fuit & Poëta, in ſtandrico germanico ac latino ſermone excellens. Luſit

*Rigam devictam à Guſtavo Adolpho*, Suecorum ac Gothorum Rege &c. Carmine heroïco. Rigæ 1625.

*Mevam Pomerelliæ obſidione Polonorum liberatam*, ductu Regis Guſtavi Adolphi, aliaque Poëmata Succo-Boruſſica, Moſcovitica, Miſcellanea. Holmiæ 1627.

*Guſtavidos*, ſive de Bello Succo-Auſtriaco lib. III. *Poëmatum Miſcellaneorum* liber unus. Hamburgi 1632. Item *Guſtavidos* liber IV. continens occupatam Thuringiam, Franconiam, & loca quædam finitima. Francof. ad Mœnum 1634.

*Guſtavus ſaucius*, Tragœdia, anno 1627. Cui accedunt *Regis defuncti funebria*, aliaque Miſcellanea. Francof. ad Mœnum 1633.

E Suecia reverſus in patriam, anno 1635. deſtinatus eſt Conſiliarius extraordinarius ad Indias Occidentales, ac poſt biennium in nova Batavia vivendi finem fecit.

## JOANNES NEEVIUS,

Vulgò NEEFS', Machlinienſis, Ordinis Eremit. S. Auguſtini, S. Theol. Baccalaureus, ſuis non uno in loco, Haſſeleti Eburonum toto novennio, Antverpiæ, Machliniæ, & alibi, Prioris munere præfuit, Ordini verò univerſo per Belgium ſive Provinciam Colonienſem titulo Definitoris ac Provincialis anno 1625: Vir facili, commodo, & affabili ingenio, ſcripſit li-

brum, cui titulus :

*Eremus Auguſtiniana, floribus Honoris & Sanctitatis vernans.* Tractat autem eo libro *de Eremitis ſub Veteri & nova Lege : de Ordinis Eremitarum* S. Auguſtini *Inſtitutione, Approbatione & Propagatione : de Vita* S. Auguſtini *& aliorum in eo Ordine ſanctitate illuſtrium.* Lovanii, typis Haſtenii, 1638. 4.

Item idiomate vernaculo *de frequenti & fructuoſo Sacramentorum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ uſu :* cum Appendice *de Sodalitatibus & Indulgentiis.*

*Vitam S. Monicæ* Antv. 1628.

*Horologium Monaſticæ perfectionis.* Lov. 1630.

*De Tertiariis Ordinis S. Auguſtini.* Antver. 1632.

*Teſtamentum Chriſti Salvatoris*, flandricè.

*Regulam S. Auguſtini*, cum explicatione trium Votorum.

Obiit Mechliniæ octuagenarius, 28. Junii 1656.

## JOANNES NEMIUS,

Silvæ-ducenſis, Sacerdos, primùm Scholæ Apoſtolicæ Præfectus apud Noviomagenſes, pòſt Amſtelodami Gymnaſiarcha, inde ad Ludum patrium venit: Vir cum primis eruditus, diligens, & formandæ juventuti natus, varia ſcripſit & edidit,

*De Imperio & ſervitute Ludi-magiſtri*, carmine, additis *Scholiis.* Noviomagi, 1551. 4.

*Apologiam Scholæ principalis Amſtelodamenſis.* Silvæd. apud Turnhautum. 1556. 4.

*Leges Scholæ Silvæ-ducenſis.* Ibid. 1572. 8.

*Orthographiæ Rationem* & *Pronuntiandi modum.* Antverpiæ Plant. 1572. 8.

*Annotationes in Syntaxin Eraſmi.* Ibid. in 8.

*Tyli Saxonis Hiſtoriam*, ſive *Humanæ Stultitiæ triumphum*, verſu Jambico.

Item Poëma, cui titulus, *Parens & Noverca*, Antver. 1553. 8. apud Silvium.

*Scholia in ſupplicium Caſſiani, per Prudentium.*

*Epitomen de conſcribendis Epiſtolis.* Antver. 1552. 8.

Denique opuſcula *Joannis Murmellii de Compoſitis Verborum* &c. caſtigavit & convenientibus verſibus exornavit. Sylvæducis apud Schefferum, 1555. 4.

## JOANNES NAVIGHEER,

Iprenſis, Theologus & Canonicus Cathedralis Eccleſiæ in patria, evulgavit *Orationes panegyricas in feſta B. M. V.* Ipris 1637. in 12. à ſe aliquando è cathedra habitas.

## JOANNES NEERCASSEL,

Gorcomienſis Batavus, natus eſt anno 1623. in oppido illo, quod antecedente ſeculo celebrius reddidêre cruciatus Beatorum XIX. Martyrum Gorcomienſium apud Brielam glorioſè interfectorum; quorum paſſionem elegantèr deſcripſit Guilielmus Eſtius & ipſe Gorcomienſis, ac Duacenæ Academiæ Doctor & Cancellarius.

Patrem habuit Joannes, Godefridum van Neercaſſel, matrem Mathildim van Weyclinckhoven, honeſtos in primis cives & Catholicæ fidei cultores. Majores ejus magiſtratum aliquando Gorcomii geſſiſſe, dum Principes ibi Catholici imperitarent, aſſerit Heuſſenius, qui & ejus pueritiam laudat; quòd patre cereviſiæ coctore, dolia puer conſcenderit, è quibus veluti è ſuggeſtu declamavit, præſignans tunc munus & officium, in quo dein tanta cum laude atque nominis ſui celebritate verſaretur.

Adoleſcens à parentibus in ludum litterarium miſſus eſt ad vicum S. Aga-

thę prope Graviam, quem Crucigeri incolunt. Inde Lovanium migravit, & in Porcenſi pœdagogio Philoſophiæ operam dedit, alumnus interim ſeu convictor Collegii Hollandici beatiſſimæ Virgini Mariæ dicati, cujus imago ſupra ingreſſum poſita, quia pulchra & deauratis ſtellis picta cernitur, huic Collegio *Sanctæ Pulcheriæ* nomen, errore non ingenioſo ſed perduraturo, dedit. Animum ſtatim adjecit ad ſtatum clericalem, & profectus in Galliam, Congregationi Oratorii Berulliani Pariſiis nomen dedit, atque expleto ibidem in ædibus *Inſtitutionis*, probationis anno, Salmurium à ſuperioribus miſſus eſt ad ſcientiæ Theologicæ ſublimia cognoſcenda; in quo ſtudio multum profecit, ut ejus poſtea eruditio declaravit.

E Gallia redux & in Domo Oratorii Mechlinienſis aliquamdiu hærens, illa in Civitate Theologiam docuit in Archiepiſcopali Seminario anno 1652. ſub Archiepiſcopo Jacobo Boonen. Evocatus è Brabantia deſtinabatur ut in Collegio SS. Willibrordi & Bonifacii, quod in Univerſitate Colonienſi miſſionis Hollandicæ Seminarium erat, eandem ſcientiam profiteretur: ſed alio è gremio cleri illuc miſſo, patriis curis, laboribuſque aptior judicatus, detinetur in patria, vicariam primùm operam impendens variis in miſſione ſacerdotibus cleri ſecularis, qui illic parochorum loco ſunt. Tum à Jacobo Torrio Archiepiſcopo Epheſino & Vicario Apoſtolico per fœderatas Belgii Provincias, majori parti Diœceſis Ultrajectinæ præfectus fuit, & anno 1662. ab Alexandro VII. datus fuit Coadjutor Archiepiſcopo Philippenſi Balduino Catzio Vic. Apoſtolico, cui anno ſequenti ſucceſſit titulo Caſtorienſis Epiſcopi.

Diſciplinæ Eccleſiaſticæ tenaciſſimus fuit, varioſque ſuſtulit abuſus, quos Vicariorum Apoſtolicorum exulantium abſentia, miſſionariorum fuga, aut latendi neceſſitas attulerant. Anno 1668. publicavit leges, partim à Philippo Rovenio olim præſcriptas, partim ſua auctoritate novas aut ſaltem auctas & explicatius propoſitas, quaſi *Conſtitutiones* à Miſſionariis ſervandas, in quibus de vita & honeſtate Clericorum, de Verbo Dei annuntiando, de Sacramentorum adminiſtratione, aliiſque, multa ſalubriter ſtatuuntur. Frequentes per miſſionem viſitationes inſtituit, etiam ad remotiſſima loca, non ſine ingenti fructu. Conciones vero & ad populum exhortationes habuit tanto numero, quanto ante eum nullus; in quibus elegantiâ ſermonis ſuperavit omnes, eruditione plurimos. Anno 1670. Romam profectus, ut commiſſi ſibi regiminis rationem redderet, à Clemente X. perbenignè habitus, confectis feliciter negotiis, anno ſequenti ad propria remeavit.

Subſcripſit ibidem, medio juramento, Alexandri VII. Formulario adverſus Janſenianam hæreſim edito. Hunc religionis actum à ſummo Pontifice Neercaſſelio imperatum indigne tulit Hugo Franciſcus Heuſſenius; qui refert *in Bat. ſacra par.* 2. *p.* 482. eum, neſcio quibus ſollicitationibus ac promiſſis inductum, famoſâ tamen diſtinctione facti & juris in ſubſcribendo uſum, moleſtiam animi inde contraxiſſe, adeo ut labem hanc multo ſudore Præſul hic detergere debuerit, ut olim Cyprianus lapſum ſuum ſanguine abluit; inquit ille. Sed hujus rei fidem nemini fecit Heuſſenius. Quidquid ſit, moleſtum nobis eſt, quod hunc ſpectatiſſimum & celebrem Virum à cuſtodito depoſito ſanæ fidei commendare vereamur. Nam arcta illa amicitia cum Janſeniſmi propugnatoribus illis tribus impavidis ac confidentiſſimis, Arnaldo, Gerberonio & Queſnello, & quin-imo projecta illa ac Epiſcopo indigna obſe-

quentia omnibus ipſorum placitis, judiciis, ſtudiis, quæ utroque pollice laudavit, hæc inquam, moleſta ſunt & Catholicis omnibus graviſſimè diſplicent: de quibus vide *Cauſam Queſnellianam & Hiſtoriam Eccleſiæ Ultrajectinæ Cornelii Pauli Hoynck Van Papendrecht. Can. Mechl.*

Contentio illi fuit acris ac diuturna cum nobilibus nonnullis per Fœderatas Provincias, vindicantibus ſibi jus nominandi paſtores ad vacantes Eccleſias, ſeu *Stationes* (ut aiunt) incolarum ſumptibus ut plurimum erectas, iis nempe in locis, in quibus toparchæ ſunt & jure Patronatus vel gaudent, vel olim gaviſi ſunt in publica templa ab acatholicis modo poſſeſſa. Contra quos doctiſſimam Diſſertationem publicavit, quam impugnavit Nicolaus Du Bois in Univerſitate Lovanienſi SS. Litterarum Profeſſor per Canonicam quoque Diſſertationem, in quam Neercaſſelii advocatus amaras acerbaſque animadverſiones conſcripſit.

Tranſtulit Coloniâ Lovanium Seminarium Ultrajectenſe, hodie Collegium *Alticollenſe* dictum, cui primum præfecit Præſidem Martinum de Swaen S. T. D. poſtea Harlemii devotarum Virginum Rectorem in ſtatione quam *Angulum* vocant, quòd ſita ſit in quodam receſſu oppidi. Huic Collegio, ut ait Heuſſenius, moriens Neercaſſelius liberaliter providit; de quo tamen nihil apparet.

Provinciæ Tranſiſalanæ viſitationi impeditus, ubi amplius triginta hominum millia S. Confirmationis ſacramento munivit, migravit è vita Swollæ 6. Junii 1686. & terræ traditus eſt Glaniæ, qui eſt locus in Diœceſi Monaſterienſi, tribus leucis ab Oldenſalia Tubantiæ oppido; & in templo Monaſterii Monialium tertiæ regulæ S. Franciſci, quæ ex *Almelo* itidem Tubantiæ oppido, direptis earum rebus, expulſæ, illic conſederunt. Tumulo inſcriptum eſt Epitaphium quod ſequitur.

D. O. M.
Hic requieſcit à laboribus ſuis
JOANNES NEERCASSEL
Gorcomio-Batavus,
Ex Oratorii D. Jeſu Presbytero
Epiſcopus Caſtorienſis,
ac per Belgium fœderatum
Vicarius Apoſtolicus;
Ut dignitate, ſic
Opere, ſermone, ſcriptis, moribus,
Denique & vitâ verè Apoſtolicus.
Quod vixit,
Eccleſiæ & veritati vixit;
Illi paſcendæ, iſti tuendæ immortuus.
Veritatem
Sic deperiit, ut uni placere ſtuderet;
Sic docuit, ut unctio docere videretur;
Sic defendit, ut victricem ſemper faceret.
Eccleſiæ regendæ onus tremendum,
Quod horruit vocatus,
Subiit invitus,
Geſſit indefeſſus,
Oppreſſus pondere diei & æſtus,
Cum vita poſuit
In paſtoralis viſitationis curſu,
Zwollæ in Tranſiſulania
VIII. Idus Junii
Anno M. D. C. LXXXVI.
Ætatis LX. Epiſcopatus XXIV.

Fuit qui de Neercaſſelio longe aliter prædicandum cenſuit, atque adeo aliud Epitaphium prelo excuſum vulgavit in hæc verba deſinens. *Qui nova hujus dogmata ſectaris, ejus exitum perhorreſce.* In quæ inſurrexit aliquis emiſſâ quadam declamatione ſub hoc titulo: *Scarabæus à tumulo depulſus, ſive Epitaphium Reverendiſſimi Clariſſimique Viri Joannis Epiſcopi Caſtorienſis reſtitutum. Ircnopoli.* 1690. 4. ubi novum Præſuli ſcriptum Elogium verſibus his:

*Per quem Relligio ſtetit inconcuſſa fideſque*

*Magnanima & pietas & conſtans regula veri;*

*Errores inter medios, triſteſque procellas*
*Contemplare Virum; ſe contemplatur in illo*
*Rugis pulchra ſuis Patrum rediviva vetuſtas.*

De ſanctitate vitæ Neercaſſelii multa congeſſit Heuſſenius, uti & de quotidianis pietatis exercitiis, frugalitate, hoſpitalitate, modeſtia, aliiſque virtutibus: tum etiam de zelo ac vigore Epiſcopali, & de diſcretione in diſpenſandis miniſteriis Eccleſiaſticis, quibus ſicut non contradicimus, ita ut debitam ipſe mercedem conſequatur, optamus.

Ceterum Neercaſſelii leguntur iſta:

*Conſtitutiones ſervandæ à Presbyteris in fœderato Belgio laborantibus.* 8. *Bruxellis* 1668. *apud Franc. Foppens*: ſed rectius in Hollandia.

*De Sanctorum & præcipuè B. Mariæ Virginis cultu, Tractatus quinque.* 8. Coloniæ per Arn. de Eyden 1675. & gallicè Pariſiis 1679. nec non belgicè.

*Confirmatio in fide & ſolatium in perſecutionibus*; vernaculâ linguâ. 1070.

*Tractatus de lectione Scripturarum. Accedit Diſſertatio de interprete Scripturarum.* Embricæ 1677. & gallicè 1680. item belgicè. Hunc de lectione Scripturarum libellum Arnaldi judicio ſubmiſit, qui & nonnulla correxit. *Vide Cauſam Queſnell.* pag. 285.

*Epiſtola de Acatholicorum conjunctionibus matrimonialibus in Hollandia coram Magiſtratu ac Miniſtris eorum publicis*; 12. Kal. Jul. 1681. Extat in *Batavia ſacra part.* 2. *p.* 481.

*Amor pœnitens, ſeu de divini amoris ad pœnitentiam neceſſitate, & recto clavium uſu.* 2. *Vol. Embricæ* 1685. Hic liber 20. Junii 1690. Romæ prohibitus fuit donec corrigeretur. Anno 1684. eumdem permiſit judicio Antonii Arnaldi; à quo monitum accepit, ne in fine adjiceret, *in Petri Cathedra fidem eſſe indeficientem*, quod hæc verba præ ſe ferrent Pontificiæ infallibilitatis confeſſionem, & illa quidem jam in fine præfationis non leguntur. Cùm è Gallia profugus Queſnellus Bruxellas veniſſet, litteris 9. Martii 1685. ad eundem datis, gaviſum ſe ſcribit Neercaſſelius, quod *iniquitatem fugiens, Hollandis propinquior factus eſſet, cujus eruditio & doctrina ipſos certantes adjuvaret*, cui etiam ejuſdem libri editionem alteram commendavit.

*Diſſertatio qua expenditur, num nobilibus Catholicis in Hollandia jus competat pro arbitrio ſuo deſignandi ac nominandi paſtores ſuper populum Catholicum.* 4. ſine loco & anno typi. Sed videtur anno 1682. emiſſa contra Toparcham de Croonenburg.

*Canonicæ Animadverſiones in Diſſertationem Canonicam D. Nicolai Du Bois: in qua contra Reverendiſſimum Epiſcopum Caſtorienſem in Fœderato Belgio S. Sedis Apoſtolicæ Vicarium contendit nobilibus quibuſdam Catholicis in Hollandia jus competere, pro ſuo arbitrio, nominandi & præſentandi Epiſcopo ſeu Ordinario Paſtores.* 1683. Adeſt Appendix, exhibens judicia plurimorum Doctorum Lovanienſium & Vicarii Apoſtolici Diœceſis Buſcoducenſis *Guilielmi Baſſery*, poſtea Epiſcopi Brugenſis, qui omnes pro Neercaſſelio pronuntiant, hac in parte pro meritis laudando, quod Eccleſiæ libertatem vindicans, ſuffragantibus Miniſtris Apoſtolicis victor evaſerit.

*Brevis ac compendioſa Relatio, ſeu potius Annotatio Viſitationis per Daventrienſem potiſſimum Diœceſim anno Dom.* 1686 *ab Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo D. Joanne Neercaſſelio Epiſcopo Caſtorienſi, & per Fœderatum Belgium Vicario Apoſtolico; quam ipſe propria manu conſcripſit: deſcripſit vero, & juſſu præfati Reverendiſſimi ſui Antiſtitis complevit B. P.* (Bartholomæus Peſſerius) *qui fuit illi à ſecretis.*

De

*De adoratione in ſpiritu & veritate.* Item *de Sacramento Confirmationis*, pluresque apologetici *Amoris pœnitentis* libelli enumerantur ab Heuſſenio in *Bat. Sacra parte* 2. *p.* 484. qui hos Tractatus MSS. poſſidebat.

Neercaſſelii elucubrationibus merito adnumerandæ ſunt plures *Epiſtolæ paſtorales* variis occaſionibus excuſæ, de quibus meminit Heuſſenius, qui tamen indignam cenſuit, quæ in *Bat. Sacra* locum haberet, Epiſtolam Paſtoralem anno 1679. publicatam occaſione Decreti Innocentii XI. contra LXV. propoſitiones laxiores. Hæc præfixa eſt illi *Decretorum Apoſtolicorum* collectioni quæ Lovanii & alibi ſæpius vulgata eſt, & cujus quinta editio præfert annum 1707. De hac Paſtorali & vere Catholica Epiſtola vide *Hiſtoriam Eccl Ultraj. Corn. Pauli Hoynck Van Papendrecht* Art. XII. ubi ſimul intelliges, ex quo fonte hauſerit Neercaſſelius tantam ſententiarum diſſimilitudinem ac varietatem.

De reliquis ejus Scriptis etiamnum latentibus, hæc prodidit Heuſſenius: „ Condidit & 8. Octob. 1683. Monitorias Litteras, quibus cavebat, ne „ fraudatis propriis Eccleſiis, ac pauperibus, præcipue orphanis, oblationes ac eleëmoſynæ fidelium per „ gyrovagos ad exteras provincias aſportarentur. Eruditiſſimas præter „ hæc ad doctiſſimos præcellenteſque „ viros, quas Diſſertationes potiùs „ voces, Epiſtolas conſcripſit, de „ variis diſciplinæ capitibus, ad Anton. Arnaldum, alioſque. Sic & „ cum Ampliſſimo & Clariſſimo „ Viro, D. Snellartio, anno 1685. „ multa doctè diſputavit de ſucceſſione „ Anglorum Epiſcoporum, eane ſcilicet legitima eſſet habenda? Caſtorienſi Epiſcopo eam reprobante, eo „ quod presbyterium, baſim Epiſcopalis ordinationis, ut Sacramentum „ non agnoſcerent; Snellartio verò „ illam propugnante, & erudite adſtruente.

Latino ſermone donavit Jacobi Benigni Boſſuet Condomenſis primùm, dein Meldenſis Epiſcopi libellum inſcriptum: *Catholicæ fidei expoſitio.* 1682.

## JOANNES NICOLAUS PARIVAL,

Linguæ gallicæ primùm in Academia Leidenſi, deinde in Lovanienſi Profeſſor; evulgavit.

*Abregé de l'Hiſtoire de ce ſiecle de fer, contenant les miſeres & calamitez des derniers tems, avec leurs cauſes & pretextes, juſqu'au Couronnement du Roi des Romains Ferdinand* IV. in 8. Tomi tres primum editi Leidæ 1633. & Brux. 1658. Romæ prohibiti per S. Congregationem Ind. 4. Junii 1661. dein correcti Bruxellis prodiere 1663. apud Franc. Vivien.

*Louvain tres ancienne & Capitale Ville du Brabant* &c. 12. Lovanii apud Georg. Lipſium 1667.

*Grammaire & Dialogues françois & & latins.* 8. ſæpius recuſa.

## JOANNES NIELLIUS,

Natus Weſaliæ Cliviorvm, anno 1571. die XXIX. Octobris, Marpurgi Cattorum Jura didicit, docuitque. Obiit præmaturè Caſellis, anno 1597. v. Idus Januarii, annum ætatis vix egreſſus viceſimum quintum. Edidit

*Controverſias Juris Feudalis*, Diſputationibus XI. enucleatas. Marpurgi, 1596. & 1615. 4.

*Controverſias Juris Juſtinianei*, ad Inſtitutiones Juris, Diſputationibus XXXVI. opus poſthumum. Francof. 1613. 4.

## JOANNES NIVENIUS,

Scholæ antiquæ apud Amſteloda-

mum moderator, laudatur numeraturque inter celebriores Hollandiæ Poëtas ab Antonio Hovæo in Dialogo, quem Zuermundium inſcripſit. Neque Hollandia (inquit) noſtra Italicis comparandos plures habet quatuor, *Muſium* videlicet, *Junium*, *Nivenium*, & cujus etiamnum meſſis in herba eſt *Vribergum* &c. Deſcripſit carmine heroïco

*Tumultum Anabaptiſtarum*, Amſtelodami, anno 1535. exortum. Editum eſt in 4. ac terſius redditum, interpoſitis etiam penè ſexaginta verſibus, à *Cornelio Giſelberto Plempio*, 1630. 8.

## JOANNES NOYENS,

Alias Nouts, de Turnhouto, è nobili & noto Brabantiæ municipio, anno 1481. die ultimâ Februarii J. U. Doctor renunciatus Lovanii, unà cum Viris clariſſimis *Joanne de Thimo*, ad D. Petrum Lovanii poſtmodum Decano, & *Ludovico Roelants*, Brabantiæ dein Cancellario. Fuit & SS. Canonum & Inſtitutionum Imperialium aliquando Profeſſor, & anno 1492. è vivis exceſſit die 14. Septembris. Legitur illius liber, typis editus,

*De Dogmatibus Scripturæ.*

Item, non addito loci aut typographi nomine, *Caſus breves ad Corpus Juris Civilis*, in Germania excuſi.

## JOANNES OLIVARIUS,

Vulgò Olie-schlager, Gandenſis, J. C. Eloquentiæ Duaci Doctor, juvenis Lutetiæ *Adrianum Turnebum* & *Petrum Ramum* audivit, atque progreſſus eos fecit, ut annos natus vix XVII. græcas Gandavi doceret litteras, auctoreſque etiam difficillimos, Callimachum ac Pindarum, cæteroſque explicaret.

Hinc Duacum accerſitus, in Eloquentiæ ac græcæ linguæ Profeſſione *Lævino Pontano*, gentili ſuo, ſufficitur. Quantum in utroque dicendi genere præſtare potuiſſet, teſtantur Carmina in amicorum gratiam conſcripta. Recenſuit *Proſperi Aquitanici* Opera. Aliud ab illo ſcriptum aut relictum non puto. Obiit Syndicus ſcu Penſionarius urbis Cameracenſis.

V. C. Joanni Olivario Gandenſi J. C.
Juſtus Ryckius Gandenſis
Amico & concivi luſit.

*Quem toties Graiæ ramis præcinxit olivæ*
*Pallas, Athenæi præſes & ingenii:*
*Quem toties Latios ſpatiatum duxit in hortos*
*Incola Theſpiaci turba novena jugi,*
*Cernis Olivari buſtum: venerare, viator:*
*Non etenim arcanâ relligione caret.*

## JOANNES OLIVERIUS,

Societatis Jeſu, Baſtoniæ in Ducatu Luxemburgenſi natus, & Creutzenaci in Palatinatu Sociorum moderator denatus eſt. Ex Italico Latinè reddidit, ediditque Coloniæ,

*Joannem Dominicum Candelam*, ejuſdem Societ. *de Virginitate.*

## JOANNES ORANUS,

Leodienſis, Societ. Jeſu, à Superioribus in Gallias miſſus, Biturigibus vixit, Jacobo Cujacio Juriſconſultorum principi admodum familiaris, & Theologiam Lutetiæ Pariſiorum profeſſus eſt. Ex Hiſpanico *Petri Ribadineiræ*, ejuſdem Societ. latinè reddidit

*De Officio Principis Chriſtiani & Inſtitutione ejuſdem*, libros III. adverſus Machiavellum. Antver. apud Trognæſium, 1604. 4. Coloniæ & alibi.

Edidit præterea *Defenſionem* brevem *pro Societatis innocentia*, adverſus Lugduno-Batavos. Itemque *Epiſtolas de rebus Japonicis, Mogorenicis & Chinenſibus.*

Obiit Montibus Hannoniæ, anno 1612. pridie Kal. Junias.

## JOANNES ORLERS,

*Joannis* filius, civis, & quartùm Consul Urbis Lugduno-Batavæ ann. 1631. & 1641. &c. vernaculè edidit

*Descriptionem Urbis & Academiæ Leydensis.* 4. Ibid. 1641. unà cum serie Professorum.

*Genealogiam Comitum Nassoviæ*, in quâ Origo, incrementa & res gestæ ab anno 682. ad 1616. enarrantur; cum fig. fol. Lugd. Bat. 1616. item gallicè hoc titulo:

*Lauriers de la Maison de Nassau.* fol. ibid. 1615.

## JOANNES OTHO,

Brugensis, primò Gandavi juventutem utraque instituit linguâ: hinc Duysburgi Cliviorum, pòst Georgium Cassandrum, vixit & docuit. Ab ingenio illius hæc sunt:

*Introductio in Historiam Romanam.* Brugis, apud Hub. Goltzium, 1565. 8. cum Breviario Sexti Rufi Festi.

*Apophthegmata & Præcepta VII. Sapientum*, græco-latina, typis Plantini, in 8.

*Grammatica Linguæ Latinæ.* Coloniæ.

*Sententiæ insigniores & Apophthegmata illustriora è S. Scriptura.* Ibid. 1571.

*Descriptio brevis eorum, quæ a S. P. Q. Gandensi Philippo Austrio & Carolo V. exhibita fuere*, anno 1549.

Ἔκτυπωμα. sive *Topographia* ac *Chorographia* ejusdem *Urbis Gandensis.*

*Luberti Hautschilti* Abbatis S. Bartholomæi Eeckhoutani, *Vaticinium*, toti Flandriæ fatale, anno 1058. inchoatum, primus quoque in lucem revocavit.

Vertit præterea latinè è *Plutarcho* tria Opuscula, Gandavi cusa an. 1555. & 1556. *De Puerorum institutione* cum *Scholiis*: *De complurium amicitia*; & *de esu carnium* Commentarios duos, in 4.

Rebus humanis Duisburgi excessit anno salutis restauratæ 1581. VIII. Idus Junii. Epitaphium hoc si non à merito, vere ab effectu magnum addendum putavi: scripsit hoc patri sua filia Joanna Othonia; admirare in isto sexu.

D. O. M.

*Humanæ florem vitæ mors horrida tollit*
*E vita, & corpus mittit in exilium.*
*O mors dura! pios cur tollis ad æthera celsa?*
*Nonne fuit melius vivere perpetuo?*
*Morte suos repetunt ortus, mens astra revisit,*
*Unde sibi vitæ hæc fluxit origo prius.*
*At tenerum vili concretum ex pulvere corpus,*
*Haud longo rursum tempore pulvis erit.*
*Scilicet in cœli terraque marisque ruina,*
*Rursum erit in ficco hoc pulvere vita tibi.*
*Æternæ mortis, mors hic est corporis expers,*
*Ut vehat ad vitam quod fuit ante cinis.*
*Vive itaque* OTHONIS *vivi modo funere, lector*
*Admonitus, vivat sic quoque vita tibi.*

## JOANNA OTHONIA,

Gandavensis, *Joannis Othonis* filia, *Guilielmi Maiarti* in Comitio Flandriæ Advocati vidua, supra sexum erudita, quippe quæ Musas latinas lacessere ausa carmen pangeret neque inelegans, neque invitâ Minervâ. Cujus rei testimonio sunt,

*Carminum diversorum* libri II. editi Argentorati, 1616. 4.

Item *Poëmatia* sive *Lusus extemporanei*, Antv. Guil. à Tongris, 1617. 8.

## JOANNES OTTONIS,

In aula Sereniss. Archiducis Leopoldi, Belgarum Gubernatoris, quondam epheborum pœdagogus, dein fa-

vore ejuſdem Principis Canonicus in Cathedrali Eccleſia Gandavenſi, edidit libellum gallicum, *de Educatione heroïca Magnatum*. 12. Bruxellis apud Franc. Foppens 1655.

## JOANNES PALÆONYDORUS,

Sive de Aqua veteri, (quod Hollandiæ opidum eſt, vulgò *Oude-Water*, Græcis παλαιὸν ὕδωρ ſonat) Ord. B. Virginis de Monte Carmelo, vixit Mechliniæ; idem forte cum *Joanne Palædorpio*, aut *de Mechlinia*, qui (teſte Val. Andrea) *Speculum Hiſtoriale* anno 1500. ſcripſit. Obiit anno 1507. ætatis 74. Abbate Trithemio, cui familiaris vixit, recenſente, edidit

*Faſciculum Temporum* libris III. Libro I. probat *Eliam* & Prophetas Ordinis ſui extitiſſe auctores ac fundatores: ſecundo Sanctos ex eodem Ordine, & tertio ſucceſſiones Priorum Generalium recenſet. Item *Manuale ejuſdem*. Moguntiæ typis edita.

*Propugnaculum Carmelitarum*, ſive De antiquitate Ordinis Carmelitani. Venetiis in 4.

*Dialogum inter Carmelitam & Cartuſianum*.

*De puritate Conceptionis* B. Mariæ.

*Vitas Sanctorum ſui Ordinis*.

*Sermones de Tempore, & Sanctis, Epiſtolas &c.*

## JOANNES PALUDANUS,

Vulgò Vanden Broeck, Machlinienſis, Philoſophiæ præceptis Lovanii hauſtis, ſeptimus inter Magiſtros Artium renunciatus eſt anno 1585. Eloquentiam annos aliquot in Gymnaſio Falconis profeſſus, Parochi munus eadem in Urbe ad D. Gertrudem amplexus fuit; hinc Mechliniæ Paſtor Eccleſiæ B. M. V. primùm, dein SS. Petri & Pauli anno 1602, quo etiam, die nimirum 21 Maii, creatus eſt S. Th. Doctor. Tum ab anno 1610 Lovanium revocatus, ad D. Petrum Plebanus & Canonicus, Profeſſorque S. Th. primùm Ordinarius, dein SS. Litterarum Regius, Doctori Jacobo Janſonio datus ſucceſſor; nec non Archipresbyter Diſtrictûs Lovanienſis, ubique facundus ore ac linguâ, dum de Fidei Myſteriis è priſcis potiſſimùm Patribus ad populum verba facit. Scripſit

*Vindicias Theologicas, adverſus Verbi Dei corruptelas*, ſive Explicationem Catholicam locorum ferè omnium Sacræ Scripturæ, quæ controverti ab hæreticis & opponi doctrinæ Orthodoxæ plerumque ſolent, juxta Biblicorum librorum ordinem, Tomis II. Antver. typis Henr. Aertſii, 1620. & 1622. 8.

*Apologeticum Marianum*: quo libro D. Virginis laudes & prærogativæ juxta Litanias Lauretanas è SS. Patribus afferuntur. Lovanii, apud Henr. Haſtenium, 1623. 4.

*De S. Ignatio Concionem ſacram*. Ibid. 1623. 8.

*Officinam Spiritualem* ſacris Concionibus adaptatam. Ibid. typis Dormalii, 1624. 4.

Diem ſupremum obiit anno 1630. die XX. Menſis Febr. corporiſque exuviæ in templo Xenodochii (cujus loci Virginibus Præpoſitus aliquando fuerat) ante aram depoſitæ ſunt, inſculpto ad ſarcophagum hoc Epitaphio.

D. O. M. S. & Memoriæ
Eximii D. M. N. Joannis Paludani
Vulgo *Van den Broeck*, Machlinienſis,
S. Theol. Doct. & Profeſſoris Regii,
Qui poſtquam totos XX. annos
ad D. Petrum
hac in Urbe Plebanus ac Canonicus
optimè de Eccleſia Scholaque meritus
fuiſſet, Eccleſiaſtes voce facundus
ac ſtylo diſertus,

Moriens, in Xenodochio,
Cujus etiam loci præfecturam gesserat,
Sepulturam suam elegit.
Obiit anno M. D. C. XXX.
X. Kal. Martii
Vixit annos LXIV.
Menses VIII. dies X.

## JOANNES PALUDANUS,

Nervius, Poëta & Litterator, primùm Gandavi, inde Tornaci, pòst Montibus Hannoniæ juventutem docuit. In quo vitæ genere annos plus minùs triginta consumpsit. Reliquit

*Dictionariolum Puerorum*, idiomate latino, gallico, flandrico.

*Sententias elegantiores ex Isocrate* collegit, & alphabeti ordine digessit. Gandavi 1551. 8. excudebat Jod. Lambertus.

## JOANNES PASCHASIUS,

Machlinienſis, Carmelita, Doctor Theologus renuntiatus in Academia Lovanienſi anno 1504. Fuit Eccleſiaſtes egregius, ſtudiorum Regens apud ſuos Lovanii, Conventûs Mechlinie. ſis fæpius Prior; ac tandem à Carolo V. Cæſare conſtitutus hæreticæ Pravitatis Inquiſitor. Obiit anno 1526. Edidit

*Deſcriptionem Terræ Sanctæ*, quam anno 1517. perfecit. Lovanii, 1563. apud Hieron. Wellæum, vernaculè.

*Sermones* varios.

*In Magiſtrum Sententiarum*, &c.

De illo agit Eraſmus Epiſt. 856. ad Joannem Carondeletum Archiepiſcop. Panormit. *Mechliniæ Carmelita quidam* Paſchaſius, *ut ex multorum litteris ac epiſtolâ, publicitus è ſuggeſto debacchatur in linguas ac bonas literas, & nominatim in Collegium Trilingue, quod inſtituit Lovanii vir omnium ſæculorum memoriâ dignus* Hieronymus Buſlidius. *Agant hoc quod habent in mandatis, pugnent adverſus hæreſes: at bellum gerere cum his litteris, ſine quibus omnes reliquæ diſciplinæ mutæ ſunt, mancæ ſunt, cæcæ ſunt, plurimùm abeſt ab animo tum Cæſaris, tum Pontificis &c.*

## JOANNES PARVI,

Vulgo PETIT, ex Ordine FF. Minorum, Doctor Theologus Pariſienſis (natione Normannus, ſed in ſervitio Ducis Burgundiæ) vir fuit magnæ ob eruditionem & facundiam famæ. Declamavit anno 1407. publicè in atrio Baſilicæ B. M. Pariſienſis, *eædem Ludovici Aurelianorum Ducis à Joanne Burgundiæ Duce jure perpetratam eſſe:* dicens licitam eſſe necem tyranni. Verum paulò pòst, factione Aurelianorum prævalente, hæreſeos apud Univerſitatem Pariſienſem factus reus, exulare compellitur. Denum Noſocomio & largis ſtipendiis à Duce Burgundiæ donatus, Heſdinii in Artheſia anno 1414. fato functus eſt, ſepultus in Eccleſia FF. Minorum.

Extat inter Opera Joannis Gerſonis Tomo V. (editionis anni 1706, cura Lud. Ellies Du Pin) *Juſtificatio Ducis Burgundiæ ſuper cæde Ducis Aurelienſis, per Magiſtrum Joannem Parvum Doctorem in Theologia*; unà cum Actis Concilii Pariſienſis ſuper hac doctrinâ anno 1413. habiti, aliiſque documentis cò referendis. Vide etiam Illuſtriſſ. D. d'Argentré Epiſc. Tutelenſem, in in Collectione Judiciorum de noviseroribus, Tomo I. pag. 184.

Eſdem *Joannis Parvi Tractatus varii de Schiſmate, & aliæ Propoſitiones* MSS. extant in Bibliotheca S. Victoris Pariſiis, ſed parvi momenti habentur.

## JOANNES VAN PARYS,

Antverpienſis, è Societate Jeſu,

denatus octuagenario major in patria 23. Martii 1670. reliquit latinè

*Margaritam Euangelicam, ſeu Vitam Chriſti*, ex *IV.* Euangeliis ordinatè deſcriptam. 4. Antverpiæ 1657. recuſam ibidem 1660.

## JOANNES A PASTURA,

Sanctenſis, Gemblacenſis in Brabantia Monaſterii Ordinis S. Benedicti Prior; edidit

*Explicationem Pſalterii Davidici, & Hymnorum.* Lovanii 1560. 8.

Item *la Chronicque de l'Empereur Charlequint*, MS. Ibid.

## JOANNES PEECKIUS,

Los-Caſtrenſis, (quod eſt Diœceſis Leodienſis oppidulum) pictor ac ſcriptor, Cœnobii S. Laurentii ad muros urbis Leodicenſis Abbas; poſt Joannem Stabulanum, *Res geſtas Epiſcoporum Leodicenſium* ab anno 1449. à ſe deſcriptas, poſteris reliquit. Exſtant MSS. ibidem.

Obiit hic Abbas die 16. Julii 1510, anno Prælaturæ quinto.

## JOANNES PELSIUS,

Weſtphalus origine ex opido Rechlinchuſano, at longo incolatu Lovanienſis, eidem Univerſitati, dum viveret, ab Actis & Secretis, vir fuit induſtriæ ſingularis, ſtudii indefeſſi, experientiæ longè exploratæ, Canonicus item SS. Caſſii & Florentii Bonnenſis, & S. Petri Anderlechtenſis. Moriens ſubſtantiam bonaque ſua univerſa reliquit fundando & dotando Collegio Weſtphalico in eadem Academia. Deceſſit autem anno 1584. die XXVIII. Aprilis. Scripſit

*Proceſſum Judiciarium*, editum à morte auctoris ſtudio Chriſtophori Wintzleri Rechlinchuſani J. U. D. celeberrimi, Coloniæ, 1598. 8. typis Ger. Grevenbruchii. Hic liber, unà cum Pelſii *Formulario Advocatorum & Procuratorum*, denuò prodiit in 4. Coloniæ apud Metternich anno 1710, unà cum *Tractatu Wintzleri de Juriſdictione Epiſcoporum Germaniæ.*

## JOANNES PESSELIUS,

Tilę ad Vahalim in Gelria natus, Ordinem FF. Prædicat. in Conventu Colonienſi amplexus, Theologiam ibidem annos plures profeſſus eſt; gradum quoque Magiſterii obtinuit, totamque Provinciam Theutoniæ rexit Prior Provincialis. Obiit circa annum 1550, poſteaquam edidiſſet

*Omnium Operum D. Auguſtini Epitomen*, primùm quidem copioſè ac ſiniſtrè collectam à *Joanne Piſcatorio* hæretico, dein ab ipſo *Peſſelio* recognitam, auctam duplo, & Catholico ſenſui redditam. Cui acceſſit ejuſdem operâ, *ex eodem Auguſtino collectus de VII. Sacramentis* Tomus VI. Coloniæ typis Melch. Noveſiani 1535. 1539. 1542. 1549. in fol.

Item *Nicolai Gorrani ejuſdem Ordinis S T.D. Commentarium in IV. Evangelia*, nunquam antehac excuſum recenſuit & evulgavit Coloniæ apud Petr. Quentel 1537. fol.

## JOANNES LE PESSIER,

Tornacenſis, natus anno 1596. Societ. Jeſu, Litteras humaniores, Philoſophiam ac Matheſin Duaci profeſſus, non unius Collegii Rector fuit. Edidit

*Incitationem ad amplexum Crucis*, ex ipſis verbis *Thomæ de Kempis* contextam. Pluraque alia editioni parata habuit, de quibus vide Bibliothecam Scriptorum Societ. Jeſu.

Obiit Tornaci 17. Octobris 1646.

## JOANNES PICARDI,

De Luxemburgo, in Ordine FF. Prædicatorum claruit, circa annum 1310. Provinciæ Theutoniæ Prior Provincialis, Eccleſiaſtes celebris & in Academia Pariſienſi S. Th. Magiſter. Fuit & Henrico VII. Imp. carus, ab eoque ad Robertum Siciliæ Regem aliquando Legatus. A morte vero ejuſdem Imperatoris, anno 1313. ad ſuos reverſum, Epiſcopum Ratiſponenſem electum fuiſſe, dicunt paſſim Scriptores Dominicani; ſed nullus ei locus relinquitur in accuratiori horum Epiſcoporum ſerie. An forte Epiſcopus in partibus fuerit & Ratiſponenſis Præſulis Suffraganeus, & hoc incompertum hactenus. Ita P. Echard de Scriptor. Ordinis ſui, Tomo I. pag. 523.

Scripſit autem *Summam Theologicam*,

Item *Sermones Quadrageſimales*, *Dominicales & Sanctorum per annum.*

## JOANNES PICARDT,

Tranſiſalanus Batavus, Calvinianæ ſectæ Theologus, Miniſter apud Coevordienſes, ac ſimul Doctor Medicus, ſermone vernaculo evulgavit

*Antiquitates Provinciarum* ad mare boreale, Iſſelam, Emſam &c. quibus accedunt

*Annales Drenthiæ* &

*Chronicon Covordienſe*. Prodierunt anno 1660. Amſtelod. in 4. cum fig.

## JOANNES PIGNEWART,

Boneffienſis Monaſterii in Comitatu Namurcenſi Religioſus, edidit

*Epigrammata in honorem Sanctorum, de quibus ſecundum uſum Ord. Ciſtercienſis Feſtivitates celebrantur.* Lovanii, typis Haſtenſi, 1604. 4.

## JOANNES PISANUS,

Cameracenſis, Philoſophus & Mathematicus, *De Optica* librum conſcripſit, qui vulgò *Perſpectiva communis* vocatur, à *Georgio Hartmanno* emendatum, atque excuſum Norimbergæ, 1542.

## JOANNES PISCINARIUS,

Gravianus, Brabantus, edidit *Poëmata Sacra*. Pariſ. 1538. typis Colinæi.

## JOANNES PLACENTIUS,

Aliàs JOANNES LEO PLACENTIUS, vulgò PLAISANT, Trudonenſis, Ordinis S. Dominici Cœnobii Trajectenſis ad Moſam, litterarum fundamenta jecit Silvæducis apud Hieronymianos Sodales: Theologiæ operam dedit apud ſuos Lovanii. Obiiſſe creditur Trajecti circa annum 1548. Scripſit

*Catalogum Antiſtitum Tungrenſium, Trajectenſium ac Leodicenſium*, ad Erardum à Marca, Cardinalem Epiſcopum Leodicenſem. In quem multa ex fabuloſis & anilibus relata ſunt Annalibus: ſed *Placentius* ut reperiebat, ita & tradidit: inquit Hubertus Thomas Leodius, in Præfat. Commentarii ſui de Tungris & Eburonibus. Antver. 8. apud Guil. Vorſtermannum, 1529. item & Amſtelod. 1633. in 24. curante Marco Zuerio Boxhornio.

*Dialogos* item duos. Prior *Clericus Eques* inſcribitur: alter *Luciani Aulicus*, verſu Phaleucio. Ibid. 1535. 8. apud Simonem Cocum.

Carmen heroïcum, cui titulus: *Pugna Porcorum:* dictionibus ſingulis à P. litterâ incipientibus: cujus hæc Præfatio: *Potentiſſimo Porcianorum Patrono, P. Porcius Poeta proſperitatem precatur. Poſtquam porci publicè putamur, potentiſſime Patrone, placuit porcorum pugnam poëmate pangere, potiſſimùm proponendo pericula pinguium Prælatorum*, &c. Carmen vero ſic incipit.

*Præcelſis proavis pulchrè prognate Patrone &c.*

*Plaudite porcelli, porcorum pigra propago*

*Progreditur; porci plures &c.*

Ad eum planè modum & artem, laudem Calvitici quondam Carolo Calvo Imp. inſcripſerat Hucbaldus, Monachus Elnonenſis (de quo ſupra pag. 490.) vocabula ſingula orditus à litte-C. Ob hanc vero utriuſque Carminis affinitatem, unà prodierunt Lovanii apud Hieron. Wellæum 1546. Illud vero *de Porcis* iterum Leidæ 1644. Inſulis 1689. & alibi.

Præter-ea *Joanni Placentio* attribuuntur in Bibliotheca Scriptorum Ord. Prædic. per P. Echard Tomo I. pag. 134. hæc MSS.

*Chronicon à temporibus Apoſtolorum ad annum* 1408.

*Antiquitates Tungrenſes & Moſætrajectenſes.*

*Amplitudo civitatis Leodienſis.*

*De Reliquiis Trajecti aſſervatis*, & alia plura.

## JOANNES POLCH,

Reimbacenſis, S. T. L. Archidiaconalis Collegiatæ & Parochialis Eccleſiæ S. Cuniberti in Colonia Canonicus Capitularis & reſpectivè Paſtor, edidit germanicè anno 1664. *Theſaurum abſconditum in agro Euangelico J. C.* qui mox in flandricum, dein anno 1673. in gallicum tranſlatus prodiit in 12. Brux. apud Lamb. Marchant.

## JOANNES POLITUS,

Leodius, J. U. Doctor, Erneſti Bavari, Electoris Colonienſis Principis, Hiſtoricus, & Poëta non inelegans, luſit variis Epigrammatibus & Chronographicis verſibus

*Inaugurationem Erneſti Bavari*, Leodicenſium Epiſc. ac Principis verſu & proſâ. Coloniæ 1583. 8. apud Gymnicum.

*Panegyricos ad Chriſtiani orbis Principes & Ubiorum atque Eburonum aulæ primores.* Ibid. 1589. 4. apud Goetſr. Kempenſem.

## JOANNES POLMAN,

Tubecanus (vernaculè *Tubiſe* dicitur Diœc. Mechlinienſis Parochia apud Hallas Hannoniæ) S. Th. Licentiatus in Academia Duacenâ, dein Eccleſiæ Metropolitanæ Cameracenſis Canonicus Theologalis. Obiit anno 1649, relictâ Fundatione Lovanii in Collegio Pontificio. Scripſit,

*Breviarium Theologicum* incipientibus utiliſſimum, 8. Lovanii & alibi ſæpius recuſum, ac noviſſimè Mechliniæ anno 1729. cum præfatione Hieronymi Stevart, S. T. L. Decani Metropolitici.

*Le chancre ou couvre-ſein feminin, & le voile ou couvre-chef feminin*, ſuper hoc textu Genes. 20. *Hoc erit tibi velamen oculorum.* 8. Duaci 1635.

## JOANNES POLYANDER A KERCKHOVEN,

E patricia apud Gandavenſes familiâ oriundus, patre Joanne, quondam apud Emdanos Calvinianæ ſectæ Miniſtro, matre Chriſtinâ van Houten; Metis in Lotharingia natus eſt anno 1568. die Martii 26. A primâ juventute vitam egit motoriam, parentibus è Belgio propter Calvinianam hæreſim proſcriptis: ac primùm Franckendaliæ in Palatinatu educatus, Emdę ac Bremæ latinis græciſque litteris imbutus, Heidelbergę Philoſophiæ ac Theologiæ ſtudio eruditus.

Anno ætatis ſuæ xx. Genevam ſtudiorum abſolvendorum cauſſâ profectus,

ctus, Theodori Bezæ atque Antonii Faii lectiones ædesque frequentavit. Dein à Gallo-Belgis Calvinianis in Hollandiam vocatus, postquam Leidę aliquot mensęs Minister substitisset, a Dordracenis ad prædicationem Gallicam desideratus, id muneris annos xx. sustinuit : simulque ejusdem Senatûs postulatione, Logicam & Ethicam in Schola Dordracena extra ordinem per triennium & ultra professus est.

Tum anno 1611. ætatis suæ 43, à Curatoribus Academiæ Lugduno-Batavæ ad professionem Theologicam evocatus, Rectoratum Academicum usque octies gessit, cui & immortuus est. Opuscula illius hæc sunt, pro Calviniana hæresi pleraque contra Theologos Catholicos edita.

*Poemata varia*, Genevæ & Heidelbergæ.

*Harmonia locorum S. Scripturæ primâ fronte discrepantium*, ab ipso ordine posita; prodiit gallicè 1599.

*Historia Andreæ Demetrii, de Græcorum ortu & interitu*, in gallicum translata & edita 1602.

*Theses Logicæ & Ethicæ.* 1602.

*Disputatio adversus invocationem SS.* gallicè 1607.

*Responsio ad interpolata. Anastasii Cocheletii Ord. Carmel. Doctoris Sorbonici Sophismata.* 1610.

*Disputatio contra adorationem Reliquiarum*; gallicè 1611.

*Syntagma Exercitationum Theologicarum* 1621.

*Explicatio Jonæ Prophetæ.* belgicè, Leidæ 1626. in 4.

*Translationi Bibliorum in Linguam Belgicam*, unà cum aliis Theologis Calvinianis, à Fœderatis Ordinibus deputatus fuit.

Tandem die 4. Februarii 1646, ætatis anno 78, Lugduni-Batavorum diem obiit supremum; pro funere laudatus à *Friderico Spanheimio*; sepultus ibidem in Ecclesia D. Petri, sub mausolæo magnificè elevato, atque hoc Epitaphio.

Deo opt. max. sacrum.
Æternæ memoriæ
Reverendi & Nobilissimi Viri,
D. JOHANNIS POLIANDRI
A KERKHOVE,
Ex antiquissima & nobilissima
Kerkhoviorum Gandavensium Familia,
in Ecclesia Gallo-Belgica Dordrechtana
Annos XX. Pastoris,
In Academia Lugduni-Batavorum
Doctoris & Professoris primarii
Ann. XXXV.
Octies Rectoris Magnifici,
& XXIII. Synodi Gallo-Belg. Præsidis.
Hic pietate, prudentiâ probitate,
Morum suavitate,
Liberalitate, animi moderatione,
Pacis & concordiæ amore
Nemini secundus,
Omnibus gratus & charus,
Nulli gravis,
In docendo perspicuus,
In disputando promptus,
In concionando facundus,
Memoriæ & judicii incomparabilis,
Eâdem quâ vixit, tranquillitate,
Placidè supremum diem clausit,
In fine Rectoratûs sui octavi,
M. D. C. XLVI. IV. Febr. ætat. suæ 78.
JOANNES A KERKHOVE,
Heinvlietæ Dominus,
Saltuum Hollandiæ Præfectus,
Filius unicus, mœrens posuit.

JOANNES A PORTA,

S. Theol. Licentiatus, Pastor Vracenensis in Wasia apud Flandros, pòst Canonicus Cathedralis Audomaropolitanæ, edidit Flandricè

*Relationem Disputationis de Præsentia Christi in SS Eucharistia* habitæ cum Joanne Westphalo Ministro Pitsenborchio. Antver. 1591. 8. apud Keerbergium.

*Maſſam Iconoclaſtarum*, ſive De vero uſu ſacrarum Imaginum. Ibid. 1591. 8.

## JOANNES PRÆPOSITUS,

Vulgò LE PREVOST, Atrebas, Societatis Jeſu, vir eminentis doctrinæ & vaſtæ mentis, in puſillo nec optimè formato corpuſculo, Philoſophiæ curſum docendo bis abſolvit Duaci; Theologiam verò Scholaſticam totis XVI. annis in Collegio primùm Lovanienſi, deinde Aquicinctino Duaci profeſſus eſt, Doctor creatus Theologiæ anno 1617. unà cum tribus aliis ex eadem Societate. Scripſit

*Commentaria in tertiam Partem Summæ Theologiæ S. Thomæ, de Incarnatione Verbi divini, Sacramentis & Cenſuris.* Duaci, 1629. typis Gerardi Patté, fol.

Item *in primam Partem de Deo uno & trino, de Angelis, & operibus ſex dierum.* Ibid. 1631. fol. & denique *In Primam Secundæ.*

Moritur Montibus Hannoniæ anno 1634. ætatis LXIII. die VIII. Junii.

## JOANNES DE PRATIS,

Vulgò DES-PRETZ, natus in vico Arteſiæ, dicto Beauvoir, Epiſcopus & Par Lingonenſis in Gallia, & poſtmodum Epiſcopus Tornacenſis ordine LX. ſcripſit

*Vitas Ludovici X. Philippi V. Caroli IV. & Philippi VI. Regum Franciæ.*

Moritur Cameraci anno 1349. ſepultus Tornaci, hoc Epitaphio

*Ecce Jacob, totus accenſus amore Rachelis,*
*Paſtor devotus, ſervus vigil atque fidelis,*
*Præſens devotis Paſtoribus aſſimilare*
*Se ſatagens, quos ſic Lucas typicè vigilare*
*Teſtatur. Paſtor bonus hic, magnuſque Sacerdos*
*Extitit, eſt agnus, animæ detur (rogo) ter dos.*
*In bino Jure magnus, magnæque ſtaturæ,*
*Regalis curæ conſul, cui gratia puré*
*Nomen conceſſit; ſic quis per dicta pateſcit*
*Iſte* JOANNES *ſit* DEPRATIS; *cui requies ſit.*

## JOANNES,

Presbyter Leodienſis, floruit circa annum 1350, & conſcripſit

*Geſta Pontificum Leodienſium*, orſus à morte Henrici III. de Geldria, ita barbarè & obſcurè, inquit alibi Joannes Chapeavillius, ut quid velit pleriſque in locis magis ſuſpicari liceat, quàm intelligere.

## JOANNES PRICHESIUS,

Aliis JOANNES DE TONGRIS (non ab urbe Hasbaniæ, ſed à vico Hannoniæ ſic dictus) Religioſus Præmonſtratenſis & Abbas Viconienſis, fuit S. Theologiæ Doctor, magnique nominis in Pariſienſi Academia Profeſſor; Guilielmo I. Hannoniæ Comiti ejuſque conjugi Joannæ Valeſiæ imprimis charus: quibus opera varia gallico ſermone inſcripſit. Tandem anno 1311. dimiſſo Abbatiali pedo, Ordinem FF. Minorum complexus eſt. Edidit autem

*In III. priores Libros Magiſtri Sententiarum libros VI.*

*Quæſtionum Quodlibeticarum & ordinariarum librum.*

*Alphabetum Vitæ Religioſæ*, Libris VI. Authores novæ Galliæ Chriſtianæ Joannem hunc à Tongris à Pricheſio diſtinguunt, ac duos proinde Abbates conſtituunt; verùm, judicio *Petri Waghenarii* in Bibliotheca Scriptorum Præmonſtr. minùs rectè.

## JOANNES PUPPER,

Gochtæ in Clivia natus, Sacerdos, ac primus per annos plures Rector ſeu Confeſſarius Monialium S. Salvatoris

in Thabor, Ord. S. Auguſt. olim juxta, nunc intra Mechliniam: quarum primas circa annum 1460 adduxit è Monaſterio S. Mariæ Magdalenæ Sluſis in Flandria: hinc & earum fundator principalis habetur. Moniales LX. ad profeſſionem recepiſſe legitur.

Familiaris erat Weſſelo Hermanni, ſeu Baſilio Groningano, erudito quidem Sacerdoti, ſed novitatum ſtudioſo, ac neceſſariam Eccleſiæ reformationem ad nauſeam provocanti. In eodem itaque ſenſu abundans *Pupperus*, ſcripſit

*De libertate Chriſtianæ Religionis.*
*De Gratia & Fide.*
*De Scripturæ ſacræ dignitate.*
*De Scholaſticorum ſcriptis.*
*De Statu animæ poſt vitam.*
*De reparatione generis humani per Chriſtum.*
*De Votis & Obligationibus*: omnia in Germania edita, neque paſſim diſtracta. Unde Patres Concilii Tridentini in prima damnatorum Operum claſſe ea notarunt.

Obiit *Pupperus* anno 1475. die 28. Martii, ſepultus in veteri Eccleſia dictarum Monialium de Thabor, juxta Mechliniam.

## JOANNES RAMIREZ,

Trajecti ad Moſam natus anno 1595. Societ. Jeſu iniit 1613. ac demum exuit mortalitatem Aloſti 28. Aprilis 1640. Evulgavit

*Septem Exercitia, cum nonnullis piis Opuſculis.* Lovanii.

## JOANNES RAMUS,

Goezæ Zelandicis in Inſulis anno 1535. pridie Kal. Martias natus, Eloquentiam & græcas Litteras Viennæ Auſtriæ juvenis admodum docuit; & è græco expreſſit *Scutum Herculis*, quod Heſiodo tribuitur: editum typis Oporini, cum ceteris Heſiodi libellis.

Luſit præterea *Epigrammata* varia: itemque *Elegias* aliquot *De Geſtis Archiducum Auſtriæ*: Et *Nicolai Secundini Rerum Turcicarum* libris alterum adjecit.

Pòſt Juri utrique navatâ operâ, Laureaque Doctorali Lovanii anno 1559. v. Nonas Octobris, unà cum *Joanne Molinæo* & *Petro Vander Ano* inſignitus, Regiis ibidem auſpiciis Inſtitutiones Imperiales identidem explanavit, eâ docendi methodo, ut pleraſque Juris materias inde à reconditis Antiquitatum & Philoſophiæ præceptis repeteret.

Lovanio Duacum, ad novam ea in Urbe coloniam Academicam, anno 1562. unâ cum Collega *Joanne Venduillio* dein Tornacenſi Epiſcopo aliiſque accitus, ibidem Jus Civile pari docendi dicendique peritiâ ac facundiâ interpretatus eſt.

Triennio hîc exacto, ab Ordinum Brabantiæ Delegatis ſtipendio ampliori Lovanium revocatus, majori etiam ſtudio atque audientium concurſu fructuque Jus Pandectarum prælegit; diſcipulum inter alios nactus *Dionyſium Gothofredum*, qui præceptorem ſuum laudat, ad librum I. Digeſt. De Regulis Juris.

Demùm in iſtis ſeceſſionibus, & turbis Belgicis magis magiſque invaleſcentibus, Dolam Sequanorum conceſſit: verùm conſcenſâ vix cathedrâ è vita deceſſit, anno 1578. VII. Kal. Decembris, die S. Catharinæ ſacro. Reliquit in Jure

*Oeconomiam* ſeu *Diſpoſitionem Regularum utriuſque Juris.* Lovanii, 1557. apud Gravium, & Coloniæ, 1592. in 8.

*Commentarios methodicos ad eaſdem J. U. Regulas*; quos unà cum *Tractatu De Analogia Juris & facti*, evulgavit Lo-

vanii Clariſſ. Valerius Andreas, apud Coenestleyn. 1641. in 4.

*Orationem Apologeticam pro Juriſprudentia* Simul edita Lovanii 1641.

*Commentarium ad Titulos XI. De Tutelis*, ex Libro Inſtitut. Imperialium. Ibid. 1557. 8.

Prælectiones ejuſdem in Pandectas uſque ad Tit. De Tutelis, à multis tranſcriptæ lectæ fuerunt, prelo digniſſimæ.

## JOANNES RASOIR,

Decanus Eccleſiæ Colleg. B. M. ad Aulam Comitis Valenceenis, anno 1515. jubente Maximiliano I. Cæſ. evulgavit ſequens Manuſcriptum.

*Eclairciſſement des Droits de Marie de Bourgoigne femme de Maximilien I. Empereur, ſur les Duchez de Bourgoigne, Comtez d'Artois, Chatelenies de Lille, Douai, Orchies* &c. Citatur à P. Le Long in Bibliotheca Scriptorum Galliæ Num. 11977.

## JOANNES REYGERSBERGIUS,

à Cortgena (ut ipſe in Chronico teſtatur) Zelandiæ quondam opidulo ad ad oram inſulæ ſeptemtrionalis Bevelandiæ, primus ipſe concinnavit idiomate patrio, atque ex fide, omiſſis explosiſque fabularum deliriis,

*Chronicon Comitatus Zelandiæ*: editum Antver. 1551. 4. typis Henr. Petri, & rurſum Middelburgi 1634. apud Adr. Romanum; ac cum Notis Marci Zuerii Boxhornii Hiſt. Prof. Leid. 1644.

## JOANNES REYS,

Tungrenſis, poſt Theologiæ ſtudium ſpiritu Dei ductus vitam Canonicam in Corſendoncano Regularium Cœnobio, apud Turnhautum Brabantiæ, profeſſus, atque inde in patriam miſſus ad ejuſdem Ordinis Cœnobium noviter erectum, eidem primus Prior cum laude & fructu præfuit, ac Tungris obiit anno 1454. die XVIII. Octobris. Scripſit

*Vitas Sanctorum* Tomis tribus.

*Summam ſacræ Theologiæ.* MSS. apud Regulares Tungrenſes.

## JOANNES RICHARDUS OSSANÆUS,

Silvæ-ducenſis, J. U. Doctor & & Profeſſor in Academia Ingolſtadienſi, poſt Cameræ Imperialis Aſſeſſor, edidit

*Diſputationem Canonicam de Decimis.* Ingolſtadii, 1572. 8.

## JOANNES DU RIEU,

Sive A Rivo, Leodienſis, homo laïcus, nulloque litterarum gradu inſignitus, ſcripſit gallico ſermone libellum, cui titulus:

*Veritas hominis ſimplicis, ad Hæreticorum hujus temporis Quæſtiones reſpondentis.* Leodii apud Joan. Tournay, 1635.

## JOANNES RISERIUS,

Amſtelodamenſis, Batavus, natus anno 1572. Societ. Jeſu, maximam ætatis partem in Hollandica Miſſione egit annis prope XL. Demum Antverpiæ ſenio confectus deceſſit 16. Martii 1650. Edidit

*Elogia ad Imagines Sanctorum Virorum & Fœminarum Eremicolarum.*

## JOANNES RIVIUS,

Lovanienſis, *Gerardi*, Typographi filius, Ord. Eremit. S. Auguſtini Do-

ctor Theologus Univerſitatis Trevirenſis, humanis diviniſque Litteris probè excultus, neque minus in rebus Hiſtoricis & Politicis verſatus. Artem dicendi ac diſſerendi apud ſuos non uno in loco profeſſus, Lovanii in ſui Ordinis Conventu Regens Studii Scripturæ ſacræ Interpretem egit. Præfuit quoque titulo ac munere Prioris Conventui Leodienſi, Viſitatoriſque ac Prioris Provincialis anno 1643. toti Ordini per Belgium. Edidit

*Poëmatum* libellum. Antverp. 1629. 12. typis Henr. Aertſſens.

*Zodiacum Myſticum*, ſive Analogiam Zonæ Auguſtinianæ, è gallico *Caroli Moreau*, ejuſdem Ord. Religioſi. Torn. 1628.

*Panegyricum in feſta S. P. Auguſtini.* Tornaci in 8. 1631.

*Diarium Obſidionis Lovanienſis*, ab exercitu gallico & batavico anno 1635. intentatæ. Lovanii, apud Pet. Pangartium, 1635. 4.

*Epicedion P. Cornelii Curtii.* Lovanii. 1638.

*Vitam S. Auguſtini*, ex illius Operibus atque ipſis verbis ordine Chronologico contextam, lib. IV. Antverp. 1646. in 4.

*Rerum Francicarum Decades IV.* Bruxellis typis Mart. Boſſuyt 4. 1651.

*Annales Conventus Lovanienſis.* MS. Lovanii.

*Rudimenta tumultuum Belgicorum.* MS.

*Tractatum de Arcibus, Caſtellis, Agrariis limitancis, & mediterraneis.* libros III. MS.

*Anaſtaſin Auguſtinianam*, ſive *de Scriptoribus Ord. Eremitarum S. Auguſtini* operas ſubſidiarias, aliaque editioni parata habebat, quæ extant MS. Lovanii.

Porrò idem *Rivius* ad Epiſcopatum Buſcoducenſem poſt obitum Joſephi à Bergania, qui ſimul Archiepiſcopus erat Cameracenſis, à Rege Catholico Philippo IV. nominatus fuit. Sed per Tractatum Pacis Monaſterienſis anno 1648. cum Hollandis initum, nominatio iſta effectu caruit, ut teſtatur ipſe Philippus Rex in litteris ad Archiducem Leopoldum, Belgii Gubernatorem datis anno 1649. 22. Martii, quibus & dictum Patrem nominatim commendat, *pro primo in hac Patria Epiſcopatu vacaturo.* Extant Lovanii originales Litteræ.

Mortuus eſt ſenex Lovanii anno 1663.

## JOANNES ROBERTI,

Societ. Jeſu Theologus, naſcitur in municipio S. Huberti, quod in Eburonibus apud Arduennates eſt, anno 1569. die IV. Auguſti. Puer litterarum fundamenta Leodii jecit: Coloniæ ad Rhenum Philoſophiæ operam dedit, atque in Societatem anno 1592. ingreſſus eſt. In hac inſignia Doctoratus in S. Theologia Moguntiæ accepit, eamdemque ibidem ac Duaci, Treveris atque Herbipoli plures annos cum inſigni eruditionis fama profeſſus eſt.

Obiit Namurci 14. Februarii anno 1651. Multa ſcripſit, quorum hic elenchus:

*Parallela SS. Miſſæ & Cœnæ Calviniſticæ.* Treveris, apud Henr. Bock, 8.

*Diſſertatio de Superſtitione.* Ibid. 1614. 16.

*Myſticæ Ezechielis Quadrigæ*, hoc eſt *Sancta IV. Euangelia hiſtoriarum & temporum ſerie vinculata*, græcè & latinè. Moguntiæ, typis Joannis Albani, 1615. fol.

*Anatome Magici libelli Rodolphi Goclenii De curatione Magnetica per Unguentum Armarium.* Treveris, 1615. 12.

*Metamorphoſis Magnetica Calvino-Gocleniana, quâ Calvino-dogmatiſtæ, & imprimis* Rodolphus Gochlenius *ſtupendo Magnetiſmo in Giezitas migrant, & alia*

*myſteria mirificiſſima deſcribuntur.* Accedunt *Conſiderationes aliquæ ad* Marcum Antonium de Dominis, *quondam Archiepiſcopum Spalatenſem, nunc in Angliam profugum, ſuper conſilio ab ipſo expoſito fugæ ſuæ.* Leodii, 1618. 8. apud Joan. Ouwerx.

*Goclenius beautontimorumenos*, id eſt, *Curationis Magneticæ & Unguenti Armarii ruina*, adverſus Goclenii *Magneticam Synarthroſin* &c. Luxemburgi, 1618. 8. apud Hub. Reulandt.

*Goclenius Magnus ſeriò delirans*, adverſus libellum ejus, quem *Moroſophiam* inſcripſit. Duaci, 1619. 12. apud Arn. Wion.

*Curationis Magneticæ & Unguenti Armarii magica Impoſtura*, ſive *Reſponſio ad Diſputationem Joan. Bapt. ab Helmont* &c. Luxemb. 1621. 8.

*Eccleſiæ Anglicanæ baſis Impoſtura*, adverſus duas Synodos Anglicanas. Ibid. 1619. 24.

*Contemptus mundi*, auctore anonymo. Opuſculum pium verſu rythmico conſcriptum, *à Joanne Roberti* publicatum. Ibid. 1618. 8.

*Flores Epitaphii Sanctorum*, libris IV. auctore *Thiofrido* Abbate Epternacenſi, Ord. S. Benedicti, cum *Notis Roberti*, qui & *Vitam* auctoris addidit. Ibid. 1619. 4.

*Nathanael Bartholomæus:* Demonſtratio, quâ clarè probatur, *Nathanaelem* eſſe ipſum Apoſtolum *Bartholomæum.* Duaci, typis Arn. Wion, 1619. 4. Quod argumentum etiam tractavit *Barthol. Gavantus* ad calcem *Theſauri ſacrorum Rituum.*

*Hiſtoria S. Huberti*, ultimi Tungrorum & primi Leodienſium Epiſcopi, cum *Notis & Paralipomenis.* Accedunt *Quæſtiones Hubertinæ*, tum hiſtoricæ, quæ Vitam ejus concernunt, tum Theologicæ, quæ agunt de curationibus, quæ in Abbatia Hubertina fieri ſolent, utrum ſcilicet aliquid ſuperſtitionis contineant. Luxemburgi 1621. in 4.

*Sanctorum quinquaginta Juriſperitorum Elogia*, contra populare commentum de ſolo S. Ivone. Leodii. 1632. 12.

*Vita S. Lamberti*, XXIX. Tungrenſis Epiſc. & Martyris. Ibid. 1633. 8.

*Legia Catholica:* quâ oſtenditur Leodie..es Epiſcopos omnes à S. Materno (quem S. Petrus Apoſtolus miſit) Catholicos fuiſſe &c. Ibid. 1633. 16.

*Confeſſio Fidei Eccleſiarum Reformatarum* (ut prætenditur) *Belgii*, convicta falſitatis in omnibus ſuis articulis, contrariis doctrinæ Eccleſiæ Romanæ &c. Gallicè. Leodii apud Joan. Tournay, 1642.

## JOANNES DE ROEST,

Ex caſtro & Dominio de Roeſt, Diœceſis Leodienſis, Canonicus Regularis Ordinis S. Auguſtini Tungris Eburonum, ſcripſit de rebus piis atque aliis pro Religioſorum eruditione inſtructioneque,

*Faſciculum Florum*, partibus III. diſtinctum. MS. apud Regulares Tungrenſes.

Obiit Thenis apud Brabantos, anno 1534. die XII. Novemb. Rector Monialium in Cabbeeck.

## JOANNES ROYARDUS,

Aldenardenſis, Flander, Ordinis FF. Minorum Theologus & Eccleſiaſtes diſertus, ſuoque tempore phœnix, floruit etiam Antverpiæ: unde deceptus Sixtus Senenſis Antverpianum credidit. Fuit inſignis Verbi Dei præco, atque Ordinis ſui in Regno Scotiæ Commiſſarius Generalis. Edidit

*Homilias in Epiſtolas & Euangelia Quadrageſimalia.* Antver. 1538. Pariſ. apud Renatum Aprilem 1544. & 1554. 8.

Adjecta eſt *Apologia contra Zelotem:* item *Soliloquium ſeu Formula Deum precandi.*

IOANNES ROMMEL
IVI. Senatui Iurisdictionis Brugensis, a Consilys et Actis obyt Anno M. DC. XXXL. ætat XC.

P. de Jode sculpsit

*In Epiſtolas & Euangelia Dominicalia.* Coloniæ, 1550. Antver. 1553. Lugd. 1573. 8.

*In Epiſtolas & Euangelia Feſtorum.* Ibid.

Obiit Brugis Flandrorum anno 1547. apud ſuos in navi Eccleſiæ conditus.

## JOANNES ROMMEL,

Brugenſis, J. C. & cauſſarum patronus clariſſimus, Curiæ Præpoſitali ac Canonicali D. Donatiani (cujus Brugenſis Epiſcopus caput eſt) à conſiliis & actis, juſtitiæque vindex acerrimus, vixit ad annum 1640. quo nonagenarius deceſſit. Vir elegantis & ſolidæ eruditionis; uti publico experimento fidem fecit, editâ

*Diſſertatione ad Artic. XIX. Edicti Perpetui*, promulgati in Belgio anno 1611. *De contractibus & negotiis, quæ ſummam CCC floren. excedunt, ſcripto peragendis* &c. Brugis, 1630. 8. Extat etiam unà cum Ant. Anſelmo in Triboniano Belgico.

## JOANNES ROSENTHAL,

Limburgus, Rolducenſis, (quod vernaculè *s'Hertogen-Raede*, oppidulum eſt, Abbatiâ Canonicorum Regularium celebre, prope Aquiſgranum) Societati Jeſu ſeſe anno 1630. addixit, annos tunc natus XVIII. Docuit litteras græcas, latinas, Philoſophiam, Matheſin. Eccleſiaſten egit Coloniæ in Metropoli: Miſſionarium per Oppida & vicos, ubique cum fructu. Demum Confeſſarius Erneſti Landgraviæ Haſſiæ, ad limina Apoſtolorum cum eodem Principe profectus, piam animam creatori reddidit, Romæ die 15. Octobris 1655. Edidit latinè

*Epiſtolam Irenicam ad juventutem Haſſiæ, ſuper diſſentionibus Doctorum, quos audiunt.* Colon. typis Henr. Kraft 1655. Germanicè autem dedit

*Concionum diebus Dominicis & feſtivis*, Tomos II. in 4. Colon. apud Herm. Mylium 1653.

*Juſtam querelam contra Prædicantem Calviniſtam, de Controverſiis Fidei.* Ibid. 1656. in 8.

*De ædificio ſupra Chriſtum.* Ibid. apud Kraft 1653. 4.

*Exercitia & preces per totum annum*, hoc titulo: *Opus bonum.* Ibid. apud Mylium. 1651. in 12.

## JOANNES ROSERIUS,

Orchiacenus, Gallo-Flander, Parochus Eſplechinenſis, juxta Duacum, luſit

*Poëmatum ſacrorum* libros V. Duaci, typis Car. Martini, 1611. 8.

Item *Poëmatum miſcellaneorum* libros VI. Ibid. 1612. 8.

## JOANNES ROUCOURT,

Natus Lovanii anno 1636. ætatis vixdum expleto XVII. promotus in ſcholis Artium loco tertio; hinc S. Theologiæ operam dedit in Collegio Adriani Papæ VI. eo ſucceſſu, ut omnium Theologorum curſûs ſeptennalis facile princeps haberetur. Licentiæ gradu inſignitus, & ad docendam in Pœdagogio ſuo Caſtrenſi Philoſophiam anno 1660. adlectus, mirum quantâ ſolertiâ ingenii, dicendi perſpicuitate & efficaciâ ſuos erudierit. Lovanio Bruxellas ad Plebaniam Baſilicæ D. Gudilæ anno 1667. adſcitus eſt, ſimulque Præbendam Rothnacenſem Academicâ nominatione obtentam dimiſit. Prima cura ei fuit populum ſibi commiſſum Euangelio paſcere, pauperioribus per eleëmoſynas ſuccurrere, graſſante epidemicâ lue vitam pro ovibus exponere: unde ejus memoria hodiedum apud Bruxellenſes in benedictione eſt. Inter

hæc omnia, publicis non ſuperſedit: ſed Cenſoris librorum, ac Examinatoris Confeſſariorum & Ordinandorum munia ſibi ab Archiepiſcopo Mechlinienſi impoſita irreprehenſibiliter adimplevit.

Tandem dum omnibus conſulit, malignâ febre correptus interiit Bruxellis 26. Septembris 1676. vixdum quadragenarius.

Edidit de Sacramento Pœnitentiæ libellum vernaculum; *Inleydinghe tot de Penitentie*; qui ita placuit *Gabrieli Gerberono*, famoſo Benedictino Gallo, ut eum in gallicum tranſtulerit, hoc titulo: *Catechiſme de la Penitence.* Bruxellis 1672. Pariſiis 1675. &c.

## JOANNES LE ROUX,

Inſulenſis Flander, Armorum fecialis, (ſive ut Galli vocant, *Roy & Heraut d'armes, à titre de la Province & Comté de Flandres*) per Litteras Regias 21. Auguſti 1646. conſtitutus, dein Cameræ Rationum ſuæ Majeſt. Inſulis Flandrorum Aſſeſſor, ac Procurator Fiſci; ſcripto reliquit vernaculo,

*Theatre, ou Recueil de la Nobleſſe de Bourgogne, Brabant, Limbourg, Luxembourg, Flandre, Artois*, &c. unà cum ſerie eorum, qui ab anno 1424. Nobilitate donati fuerunt. Prodiit opus poſthumum, & ad noſtra uſque tempora continuatum, 4. Inſulis 1708, item auctiùs ibid. 1715.

## JOANNES RUBUS,

Vernaculè *du Buiſſon*, Viletanus, ex agro Athenſi, Hanno, olim Lovanii tertius in ſcholis Artium anno 1544. dein Philoſophiæ in Pædagogio Porci Profeſſor; naſcente Academiâ Duacenſi, S. Theol. Doctor & inter primos illius Profeſſores creatus fuit, anno ſcilicet 1566. unà cum Viris verè eximiis, Guilielmo Alano dein S. R. E. Cardinale, Matthia Boſſemio & Thoma Stapletono. Fuit & primus Regens Collegii Regii Duaceni. Edidit

*Harmoniam Euangelicam*, ſecutus ferè veſtigia *Cornelii Janſenii* Gandenſis Epiſcopi. Coloniæ, 1573. Duaci, 1575. & Leodii, 1593. 8.

Item *Logices Ariſtotelicæ verſionem*, quæ Duaci in Scholis recepta aliquamdiu fuit. Coloniæ, 1572. 4. & Duaci ſæpiùs.

Obiit Duaci, in D. Petri per annos XXI. Præpoſitus, & Academiæ Cancellarius, anno 1595. III. Idus Aprilis, relictis facultatibus omnibus alimentationi pauperum ſtudiis operam dantium.

## JOANNES RUSSIM,

Luxemburgenſis, Ordinis S. Dominici Philoſophus ac Theologus, dum vixit, clari inominis, circa annum 1312. Quædam ſcripſiſſe memoratur, quæ tamen ad notitiam publicam hactenus non pervenerunt.

*Directorium Confeſſorum.*

*Comment. in Magiſtrum Sententiarum.*

*In Epiſtolam D. Pauli ad Titum.*

*Sermones de Tempore & Sanctis*; & alia.

## VENER. P. JOANNES RUSBROCHIUS,

Vulgò Ruysbroeck, à pago cognomine, ad Sennam fluvium inter Bruxellam & Hallas, ſic appellatus; fuit primò Eccleſiæ D. Gudilæ Vicarius & Presbyter in urbe Bruxellenſi. Hinc ad Viridem Vallem venit, ſitam in ſilva Sonia, ad ſecundum à Bruxella lapidem: & excitato hic Cœnobio Canonicorum Regularium, Ordinis S. Auguſtini, primus quoque loci illius fuit Prior, ſub *Francone* Præpoſito, & auctor

auctor reformati poſtea Ordinis per Belgium.

Vir divinæ contemplationi addictiſſimus, & ſanctitatis majoris quàm doctrinæ; cùm ea, quæ ſcripſit, divino ſpiritu edoctus videatur. Narrat enim Henricus à Pomerio, ejuſdem inſtituti ac loci Religioſus, Vitæque Scriptor, quòd antequam libros ſuos dictaret, habuerit pro conſuetudine, *ut, dum divinæ illuſtrationis radio immadeſceret, ſolus ſecederet in abdita ſilvæ, ibique dictante Spiritu ſancto ea, quæ ſibi occurrebant, in tabula cerea ſcripto commendans, ſecum ſolebat, ad Monaſterium rediens, apportare*: ſicque interpolatis vicibus edidiſſe ſuos libros.

Scripſit verò Opuſcula quædam ſermone patrio ſive Brabantino, cœleſtis doctrinæ plena, ab aliis Latinè reddita, à Dionyſio Cartuſiano eximiè laudata & defenſa, qui libro II. De donis Sancti Spiritus Artic. 13. alterum *Dionyſium Areopagitam* appellat. Leguntur ea in Viridi Valle, in pergameno ſcripta, hoc ordine:

*Regnum Amantium Deum*, ſive *Summa Vitæ ſpiritualis*

*De Nuptiis ſpiritualibus*, libri III.

*De Calculo*, ſive *de Perfectione Filiorum Dei.*

*De quattuor Tentationibus.*

*De Fide & Judicio.*

*De VII. Seris* ſive *Cuſtodiis.*

*De norma bonæ ac Religioſæ Vitæ.*

*Liber Apologeticus*, ſive *Retractationis, de unione amantis Animæ cum Deo.*

*De XII. Beghinis*, ſeu *Virginibus Deo devotis*: tractans de duplici Vita hominis, contemplativa & activa.

*De Tabernaculo Spirituali Moyſis.*

*Speculum Salutis æternæ.*

*De VII. Gradibus ſcalæ ſpiritualis Amoris.*

Excuſa fuerunt Opera hæc Coloniæ, *Laurentio Surio Carthuſiano* interprete, qui de Auctoris laudibus præfatur, anno 1552. apud Quentelium, & recuſa anno 1609.

Invenit tamen Joannes Gerſon, Cancellarius Pariſienſis, in Viri ſanctiſſimi ſcriptis, quod carperet; & ſcripſit contra tertiam partem libri *de Ornatu Nuptiarum ſpiritualium*. Sed multi virum ſanctum defendunt, Gerſonem etiam excuſant, qui aut verborum ſuperficiem tantùm attenderit, aut in vitioſam inciderit interpretationem. Id enim accidere iis ſolet (ut Bellarminus ſcribit) qui de Myſtica Theologia ſcribunt, ut eorum dicta ab aliis reprehendantur, ab aliis verò laudentur, quia non eodem ab omnibus modo accipiuntur.

Ceterùm quem *De Ornatu Nuptiarum ſpiritualium* librum edidit Lutetiæ Henr. Stephanus anno 1512. ſub nomine *Joannis Ruſberi*, ejuſdem auctoris eſt, ab alio quopiam latinè redditus, teſte *Joanne de Schoonhovia* ejuſdem inſtituti, in Defenſione ſua; in quem incidiſſe Gerſonem veriſimile eſt.

Notet verò Lector, Theologiæ Myſticæ ſtudioſus, exſtare verſiones librorum *Ruſbrochii*, in Viridi Valle, longè alias à Suriana, & fortè meliores ac fideliores:

*De Tabernaculo ſpirituali*, interprete *Guilielmo Jordano*, Canonico Regulari in Viridi Valle, qui fatetur in verſione ejus libri ſe adjutum ab ipſo auctore, adhuc ſuperſtite.

*De Nuptiis Spiritualibus*, eodem interprete.

*De Calculo*, interprete eodem.

*De VII. Gradibus Divini Amoris*, interprete *Gerardo Magno.*

Deceſſit ex hac vita Vir ſanctiſſimus, anno 1381. ætatis ſuæ LXXXVIII. Sacerdotii LXIV. die 2. Decembris, ſepultus primùm in ambitu templi veteris: tranſlatus ad chorum novæ baſilicæ, anno 1386. & ante altare ſummum in ſepulcro lateri-

cio depoſitus: demùm è terra elevatus anno 1622. die 8 Novemb. per Archiepiſcopum Mechlinienſem Jacobum Boonen, & in Sacello SS. Trinitatis repoſitus.

Plura de Vita & Miraculis ſancti hujus viri, poſt *Henricum à Pomerio*, *Marcus Maſtelinus*, ejuſdem loci Religioſus, in ſuo Necrologio Viridis Vallis libro II. cap. I. & ſeqq.

Deſcripſit & acta Vitæ ejuſdem *Thomas de Jeſu*, *Bratienſis Hiſpanus*, Carmelitarum Excalceatorum in Belgio primus Præfectus, Gregorio XV. pro obtinenda illus Beatificatione præſentata.

*Elogia & Teſtimonia variorum de Venerabili Joanne Ruysbrochio*, edidit eodem anno 1622. Aub. Miræus, 8. Bruxell. apud Joann. Pepermans. Legiturque in Valle Virid hæc ſimplex inſcriptio.

Hic jacet tranſlatus devotus Pater
D. JOANNES DE RUYSBROECK
I. Prior hujus Monaſterii,
Qui obiit Anno Domini
M.C.C.C.LXXXI.
II. die Decembris.

## JOANNES RYCQUIUS,

Vulgò *DeRycke*, J. C. Gandavenſis, edidit ἀνωνύμως *Legum Axiomata*, Francofurti excuſa, typis Chr. Egenolphi anno 1546. In Verbis *Allegare* & *Allegatio* profitetur ſe *Repertorium Juris* ſcripſiſſe ad Franciſcum de Aretio J. C.

## JOANNES A RYSWYCK,

Gelder, edidit Coloniæ *Carminum Heroïcorum & Elegiarum Tirocinia* 1599. in 4.

## JOANNES SALANUS,

Atrebas, Doctor Medicus, ſcripſit *Promptuarium Rerum in arte Medicâ memorabilium.*

*Methodum medendi.*

*Compendium totius artis Medicæ.* Ex Ferreolo Locrio, in Catalogo Scriptorum Arteſienſium.

## JOANNES DE LA SALLE,

Furnenſis Flander, S. Theol. & J. U. Baccal. ab anno 1626. Paſtor in Thieldonck, prope Lovanium, edidit *Poëmatum* libellum. Lovanii, typis Dormelii, in 8. 1633. inter quæ eſt *Confutatio Joannæ Papiſſæ*, verſu jambico, per modum Dialogi inter Petrum Romanum Catholicum & Carolum Calvum hæreticum.

Obiit in parochia ſua circa annum 1658.

## JOANNES A SANDE,

*Regneri* filius, *Frederici* frater, Arnhemio in Ducatu Geldriæ oriundus, patris fratriſque exemplo ſtudia Humanitatis, atque in primis Juriſprudentiam excoluit, præceptoribus cùm aliis alibi, tum verò *Petro Heigio* J. U. D. & Profeſſore Witebergenſi, uſus. Ipſe poſtea in Franekerana Friſiorum Academia annis aliquot Jura profeſſus, atque anno 1604. Ordini Senatorum in ſuprema ejuſdem Provinciæ Curia adſcriptus, totos XXX. annos, & amplius, eo in munere verſatus fuit. Scripſit

Tractatum *De actionum ceſſione.* Amſtel. 1623. 4.

*De prohibita rerum alienatione.* 1633. in 4.

*Deciſiones Friſicas*, ſeu *Rerum in ſuprema Friſiorum Curia judicatarum libros V.* Leovardiæ, 1615. item 1639. & 1647.

*Theatrum Practicantium.* 4. Coloniæ 1663.

*Leonem Belgicum, ſeu Belgicarum Hiſtoriarum Epitomen, quâ initium progreſſus & exitus motuum atque diſcordiarum lucidè demonſtantur, ab anno* 1566. *ad* 1648. Ultrajecti 1652. in 12. Item Flandricè

Leowardiæ 1651. Continuavit Hiſtoriam hanc anno 1661. Petrus de Langhe.

*In Titulum Digeſtorum de Regulis Juris Commentarium.*

Porrò omnia Opera Juridica, tam *Joannis à Sande*, qui demum in ſupremâ Friſiorum Curiâ Præſes evaſit, quam fratris ejus germani *Frederici à Sande*, Civitatis Arnhemienſis Conſulis, primùm quidem ſimul prodiêre, Groningæ 1683. in 4. juxta Autographa Authorum aucta, & multis in locis emendata: Indices locupletiſſimos adornante *Dominico à Feenſtra*, Friſio, J. C. Tum rurſum prodierunt in fol. Bruxellis apud Fratres t'Serſtevens 1721. ſtudio *Liberti Franciſci Chriſtyn*, ſupremi Conſilii Brabantiæ Senatoris ac Vice-Cancellarii.

Editio hæc ultima continet præterea Additiones & elucubrationes *Lamberti Goris*, *Arnoldi Schotani*, & aliorum, novamque & plenariam continuationem Additionum ad Libros Definitionum Friſicarum, quos *Joachimus Burgers* J. U. Doctor Lipſienſis, Libro tertio, interruptas reliquerat. In quâ non tantum Jus Friſicum elucidatur, ſed & quid circa eam Materiam in Gallia & Belgio obſervetur, ex Edictis Principum, moribus & conſuetudine variorum locorum, & ſupremorum Tribunalium ſententiis, enarratur.

In funere Joannis à Sande, Friſiorum Curiæ Præſidis, poſuit hoc Epicedion *Henricus Neuhuſius* ejuſdem Curiæ Advocatus

SANDE; *decus Geldrûm*; *Friſiis ſupreme Senator*:
*Juris apex*; *Princeps Nobilitatis Honos*:
*Ara*, *Forum*, *Pallas*, *Civis*, *reus*, *orbus*, *egenus*,
*Te dolet amiſſum Mundus uterque Patrem.*

## JOANNES SANDERUS,

Gandavenſis, Carolo V. Cæſari à conſiliis Medicis, eâ ingenii felicitate ac dexteritate præditus fuiſſe fertur, ut abſque ullo Græcæ lectionis uſu, vocabula omnia Græca, quæ in arte Medica occurrunt, diſertè explicare atque interpretari valeret, quemadmodum hoc ipſum præfando ad libellum De complurium amicitia, à ſe latinè verſum, teſtatur Joannes Otho, Scholarcha Gandavenſis, qui *Joannem Alexandrium* nuncupat. Elatâ uxore *Levinâ Steelantiâ*, nobili matronâ, beneficium Canonicum in D. Bavonis obtinuit. E ſcriptis, unica ſupereſt

*Methodus curandarum ægritudinum.* MS. apud Antonium Sanderum, Canocum Iprenſem, ex filio nepotem.

## JOANNES SAREYEUS,

Neoportuenſis, Flander, Leidæ apud Batavos adhuc Catholicè agentes Ludum aperuit. Scripſit

*Grammatices prima Rudimenta.*

*Syntaxeos Græcæ & Latinæ Methodum.* Antver. 1554. 8. apud Joan. Loëum.

## JOANNES SARTORIUS,

Amſtelodamus, Ludum litterarium in patria moderatus eſt, præterque latinam ac græcam, etiam linguam calluit hebraïcam. Nullus linguæ vernaculæ eo peritior fuit umquam; uti de eodem ſcribit Petrus Opmerus in Chronico, ut qui elegantiâ linguæ certare cum Græcis ac Latinis oſtenderit Batavos. Edidit

*Grammaticam Latinam.* Antver. typis Tongrii.

*Centuriam Syntaxeon*, in Decades diſtinctam. Ibid. 1530. apud Mart. Cæſarem.

*Adagiorum Chiliades* III. ſive ſententias proverbiales, græcas, latinas, & belgicas, ex præcipuis Authoribus collectas; quas Notis brevibus illuſtratas

edidit denuo *Corn. Schrevelius*, Amſtel. 1670. in 8.

*Silvulam Vocabulorum*, ſeu ſelectarum Orationum ac Phraſium. Ibid. 1643. 8. typis Silvii.

Cetera vetitæ ſunt lectionis, quæ ſuppreſſo nomine edidit, ut *Prophetæ Minores* ex Hebræo tranſlati, & *Annotationes* in eoſdem, nomine *Joannis Toſarrii Aquilovicani*: item *de Fide*, ad Cornelium Crocum, aliaque, typis Oporinianis. Certè Crocus, dum adverſus *Sartorium* de fide & operibus ſcribit, eum planiſſimè à fide Catholica aberrare oſtendit. Et Alardus Amſtelredamus, de fraudibus & impoſturis ſcribens hæreticorum, *Joannem Sartorem* teſtatur virum quidem eſſe ſubacto ſatis ingenio, ſed peſſimo utentem præceptore, ſcilicet præſumptione.

Norduici, aut Delphis, primus Calvinianæ Sectæ prædicutius, ultimum vitæ clauſit diem anno ſalutis humanæ 1570. (ſed 1568. apud Val. Andream) animi quadam ægritudine tactus, Kal. Aprilis, ipſo die paraſceves. Hoc ſibi ſcripſit Epitaphium:

*Hac ego ſum tumulatus humo* SARTORIUS, *ortum*
*Cui primum tellus Amſtelodama dedit.*
*Ingenium colui variè, docuique juventam*
*Omnigenas artes, quippe triglottos eram.*
*Sed poſtquam virtus duris exercita fatis*
*Deſtituit corpus, ſpiritus aſtra tenet.*

## JOANNES SAUTERUS,

Aloſtenſis Flander, Hebraïcæ linguæ in Academia Lovanienſi Profeſſor publicus, ſive (ut ajunt) Buſlidianus, ab anno 1656. quo Clariſſ. Viro *Valerio Andreæ* ſucceſſit. Edidit

*Introductionem brevem in Linguam Sanctam Hebræam* &c. 8. Lovanii apud Andr. de Witte 1675.

## JOANNES SAXONIUS,

Hatteſtedius, è Friſia minori, J. U. Doctor, Eccleſiæ Hamburgenſis Decanus & Canonicus Metropolis Bremenſis, Jura Erphordiæ & alibi publicè explicuit, obiitque anno 1564. Scripſit

*Aſſertionem de Gloſſis Accurſianis, & Bartoli, aliorumque Commentariis*; abſque iis Jus Civile rectè intelligi non poſſe: ad Viglium Zuichemum. Baſil. typis Oporini, 1548.

*Commentariolum ad Titi Livii Hiſtoriarum ab V. C. lib. XXII. & XXXI. de Bello Punico ſecundo.* Ibid. 1547. 8.

*Comment. in Orationem Ciceronis pro Sexto Roſcio Amerino.*

*Orationem de Utilitate ſtudii Dicendi.*

*Orat. de Obſervandis Legibus.* Ibid. ſimul excuſa.

## JOANNES SCHALCK,

Antverpianus, Bogardus tertii Ord. S. Franciſci, in Conventu Bruxellenſi diem clauſit ſupremum anno 1602. Edidit . . . . .

*Orationem lugubrem de Seditione Antiochena*, anno 319. ad Iconomachorum ſeditionem Belgicam accommodatam, anno 1573. Antv. 8.

*Xenium Euangelicum*; quatenus ad Sacrarum Scripturarum normam benè beatèque cuilibet vita ſit inſtituenda. Ibid. 1576. 12. apud Ant. Tilenium.

## JOANNES SCHEPPERUS,

Gandavenſis, Poëta & Hiſtoricus, Joanni Fernandæo Velaſco regnorum Caſtellæ & Legionis Comiti-Stabuli à Sacris & Eleemoſynis, conſcripſit

*Panegyricum* eidem Comiti-Stabuli: in quo rerum ab eo geſtarum compendium. Mediolani, 1612. 4.

Reddidit idem idiomate Belgico, in quo unus ferè excellebat, *Erycii Puteani Laudationem Juventutis Belgicæ*, & *Comum* ejuſdem.

Deceſſit anno 1620. die VIII. Augu-

ſti, Leidæ apud Batavos, de noctè domum revertens in amne merſus. *Juſtus Rycquius* concivi ſuo & amico hoc Epitaphium ſcripſit.

JOANNI SCEPPERO, Gandenſi,
Hiſtorico & Poëtæ.
*Poſt geminam Heſperiam conſpectam & Celtica Regna,*
*Poſt populi mores triplicis & genium:*
*Poſt magni meritis encomia dicta Velaſchi,*
*Poſt patriæ ſcripiam fortiter Hiſtoriam:*
*Poſt Clarios amneis epotos Virginis undæ,*
*Belgicaque exemplo carmina ſcripta novo:*
*Crimine perpetuo Parcarum & crimine cœli*
SCHEPPERUS *Batavo merſus in amne jacet.*

Eidem.

SCHEPPERUM *Batavâ quiſquis raptum ingemis unda,*
*Falleris: Aönii fluminis illa fuit.*

## JOANNES A SCHOONHOVEN,

Religioſus ac Prior Carmelitarum Machlinienſium, floruit, teſte Trithemio, circa annum 1390. & 1402. ſcripſitque opus inſigne

*De Vitiis & Virtutibus*, & omni materia prædicabili, ordine alphabetico, quod inſcripſit *Polipodium.*

## JOANNES DE SCHOONHOVIA,

Ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini, in Viridi Valle, juxta Bruxellam, obiit ibidem anno 1431. Scripſit

*Exhortatorium Spirituale:* ad Simonem nepotem ſuum, Regularem in Emſteyn.

*De Curſu Monachi:* ad eumdem.

*De profectu Monachi:* ad quemdam Regularem in Bethlehem.

*Defenſionem Joannis Ruysbroecquii*, contra Gerſonem, cum Operibus Gerſonis editam, Tomo I. pag. 63. novæ editionis curâ Lud. Ellies Du Pin anno 1706.

*De Paſſione Domini:* ad Guilielmum Vryman, nepotem ſuum, Carthuſiani Ordinis prope Trajectum.

*Epiſtolam de Contemptu Mundi.*

*Concluſiones ſuper Sermone de monte aureo.*

*Sermonem*, ſive Tractatum *de Spiritali Ambulatione.*

*Sermonem*, anno 1413. habitum in Capitulo Windeſemenſi, dum Monaſteria Regularium Brabantiæ eidem unirentur. Leguntur omnia Lovanii ad S. Martinum. Item *Epiſtolarum & Collationum* ejus Volumen ingens, apud Regulares Tungrenſes.

## JOANNES VAN SCHORE,

E vico de Stevinskercke in Brugenſi Diœceſi oriundus, primùm Canonicus Præmonſtratenſis in Abbatia Viconienſi, dein Abbas S. Foliani in Rhodio, ac demum S. Nicolai Furnenſis. Scripſit (teſtante Ant. Sandero) eleganti ſtylo

*Chronicon Eccleſiæ Viconienſis.* MS.

Obitus ejus in hoc ſepulchrali apud Furnenſes elogio notatur.

Sepultura Venerabilis Viri,
D. JOANNIS DE SCHORE,
Quondam Abbatis hujus Eccleſiæ,
Qui non minori doctrinâ,
Quam virtutis ſtudio
Præfuit annos quatuor;
Extremumque diem clauſit VI. Nov.
Anno ſalutis humanæ M.D.LIV.

## JOANNES SCHOTTUS,

Cameracenſis, Prior ordine XIV in Buſco Domini Iſaac, Monaſterio Regularium S. Auguſtini juxta Nivellam, fuit Ordinis Aurei Velleris Cancellarius, ad hanc dignitatem ſub Carolo

V. Cæſ. ob præclaras virtutes quibus præditus erat, evectus. Vir enim erat non minus facundus, & in aula ejuſdem Caroli Magnatibus gratus, quàm ſanctimoniâ exemploque vitæ excellens. Reliquit

*Chronicon*, *Sermones*, & quædam alia *de Eminentia Ordinis Aurei Velleris.*

Obiit anno 1531. ætatis LXV. regiminis XXXIII. ſepultus in medio Eccleſiæ Sylvæ Iſaacanæ, hoc Epitaphio.

*Marmore* JOANNES SCOTUS *Cameratius iſto*
*Sermonis Præco clauditur ille ſacri.*
*Ordinis enituit proin Cancellarius Aurei*
*Velleris, Auguſto Cæſare ſub* CAROLO.
*Hujus Cœnobii tenuit moderamina Paſtor,*
*Ter denis annis pervigil atque tribus.*

Habuit nepotem *Hubertum Schotum*, pietate, eruditione, facundiâ non imparem patruo: fuit enim XVI. dicti Cœnobii Prior, & nonnulla *D. Bernardi* opuſcula vernaculè reddidit, Lovanii excuſa, anno 1577. aliaque *D. Auguſtini* &c. Obiit hic anno 1575. ætatis LXVIII. regiminis XXVII.

## JOANNES SCHOHIER,

Bellomontanus, Hanno, Protonotarius Apoſtolicus, Canonicus S. Waldetrudis Montenſis, dein etiam Cathedr. Eccleſiæ Tornacenſis; ſcripſit gallico idiomate librum hoc titulo,

*L'Eſtat & Comportement des Armes:* De origine, uſu, prærogativa Armorum ſive Inſignium. Bruxellis, 1597. fol. & iterùm 1629. 4. typis Joan. Momartii.

*La Genealogie & deſcente de la Maiſon de Croy*, avec les *Blazons & Armoiries.* in 4. Duaci 1589.

## JOANNES SCHULERUS,

Batavus, Theologiæ Calvinianæ Doctor, nec non Philoſophiæ Profeſſor publicus in Athenæo Auriaco, Bredæ in Brabantia ſub auſpiciis Sereniſſimorum Principum Auriacorum erecto. Fuit & variis in locis Miniſter, atque ultimò venit Roſendaliâ Bredam anno 1656, ibique obiit 1674. Evulgavit

*Examinis Renati Des-Cartes ſpecimen, ſive brevem & perſpicuam Principiorum Philoſophiæ Carteſianæ Refutationem.* 4. Amſtelodami apud Pet. le Grand 1666.

## JOANNES SCHUTKEN,

Canonicus Regularis in Archi-cœnobio Windeſemenſi, multa in uſum familiarium Canonicæ ſuæ Congregationis ex latino in vulgare idioma vertit, & Scripturam ſacram Gloſſemate illuſtravit, referente Joanne Buſchio in Chronico. Vir fuit notæ ſanctitatis, cujus animam, poſt trium horarum purgationem, lucidiſſimi ſideris inſtar ad cœleſtia emigraſſe, ajunt Windeſemenſes. Obiit autem anno 1423.

## JOANNES SECUNDUS NICOLAIUS,

Natus apud Batavos in Haga-Comitis anno 1511. patre *Nicolao Everardi*, ſupremi Senatûs Hollandici Præſide, primum ingenii ſui formatorem *Jacobum Volcardum* in patria nactus fuit, alterumque ipſe celebrat *Rumoldum Stenemolium*, Machlinienſem, præceptorem ſuum.

In Galliam profectus, Avarici Biturigum aliquamdiu ſubſtitit, Laureâque Jureconſulti ab Andrea Alciato, clariſſimo Jurium Interprete, inſignitus, mox Italiam petiit, Romæque Paullo IV. P. M. ab Epiſtolis fuit. Inde in Hiſpaniam trajecit, & Joanni Taverę, Cardinali atque Archiepiſcopo Toletano, ſimiliter à Secretis fuit & latinis Epiſtolis.

Dumque ab expeditione Tunetana, Caroli V. Cæſ. caſtra ſecutus, in Belgium valetudinis cauſſâ revertitur,

IOANNES SECVNDVS

E. de B. fe

apud Georgium Egmondanum, Episcopum Ultrajectinum, & Pro-Abbatem ad S. Amandum in Tornacesio, eodem munere functurus, in ipso juventæ flore flos ille Belgicus extinctus est, nondum annos natus XXV. anno 1536. VIII. Kalendas Octobris.

Nomen *Secundi* non sine omine accepisse sibi videri poterat, quippe nulli futurus facilè secundus, in poëticâ præsertim facultate, si supersesse diutiùs licuisset. Erat insuper fingendi ac sculpendi laudatissimus artifex: quæ de re ipse ad *Joannem Scorelium*, Canonicum Ultrajectensem in D. Virginis scribens, testatur, sese *has fingendi pingendique artes arcano quodam naturæ jussu semper amplexum fuisse & admiratum*: cui juvenili, inquit, levitati aliquem *sculpendi usum* ausus sum adjungere. Tumulum illius ad S. Amandum, in navi Ecclesiæ, hæreticorum furore anno 1566. violatum, *Carolus de Par*, dicti loci Abbas, ob tanti viri memoriam, restituit. Scripta à *Secundo* hæc innotuêre.

*Elegiarum* libri III. *Funerum* liber I. *Epigrammatum* liber I. *Basiorum* liber I. In quo; uti & in aliis ejus elucubrationibus, plurima lasciva & obscœna leguntur: hinc ad nomen Authoris allusit quidam.

*Non bene Joannem sequeris, lascive Secunde:*
*Tu Veneris cultor; Virginis ille fuit.*

Item *Epistolarum* libri II.

*Odarum* liber I.

*Silvarum* lib. I. Ultrajecti simul edita, 1541. apud Herm. Borculoum, & Lugduni Batavor. 1631. 8. ex recognitione Petri Scriverii.

*Regia Pecuniæ*, eodem auctore, edita Lugd. in Galliis, 1552. cum Scholiis *Petri Pigantii*.

*Itineraria III. Belgicum, Gallicum & Hispanicum.* Lugd. Batavorum, edente *Daniele Heinsio*, 1618. 8.

Porrò hæc illi posita fuere Epitaphia.

JOANNI SECUNDO
Hagiensi Batavo,
J. C. Oratori ac Poëtæ clariss.
Fingendi quoque ac sculpendi
Laudatiss. Artifici:
Qui primùm in Hispaniis
Joanni Taveræ Toletano Card.
Deinde in patria
Illustri Georgio ab Egmunda
Trajectensi Præsuli
Et hujus loci Primati
Ab Epistolis, & Secretis fuit.
Postremo ab Carolo V.
Imp. Aug. accersitus,
Ut eandem deinceps functionem
Obiret,
Immaturâ nimium morte rapto;
Mater, fratres ac sorores
Tristiss. desiderii Monumentum poss.
Vixit annos IV. & XX.
Mens. X. Dies X. Obiit anno
Ab restituta salute M. D. XXXVI.
VI. Kal. Octob.

ALIUD

„ JOANNI SECUNDO Hagiensi,
„ Poëtæ celeberrimo, & nulli Secun-
„ do; cujus tumulum, hæreticorum
„ furore anno M. D. LXVI. violatum,
„ Carolus de Par, Abbas, ob tanti viri
„ memoriam restituit, hortantibus
„ DD. Dionysio Villerio, & Hieroni-
„ mo Winghio. Obiit anno M. D.
„ XXXVI. VI. Kal. Octob. à secretis
„ Georgii Egmondani Trajectensis E-
„ piscopi & hujus loci Pro-Abbatis.

Bonaventura Vulcanius, Professor Leid. Joannem Secundum & Janum Dousam Batavos hoc Epigrammate eleganti ornavit.

*Claret apud Batavos æterna laude* SECUNDUS,
*Sive Elegos, cultum sive Epigrammata fecit:*

*Cur voluit dici præsaga mente Secundus,*
*Quum nullus primum quem sequeretur erat?*
*An quia venturum norat volventibus annis,*
*Cui ferrent primas secula,* DOUSIADEM?
*Sic est; nam Douse redviva in pectore Musa*
*Plaute, & Flacce tua, & docte Catulle tua est.*
*Salvete, ô, Batavæ Gentis, par nobile Vatum,*
*Lumina; luminibusque officite Hesperiæ.*

## JOANNES SERVILIUS,

Populari sermone KNAPIUS, Guiertenus sive Wiertenus, ex Comitatu Hornano, Leodiensis Diœcesis, floruit Antverpiæ, familiaris ac cliens Ladislai de Ursule, Equitis, ad annum 1545. quo ferè tempore hæc foras dedit:

*Dictionarium Triglotton*, latino-græco-latinum.

*Explanationes in Bucolica Corn. Graphæi.* Antver. 1536.

*De Rebus pace belloque magnificè gestis*, sive de mirandis antiquorum operibus &c. libros III. Ibid. 1541. & 1569. 8. apud Joan. Withagium.

*Geldro-Gallicam Conjurationem*, *Duce Martino Rossemio.* Ibid. 1542. 8. apud Ant. Dumæum. Extat etiam Tomo III. Scriptorum Rerum Germanicarum, quos anno 1717 evulgavit *Burchardus Gotl. Struvius*, J. C. & Saxoniæ Historicus.

*Orationem Gratulatoriam Carolo V. ex Hispania in Brabantiam reduci*, S. P. Q. Antver. nomine. Ibid. 1545. 8.

*Gratulationem Ladislao Ursulo*, Consuli electo. Ibid. 1542. 8. apud Joan. Graphæum.

## JOANNES DE SEUR,

Eques, primus quondam circa annum 1630. Graphiarius, atque Receptor Cameræ Rationum seu Computuum, Insulis olim in Flandria, nunc Bruxellæ residentis: Autor libri:

*La Flandre illustrée, par l'Institution de la Chambre des Comptes du Roi à Lille, l'an 1385. par Philippe le Hardi Duc de Bourgogne; avec les Ordonnances, Reglemens, les noms des Presidens &c.* qui postmodum auctus prodiit Bruxellæ 1713. in 12.

## JOANNES SILICÆUS,

Canonicus Regularis D. Augustini, in Viridi Valle, juxta Bruxellam, scripsit

*De Exordio & progessu Monasterii Viridis Vallis:* quem librum alius, ejusdem loci Canonicus, ad annum 1506. deduxit, & *Virologium* inscripsit. Legitur in Viridi Valle.

## JOANNES SILVIUS,

Vulgò DU BOIS, Atrebas, Dominus de Sapigny, græcè latineque doctissimus; edidit typis Plantinianis

*Cathemerinon*, seu Quotidianas Preces, ex græcorum libellis collectas. Item aliud versibus heroïcis; utrumque latinè redditum.

## JOANNES SILVIUS,

Insulanus, Medicinam primùm Valencenis factitavit, postea eamdem Duaci in novella Academia publicè professus est; obiitque ibidem anno 1576. ipsis Nonis Aprilis. Edidit

*Academiæ nascentis Duacensis, & Professorum ejusdem Encomium*, versu heroïco. Duaci, apud Jac. Boscardum, 1563. 4.

*Dialogos*, seu privatas puerorum collocutiones: & *Carmina.* Antv. typis Plantin. 1568. 8.

*De*

*De Morbi Articularis Curatione* Tractatus IV. Ibid. 1565. 8.

*Tabulas Pharmacorum.* Ibid. 1568. 8.

*Declarationem de Lue Venerea*, anno M. D. LVII. Lovanii habitam. Ibid. 1577. 8. & Tomo II. Operum *De Morbo Gallico.*

*De Studiosorum atque eorum, qui corporis exercitationibus minùs addicti sunt, valetudine curanda*, libros II. Duaci, 1574. 8. apud Bogardum.

*Morbi populariter grassantis Præservationem & Curationem.* Lovanii, apud Hieron. Willæum. 1572. 8.

## JOANNES SIMONIS,

Batavus, Ordinis Carmelitani, vir non minùs religione quàm doctrinâ præstans, claruit anno 1475. Scripsit

*De potestate Pontificis, Conciliorum & Cæsaris.*

Item *Sermonum* librum : quæ tamen hactenus ad notitiam publicam non pervenerunt.

## JOANNES SINNIGH,

Corcagiensis Hibernus, à primâ juventute Catholicæ fidei causâ de terra & cognatione sua egressus, scientiæ & virtutis amore incensus, velut ex ultima Thule ad Lovaniensem Academiam adventavit. Alumnis Standonicæ Domûs adscriptus, exacto biennio Philosophico, tanta sublimis ingenii vastæque memoriæ dare cœpit specimina, ut primus inter Magistros Artium è Pœdagogio Porcensi anno 1625. renunciatus fuerit. Hinc in Majore Theologorum Collegio sanctiora studia feliciter emensus, è discipulo fit Lector S. Theologiæ in Præmonstratensi Abbatiâ Bonæ-Spei apud Hannones.

Ad Universitatem, ac in primis ad Philosophiæ Professionem in præfato Pœdagogio postliminio revocatus anno 1635; post quadriennem discipulorum illuc confluentium instructionem anno 1639 die 27. Septembris sacrum Theologiæ Magisterium adeptus est, ac post biennium Majori Theologorum Collegio præfectus, nec diu post inter octo-Viros ejusdem Facultatis Regentes cooptatus. Vigore etiam Privilegiorum Academicorum in Cathedrali Ecclesia Brugensi obtinuit præbendam, aliamque in Collegiata D. Petri Turnhauti.

Damnato per Urbanum VIII. Pont. *Cornelii Jansenii* libro, iter Romanum suscepit Sinnichius, causam illius coram Pontifice ac Cardinalium deputatorum cœtu defensurus : uti & quibusdam libris scriptisque ( passim anonymis Romæque damnatis ) tentare voluit : utiliorem sane Ecclesiæ operam præstiturus, si erga S. Sedis Decreta obedientior, contra heterodoxos calamum suum unicè strinxisset.

Obiit in majori Theologorum Collegio die 8. Maii 1666. relictis imprimis pro Gente Hibernica præclaris fundationibus Lovanii; Brugensis quoque Cathedralis, & Capituli secundarii in D. Petri Lovanii non immemor. Dictus in Elogio funebri, *Conciliorum, SS. Patrum & totius Antiquitatis sacræ Archivum, castitatis cultor usque ad sexûs alterius fugam; liberalitatis usque ad secretam multorum millium in miseros profusionem; submissionis erga sanctam Sedem usque ad expressam illius in ultimæ voluntatis elogio professionem, justitiæ, temperantiæ candoris ac cæterarum virtutum symbolum; ingenii, memoriæ, Philosophiæ Christianæ, Theologiæ orthodoxæ partus & conatus extremus.*

Sepultus fuit in Ecclesia D. Petri ante tabernaculum, hoc Epitaphio.

R. adm. ac Eximius Dominus
D. JOANNES SINNIGH,
Corcagiensis Hibernus,
S. Th. Doctor & Professor,
Collegii Majoris Præses,
Gentis suæ grande decus,

Facultatis Theologicæ
Et Academiæ lumen ſingulare,
Patrum & Antiquitatis Archivum,
Scriptis Urbi & Orbi probatus,
Quibus immoritur
VIII. Maii M. D. C. LXVI. Ætat 63.
Vivens & Moriens in egenos profuſus.

Sequuntur Libri ab eo editi.

*Auguſtini Hypponenſis & Auguſtini Iprenſis, de Deo omnes ſalvare volente & Chriſto omnes redimente, Homologia, per Theſes Anti-Apologeticas expreſſa, & Lovanii, loco per Joannem Zegbers* (is erat Bedellus Facultatis) *deſignando propugnanda, quando adverſariis videbitur.* Eſt hic primus liber, qui pro defenſione Janſenii anno 1641. prodiit, quem ut fœtum ſuum agnovit *Sinnichius*: quique paulò poſt Romæ damnatus fuit ann. 1641. & 1654.

*Saul ex-Rex*, ſive de Saule Iſraëliticæ Gentis Proto-Monarcha, divinitùs primùm ſublimato, ac deinde ob violatam Religionem principatu vitâque exuto: in typum Regum ac Principum, temeratæ Religionis reorum, ideoque cœlitùs animadverſorum vel animadvertendorum &c. Lovanii apud Hieron. Nempæum 1662. fol.

*Saul ex-Rex* &c. Liber II. in quo Eccleſiæ Prærogativa proficiendi ex adverſis aſſeritur &c. Fol. Lovanii apud Nempæum 1667. Opus poſthumum, cui immortuus eſt Author.

*Confeſſioniſtarum Goliathiſmus profligatus*, ſive Lutheranorum, Confeſſionis Auguſtanæ Symbolum profitentium, Provocatio ad Monomachiam Doctrinalem, ſuper Canonibus Synodi Tridentinæ, & Articulis Confeſſionis ſuæ Auguſtanæ, ſolemniter à Catholicis ex Edicto Cæſareo ſecum ineundam, propulſa; cum reſeratione originis ac progreſſûs, tum hæreſeon in generali, tum Lutheraniſmi ac Confeſſioniſmi in ſpeciali &c. 4. Lovan. 1657. & Fol. Lovanii apud Nempæum 1667. editio II.

*Vindiciæ Decalogicæ*, Lov. 1672. in 4. è libris præcedentibus excerptæ ſunt.

Sequentia vero edidit, ſeu Anonyma, ſeu Pſeudonyma.

*SS. Patrum de Gratiâ Chriſti & libero Arbitrio dimicantium Trias: Auguſtinus Hipponenſis adverſus Pelagium: Proſper Aquitanicus adverſus Caſſianum: Fulgentius Ruſpenſis adverſus Fauſtum:* ſub ficto nomine *Pauli Erynaci Gratianopolitani Theologi.* 4. 1648. ſine loco editionis. Decreto S. Congregationis Indicis Romæ ſuſpenſus, donec corrigatur, 4. Junii 1661.

*Conſonantiarum Diſſonantia: ſeu Aurelii Aviti* (fictum nomen à Sinnichio aſſumptum) *Veronenſis Theologi Molinomachia: hoc eſt Moliniſtarum in Auguſtinum Janſenii, Antiſtitis Iprenſis, inſultus noviſſimus*, XXVIII. *Conſonantiarum Doctrinæ inde excerptæ, cum Articulis à Pio V. Pont. proſcriptis compilatione ſubnixus, totidem vero Diſſonantiarum contra-poſitione eliſus* &c. 4. Pariſiis 1650. apud ſocietatem Typographicam. Liber Romæ à S. Congregatione die 20. Novembris 1663. prohibitus. Cum autem *Valentinus Randour* S. T. Doctor Duacenus, Sinnichii librum Notis ſuis compunxiſſet, ita repoſuit paulò poſt Sinnichius.

*Notarum Molinomachiæ Aurelii Aviti, per Anonymum aſperſarum Spongia: ſive Reſponſio diſpunctoria ad Libellum cui titulus; Appendix ad veritatem Bullæ Urbanianæ demonſtratam.* Anno 1652.

*Peregrinus Hieroſolymitanus*, ſive Tractatus, de Notitia peregrinantibus per hujus mundi eremum in ſupremam Jeruſalem neceſſariâ, &c. ſub nomine *Celidonii Nicaſii* Subiricenſis Theologi. 4. Pariſiis 1652 apud Joannem Billaine.

*Memorialia per Deputatos Academiæ Lovanienſis exhibita Romæ; Pontificibus Urbano VIII. & Innocentio X, pro doctrina B. Auguſtini tuenda &c.* Romæ

impreſſa 1644. ibidemque dein prohibita per S. Congregat. Indicis die 23. Aprilis 1654.

*Somnium Hipponenſe*, Sinnichio paſſim adſcriptum, illius non eſt, ſed Petri Stockmans J. U. D.

*Joannis Martinez de Ripalda, S. J. Vulpes capta per Theologos Lovanienſes.* 4. Lovanii 1649.

Eſt contra *Appendicem P. Ripaldæ, Jeſuitæ Pampilonenſis Hiſpani, de Ente ſupernaturali, adverſus Articulos olim à Pio V. & Gregorio XIII. & noviſſimè ab Urbano VIII. Pont. damnatos in Baio & Janſenio.* fol. 1648. Coloniæ, ſeu veriùs Amſtelodami apud Cornelium ab Egmont. Porro hęc Vulpes Sinnichiana Romæ per Congregationem Indicis damnata fuit 23. Aprilis 1654.

## JOANNES SINTHEMIUS,

Congregationis S. Hieronymi Daventriæ, Deſ. Eraſmi præceptor, edidit *Commentarios Grammaticos in Doctrinale Alexandri:* magnum inde, ut in Vita Eraſmi ait Rhenanus, eâ tempeſtate in Scholis Germanorum nomen conſecutus. Pariſ. typis Badii, 1504.

## JOANNES SIX,

Inſulenſis Flander, S. Theol. Licentiatus, ac Præſes Collegii Majoris Lovanii, tum Paſtor S. Stephani in patria, tum Canonicus & Archidiaconus Audomarenſis, tandem & Epiſcopus anno 1581 Audomarenſium deſignatur. Obiit ſexto pòſt anno, & quieſcendi locum accepit Inſulis in S. Stephani; cor autem tranſlatum Audomaropolim, & hoc Epitaphio ornatum:

JOANNES SIX
Hujus Eccleſiæ Epiſcopus II.
Frequentioribus cleri & populi
Orationibus deſiderans eſſe
Commendatior, hunc ſibi vivens
Sepulturæ locum elegit;
Quidum iter faceret Montes Hannon.
Ad Concilium Epiſcoporum Provinc.
Inſulis Flandrorum in patria obdormivit
Ætatis ſuæ anno LIII.
Epiſcopatûs VI.
Salutis humanę M. D. LXXX VI.
V. Idus Octobris.

Inſulis autem in S. Petro tabulæ affixum tale ejus legitur Epitaphium.

„ Reverendiſſ. in Chriſto Patri, Domino JOANNI SIX, Philoſophiæ ac „ Theologiæ quondam Lovanii magna cum laude Profeſſori, dein in „ Paroch. Eccleſia D. Stephani hujus oppidi aliquot annis Paſtori vigilantiſſimo; inde ob virtutem & „ merita ad Canonicatum Audomarenſem aſſumpto, poſtea Reverendiſſimi Domini Gerardi ab Hamericourt „ I. Epiſcopi Audomar. Vicario generali, ac tandem in Epiſcopatu „ ſucceſſori; dum hac ad Synodum „ Provincialem, Fidei ac Religionis „ ergo, proficiſceretur, febri correpto, ac in hoc oppido, ubi vitæ „ acceperat initium, IV. Id. Oct. M.D. „ LXXXVI. ætat. vero ſuæ LIII. „ vitâ functo, & è regione chori tumulato, Jacobus Willant ex ſorore „ nepos, & hujus Eccleſiæ Canon. „ Avunculo opt. de ſe merito mæſtus „ poſuit.

Conſcripſit pio zelo, teſte Swertio in Athenis Belgicis.

*Statuta & Decreta*, pro ſtabilienda Diœceſi, 4. Duaci apud Joann. Bogardum 1583.

Item *Homilias* quaſdam & *Epiſtolas*.

*Franc. Lucas*, S. T. L. Canonicus Audomarenſis, Orationem funebrem illi ſcripſit, typis Plant. 1587

## JOANNES SLEIDANUS,

à loco natali in Eiflia, Belgicæ ſive Germaniæ inferioris regione, cogno-

mentum mutuatus, naſcitur anno 1506. Perceptis in patria litterarum rudimentis, Lutetiæ Pariſiorum telam ſtudiorum pertexuit. Vixit deinde Argentorati, ubi & mortuus eſt anno 1555.

*Philippi Cominæi Commentarios de Rebus geſtis Ludovici XI. Galliarum Regis, & Caroli Burgundiæ Ducis*, è gallico ſermone in latinum tranſtulit. Argent. apud Cratonem Mylium, 1545. 8.

Item *Commentariorum ejuſdem Cominæi de Bello Neapolitano* libros V. Ibid. typis Rihelii, 1548.

*Joannis Froiſardi Rerum Gallicarum Hiſtorias* in Epitomen latinè contraxit. Pariſ. 1537. & 1562.

*Claudii Seiſſelly de Republica Galliæ, & Regum officiis*, libros II. ſimiliter latinè reddidit.

Scripſit ipſe *De IV. ſummis Imperiis ſeu Monarchiis* libros III. Helmſtadii, 1586. 8. Hos olim *Henricus Meibomius Materiarum* ſedibus illuſtravit; dein vero *Ægidius Struchius* Profeſſor publicus Hiſtor. in Academia Wittembergenſi, & *Conradus Samuel Schurſfleichius* Hiſt. & Græcæ Linguæ Prof. in eadem Academia, continuarunt uſque ad annum 1678. ac demum *Chriſtianus Junkerus* Rector Eiſenach. uſque ad finem ſæculi XVII. produxit, correxit & edidit in 8. 1710.

*Commentariorum de ſtatu Religionis & Reipublicæ, Carolo V. imperante*, libros XXVI. latinè, germanicè, gallicè & italicè excuſos.

Verùm cùm ex conducto videatur Lutheranorum & Proteſtantium geſta ſcripſiſſe, non veritus in eorum gratiam undecies millies mentiri, meritò cum Auctore ſuo proſcribendus, atque è manibus Catholicorum excutiendus hic liber. Solebat Carolus V. Imp. *Sleidanum* mendacem ſuum adulatorem appellare.

## JOANNES SLOOTANUS,

à Geffen, (qui pagus eſt altero à Ducis-Silva lapide) S. Theologiæ Doctor, & Dominicanorum Prior Coloniæ, poſtremò per Tractum Rheni & Colonienſem Diœceſim generalis Fidei cenſor & Inquiſitor. Inter fratres ſuos vitam in pace complevit anno 1560. de 9. Julii. Fidei orthodoxæ ac veritatis ab hæreticis aſſerendæ zelum ſtudiumque ſingulare oſtendit, editis

*Demonſtrationibus contra Hæreticos*, ac ſignanter *Juſtum Velſium*, Hagæ-Batavum, Medicum Lutheranum.

*De retinenda Fide* libris IV.

*De Veritate Fidei* libris V.

*Homiliarum* Volumine *De præcipuis miſteriis divinæ Incarnationis & Redemptionis noſtræ*. Coloniæ, typis Gaſpari Gennepæi, 1557. Alia pluraſcripſit, quorum accuratiorem elenchum vide inter Scriptores Dominicanos P. Echard, Tomo II. pag. 175. cum ampliore Slootani encomio.

## JOANNES SMITH,

Sive Smetius, à Kettenis, Noviomagenſis Gelder, ibique ultra annos 30. Calviniani ritûs Miniſter, Antiquitatis perquam ſtudioſus, ac vulgo dictus *Nobiliſſimus Antiquarius*; fuit ſimul Philoſophus ac poëta. Summum ei ſtudium, antiqua numiſmata, gemmas, annulos, vaſa, aliaque ſimilia, coacervare: ad quæ videnda confluere ſolebant undequaque omnium ordinum Viri magnates & eruditi. Domus ejus ad hæc videndum omnibus patebat quotidie, eratque ipſi civitati Neomago ornamentum. Obiit ibidem die 30. Maii 1651, pro funere laudatus à *Lamberto Goris* J. C. Syndico illius urbis clariſſimo.

Edita fuerunt tum ab ipſo, tum à Joanne Smetio filio, quæ ſequuntur.

*Oppidum Batavorum ſeu Noviomagum*, libro ſingulari, quo oſtendit Batavorum Oppidum Cornelio Tacito lib. Hiſt. V. cap. 19. memoratum, eſſe *Noviomagum*; ſimulque tractat de Batavorum origine. 4. Amſtelod. apud Blauw. 1645.

Item vernacule *Chronicon antiquæ Civitatis Batavorum*, ſive deſcriptionem Noviomagi. Ibid. 12.

*Theſaurus antiquarius Smetianus*, ſive Notitia elegantiſſimæ ſupellectilis Romanæ & rariſſimæ *Pinacothecæ* plurimo labore 33. annorum curriculo in veteri Batavorum Oppido, ſeu Noviomagi ad Wahalim collectæ. Prodiit anno 1658. Amſtelod. apud Reinerum Smetium, in 12.

*Antiquitates Noviomagenſes*, ſive Notitia rariſſimarum rerum antiquarum, quas in Veteri Batavorum Oppido ſtudioſè comparaverat: in qua annuli, gemmæ, amuleta, claves, ſtyli, tintinnabula, fibulæ, lampades, aræ, marmora, menſuræ, pondera, ſtatuæ, ſigilla, lagenæ, vaſa atque alia Antiquorum monumenta explicantur, & varia Romanorum Numiſmata hactenus non viſa illuſtrantur. 4. Noviom. apud Regn. Smetium 1678. cum fig.

## JOANNES SMOUTIUS,

Presbyter & Sacellanus ad S. Donatianum Brugis, ſcripſit

*De Miraculis ejuſdem S. Donatiani.* Memoratur à Meiero libro II. Annal. Flandriæ ad annum 1011. Meminit & Molanus ad Uſuardum 14. Octob. Clerici cujuſdam Brugenſis, qui Vitam & Miracula S. Donatiani ſcripſerit, ad Patrem dilectiſſimum R R. ita enim Brugis, nominibus & auctoris & ejus cui librum inſcribit, ſuppreſſis, legitur.

## JOANNES A SOMEREN,

Cornelii, Scabini ac Medici Dordraceni & Scriptis clari filius, Dordraci natus 3. Julii 1622, deinde J. U. Doctor in Academia Lugduno-Batava renunciatus anno 1643; Vir græcè latineque doctiſſimus & Poëta venuſtus, è Scabino Dordraceno electus eſt anno 1655. Cæſareæ Noviomagenſium civitati à conſiliis & Syndicus, nec non anno 1666. Cameræ bipartitæ Graphæus. Obiit Dordraci die 22. Decembris 1676.

Præter *Poëmata* varia, præſertim flandrica, nec non Adviſamenta ac Conſultationes ſuper Cauſſis tum Hollandicis tum Gelricis, quæ penes filios ejus *Cornelium* & *Jacobum à Someren*, in ſuprema Hollandiæ Curia Advocatos, remanſerunt inedita, evulgavit flandrico Idiomate

*Antiquitatem reſtitutam, ſive Deſcriptionem Bataviæ*, quæ pars olim erat Ducatûs Gelriæ ac Comitatûs Hollandiæ. 4. Noviomagi 1657.

## JOANNES SOTEALLUS,

Vulgò Soteaulx, Montinienſis, ad Sabim fluvium apud Tudinium Provinciæ & Diœceſis Lcodicenſis opidum, in Academia Lovanienſi S. T. Licentiatus, obiit in Abbatia Camberonenſi Ord. Ciſterc. Lector Theologiæ anno 1567. Edidit

*B. Proſperi Aquitanici Opera*, è MSS. Codd. repurgata. Præfatur pro ſcriptis *Proſperi* adverſus Gennadium, & alios. Lovanii, typis Joan. Bogardi, 1566. 4.

*Annotationes* marginales *ad Concilium Tridentinum.* Antver. apud Plant. 1571. 8. & aliàs ſæpiùs, hoc titulo:

*Declarationes Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum*, cum Annotationibus Sotealli. Prohibitæ Romę anno 1621.

*Summam Pontificalium & Synodalium Conſtitutionum*, per locos communes.

Lovanii, apud Zangrium, 1570. in 8.

## JOANNES STABULANUS,

Ad S. Laurentium juxta muros urbis Leodicenſis Monachus Benedictinus, ſcripſit

*Chronicon Leodienſe* à S. Materno ad annum Chriſti 1449. De quo Abbreviator ejus (nam originalia & integra ſcripta illius huc uſque reperta non ſunt) ita ſcribit: *Eodem anno* (id eſt 1449.) *in craſtino Calixti obiit in Monaſterio S. S. Laurentii Nonnus* Joannes de Stabulaus *Monachus profeſſus, qui multas Chronicas ſcripſit & compilavit, ex quibus juxta præcedentia excepta ſunt.* Chronicon ejus continuavit *Joannes Peeckius*, Abbas; de quo ſupra, pag. 710.

## JOANNES STADIUS,

Loenhauti, in agro Antverpienſi, quà Bredam iter eſt, natus anno 1527. Kal. Maii. Primâ juventâ Lovanii, primus Ordinum Brabantiæ rogatu ac beneficio, ſumma cum celebritate nominis Hiſtoriam Romanam publicè exanavit. Inferioribus hinc ſpeculationibus valere juſſis, animum pœnè divinum Aſtronomicis addixit, Allobrogum Principi in primis gratus eo nomine, apud quem aliquamdiu degens, atque Aſtrologiæ genethliacæ dans operam, ſtudium hoc ſuum Proceribus ac Nobilibus pleriſque facilè probavit.

Magnis inde præmiis ab Allobrogum Duce ornatus, reverſuſque in Belgium, Brugis Flandrorum ad Nobiles Laurinos, fratres; moxque Lutetiam Pariſiorum ab Henrico III. Galliarum Rege ad Regiam Hiſtoriæ ac Matheſeos Profeſſionem evocatus, ibidem, in ſuburbano Honoratiano diem clauſit extremum, anno 1579. XV. Kalendas Quinctiles, ætat. LII.

Vir fuit (*Joſ. Scaligeri* judicio) iis litteris, eâ virtute atque humanitate præditus, præterea in iis ſtudiis verſatiſſimus, quæ ſolis divinis ingeniis patent. Legiturque ejuſdem *Scaligeri* ad *Stadium* prolixa Epiſtola, paullò ante obitum illius ſcripta, dum ei Manilii Aſtronomica, à ſe explicata ac caſtigata, mitteret, quâ & ſe & librum ſuum humanitati, eruditioni, æquanimitati ac judicio *Stadii* devovet ſubjicitque. *Juſtus Ryckius Stadii* ex *Catharina* filia nepos, non uno loco avum celebrat.

Edidit *Stadius*, Alphonſi Hiſpaniarum Regis exemplo

*Tabulas Berganas* (à Roberto Bergano, Leodicenſium Epiſcopum, ſic dictas) ſeu *Ephemerides Aſtrologicas*, ſecundùm Antverpiæ longitudinem ab anno M. D. LIV. uſque ad annum M. D. C. VI. Coloniæ, 1556. & 1570 4. Præmiſit *Hermetis Triſmegiſti Jatromathematicam* à ſe latinè redditam: Commentationem *de Cœli figuris* ſive *Domibus*; aliaque eodem ſpectantia.

*Tabulas æquabilis & apparentis motus cœleſtium corporum.* Ibid. 1560.

*Commentarios in Lucium Florum.* Antv. 1584. typis Plant. Coloniæ, 1600. 8. & alibi.

Refert Swertius in Athenis Belgicis duplex ejus Epitaphium.

JEHOVÆ SACR.
JOANNI STADIO, Mathematico,
Ab editis Tabulis Ephemeridib.
Aſtrologicis claro,
Philippi Hiſp. Regis honorariis
Lovanium, dein Lutetiam
Ab Henrico III. Galliæ Rege
Ad publicam earum diſciplinarum,
Quas celebri ſtudiorum concurſu,
Illis in Acâdemiis docuit,
Profeſſionem adſcito,
Joan. Matalius Metellus
Sequanus J. C. Celta,

IEAN: STADIVS:

de. Larmessin. sculp.

Digitized by Google

Amico Belgæ memoriæ causâ pos.
Vixit ann. LII. mens. fere II.
Obiit XV. Kal. Quintil. anno
M. D. L. XXIX.

ALIUD.

Posteritati Sacr.
JOANNIS STADII,
Belgæ, Brabanti,
Tanti illius Viri cineres
Heic spectas, Viator:
Sed cineres,
Famam enim, quæ cœlum implet
Et solum, non vides.
Certe ille ipsus est STADIUS,
Quem Potentiss. Hispan.
Et Galliar. Reges
Maximis stipendiis
Ad Historię Matheseosque Professionem
Evocarunt,
Grudii & Parisii docentem
Audivere, Boni omnes, Docti omnes
Præsentem amaverunt,
Abeuntem complanxêre;
Si tu horum es Lector,
Flores insperge marmori,
Vel potius lacrymas,
Magnoque funeri mollibus votis
Bonis verbis apprecare.
JUSTUS RYCQUIUS,
Ex Catharina Filiâ nepos
Avo B. M. L. P.

## JOANNES STALENS,

Pastor & Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ Rezensis in Clivia, descripsit *Papissam monstrosam & meram fabulam*, adversus calumnias Egberti Grim Calvinistæ 8. Coloniæ. 1639.

*Peregrinum ad loca sancta orthodoxum & pium*, sive Vindicias sacrarum peregrinationum, processionum, &c. 8. Coloniæ 1649.

## JOANNES STALPAERT VANDER WIELEN,

Hagæ-Comitanus, & J. U. Licentiatus, in patria sua primò Cæsarum patronum egit. Suscepto itinere Romano, ibique S. Theol. Doctor renunciatus, deinceps vitam egit Apostolicam, seque totum impendit Religioni Catholicę tuendæ, ornandæ, amplificandæ. Quò spectant libelli plerique, ab eo in gratiam Catholicorum patrio idiomate & ferè rythmo, subticito tamen nomine, evulgati.

*Iter Romanum*, nomine *Petri Reisesii*, de Peregrinationibus, honore Reliquiarum, invocatione Sanctorum &c. 1624. 8.

*Vita S. Agnetis*, sive Contemptus mundi muliebris, versibus rythmicis, 1622. 4.

*Extractum Catholicum*, sive Cantilenæ de præcipuis fidei capitibus, adversus hæreticos, 1631. 8.

*Annus aureus*, in duos Tomos distinctus, cujusque diei Dominici ac Festi Euangelia continens.

Vitâ defungitur pius ac devotus Sacerdos Delphis, ubi Pastor erat primarius ac Begginarum director & Archipresbiter Delflandiæ, anno 1630. pridie SS. Innocentium, ætatis anno 49.

## JOANNES STANNIFEX,

Vulgo STAINIER, Gosletanus, id est, ex Gosselies Gallo-Brabantiæ pago, more Academico renunciatus est anno 1512. primus in Scholis Artium Lovanii. Dein expleto Theologiæ cursu, fuit Philosophiæ in Porcensi Gymnasio Professor, olim celeberrimus, & auctor *Commentariorum Lovanienſium*, *in Organum Aristotelicum*; qui ad hunc diem sine nomine circumferuntur. Collegam habuit *Joannem Beverum*, cujus Commentarii exstant in libros Aristotelis *de Physica Auscultatione*, & libellos cognatos.

Vivere Lovanii desiit anno Dom. 1536. Collegii Houterlei Moderator.

## JOANNES STEINBERGIUS,

J. U. Doctor & in Academia Groningana Antecessor, edidit

*Seriem ac Summaria Titulorum, in Digestis & Codice.* 12. Gron. 1641.

*Disputationes de Interpretatione & Fictione Juris.* Groningæ, 1641. 12.

*Disputatio de Contractibus innominatis . . . . de Quartis Juridicis.*

. . . . *de Culpa obligationem perpetuante*; & alia.

## JOANNES STEVENS,

Lovanienſis, Canonicus Regularis in Viridi Valle, ſcripſit latinè elegans Opuſculum, cui titulus, *Ornamentum Virginum:* item *Exhortationes* varias, quæ ibid. MSS. leguntur.

## JOANNES DE STRAELEN,

Geldrus, ex Strala oppido, Guicciardino teſte: memoratur Trithemio, qui Theologiam in Colonienſi Gymnaſio docuiſſe refert, & ſcripſiſſe *In Apocalypſin Joannis* librum I. vixiſſeque anno 1390. annos octoginta natum.

## JOANNES STRASELIUS,

Flander, à loco natali *Strazeele* ad ad ſecundum à Balliola lapidem, cognomen mutuatus, bonis litteris Lovanii operam dedit; pòſt Lutetiæ Pariſiorum, *Petro Daneſio* docendi provinciam abdicante, annos ferè ſex ſupra viginti Regius Græcarum litterarum Profeſſor docuit; donec anno 1556. in fata conceſſit. Hujus

*Explanationem in Aurea Carmina Pythagoræ* Franc. Thorius in lucem protulit. Pariſ. 1562. 4. Exſtat libellus Epitaphiorum, græcè & latinè, in mortem *Straſelii*, à *Joanne Aurato*, *Leodegario à Quercu*, *Roberto Straſelio*, *Franciſco Thorio*, aliiſque contextus.

*BeLLULa progenuit, ſIXItque BrabantICa teLLUs,*
*ObſtUpUIt, rapUIt GaLLIa StraſeLIUM.*

Hocce communis tumuli monumentum
Reipub. literariæ C. & illuſtrandi
III. Viris,
Joanni Straselio, Flandro,
Græcarum Litterarum,
Petro Gallandio, Atrebati,
Latiæ Artium Humanit.
Hadriano Turnebo, Normanno,
Veteris Græcæ Philoſophiæ,
Regiis quondam apud Lutetiam Paris.
Profeſſoribus,
Ejuſdemque Academiæ columinibus
Et ornamentis,
Præceptoribus opt. de ſe m[e]r.
Priſtinæ in vivos ac mortuos
Pietatis cauſſâ,
Federicus Jamotius
Betunienſis Medicus P. C.
S. V. T. L.

## JOANNES VANDER STRAETEN,

Brugenſis, Ord. FF. Minorum, anno 1601. Ipris, tum Gandavi ac Brugis Guardianus, dein peregrè profectus in civitatem ſanctam Jeruſalem ac Montem Sinay, &c. *Iter* hoc ſuum reverſus in Belgium, vernaculè edidit anno 1620. Brugis in 4. apud Guil. de Neve; quod & Ordinibus Flandriæ dicavit, exiſtens tunc Pater Annunciatarum Brugis.

## JOANNES STRATIUS,

Canonicus in Divæ Virginis Antverpiæ, ſcripſit juvenis

*Orationem Gratulatoriam*, ad Eleonoram Caroli V. Cæſaris ſororem, Galliæ Reginam, de matrimonio ejus cum Franciſco Galliarum Rege. Antver. 1530. 8. apud Joan. Graphæum.

JOAN-

## JOANNES STULLIUS,

Gerardimontanus, Flander, Medici titulum Lovanii accepit: pòst Cortracenæ urbis Medicus, dedit

*Methodum Praxeos Medicæ.* Urſellis, 1606. 16.

## JOANNES STURMIUS,

Sleidæ, in ea Belgii regione, cui nomen Eifflia, in confiniis Ducatus Limburgenſis & Juliacenſis, naſcitur anno 1507. ipſis Kal. Octobris. Bonis litteris operam dedit Leodii in Collegio Hieronymiano. Lovanium deinde venit anno 1524. ubi annos quinque quà diſcendo quà docendo conſumpſit, uſus familiariter *Conrado Goclenio*, & in primis *Rutgero Reſcio*, quocum officinam inſtituerat typographicam.

Hinc Lutetiam Pariſiorum ſe contulit, dataque Medicinæ operâ, & inſignibus acceptis Doctoralibus, evocatus inde anno 1537. à S. P. Q. Argentoratenſi novæ Scholæ Rector perpetuus conſtituitur, Eloquentiamque plures annos profeſſus eſt; quò etiam ejus ſpectant Scripta, pleraque Argentinæ excuſa.

*Claudii Galeni Opera.* Baſil. 1531. fol.

*De Litterarum Ludis rectè aperiendis*, 1539. & 1543.

*De amiſſa dicendi ratione, & quomodo ea recuperanda ſit*, libri II.

*De Periodis* liber I. 1551. Idem explicatus à *Valentino Erythræo*, 1567. 8.

*De Imitatione Oratoria* libri III. *cum Scholiis.* 1574. 8.

*De univerſa ratione Elocutionis Rhetoricæ*, libri IV. 1576. 8.

*Partitionum Dialecticarum* libri IV. 1592. 8.

*Linguæ Latinæ reſolvendæ Ratio*, 1581. in 8.

*Ariſtotelis Rhetoricorum* libri III. *Sturmio* Interprete & Scholiaſte, 1570. 8.

*Hermogenis de Ratione inveniendi Oratoria* libri IV.

Ejuſdem *De dicendi generibus*, ſive *Formis Orationum* libri II. *cum de ratione gravitatis occultæ* liber; omnes à *Sturmio* latinè redditi, Scholiiſque explicati, 1571. 8.

*Hermogenis Partitiones Oratoriæ*, ſive *De Statibus* liber, ab eodem *Sturmio* illuſtratus, 1570. 8.

*Commentariolus in Æſchinis & Demoſthenis Orationes contrarias*, 1581. 8.

*Commentarii in M. T. Ciceronis Tuſculanam primam*, 1575. 8.

*Commentarii in Orationem Ciceronis de Aruſpicum reſponſis.*

*Scholia in Orationes ejuſdem pro P. Quinctio, pro Domo ſua, pro Cn. Plancio, pro C. Rabirio poſtumo, in Divinationem contra Verrem, in Philippicam* I. & II. Baſil. in Volumine diverſorum Commentariorum in eaſdem Orationes.

*In Verrinam Ciceronis ſextam Rhetorica παραπήγησις*, 1565. 8.

*Commentaria in Artem Poëticam Horatii*, edente *Joanne Loberto*, 1576. 8.

*Epiſtolæ & Orationes* variæ. Theologicis, quibus profitetur ſe degenerem Eccleſiæ orthodoxæ filium, hîc locus non datur, notaturque propterea inter primæ Claſſis Auctores prohibitos.

Ad plures abiit Argentorati anno 1589. die III. Martii, oculorum uſu, præ ſenectute, pridem orbatus, atque à Rectoratu Scholarum Argentinenſium jam ab annis aliquot deſtitutus, eò quod à Lutheraniſmo ad Calviniſmum deflexiſſet.

Tres illi fuere uxores, prima *Joanna Ponderia*, ducta Pariſiis, ſecunda *Margareta Wigand*, Argentorati ducta, uti & tertia *Eliſabetha d'Hohenburg*, quæ marito ſupervixit: ſed nullæ inde proles *Sturmio* ſuperſtites. Plura de geſtis ac ſcriptis illius ævo ſuo literatiſſimi Viri, ex *Melchiore Adamo*,

*Thuano* &c. collegit P. Niceron in Notitia ſua literaria Tomo XXIX. pag. 205.

## JOANNES STURMIUS,

Vulgo STORMS, Machlinianus, natus anno 1559. IV. Kalen. Septembres, è Profeſſore Philoſophiæ ac Regente Pædagogii Lilienſis creatus anno 1593. Medicinæ Doctor, & Matheſeos Profeſſor Lovanii, ingenii acumine (quod in eo vividum, etiam decurſâ propè ætate ſemper viguit) excellens, candore, modeſtiaque nemini cedens, potiores vitæ ſuæ annos in rerum naturalium cognitione tradenda tranſegit.

Mathematicas diſciplinas per annos plures Profeſſor Regius in publico Auditorio tradidit, numquam interim ceſſans Muſas laceſſere, ſolebatque de re qualibet, prout incideret, verſus fundere, & in colloquio familiari reſponſi loco verſus reponere. Obiit ſenio confectus circa annum 1646. Ejus hæc ſunt:

*De Roſa Hierichuntina:* de Nătura, Proprietatibus, Motibus & Cauſſis illius, Commentarius. Lovanii, typis Ger. Rivii, 1607. 8.

*Theoremata Phyſices, ſive Philoſophiæ Naturalis*, verſu heroïco deſcripta, & brevibus Scholiis illuſtrata. Ibid. 1610. 8.

*Pſalterium B. Mariæ Virg. & Meditationes* verſibus trochaicis dimetris adſtrictæ. Ibid. apud Franc. Simonis.

*Ludus Fortunæ*, ad recreandam ſocietatem, latinis verſibus, omnibus in contrario ſenſu retrogradis, exhibitus. Ibid. 1633. 4.

*De accurata Circuli dimenſione & Quadratura*: cum *Sylvula Epigrammatum, Ænigmatum*, &c. Ibid. 1633. 4

## JOANNES SURENUS,

Harlemius, plurima ſcripſit, quæ adhuc latent, inquit in ſuo Hollandiæ Theatro Marcus Zuerius Boxhornius, & inter alia *Dialogum*, quo Artem Typographicam Harlemi primitus, non alibi, inventam fuiſſe pluribus oſtendit. Vitâ defungitur annoſus ſenex anno 1591.

## JOANNES SURIUS,

Bethunienſis, Societatis Jeſu, Poëta elegans, & in pleriſque cum veterum Poëtarum majeſtate contendens; eoque etiam ſuperans, quòd ad vitam piè inſtituendam, moreſque caſtos juventutem hoc modo informet: editâ in hanc rem *Poëſi*, ut vocat, *Morata*, Atrebati, 1617. 8. typis Guil. Riverii: in qua, præter Carmina pleraque ſacra, Dramaticè exhibet, *B. Mariæ Magdalenæ ad* CHRISTI *ſepulcrum ſtantis Threnos Eroticos:* item *Luctam Carnis & Spiritus in* S. AUGUSTINI *converſione*, & *Domum Euangelici Patris-familias*, ex Matthæi cap. XXIV. & Marci XIII.

Ejuſdem generis eſt volumen, quod *Inaures aureas* inſcripſit, editum Tornaci 1621. 8. in quo *Converſio S. Procopii: Caritas S. Nicolai: Conjugium SS. Waldetrudis & Vincentii: Pœnitentia Theophili*, aliaque, ſimiliter Dramaticè exhibentur.

Tornaci anno ſalutis 1631. die XVII. Martii vitâ defungitur.

## JOANNES SURQUET,

Dictus HOCCALUS, Bethunienſis, Inſulis Flandrorum diu vixit. Scripſit ibidem vernaculo idiomate

*Commentarium De bello inter Maximilianum, Regem Romanorum, & rebelles Flandros anno* 1487. *& tribus ſequentibus geſto.* Ejus hoc initium, *Il eſt vray, que l'an de grace* 1487. *avoit grand guerre en Bretagne* &c. Legebatur Inſulis in Bibliotheca Dom. Deſpretz, & Joan. Franciſci Cardevacquii Patricii Atrebatenſis.

## JOANNES SWEERTIUS,

*Franciſci* ex fratre nepos, Dieſtenſis, Cartuſianus Colonienſis, in epitomen redegit

*Lud. Granatenſis Conciones de Tempore & Sanctis.* Coloniæ, 1611. typis Albini.

Ex *Luca Pinello & Henrico Cuyckio collegit Meditationes de ſeptem Paſſionis Dominicæ myſteriis.* Ibid. 1611. 12. apud Butgenium.

Animam Creatori ſuo reddidit anno 1617. die VIII. Aprilis, Profeſſionis in Ordine anno 35.

## JOANNES SYLVAGIUS,

Vulgo *Sauvage*, Burgundio, Eques auratus, Toparcha d'Eſcambeeck, Itterbeeck, Bierbeeck, &c. Lovanii publicè Jus Civile eſt profeſſus, Eraſmo Roterodamo amiciſſimus, de quo hic ita ad Guilielmum Budæum.

*Haud ſcio, quî ſit, ut mea ſententia nuſquam quam hîc contemptiores ſint bonæ Literæ* ἄτιμοι οἱ ἄρχοντες ἀμούσατοι. *Magna tamen ſpes eſt in* JOANNE SYLVAGIO, *Burgundiæ Cancellario, qui quidem, ut ipſe non ſolum maximus eſt ac prudentiſſimus, verum etiam eruditiſſimus, ita impenſè favet omnibus, quos inſignis eruditio commendat. Hunc Heroa, ſi nobis ſuperum benignitas diu velit incolumem, ſpes eſt fore, ut apud nos quoque proveniant qui ingenii ſui monumentis Principis ſui regnum, cætera feliciſſimum, illuſtrent & ornent.*

Scripſit, teſte Swertio in Athenis Belgicis,

*Reſponſa in Jure*, aliaque ad praxim pertinentia.

Fatis placidè ceſſit Bruxellis, ſepultus in Baſilica divæ Gudilæ, hoc Epitaphio:

Clariſſ. Domino
JOANNI SYLVAGIO, Equiti aurato,
Qui primum geſſit
Flandriæ Præſidem,
Mox Cancellarium Brabantiæ,
Poſtremum Burgundiæ Hiſpaniæque,
Perpetua cum laude
Et pietatis erga Patriam,
Et fidei erga Principem,
Et integritatis erga omnes,
Uxoris charitas, & liberorum pietas
Poſſ.
Vixit ann. LXIII. menſ. V.
Obiit M. D. XVIII. VII. Junii.

## JOANNES TABARY,

Gallus Lemovix, ex Medico ac Cubiculario Caroli VI. Francorum Regis, Canonicus Cameraci, Atrebati, Tornaci, & Inſulis, demum ab anno 1383. Epiſcopus Morinenſis, ſcripſit teſte Ferreolo Locrio,

*De Arte Medica* libros VI. ad Carolum VI. Regem Franciæ. Obiit Pariſiis anno 1403.

## JOANNES TACQUET,

Vir Nobilis, Antverpiâ oriundus, Lechenæ & Helſti Toparcha, vixit Brugis Flandrorum, ſcripſitque gallico idiomate librum de natura, indole, cura, educatione delectuque habendo Equorum, cui titulum dedit

*PHILIPPICA, ou Haras de Chevaux.* Antverp. typis Rob. Bruneau, 1614. 4.

Vivere deſiit Brugis, eique Janus Lernutius tale ſcripſit Epitaphium.

*Cui cordi virtus, prudentia, candor, honeſtas,*
*Cum pietate fides, cum gravitate pudor,*
*Lugeat hoc mecum gelido ſub marmore clauſum,*
*Pectore qui clauſit tot modo cuncta bono.*
*Civis in hac celebri vixit primarius urbe,*
*Moribus incertum clarior anne domo.*
*Largus opum, genitor felix, ſine lite maritus,*
*Ambitione vacans, dexteritate vigens.*

*Haut dubiè* TACQUETUS *is eſt ? ita candida dudum*
*Inquit, eum talem jam mihi fama canit.*
*Non erras hoſpes,* TACQUETUS *hic occubat ille,*
*Cujus & à cinere, & funere vivit honor.*
*Dic igitur pia verba, ſimul tumulo ingere flores,*
*Et quidquid grati mittit odoris arabs.*
*Sed verno nil munere opus, nil meſſe Arabum ulla*
*Urna roſam & violam ſponte crocumque feret.*

## JOANNES TAISNIER,

Athenſis, Hanno, J. U. Doctor, Philoſophus, Medicus, Mathematicus, Poëta, Muſicus: quas artes cum laude ſingulas non uno in loco profeſſus eſt. Europam obivit ferè univerſam, & magnam Africæ partem, Carolum V. Cęſarem, cui erat à Sacris ac Muſicis domeſticus, expeditione Tunetenſi ſecutus; ſymboli loco uſurpare ſolitus, QUO FATA TRAHUNT.

Matheſin Romæ ac Ferrariæ, aliiſque in Academiis publicé privatimque docuit, & frequentem ubique ac ſedulum auditorem habuit. Rector item fuit Muſices Joannes Gebhardi, Archiepiſcopi & Electoris Colonienſis. Tandem peregrinationis tædio animum ad ſcribendum appulit, & vulgandum ea, quæ de Arte potiſſimum divinatrice Chiromantiaque obſervarat; quâ, ſpretis geniturarum laborioſis ſupputationibus, ex manuum lineis ſigna temperamenti cujuſque, & animi characteres colligebat, atque ignaras curioſorum mentes, rerum ſuarum ſciſcitantes eventus, vaticiniis circumducebat. Plura *Jacobus Philippus Tomaſinus*, in ſuis Illuſtrium Virorum Elogiis, Patavii anno 1630. editis. Scripſit

*De Natura, & effectibus Magneti* Coloniæ typis Birckmanni 1562. 4.

*De motu continuo: de proportione Motuum Localium*, contra Ariſtotelem & alios Philoſophos.

*De Motu celerrimo hactenus incognito.* Ibid.

*De Annuli Sphærici Fabrica* libros III. Antver. 1560. 4.

*De Uſu Sphæræ materialis.*

*Aſtrologiæ Judiciariæ Iſagogen.* Coloniæ, 1559. 8.

Demùm *Opus* ejus *Mathematicum*, VIII. libris comprehenſum excudit Coloniæ Theod. Baumius, 1583. fol. cum Auctoris effigie. Notet verò Lector, Chiromantica ac Genethliaca, ut præſtigioſæ artis, Sixti V. Pont. Max. diplomate notata eſſe.

Epitaphium ei poſuit Joannes Fontanus.

TAISNERIUS *jacet hic, parva reſupinus in Urna,*
*Qui vaga dum vixit, ſydera tranſiliit.*
*Quo non dexteritas, quò non prænobile magni*
*Pertigit ingenium, cura, laborque Viri?*

## JOANNES TENERAMUNDANUS,

Carthuſianus, Theologus, variis lucubrationibus clarus: è quibus extant

*De Notitia Dei. De Amore Dei. De Honore Dei.*

*De Natura & Lapſu. De Reparatione lapſi, deque Gaudio hominis*, libri ſingulares.

*De Fide Chriſtiana.*

*De Sacramento Altaris.*

*De Conceptione* B. MARIÆ *Virginis.*

Præfuiſſe ſuis in Siligniacenſi Sabaudiæ Carthuſia refert Trithemius, & Petrus Sutor, vixiſſeque circa annum 1420.

## JOANNES THEODORICI MACHERENTINUS,

Ex opido Macheren ditionis Lu-

IN MANIBVS SORTES EIVS
De Lairesse fecit
IOANNES TAISNERIVS

xemburgensis, ad Mosellam fluvium sito, Societ. Jesu Theologus, Treveris, Coloniæ, Spiræ, atque alibi, quà docendo, quà concionando, confessioncsque sacras audiendo, utilem juventuti salutique hominum operam impendit. Scripsit

*Catechismum, & Praxin Catechisticam*, Treverensis Archiepiscopi auctoritate. Treveris, typis Henr. Bock, 1612. 8.

Eidem adscribit Bibliotheca Script. S. J. *Commentarium in Salviani libros IV. De Ecclesia*, sub nomine *Timothei*, *adversus avaritiam*, seu, *Quis dives salvus?* Ibid. 1609. 4.

Diem supremum obiit anno 1610. die VII. Januarii, Augustæ Trevcrorum, cum opinione sanctitatis.

## JOANNES THUYS,

Antverpiensis, Notarius, edidit belgicè *Artem Notariatûs*, seu stilum illius, tum practicè, tum theoreticè. 12. Antver. apud Arn. s'Koninex. 1590.

## JOANNES TIELENS,

Canonicus ad S. Dionysium apud Leodienses, vir Græcè doctus, & de *Arithmetica* optimè meritus, edito libello, quo præter alia novè à se excogitata, novâ praxi & intentatâ hactenus viâ, methodum illam, quæ calculis fit, æqualem jubet ire illi, quæ fit characteribus seu cyphris.

## JOANNES TINCTOR,

Nivellensis, J. U. Doctor, & Ferdinandi Regis Neapolitanorum Sacellanus ac Musicus, claruit anno 1495. Scripsit

*De Arte Contrapuncti*, ut vocant, libros III. Et alia, quorum Trithemius de Scriptoribus Germaniæ meminit.

## JOANNES TINCTOR,

S. Theologiæ in Academia Colonien-si Doctor & Professor, & Canonicus Hospitalarius Cathedralis Ecclesiæ Tornacensis, scripsit librum eruditum *De Vitio Proprietatis*, contra Waldenses. MS. Lovanii ad S. Martinum.

Legitur ejusdem *Consultatio de Confessionis integritate*, in Sportula Fragmentorum Ægidii Carlerii. Item altera adversus Bonetum quendam, & Franciscum de Maronis, asserentes *S. Joannem Evangelistam fuisse verum ac naturalem filium Beatæ Virginis*. Reliquit præterea

*Tractatum contra defendentes aperturam Claustrorum.* Incipit: *Adsunt, ni fallor, illi dies &c. MS.* Tornaci, ad S. Martinum.

*Quæstiones in libros IV. Sententiarum.* Manusc. Lovanii, in Collegio Theologorum.

*In primam Partem D. Thomæ*, apud Bertinianos Audomaropoli.

*In primam secundæ.* MS. olim Hagæ-Comitis, & Roterodami, apud Dominicanos. Ex Bunderii Indice.

## JOANNES DE TOLLENAERE,

Brugensis, natus anno 1582. IV. Nonas Augusti, Societatis Jesu, Litteras humaniores annis aliquot, & Theologiam Moralem triennio professus, semel iterumque Domum Professam Antverpiæ, totamque inde Provinciam Flandro-Belgicam moderatus est; Vir moribus & doctrinâ spectabilis & magni nominis Ecclesiastes, denatus Antverpiæ 11. Aprilis 1643. Edidit

*Speculum Vanitatis*, sive *Ecclesiasten*, solutâ ligatâque oratione dilucidatum, typis Plantin. Antver. 1635. 4.

## JOANNES TURRIUS,

Vulgo VAN TORRE, Brugenſis, Jurium Doctor, ſcripſit ad Richardum Vitum J. U. D. & Profeſſ. Duacenſem, *Epiſtolam, ſuper Epitaphio vel Ænigmate illo antiquo*, ÆLIA, LÆLIA, CRISPIS &c. quod jam pridem plus merito contorſit ſapientiſſimorum Virorum ingenia, ipſeque interpretatur de Materia prima. Dordraci, 1618 typis Joan. Leonardi Berewout.

## JOANNES TYBIUS,

Duysburgenſis, Clivius, *Duysburgum* patriam tribus libellis, verſu Elegiaco ſcriptis, celebravit, editis Hombergæ ad Rhenum, in Comitatu Meurſenſi, anno 1579. Quos denuo inſeruit ſuæ Hiſtoriæ Cliviæ, Juliæ ac Montium, Wernerus Teſſchemaecker, pag. 153. novæ Editionis. Sed notet lector, hos verſus ab homine Calviniſtâ exaratos, blaſphemiis in Deum ac Sanctos, ipſamque Eccleſiam Romano-Catholicam, refertos eſſe.

## JOANNES DE LA VAL,

J. C. Atrebatenſis, & Conſiliarius Regius apud Valencenates,

*Pſalterium Davidicum* verſu Elegiaco reddidit.

*Carmen Heroïcum*, cui titulus, *Anna, Maria*, JESUS, edidit Duaci, 1576. in 16.

## JOANNES DE VALLE,

à Beringhen, Provinciæ & Diœceſis Leodienſis, Rector Eccleſiæ de Hamalia, vivebat anno 1436. & reliquit opus, quod inſcripſit

*Alphabetum Narratorium*, continens Hiſtorias morales, ordine alphabetico compendioſè diſtributas. MSS. apud Regulares Tungrenſes, quorum Bibliothecæ ex hujus teſtamento, Codicum manuſc. non parva acceſſio facta eſt.

## JOANNES VARENNIUS,

Machlinienſis, docuit Lovanii privatim litteras cùm græcas, tum latinas; ſacras etiam in Parco, celebri Canonicorum Norbertinorum Cœnobio, ad urbis muros, interpretatus eſt. Scripſit

*Syntaxin Linguæ græcæ*; omiſſis iis, quæ latinis græciſque communia. Excuſa ea primum Lov. à Rutgero Reſcio 1532. deinde Antverpiæ, Baſileæ, & alibi, cum *Joachimi Camerarii* Annotationibus, iterumque Antver. typis Plant. à *Renato Guillonio* emendata, & Notis illuſtrata.

Περὶ προσῳδιῶν, ſive *de Accentibus Græcorum* libellus, editus primùm fuit à morte auctoris anno 1544. in 8. Pariſiis apud Joan. Tiletanum, unà cum *Franciſco Vergara*, *de Linguæ græcæ Grammatica*.

Obiit verò, annis meritiſque gravis, in Lirano Brabantiæ opido, anno Chriſti 1536. v. Idus Octobres, ſeptuagenario major. Adhærent tumulo hi verſus:

VARENNIUS, *Pelaſgi*
*Sermonis & Latini*
*Peritus, & Sororum*
*Myſtes novem ſacrarum,*
*Egentibus benignus,*
*Doctor gregis tenelli,*
*Pietate dives, æqui*
*Amator, hîc arenâ*
*Tectus jacet, doloſâ*
*Lactantis orbis arte*
*Liber, fruens triumpho*
*Nunc cœlitum perenni.*

## JOANNES VARENACKER,

Ex pago de Ruyſſelede juxta Tile-

tum in Diœceſi Gandavenſi oriundus, naſcente Academia Lovanienſi, Philoſophiam in Gymnaſio Lilienſi docuit, indeque gradum fecit ad S. Theologiæ Magiſterium. Anno 1443. nominatus fuit Plebanus D. Petri ac Profeſſor. Vir fuit elegantis ſtaturæ, blandi colloquii, ingenii prudentis & liberalis, apud omnes doctos habitus in precio maximo; ut teſtatur Joannes Impens in Chronico Bethleemit. Vivere deſiit anno 1475. conditus ante Altare S. Crucis. Scripſit

Tractatum *de Sacramentis*; qui extitit in Bethleëmitico Cœnobio.

Quæſtiones Quodlibeticas II. Prima, *Utrum Clerici & Eccleſiarum Prælati mortaliter peccent, ſi quod eis de Præbendis ſupereſt, in eleëmoſynam non elargiantur.* Secunda, *Utrum ab homine poſſit diſpenſari in Præceptis juris naturalis aut divini.* Excuſæ ſunt, 1512. & iterum Pariſ. 1544. 4.

*Lectura in Pſalmum, Beati immaculati &c. in Librum Sapientiæ & in IV. Euangeliſtas*; lecta fuit in Carthuſia.

Ejuſdem *Monoteſſaron* adſervatur Lovanii in Theologorum Collegio, abſolutius quidem eo, quod Joannes Gerſon edidit, magna tamen ex parte illi ſimilè.

## JOANNES VASÆUS,

Brugenſis, in patria pœnè puer, nondum exacto decimo octavo ætatis anno, ab amicis & propinquis docendæ juventuti deſtinatus, tanti laboris impatiens, Lovanium profectus eſt, hebraïcis litteris operam daturus: nam eo prætextu miſſionem conſecutuserat.

Dum verò Juriſprudentiæ totus vacat, *Nicolai Clenardi* (cujus pluresextant ad Vaſæum Epiſtolæ) hortatu, ac Ferdinandi Columbi, Chriſtophori magni novi Orbis inventoris filii, auſpiciis in Hiſpaniam conceſſit, & Methymnæ in Iſabellæ Auguſtæ aula, atque Hiſpali in Bibliotheca Colonica triennio conſumpto, Salmanticæ ad intermiſſa Legum ſtudia reverſus eſt, invitatus à Franciſco de Valle, Prætore Antverpiano, ut filii ſtudia dirigeret, moreſque formaret. Quo ante diem vitâ functo, publicæ Profeſſionis cathedram Gymnaſii Rhetor aſcendit.

Hinc in Luſitaniam ab Henrico Cardinale, Joannis Regis fratre, miſſo Salmanticam Clenardo, vocatus, primùm Bracaræ, dein Eboræ juventutem Luſitanicam annos ipſos XII. erudiit. Demùm Salmanticenſis Academiæ Senatûs decreto in Hiſpaniam revocatus, diem ibidem vitæ clauſit extremum, relictis uxore & liberis.

Hæc ferè de vitæ ſuę curſu recitat *Vaſæus* ipſe, in Chronici ſui Procœmiis. Scripſit enim

*Chronicon Hiſpaniæ*: De rebus Hiſpaniæ memorabilibus. Coloniç, 1577. 8. & Francofurti, typis Wechelianis, in fol. Collegit etiam

*Rerum atque verborum Indicem ex Chiliadibus Adagiorum Eraſmi.* Conimbricę, 1549. 4. apud Joan. Barrerum.

Obiit Salmanticæ circa annum 1562. Octobri ineunte, in Maturinorum, B. M. de Mercede, ſeu veræ Crucis Ædę ſacra ſepultus, ſub hoc ſepulchrali carmine.

*Conditur hoc tumulo Flandrâ de Gente* VASÆUS,
*Salmanticenſis gloria Gymnaſii.*
*Ergo jacent Muſæ; ingenium, facundia linguæ,*
*Et cum ſincerâ Religione fides.*

## JOANNES DEL VAULX,

Sive VALLENSIS, Cœnobii Villarienſis, Ciſtercienſis Ordinis, Prior, obiit anno 1590. relicto libro

*De Statu, Votis & Diſciplina Monaſtica*, quem ſuis ibidem dictavit. Manuſc. in Villario.

## JOANNES VELDENARUS,

Ultrajecti, apud Batavos vixit, Hiſtoriæ ſcriptor vernaculus, ſed qui ſæpè etiam circa fidem laboret, maximè ubi de origine tractat gentis noſtræ. Edidit Ultrajecti anno 1480.

*Faſciculum Temporum*, ſive *Hiſtoriam*, ab orbe condito uſque ad ſua tempora: in qua recenſet quoque res geſtas Epiſcoporum Ultrajectenſium, Comitum Hollandiæ, Ducum Geldriæ, Cilviæ &c.

*Chronicon* ejus Vernaculum è latebris eruit, ediditque cum Animadverſionibus ſuis *Marcus Zuerius Boxhornius*, Hiſt. Profeſſor Lugd. Bat. apud Guil. â Rennenburg 1650. in 4. Vide etiam *Adr. Pars* Indicem Batavicum pag. 39.

## JOANNES DE VELRE,

Clericus, reliquit gallicè librum *de Epiſcopis Ultrajectinis & Hollandiæ Comitibus*. Legitur manuſc. Lovanii, apud Societatis Jeſu Patres.

## JOANNES GUILIELMUS VELSIUS,

Leovardienſis, Friſius, Medicus ac Mathematicus, memoratur à Suffrido Petro, qui & Conſulatum Leovardienſem aliquamdiu geſſiſſe refert, poſtulanteque ægrotantium frequentiâ Medicinam factitaſſe, laudatque

*Obſervationes* ejus *Aſtronomicas & Geometricas*.

*Biothanatorum Centurias* aliquot; aliaque, quorum nihil publicè extare exiſtimo.

## JOANNES DE VENDEVILLE,

Natus Inſulis Flandrorum anno 1527. die, XXIV. Junii patre mercaturam faciente. Anno ætatis XV. Pariſios miſſus, Juri Civili operam non ſegnem dedit. Uſum huic forenſem junxit in Curia Arteſiæ. Non multò pòſt Lovanium conceſſit, primumque Juris utriuſque Licentiatus, mox Doctor renunciatus fuit anno 1553. VI. Kal. Septembris, nactus Coilegas *Joannem Wamesium*, *Joachimum Hopperum*, & *Petrum Pecquium*, omnes ingenii doctrinę & honorum inſignes titulis.

*Vendaillius* cùm auctor ſuaſorque fuiſſet Regi Catholico, ut novam in Belgio Academiam erigeret, primus Duacum ad primariam Juris Cathedram fuit evocatus. Rebus inibi turbatis, aut non ita quietis, cedens loco & factioni Auriaci, Leodicum, Pariſios, & Coloniam ſeceſſit. Revocatus à Joanne Auſtriaco, privati Conſilii Aſſeſſor anno 1578. nominatus fuit, & elatâ uxore *Annâ Roelofs* è Patricia apud Lovanienſes familiâ, tandem anno 1588. Tornacenſium Epiſcopus, ſequente Synodum Diœceſanam habuit. Iter Romanum bis ſuſcepit, ut cum Sixto V. & Clemente VIII. Pont. Max. de rebus Eccleſiaſticis ac ſignanter Diœceſios ſuæ ageret: ibique cum Cardinalibus *Baronio*, *Frederico Borromeo* aliiſque amicitiam iniit. In Academiis Lovanienſi ac Duacena erectionem Seminariorum Paſtoralium apud Philippum II. Regem promovit. Pœdagogium Falconenſe Lovanii ab interitu vindicavit. PP. Societatis Jeſu Inſulas introduxit &c. E viſitatione Cortracenſi Tornacum redux, diem ſupremum obiit 15 Octobris 1592. ætatis 66. Epiſcopatûs v. ſepultus in choro cathedralis, ante pontificalem cathedram; ſed abſque Epithaphio, quod tanto Præſuli debebatur.

Vir ingenio, doctrinâ, & in primis pietate erga Deum, beneficentiâ in pauperes, zelo propugnandæ ac propagandæ Eccleſiæ admirabilis: cujus ſolius vita exemplo ſit, quid quantumque in quovis vitæ genere præſtare quis poſſit & debeat. Ceteras virtutes

libro

libro ſingulari complexus eſt *Nicolaus Zoeſius*, illi quondam à ſecretis, & Tornacenſis Officialis, ac tandem Epiſcopus Silvæducenſis: qui ſcripta ejuſdem recenſet, è quibus nihil adhuc excuſum.

*De Principiis Juris*, ad Proœmium Pandect. & Cod.

*Edicti Perpetui Salvii Juliani, & Cod. Theodoſiani cum Juſtiniani Imp. Legiſlatione Comparatio.* &c.

*De Gentilibus, Paganis, Idololatris & Hæreticis convertendis*, ad Gregorium XIII. qui Pontifex viſo lectoque hoc Scripto, mox animum adjecit Collegiis Maronitarum, Græcorum, aliorumque erigendis.

*Paſtorale Eccleſiæ Tornacenſis, à Venduillio* editum in 4.

*Statuta Synodi Diœceſanæ Tornacenſis anno* 1589. *habitæ*, extant in Summa Statutorum Tornac. quam anno 1726. evulgavit *Jacobus le Groux*, Paſtor in Marcque en Bareul.

## JOANNES VERBRUGGHE,

Mechlinienſis, Parochus, ſive ut ſe ipſum vernacule nominat, *Erf-Prochiaen*, Eccleſiæ de Neckerſpoel ad muros ejuſdem Urbis anno 1552. (Fuit autem hæc Eccleſia poſtmodum per Iconoclaſtas deſtructa, atque anno 1603. incorporata parochiali Eccleſiæ SS. Petri & Pauli in Mechlinia.) Scripſit idem Joannes vernaculè libellos ſequentes

*Des vyants net, raet viſioenen* &c. id eſt, rete diaboli. 12. 1552. Antverp. apud Joannem à Lieſvelt, cum fig.

Item *de pane Angelorum, & de Deſerto Domini* &c.

## JOANNES VERSTEEGHEN,

J. C. Batavus, ſcripſit

*De Juriſdictione, mixto & mero Imperio, ſervitutibus, pactis, tranſactionibus & uſu-fructu.* 8. Neomagi 1665.

## JOANNES DE VESALIA,

Bruxellenſis, Doctor Medicus, dedit *Exhortationem* ad Eugenium IV. Papam *de Calendarii correctione*. Fuit hic *Andreæ Veſalii*, Medici præſtantiſſimi, atavus, Mariæ Burgundæ Medicus: pòſt ſenio gravis, aulæque pertæſus, ſubſtituto ſibi *Everardo* filio, Lovanium conceſſit; ibique otium non ignobile ſecutus Medicinam docuit.

Fuit & *Joannes à Veſalia*, Clivius, S. T. D. Erfurt. Author hæreticus ac Lutheranorum præcurſor, cujus Scripta, & Propoſitiones XVIII. ex iiſdem excerptas damnavit Archiepiſc. Moguntinus anno 1479. *Vide Bern. à Luxemburgo, in Catalogo Hæret. & Oudinum de Script. Eccleſ.* Tomo III.

## JOANNES UFFELIUS,

Vulgo VAN UFFELS, *Severini* J. U. D. filius, Patricius Bruxellenſis, J. C. & cauſſarum patronus Antverpiæ: vir ingenii candidi & modeſti, lectionis & doctrinæ variæ, Juriſconſulti titulum Duaci accepit, Doctore & Anteceſſore uſus Boëtio Epone, Friſio. Dedit uberes

*Notas in Didaci Covaruviæ varias Reſolutiones*, Ant. 1604. fol. & aliàs.

*Conſultationem connubialem*, quâ quæritur, An conjugium longiſſimi temporis cohabitatione, uſu, publicâ famâ confirmatum, noviſſimo Concilii Trid. jure pro concubinatu haberi poſſit. Ibid. 1611. 8. typis Verduſſiis.

Plura meditantem in Jus Civile mors in ipſo ætatis flore rapuit, anno 1617. Fratrem reliquit ſuperſtitem *Cornelium*, & illum J. U. D. ac cauſſarum patronum Bruxellæ, virum elegantis ingenii.

## JOANNES VINCART,

Inſulenſis, è Societate Jeſu Theo-

logus Poeta & Eccleſiaſtes non minus facundus quam zeloſus: ſupererat anno 1673. octogenarius, Tornaci, concionibus indeſeſſe occupatus. Deſcripſit

*B. Virginem Cancellatam*, (vulgo N. Dame de la Treille) *Inſulis cultu & miraculis celebrem.* fol. Inſulis 1636.

Item *de cultu Beatiſſ. Virginis*, carmine elegiaco.

*Vitam & documenta S. Joannis Chryſoſtomi.* 12. Tornaci 1638.

*Vitam SS. Joannis Eleëmoſinarii, Damaſceni, Climaci*, cum documentis moralibus. Tornaci 1650. & quædam alia, de quibus vide Bibliothecam Scriptorum Societ. Jeſu.

## JOANNES DE VINEA,

Bruxellenſis, idem qui Joannes Mauburnus, de quo ſupra.

## JOANNES VIRINGUS,

Aliàs JOANNES WALTERI VIRINGUS, Lovanienſis, Medicinæ in patria annos plurimos Doctor, ab anno 1571. ac Profeſſor primarius; fuerat primò Medicus Oppidi Verienſis in Zelandia. Poſtmodum, uxore ſublatâ tempore mortalitatis, ſtatum amplexus eſt Eccleſiaſticum anno 1593. Sacerdos, & Canonicus Cathedralis Eccleſiæ Atrebatenſis, ac demum Principibus Belgarum Alberto & Iſabellæ à ſacris Oratorii. Scripſit

*De Jejunio Eccleſiaſtico & abſtinentia* libros V. quibus oſtendit mutuam Medici & Theologi affinitatem; & in illo mixti generis ſcripto Theologum ac Medicum agit. Atrebati, 1597. 4.

*Diario Joannis Molani de Medicis ſanctis* præmiſit ad Lectorem φιλίατρον *Epiſtolam de utilitate ejuſdem libelli, deque vera Medicina.*

Extitit etiam *Tabula Iſagogica, oſſium corporis humani connexionem ac numerum complectens*, Auctore eodem *Viringo*, edita Duaci, typis Belleri, 1597. in fol. patente.

Viſa item *Epitome Theatri Anatomici Andreæ Veſalii* Flandricè, *Viringo* interprete, excuſa Brugis, 1569. 4.

## JOANNES VIRINGUS,

Lovanienſis, *Joannis Walteri*, Medici filius, Societ. Jeſu, Theologiam apud ſuos docuit, de verbo divino ad populum diſſeruit, in miſſione Hollandica ac Friſica jugiter laboravit, carceres ac vincula paſſus; uno verbo promptiſſimus fuit ad omnia caritatis officia operarius.

Vivere deſiit Machliniæ, anno 1622. ætatis ſuæ LII. Scripſit ſermone vernaculo

*Adverſus Joannem Walleſium Hæreticum.* Bruxellæ, 1609. & 1614.

Latinè verò *De Triplici Cœna Chriſti, Agni, Vulgari, & Euchariſtica.* Antver. typis Nutii, 1617. 4.

## JOANNES VIVIANUS,

Valencenas, Hanno, Antverpiæ ſedem fortunarum ſuarum habuit. Domus illius velut officina quædam erat rei antiquariæ, veterumque omnis generis Numiſmatum. Cum *Ludovico Guicciardino*, *Abrah. Ortelio*, *Juſto Lipſio*, magna illi ob communia ſtudia neceſſitudo fuit. *Ortelio* certè dum ſe itineris comitem adjungit, *Itinerario per nonnullas Galliæ-Belgicæ partes*, quod utriuſque nomine editum circumfertur, occaſionem dedit. Expreſſit verſu Jambico, terſo & facili,

*Cantica Canticorum & Eccleſiaſten Salomonis*, typis Plantini, 1584. 16. Quo in opere Juſti Lipſii judicio, utrumque illud egregie adſecutus eſt, ut & mentem ſcriptoris exprimeret, & non abi-

ret à proprietate aut venuſtate priſci ſermonis. Cent. 1. Miſcell. Epiſt. 49. ad Vivianum.

Sepulturam Aquiſgrani, quò Belgicæ rabiei declinandæ cauſſâ ſeceſſerat, nactus eſt anno 1598. XII. Septembris.

## JOANNES VLIETERPIUS,

Friſius, vixit circa annum 1370. & à Secretis fuit Martenæ, Poteſtati, ut vocant, Friſiorum, ac Friſiæ Hiſtoricus. Ex quo ſua ferè hauriunt adſtruuntque qui de Friſiæ origine, Principibuſque Commentarios ſcribunt. Vide Suffridum Petri, de Scriptoribus Friſiæ.

## JOANNES VLIMMERIUS,

Lovanienſis, Prior Canonicorum Regularium ad S. Martinum in patria, & Rector veterum Sanctimonialium Amſtelodami, vir doctus, prudens & religioſus: mortuus eſt Lovanii anno 1597. Eruit è tenebris

*S. Auguſtini Sermones de diverſis.*

*Lanfrancum, Guimundum, Algerum, Ivonem, Paſchaſium de Veritate Corporis & Sanguinis Domini in Euchariſtia*, à mendis repurgavit, & uno volumine edidit Lovanii, 1561. 8. apud Hieron. Wellæum.

Ad hæc auctiora & emendatiora dedit, typis Plantini, *S. Fulgentii Opera.* in 8.

Denique ſcripſit, *Quo modo Eccleſia quieta in hac vita pergere poſſit.*

Sepultus eſt apud ſuos, hoc Epitaphio.

*Ingenium ſortitus eras pernobile, quale*
*Attribuit caris largior aula poli.*
*A puero pietas, cœlo gratiſſima virtus*
*Inſedit, ſtimulans ſubdere colla Deo.*
*Hoc melior factus, commercia noxia vulgi*
*Effugis, & patrii commoda lauta laris.*
*Numine correptus divina lycæa frequentas,*
*Quæ de* MARTINI *nomine nomen habent.*
*Adfuit ingenti præclarus in arte Palæmon,*
*Qui ſtudio tenues accumulavit opes.*
*Viribus ingenii immenſis monumenta vetuſta*
*Eueris, unde tuis parta corolla comis.*
*Inde gradu facto, ſublimes ſcandis honores,*
*Exercens propriæ ſceptra decora Domûs.*
*Jam tantis opibus tam lautâ dote beatus,*
*Tangebas facili ſidera celſa manu:*
*Sed nihil in rebus mortalibus undique felix,*
*Perpetimur varias ſorte premente vices.*
*Tu tamen interea fidei ſanctique laboris,*
*Accipis emeritæ præmia militiæ.*

Obiit anno M. D. XCVII. Febr. III. Die.

## JOANNES VOERTHUSIUS,

Zutphanienſis, Præpoſitus Eccleſiæ S. Lebuini Daventrienſis apud Tranſiſalanos, nec non Majoris Eccleſiæ Ultrajectinæ Canonicus: Vir multæ & variæ fuit lectionis atque eruditionis, adeò ut viva quædam ſpiranſque bibliotheca diceretur. E vivis exceſſit anno 1565.

Ediderat

*Phœnicem*, ſive *Apotheoſin Conſecrationis Auguſtæ* lib. 1. quo Caroli Magni & Caroli V. Maximi, Cæſarum, res geſtæ, conſilia, eventus, & utriuſque ſæculi Hiſtoriæ invicem componuntur. Antverpiæ typis Guil. Silvii, 1562. 4.

*Academiæ Veteris & Novæ Legationem:* quâ Maximiliano II. Auguſto recens inaugurato doctorum hominum nomine (quos ita cum Veteribus committit, ut ſummam inter utroſque συμπάθειαν eſſe doceat) gratulatur. Francof. 1563. 4.

Ejuſdem liber *de Senatu Academico*, ad Regem Philippum, legebatur olim Manuſc. apud Gisbertum Lappium à Waveren J. C. Ultrajecti.

## JOANNES VOETS,

Tungrenſis, Canonicus Regularis Ordinis S. Auguſtini in patria, Philoſophiæ ac Theologiæ operam dedit Lovanii, Scholiſque litterariis in urbe Tungrenſi, operâ *Guilielmi Herckenroy*, tunc Prioris, ad Regulares tranſlatis, primos inter *Voetſius* erudiendæ formandæque juventuti admotus fuit. Poſtea Prior ejuſdem loci conſtitutus præmaturè obiit.

Plerumque Carmina ludere ſolet; legiturque *S. Henricus* Bavariæ Dux & Imp. Tragi-Comœdia, Leodii excuſa, 1627. 4.

*Guilielmi Spreeuwen ejuſdem Ordinis, pia Opuſcula* luci aſſeruit.

Meditabatur *Meditationum Exercitium, ſecundùm tres proficiendi vias*, ex ſolis Canonicorum Regularium ſcriptis collectum.

## JOANNES VOS,

De Heuſden, Canonicus Regularis Windeſemenſis, & ejuſdem loci ſecundus Prior, primus verò totius Congregationis Generalis, vir fuit miræ ſanctitatis, ſanctæque & irreprehenſibilis converſationis, ad cujus obitum Ven. Thomas à Kempis Angelorum concurſum vidiſſe ſe aſſerit; teſte Joanne Buſſchio, in Chronico Windeſemenſi. Ex ſcriptis ejus, quæ plura fuerunt, unicum dumtaxat opuſculum extat apud eumdem Buſſchium, nimirum

Libellus *piorum Exercitiorum in ſingulas hebdomadæ ferias.*

Ad ſuperos abiit anno 1424. IV. Nonas Decembris, ſepultus ante gradus Sanctuarii, hoc Epitaphio

*Quadringentenis, millenis, bis duodenis*
*Altera lux annis ſub. menſe Decembre,*
JOANNIS
Vos *corpus tumulat, & lacrimas cumulat.*
*Primus honore Patrum Pater hic & gloria Fratrum,*
*Heuſden quem genuit, ut jubar emicuit.*
*Officio gratus, fidus, prudens reputatus,*
*Flamine præclarus, cunctis ſatis undique charus,*
*Duxit fœcundam vitam, ſine crimine mundam,*
*Hinc tulit è medio fructum multum redeundo.*
*Qualis huic pietas fuerit, modo non capit ætas.*
*Omnia namque fuit omnibus ut decuit.*
*Hoc ſpargente bona, redeunt ſibi plurima dona.*
*Et dare cum ſtuduit, ditior ipſe fuit.*
*Dum memor, ut canitur: Da, tibi nunc dabitur.*
*Sic fuit in donis, hinc junctus in æthere thronis,*
*Cælica quæſivit; modo guſtat quodque ſitivit.*
*Tranſiit è cæno ſæcli, tumulatus arena,*
*Fructu centeno cumulatus donoque deno.*
*Hæc ita credamus, hæc credita ſic teneamus,*
*Ut tamen oremus piè, quod ſequitur rogitemus,*
*Rex venerande poli vitam ſibi claudere noli,*
*Sed ſibi da requiem, da ſine fine diem.*
*Amen.*

## JOANNES VREDEMAN,

Friſius, Architectus, edidit ex Vitruvio

*Architecturam de opere Tuſcano, Dorico, Ionico, Corinthio*, cum figuris. Antver. 1577. fol.

Idem ingenioſiſſimè excogitavit ac deſignavit *Scenographias ſive perſpectivas XX. Fabricarum*, quas æri incidit Hieron. Cocus. Ibid. 1563.

## JOANNES UYT-TENBOGAERT,

Natus Ultrajecti anno 1557. Calvi-

nianæ ſectæ principiis Genevæ ſub Theodoro Beza imbutus, in patriam rediit anno 1584, fuitque variis in locis Prædicutius, atque ejuſdem Theologiæ Lugduni-Bat. Profeſſor.

In famoſâ Synodo Dordracenâ claruit inter ſuos: cum tamen Arminianæ ſectæ & Joanni Barneveltio faveret, anno 1619. exulare coactus: non ante ſeptennium rediit. Vita functus eſt Hagæ-Comitis, Remonſtrantium Miniſter ac Concionator anno 1644. die 4. Septembris, ætatis 87. Prodierunt ab eo vernaculè ſequentia.

*Eccleſiaſtica Hiſtoria*, continens varia memoratu digna ab anno 400. uſque ad 1619, præcipuè in Fœderatis Belgii Provinciis. fol. Roterod. apud Joannem Næranum. 1647. Idem liber eodem anno reimpreſſus eſt (abſque nomine) una cum ſequenti.

*Joannis Uytten-Bogaert Vita, functio Eccleſiaſtica & modeſta defenſio.* Id eſt: aperta & ſincera narratio eorum, quæ ipſi evenerunt, ratione miniſterii Ultrajecti & Hagæ-Comitis, uſque ad diſceſſum ejus ex patria, depoſitionem à munere, proſcriptionem, reditum, & ſequentia tempora: ab ipſo-met ſcripta, adſtructa variis probatis actis & munimentis eò ſpectantibus. 4. 1646. ac paulo poſt rurſum in fol.

*Origo & progreſſus Controverſiarum Eccleſiaſticarum in Belgio*; item hiſtorica narratio Actorum Dordraci annis 1618. & 1619. inter Nationalem Synodum Contra-Remonſtantium eorumque ſociorum ab una parte, & Citatorum Miniſtrorum Remonſtrantium ab altera; edita curâ Miniſtrorum Remonſtrantium univerſorum, & imprimis Citatorum ad Synodum Dordracenam, in defenſionem juſtarum ſuarum actionum.

*Tractatus de officio & authoritate ſuperioris Chriſtiani Magiſtratûs, in rebus Eccleſiaſticis*, 4. ſlandr. 1610. Hagæ-Com. Editioni tertiæ eique latinæ Roterod. anno 1647. acceſſerunt defenſiones hujus Tractatus contra impugnatores illius; item Decretum Ordinum Hollandiæ & Weſt-Friſiæ de pace Eccleſiarum, adſtructum authoritate Scripturæ, Conciliorum, Patrum, publicarum Confeſſionem, nec non teſtimoniis nonnullorum Doctorum hujus ſæculi.

*Conciones variæ* vernaculè editæ Hagæ-Com. in 4. 1639. & 1644. 2. vol.

*Defenſio Jacobi Arminii*, Remonſtrantium Doctoris primarii.

*Herodes & Pilatus conciliati*, ſive conſenſus Pontificiorum & Puritanorum, in coercendis, exauctorandis & occidendis Regibus; detectus per David Owen, & tranſlatus in flandricum per J. Uitenbogardum anno 1612, & recuſus 1660.

*Vera & perfecta narratio cæremoniarum Ordinis Periſcelidis* (Jarretiere) *Angliæ, peractarum* Hagæ-Comitis. Ibid. 1613.

Aliaque prope centum Opuſcula, præſertim ad defenſionem cauſæ Remonſtrantium vernaculè edita, quorum elenchum exhibet *Adrianus à Cattenburgh* in Bibliotheca Scriptorum Remonſtrantium, quæ Amſtelodami prodiit anno 1728.

## JOANNES UYT-TEN-HOVE,

Aliàs DE ARDEMBURGO dictus, forte à loco natali tertio à Brugis verſus Sluſam lapide: fuit in Ordine Prædicatorio S. Theologiæ Magiſter, & in Academia Pariſienſi Licentiatus. Scripſit

*Lecturam ſuper Sententias.*

Item *Poſtillam ſuper omnes Libros Bibliæ*

Et *Lecturam ſuper totam Bibliam.*

Obiit in Conventu ſuo Brugenſi die x. Decembris 1296. ſepultus in dextra parte chori, ubi ſuper ejus tumbam hi verſus olim legebantur.

Digitized by Google

*O mors sæva nimis, cur solem ponis in imis?*
*J. tam sublimis sociando viscera finis.*
*Tu lumen patriæ claudis, sternendo Magistrum*
*Totius laudis, sanctum Christique ministrum*
*Munditiæ florem, patientem legis honorem,*
*Fratrum fervorem, fidei morumque decorem.*

Vide etiam Scriptores Ordinis Prædic. auth. P. Echard, Tomo I. pag. 448. & Belgium Dominicanum p. 177.

## JOANNES UYT-TEN-HOVE,

Aliàs Ex-Curia, Gandavensis, Ordinis FF. Prædicatorum S. Paginæ Licentiatus, familiæ suæ jam pridem nobilis splendorem eruditione, authoritate, & vitâ exemplari plurimùm adauxit. Fuit Gandavi Prior, Provinciæ Franciæ Vicarius, Congregationis Hollandiæ primus Vicarius generalis; qui sibi commissam Congregationem tantâ dexteritate & prudentiâ rexit, ut eandem per Saxoniam, Poloniam, Daciam, Sabaudiam, Galliam, Brittanniam minorem Sileſiamque extenderit. Tandem à laboribus ad requiem æternam transiit Gandavi anno 1489. Extat ejus

*Tractatus de Reformatione, ad Carolum Ducem Burgundiæ scriptus Gandavi* 12. *Octobris* 1471. M. S. asservatur apud Dominicanos Insulenses in 8. gallicè & latinè. Prodiit etiam typis, curante P. *Jacobo de Palude* ejusdem Ord. Tolosæ 1605. in 12.

Plura de Viro eximio lege Tomo I. Scriptorum Ordinis Prædic. pag. 870. item in Belgio Dominic. pag. 65.

## JOANNES a WACHTENDONCK,

Machlinienſis, J. C. nobili ſtirpe ac familia oriundus, litteris humaniobus in patria imbutus, Philoſophiæ Peripateticæ ſedulam operam Lovanii dedit, ibique inter primos promotus eſt. Tum J. U. Laureâ donatus, ad S. Rumoldum Machliniæ primùm Canonicus Graduatus inter eos, quos nobilitatis prærogativa vocat, poſt Decanus annis x. ac dein Præpoſitus annis xi. ſummique Senatus Belgici Conſiliarius, ubique ſidem, induſtriàm ac zelum pium pro Eccleſiæ & publico bono probavit. Quid utravis oratione, ligatâ ſolutâve numeris, poſſet, ſimiliter publicé teſtatum fecit. Verſu gratulatus eſt Illuſtriſſ. Archiepiſcopo Machlinienſium *Matthiæ Hovio*, Sacerdotii jubilæum celebranti.

*Oratione funebri* proſecutus eſt Laudes Alberti Pii, Belgarum Principis. Machliniæ excudit Henr. Jaye, 4.

Item alterâ Isabellæ, Claræ, Eugeniæ, Hiſpaniarum Infantis &c. quam Bruxellæ edidit, 1634. 4.

Ad hæc *Balthazaris Caroli*, Hiſpan. Principis, anno 1646. Mechliniæ in Metropoli; prodiit apud Henr. Jaye.

*Orationem Jubilarem* R. D. Diſmæ de Briamont Canonici & Pœnitentiarii Eccl. D. Rumoldi, & primi Præpoſiti B. M. trans Diliam, dixit ibidem 1649, & edidit apud Jaye. 4.

Scripſit & *De Vita, Paſſione & Miraculis* S. Rumoldi, Archiepiſcopi Dublinenſis, Apoſtoli Machlinienſis; typis Henr. Jaye, 1638. 4. quæ Hiſtoria dein tranſlata fuit in linguam Flandricam per *Franciſc. van den Boſſche*, Paſtorem & Decanum S. Jacobi Antverpiæ, prodiitque Mechliniæ in 8. anno 1667.

Anno 1654. die 13. Decembris in ipſa Metropolitana Ædc confecratur Epiſcopus Namurcenſis, & anno 1659. *Synodum* habuit *Diœceſanam*, cujus *Statuta* ſaluberrima typis edita ſunt.

Anno 1668. defuncto Archiepiſcopo Mechlinienſi *Andreæ Cruſenio*, ſuc-

ceſſit in regimine vaſtæ hujus Archi-Diœceſios. Verum ubi Mechlinia tota in occurſum Præſulis ſui ſe præparat, invida mors eum terris eripuit in urbe Bruxella die 25. Junii 1665, ſeptuagenario majorem; ſolumque defuncti corpus excepit Mechlinia, in Æde Metropolitana humandum.

## JOANNES VAN WAESBERGHE,

Gerardimontenſis, nobili familiâ natus, J. C. Canonicus & Scholaſticus Eccleſiæ Colleg. Lillerienſis in Arteſia, edidit

*Gerardi-montium*, quę altera eſt Flandriæ Imperialis metropolis, *ejuſque Caſtellaniam*. Bruxellę, typis Joannis Meerbecii, 1627. 4.

## JOANNES WAETERLOOP,

E pago de Annoeullin juxta Inſulas in Gallo-Flandria oriundus, gradatim promotus inter Academiæ Duacenæ Theologos, etiam ad Doctoratum anno 1663. Fuit ibidem Præſes Seminarii Tornacenſis, & Catecheticæ lectionis Profeſſor Regius: donec relictâ Academiâ anno 1675. aſſumptus eſt in Canonicum Theologalem Cathedralis Eccleſiæ Tornacenſis: vitâ functus circa annum 1683. Scripſit,

*De Communione in ſtatu gratiæ peragendâ.*

*De modo recipiendi Baptiſmum, offerendi Sacrificium, Miſſam audiendi, feſta jejuniaque ſervandi, confeſſionem implendi &c. ad ſatisfaciendum Præcepto, ſive divino, ſive Eccleſiaſtico*

Item *de Baptiſmi & Confeſſionis informis reviviſcentia*. 8. ſimul Tornaci 1681.

## JOANNES WALÆUS,

Zelandus, natus eſt die 27. Decembris 1604. in vico de Koudekercke ſub inſula Walachriæ haud procul Medioburgo: unde & à Val. Andrea Medioburgenſis dictus eſt. Patrem habuit *Antonium Walæum*, olim in prædicto vico Miniſtrum Calvinianum, deinde in Academia Lugduno-Batava Theologiæ Profeſſorem: (de quo ſupra pag. 93.) matrem *Mariam van Iſenbout*, ſcabini Medioburgenſis filiam.

Matheſeos & politioris litteraturæ non ignarus fuit; ſed præcipuè Medicinam excoluit, cujus in Academia Batava Leidenſi anno 1631. Doctor renunciatus fuit; 1632. Profeſſor ordinarius, ac tandem 8. Februarii 1648. Ordinarius, à Curatoribus Academicis inſtitutus.

Delectatus autem vivorum animalium diſſectione, primus invênit quædam de concoctione ventriculi, de diſtributione chyli, de motu venę cavæ, cordis & ſanguinis, primuſque circularem ſanguinis motum contra adverſantes defendit, editis *Epiſtolis*, quæ Anatomiæ *Bartholini* ſunt inſertæ, Lugduni Batav. 1641. 8. apud Franc. Hackium, & ſeorſim Patavii, in 12.

Obiit Leidæ anno 1649. ætatis 45. pro funere laudatus à Collega *Adriano van Valckenburg*, Med. Doctore.

Illius *Opera Medica omnia* (*quæ hactenus inveniri potuêre*) *ad chyli & ſanguinis circulationem eleganter concinnata &c.* prodierunt Londini apud J. Davids & T. Sadler. 1660. 8. In quibus

*Inſtitutiones compendioſæ Medicinæ*, libris III.

*Medicina practica*, breviſſimè tradita libris II.

*Epiſtolæ duæ de motu chyli & ſanguinis*, ad Th. Bartolinum, Caſp. filium.

## JOANNES WALHAUSEN,

Inter Batavos miles fortiſſimus, & equitum ductor, ſcripſit eâ in arte gallicè: *Inſtruction de la Cavalerie*, cum fig. fol. Zutphaniæ 1621.

## JOANNES WALTHERUS,

Aliàs Wouters, Gandensis, Philologus, J. C. & in Provinciali Flandriæ Curia Consiliarius, vir ingenio & doctrinâ præstans. Scripsit *Chronicon Chronicorum*. Francof. apud Aubrios.

*Chronicon Ecclesiastico-Politicum*, ex hujus & superioris ætatis Scriptoribus concinnatum, Pontificum, Cardinalium, Episcoporum, Imp. Regum, Principum, Doctorum, armis litterisque illustrium virorum res gestas, aliaque præclara repræsentans. Ita Swertius in Athenis Belg.

Val. Andreas *Chronica* ista *Jano Grutero* adscripsit.

## JOANNES WAMESIUS,

Leodii Eburonum anno 1524. natus, Lovanii à Philosophia optimè efformatus, litteraturæ melioris, & linguæ græcæ ac Juris utriusque notitiam singularem assecutus est, usus lare & familiaritate *Rutgeri Rescii*, viri doctissimi: quo elato, in ipsius postea manum ejus vidua convenit. Doctor Juris utriusque renuntiatus est anno 1553. ad diem XXIX. Augusti, cum *Joachimo Hoppero*, *Joanne Venduillio*, & *Petro Peckio*, viris præstantissimis, ad summa natis & ad summa Reip. munia evectis. Solus *Wamesius* se totum Academiæ vovit, licet vocatus quoque ad summa. Biennio itaque post in Professorum numerum cooptatus est, quos Ordinarios vocant, & Jus Civile annos sedecim interpretatus est.

Inde primarius Canonum Antecessor anno 1570. designatus, munus illud annos viginti cum laude & fructu obiit: *Primoribus gratus*, *vulgo venerabilis*, *omnibus carus*; *breviter Doctrinâ*, *Prudentiâ*, *Auctoritate inter ævi sui primos*. Obiit post diutinam invaletudinem, anno 1590. die 22. Julii: sepultus in D. Petri basilica, ubi insigne monumentum ab heredibus eidem positum, cum hoc elogio sepulchrali.

Memoriæ Sacrum.
Joannes Wamesius H. S. E.
Quem breviter lector nosce.
Natus est Leodici Eburonum anno
M. D. XXIV. Ad studia litterarum
Et inde Juris transiit,
In iis quoque famam adeptus,
Etiam Græcis,
Naturâ & industriâ duce.
At in Jure ad culmen ipsum conscendit
Doctor renuntiatus anno M. D. LIII.
Publicè Professor in hac Schola
Anno M. D. LV.
Denique Primarius Antecessor
Anno M. D. LXX.
Hoc munus cum laude ann. XX. obiit,
Primoribus gratus, vulgo venerabilis,
Omnibus carus;
Breviter doctrina, prudentia, auctoritate
Inter ævi sui primos.
Obiit diutinâ invaletudine
Anno M. D. XC. XI. Kal. Sextil.
Iste Vir fuit, lector; sed fuit.
Tu quoque, quod es, non eris,
Alius aliàs, sed omnes huc imus.
Cogita, & huic bene adprecare,
Ita posteri tibi.
Magne Deus ipsi & nobis miserere.
Heredes pp.

Certè in *Wamesio* summa erant omnia, quæ in vero Jurisconsulto effigiando desideres. Ingenium promptum & facile, judicium acre, memoria rerum summa, & verè qualis Jurisconsulto in primis necessaria, labor indefessus, nulla à studiis, à legendo ac scribendo requies, ne istâ quidem ætate graviore ac grandiore, & fracto corpore ab acutissimis podagræ doloribus pænè continuis. Ad hæc par in utroque Jure doctrinæ eminentia, quod perquàm rarum, ne dicam insolens, in plerisque ætatis nostræ Jurisconsultis: rerum forensium usus singularis, mira in actionibus facilitas & promptitudo,

&

IOANNES WAMESIVS, I.C.

& cum his non morosè aut durè fluens eloquentia ; ut unus esset & eloquentium Jurisperitissimus & Jurisperitorum eloquentissimus , quorum alterum de Crasso , alterum de Scævola dictum olim fuit.

Dubites meritò Scholæ an Reip. idoneus magis esset. Ut verbo dicam , ad unicum ferè *Wamesium* , non tantùm cùm de Jure respondendum esset , sed & in ista rerum perplexitate & nutantis Belgii statu velut ad oraculum itum est. Quò factum , ut nomine Philippi II. Regis Catholici , à Sereniss. Joanne Austriaco Pro-Rege ad secretioris consilii Senatum evocatus fuerit; *Wamesio* interim maximè laborante, ut ab illo honoris onere eximeretur ; mirum quantâ verecundiâ , quantaque modestiâ.

Moriens *Stephano Weymsio* & *Gerardo Corselio* , J. U. Doctoribus , affini & nepoti , reliquit scripta sua atque ingenii monumenta : in quibus *Responsa* eminent , docta profectò & è plena Juris scientia deprompta , quorum pleraque præsertim quæ ex judicialium actorum meritis composuit , esse possint ad instar Senatus-Consultorum, quę Arresta vocant. Lucem viderunt, studio & curâ ejusdem *Weymsii*,

*Recitationes* ad Tit. Decretalium *de Appellationibus* , Lovanii 1604. 4. apud Rivium.

*Responsorum* , sive *Consiliorum de Jure Pontificio* , Tomi II. ordine Librorum & Titulorum , qui in Decretalibus. Ibid. 1605. & 1618. fol. & typis Jac. Zegers , 1643.

*Responsorum* , sive *Consiliorum* , *ad Jus Forumque Civile pertinentium* , Centuriæ VI. Ibid. typis Henr. Hastenii & Antver. 1639. apud Henr. Aertssens. Prima ordine Judiciario digesta est; reliquæ continent ea , quæ ad contractus inter vivos , ad contractus antenuptiales, & ad ultimas voluntates pertinent. Prodierunt rursus Lovanii in III. Vol. fol. 1666.

## JOANNES WARNANT,

Ex Ordine Præmonstratensi , conscripsit

*Historiam Rerum atque Episcoporum Leodiensium usque ad an.* 1340. quæ Leodii MS. legi solebat. Hunc excepit Joannes Ultra-Mosanus , qui circa annum 1390. vixit.

## JOANNES WEENTIUS,

Abbas Egmondanus in Hollandia XXVIII. Hic anno 1404, paulò ante mortem , per procuratores Romæ officio se abdicavit , novem & x. annorum tædio fatigatus. Scripsit ; teste Swertio in Athenis Belg.

*Epitaphia prædecessorum Antistitum Egmondanorum* , usque ad annum M. C. C. C. C.

Tale ejus legitur Epitaphium.

*Infortunatus jacet hic* JAN *Abba vocatus*,
*Cui* WEENT *cognomen* , *à ploratu dedit omen.*
*Nemine stipatus* , *ni Salvatore juvatus*,
*Quem sancto cœli Rex associet Michaeli.*

## JOANNES WERDENUS,

Silvæducensis , Sacerdos pius , Theologus eruditus , & Concionator facundus edidit

*Orationes III.* à se publicè apud Prædicatores Silvæducis habitas. I. est *De sacratissimo Rosario.* II. *De Planctu B. Virginis.* III. *In laudem Doctoris Angelici* , Silvæ-ducis, apud Joan. à Turnhout , 1622. 8.

*Orationem apud eosdem dictam Feriâ V. n joris hebdomadæ.* Ibid.

## JOANNES WESSELS,

Tungrensis , Canonicorum Regularium ibidem Prior ordine septimus , scripsit

*Collectorium pro qualibet materia occurrente*, ex ſententiis Patrum atque aliunde deſumptum, Partes II. MS. ibidem.

## JOANNES WESTERBURGIUS,

Ultrajectinus, bonis litteris in patria ac Leidæ inſtructus, edidit, inter alia,

*Epinicion in devictam Silvam-ducis ab Ordinibus Fœderatis*, libris III. verſuque gravi & pleno heroïcæ majeſtatis. Leidæ, 1629. fol. 1630. formâ minori. Præfando ad eoſdem Ordines, ſeſe reformatæ religionis ſectæve Miniſtrum prodit.

Moritur Dordraci anno 1636. menſe Auguſto, ubi Profeſſorem Politicum agebat.

## JOANNES WIERUS,

Quem Valerius Andreas & Melchior Adamus, Graviæ in Brabantiæ finibus oppido natum dicunt anno. 1515, ab aliis tamen è Zelandia ortus memoratur. Familiaris fuit *Henrici Cornelii Agrippæ*, quem & præceptorem & herum ſuum venerandum vocat, & apud quem ſe legiſſe ſcribit partem Librorum *Stenographiæ* Trithemii, eamque, inſcio illo, exſcripſiſſe.

In Aurelianenſi apud Gallos Academia anno 1534. Doctor Medecinæ creatus, poſtea in Africam & inſulam Cretam trajecit. Unde redux, Cliviæ Ducis Archiater per annos plures extitit. Theologiæ quoque & Juriſprudentiæ non ignarus fuit: ſed quæ de præſtigiis dæmonum, veneficis & ſagis ſcripſit, ad Atheiſmum vergunt, hominemque ingenioſum quidem, ſed audacem, ac præſumptuoſum fuiſſe demonſtrant, qui à ſolis hæreticis laudetur. Ideoque inter authores damnatos primæ Claſſis (ut vocant) rejicitur in Indice Concilii Tridentini.

Moritur ſeptuagenario major Tecklenburgi, dum ad Arnoldum Comitem Benthemienſem proficitur, anno 1588. die 24. Februarii; ſepultus illic in ædè primariâ, mendaci hoc encomio à filiis in memoriam parentis Luthemani appoſito.

❧ ❧ ❧

„ S. Chriſto S.
„ JOANNES WIERUS,
„ Nobili Zelandiæ inundatæ Famiſ„ lia ortus, pietate in Deum, pro„ bitate erga quoſvis, eruditione exi„ miâ, Medicinæ rerumque Politica„ rum ſcientiâ, uſu, felicitate, publi„ cis ingenii documentis, Imperato„ rum, Caroli V. miniſterio, Ferdinan„ di, Maximiliani & Rodolphi ſin„ gulari gratiâ, magnorumque per „ Germaniam exteraſque nationes Vi„ rorum amicitiâ & teſtimoniis clariſ„ ſimus: Illuſtriſſimi Cliviæ & Juliæ „ Ducis Guilielmi Archiater; Deo, „ Principi & Patriæ, fide, conſilio, „ & operâ, ad vitæ ſuæ finem devo„ tiſſimus. Quum illuſtrem Domi„ num Arnoldum Comitem in Ben„ them & Teckelenborgh ſummo „ gratificandi ſtudio inviſeret, hujus „ ſæculi ſatur, invictâ in Chriſtum „ fiduciâ, placidè animam Deo red„ didit, corpus hîc ad diem univer„ ſalis Reſurrectionis depoſuit, & mœ„ ſtiſſimum ſui deſiderium ſuperſti„ tibus filiis, *Theoderico*, *Heinrico*, *Ga„ leno & Joanni Wieris* reliquit, An„ no nati Chriſti M.D.LXXXVIII. „ Menſ. Febr. die 24. anno ætatis ſuę „ LXXII. VIVE ET VIVAS.

*Opera* ejus *omnia*, primùm diverſis in locis temporibuſque edita, prodierunt ſimul Amſtelod. apud Petrum van den Berghe 1660. in 4. Quorum hic elenchus.

I. *De præſtigiis Dæmonum, & Incantationibus ac Veneficiis*, libri VI. ab Au-




Kraft del. & sculp. 1735



Digitized by Google

ctore ſexies reviſi ; olim Baſileæ editi apud Jo. Oporinum 1564. 8.

II. *Liber Apologeticus , & Pſeudo-Monarchia Dæmonum.*

III. *De Lamiis , liber , & de commentitiis jejuniis.*

IV. *De Iræ morbo , ejuſque Curatione Philoſophicâ , Medica , & Theologicâ* ; olim quoque Baſileæ apud Oporinum 1577.

V *Obſervationes Medicæ rariores* , in quibus ,

*De Scorbuto*, ſive Scorbutica paſſione.

*De Quartanâ.*

*De Peſtilentiali anginâ , Pleuritide , & Peripneumonia.*

*De Curatione Febris malignæ* , aliaque perplura , ad longum recenſita in Georg. Mercklini Lindenide renovato , pag. 802.

VI. Accedit liber II. *De Varenis , Morbo Endemio Weſtphalorum permoleſto*, ex germanica lingua latio donatus , operâ *Henrici Wieri* , Joannis filii.

## JOANNES WIERTS,

Antverpianus , J. U. L. ſcripſit theologicè , at ſimul pro damnatis Janſenii Propoſitionibus ,

*Centuriam Colloquiorum Dei & animæ, quibus Janſenianam de Gratia Doctrinam è campo diſputandi martio in placidum meditandi elyſium compendiariò traducere conatus eſt.* 4. Antv. 1648. dein Amſtelod. apud Arn. Leers 1676. Romæ prohibit. à S. Congreg. Indicis.

Obiit provectâ jam ætatæ , relicto filio acatholico *Joanne Jacobo Wierts* , qui Hagæ-Comitum Præſes fuit Senatûs à Guilielmo III. Angliæ Rege conſtituti , pro adminiſtratione poſſeſſionum familiarium Domûs Naſſovio-Auriacæ.

## JOANNES WIGGERS,

Dieſtemii , Brabantiæ opido . naſcitur anno partæ ſalutis M. D. LXXI. die S. Joannis Evangeliſtæ ſacro , patre *Arnoldo* honeſti ordinis cive , ſæpiùs Scabino , avo item *Arnoldo* pluries Conſule. Perceptis abſolutiſque natali in ſolo litterariis rudimentis , Lovanium , altioribus imbuendus diſciplinis , mittitur , & in Pœdagogio Lilii , poſt collectum biennali curriculo pulverem Ariſtotelicum , anno 1590. Collegii ſui primus , totius verò promotionis quartus in Scholis Artium pronuntiatur.

Hiſce auſpiciis arenam deinde ingreditur Theologicam , adſumptus in alumnum Collegii Pontificii à *Jacobo Janſonio* , Viro Eximio , qui hunc diſcipulum ſuum , tum ob ſingulares ingenii dotes , quas in eo obſervabat , tum ob vitæ morumque integritatem atque indefeſſum in ſtudiis præſertim ſacris laborem , unicè carum & familiarem habuit. Quinquennio hîc exacto , docendæ horis antemeridianis Philoſophiæ in Pœdagogio Lilii præficitur.

Pòſt decurſa aliquot annorum curricula Leodium evocatus à Reverendo admodum atque eruditiſſimo viro D. *Joanne Chapeavillio* , Eccleſiæ Cathedralis Canonico , & Vicario in ſpiritualibus Generali , ut Seminario ibidem , ſive Catenæ , ut vocant , præeſſet , & ſimul ſacras profiteretur litteras , anno 1604. Lovanium deſeruit ; eoque ſucceſſu Leodii in utroque illo munere verſatus eſt , ut ſub hoc ſuo primo & Præſide & Profeſſore Seminarium illud , quod antea vile & abjectum habebatur , adeoque contemptui erat , viſum fuerit mox aſſurgere , & in admiratione eſſe apud omnes.

Interim dum Leodii moratur , anno nimirum 1607. inſtante atque urgente in primis eodem Doctore ſuo *Janſonio* , qui eum cathedræ aliquando Lovanienſi admotum deſiderabat , gradu Magiſterii in ſacra Theologia inſignitus

fuit : atque exinde biennio nondum elapſo Lovanium veluti poſtliminio reverſus, primùm Collegii Atrebatenſis, deinde vix-dum vertente anno, à morte *Joannis Clarii* conſtitutus eſt Præſes Seminarii Leodienſis, quod tunc auſpiciis Sereniſſ. Principis & Epiſcopi *Erneſti* Bavari Lovanii erigi cœptum, adhuc intra principia ſua hærebat ; & vigilantiâ directioneque hujus ſecundi ſui Præſidis eam ſtructuræ atque ædificiorum elegantiam accepit, quâ hodie omnibus conſpicuum eſt.

Neque minora hujus viri in Academiam Lovanienſem ſunt merita, ſive labores ſpectemus quos pro ea tuenda in omnibus ſuis difficultatibus, quas cùm domi tum foris paſſa eſt exantlavit, idque ſolerti prudentiâ, conſilioque, quibus excellebat ; ſive doctrinæ eminentiam, quâ Scholam Theologicam Profeſſor Regius annis continuis XXVI. docendo ſcribendoque illuſtravit, ab erroribus Bajanis & Janſenianis prorſus alienus. Nec minùs quoque vitæ probitate, ceteriſque virtutibus, quàm doctrinâ eminuit & eximiùs fuit.

Vir erat pacis & juſtitiæ amantiſſimus, boni publici ſtudioſiſſimus, non facilè ſe vel ſua jactans, nec aliena contemnens, ſincerus & ſine fuco, in converſatione gravis, minimeque ſuperbus : non efferebatur proſperis, non dejiciebatur adverſis : contentus modico ac tenui victu vixit ad annum ætatis LXVII. Per Privilegia Academica Canonicatum etiam in Cathedrali Eccleſia Audomarenſi obtinuerat. Obiit anno 1639. die XXIX. menſis Martii, ſepultus in D. Petri.

Reliquit Commentaria in totam D. Thomæ Summam Theologicam, in quibus nihil niſi ſummè elaboratum, ſolidiſſimis fundamentis ſubnixum, clariſſimâ & brevi tamen methodo traditum, quidquid in aliorum fuſioribus ſcriptis ſcitu dignum eſt. Idque ſtylo ut facili, & ad docendum apto, ita minimè affectato ; quippe qui protеſtari identidem ſolitus eſſet, ſe non captandæ famæ aut gloriæ alicujus cauſſâ, ſed ut ſoli profectui ſerviret ſtudioſorum, qui unicus ſtudiorum ejus ſcopus fuit, iſta meditatum fuiſſe, nec ſpectaſſe aliud, dum paſſus fuit ea typorum beneficio publici juris fieri, nimirum

*Commentaria in Summam D. Thomæ.* III. Vol. in fol. Lovanii ſæpius edita ; quorum potiores partes ipſo Authore vivente prodierunt : ſed *de Deo uno & Trino*, nec non *de Sacramentis*, *Cenſuris*, *Indulgentiis ac Purgatorio*, paulò poſt ejus obitum, curante nepote atque herede *Cornelio Wiggers*, S. T. L. Lovanii ad D. Michaelem Paſtore, lucem viderunt.

Poſtmodum *Martinus Steyartius*, in eadem Academia S. T. D. ac Profeſſor incomparabilis, *Appendices* quaſdam doctiſſimas addidit ad *Commentaria Joannis Wiggers* ; ubi Quæſtiones aliquas laxioris Sententiæ ( *tum communis, ratione vigentis Probabiliſmi* ) magis ad mentem Scholæ ſui temporis reſolvit.

## JOANNES DE WILDE,

Gandenſis, Poëta & Orator eloquentiſſimus, Mejero teſte libro XIV. Annal. Flandriæ ad annum 1393. Qui hoc de eo memorabile refert, quod orto Gandavi, tempore Clementis Antipapæ, motu civico, ad eum ſedandum idem *Joannes de Wilde*, producto in forum venerabili Corpore Chriſti, orationem ibi habuerit ad populum, gravem, piam, & utilem Reipub. cujus initium erat, HIC EST DEUS DEUS NOSTER. Quâ quidem, inquit, oratione populi ſeditionem compeſcuit.

Scripſit *Carmina Lyrica*, Pariſ. typis Badii excuſa.

JOHANNES DE WITT
*Dordracenus Ord. Holl. Advocatus*
*Sigillorum, cuſtos &c. e vivis*
*ereptus XX. Aug. 1672. ætat. 47.*



Digitized by Google

## JOANNES GUILIELMUS WILTHEIM,

Luxemburgius, Societatem Jesu ingressus anno 1612. Philosophiam ac Theologiam Moralem professus, non uni Collegio Rector præfuit. Scripsit

*De rebus gestis & honoribus S. Maximini, Archiepisc. Trevirensis*, libros X.

*Disquisitionum Antiquariarum* libros III. in quibus Vett. Romanor. monumenta toto Ducatu Luxemburgensi sparsa collegit.

*Vitam S. Wulfilaici Stiliæ, quondam prope Ivodium Luxemburgici Ducatús Oppidum.*

*Historiam Cœnobii S. Maximini apud Treviros*, MS. reliquit.

Obiit Luxemburgi die 25. Martii 1636.

## JOANNES WINTERSHOVEN,

Ultrajectinus, natus anno 1571. Jurisconsulti titulo donatus, grandior nomen Societati Jesu dedit: in eaque Philosophiam inter juvenes vir ipse didicit, & eandem postea Duaci cum applausu docuit, præfuitque Collegio Ruræmondensi & Bruxellensi Rector. Plurimùm prudentiâ valuit, & rerum agendarum dexteritate. Obiit Machliniæ anno à natali Domini 1625. ætatis LIV.

Scripsit, de Sereniss. Belgarum Principis Alberti voluntate, *De Montibus Pietatis Libellum.*

## JOANNES WINTERUS,

Canonicus & Officialis Sanctensis in Clivia, scripsit

*Vitam Stephani Vinandi Pighii*, ibidem Canonici; præfixam Annalibus Romanorum ejusdem Pighii.

## JOANNES WITMECKERS,

Tungrensis, Canonicorum Regularium ibidem Supprior, vir pius & religiosus, quem Joannes Roest, in suo Florum Fasciculo, inter illustres ejusdem Cœnobii viros reponit. Scripsit

*Opus ingens & varium, piis eruditionibus & sacris Meditationibus refertum.*

Extinguitur morbo epidemico, Tungris tunc grassante, anno 1483. die XXVIII. Julii.

## JOANNES WITTIUS,

Stephani, Equitis aurati, Filius, Ultrajectinus, ad D. Virginem ibidem Canonicus, restituit

*Historiam Caroli VI. Francorum Regis*, conscriptam olim latinè à Monacho ad S. Dionysium, stilo pro ævo illo satis eleganti.

*Paschasii Ratberti* Abbatis Corbeiensis, Opera similiter è Manuscriptis emaculavit. Uti &

*B. Fulgentii* Opuscula aliquot. Itemque

*Nicolai Brayæ Poëmata de Gestis Ludovici VIII.*

Romæ hinc migravit anno 1622. pridie Kalen. Octobris.

## JOANNES DE WITT,

Dordraci natus 25 Junii 1625, patre *Jacobo*, patricii ordinis Viro, Dordracensi Consule, matre *Annâ Van de Corput*, ab insigni inter Brabantos familia suam ducente originem. In percipiendis humaniorum litterarum elementis apparuit ingenium ejus docile, perspicax, & ante ætatem maturum. Pòst in Academia Lugduno-Batavâ Philosophicis artibus insignem Mathematices peritiam adjunxit: simulque Jurium studiis navans operam, supremo Jurisprudentiæ titulo meruit decorari. Accedente dein peregrinandi animo, ut mores varios populorum, urbesque videret, plures quoque exteras Acade-

mias ſalutavit. Patriæ redditus, cauſſarum patronum egit, tantumque mox nomen ſibi peperit, ut anno 1650. urbis patriæ Syndicus deligeretur.

Anno autem 1653. die 30. Julii, ætatis ſuæ 28. electus eſt, voto communi, Ordinum Hollandiæ, Zelandiæ, Weſtfriſiæque Advocatus (quem *Magnum Penſionarium* dicunt) alter à Jacobo Catſio; uno ſcilicet mediante Adriano Pauwio. Acceſſit & demandata ei cuſtodia Sigilli, rerumque Feodalium præfectura. Anno 1655, *Wendeliam Bikker* duxit uxorem, Amſtelamenſis conſulis filiam, è qua præclaram reliquit poſteritatem.

Dum munia hæc ſummâ integritate dexteritateque adimplet, fortunam expertus eſt novercantem. Vigebant in Hollandia factiones diviſioneſque urbium ac populorum. Pars major Guilielmum Auriacum Principem, dein Angliæ Regem, ad Reipublicæ Batavæ Præfecturam (vernaculè *Stadthouder*) poſtulabant. Obſiſtebant plures primarii ordinis viri, atque imprimis Penſionarius *Joannes de Witt*, unà cum fratre ſeniore *Cornelio*, quondam Dordracenæ urbis Conſule, ac tunc Territorii Puteani ſupremo Satrapa, ſeu *Ruardo* ut vocant. Expertus uterque, fato ſuo, furentis indomitæque plebis ſævitiam: ſcenam tragicam ſuſpexit Haga-Comitum: ingemuerunt probi omnes: poſteritas nunquam ſatis mirabitur.

Itaque anno 1672, *Cornelius de Witt*, Joannis frater, Hagæ-Comitano carceri mancipatur; de intentatâ Auriaco nece, & non repulſis Gallorum copiis accuſatus, aſt nunquam convictus; per ſententiam tamen ſupremi Conſilii inuniis ſuis exauthoratur, perpetuoque exilio mulctatur. *Joannes* quoque, recepto Statuum generalium mandato die 4. Auguſti, ſupremi Penſionarii officium dimittere cogitur: qui paulò poſt, die 20. Auguſti, fratrem Cornelium è carcere in locum exilii deducere conſtituerat. Sed plebe in majorem rabiem inſurgente, ambo in ipſo carceris egreſſu trucidati ſunt. Nec ſatis erat ſæviiſſe in vivos: ſævitum quoque in mortuos, quorum cadavera membratim conciſa, ſingulæque partes ludibrio publico expoſitæ, vili etiam precio venum-datæ ſunt. Hic fuit duorum Fratrum fatalis interitus, quos aliquando velut Patres Patriæ ſuſpexerat Reſpublica Fœderata. Hiſtoria Vitæ & mortis eorum prodiit gallicè Ultrajecti 1709. apud Guill. Broedelet Tomis II. in 12.

Edidit *Joannes de Witt*, quà Mathematicus, ſuppreſſo tamen prę modeſtiâ nomine ſuo: *Elementa Curvarum linearum*, curis Franciſci à Schooten in Academia Lugduno-Batava Matheſios Profeſſoris evulgata. 4. Amſtelod. apud Lud. & Dan. Elzevirios 1659. Plura quoque alia ſub ejus nomine evulgata ſunt: uti imprimis

*Les Memoires de Jean de de Wit grand Penſionaire de Hollande, traduits de l'original en François.* 8. Ratisbonæ (veriùs in Hollandia) 1709. Liber, qui *Joannis* fœtus non eſt, ſed à viro inconſiderantiſſimæ temeritatis pleno vulgatus, ejus memoriâ geſtiſque indignus eſt.

*Conſilia:* vernaculè *Reſolutien van de Ed. Mogh. Heeren Staeten van Holland ende Weſtvrieſland, genomen ten tyde van den Heer Raad-Penſionaris de Witt; beginnende met den 2. Auguſti 1653 ende eyndigbende met den 19. December 1668.* Prodiit quondam Hagæ-Com. 1672 in fol. dein Ultrajecti 1717. in 4. & Hagæ-Com. ac Amſtelod. 1719. in 4.

*Brieven gheſchreven ende gewiſſelt tuſſchen den Heer* Joan. de Witt, *Raadt-Penſionaris ende groot-Seghel-bewaerder van Holland ende Weſt-Vrieſland, ende de*

*volmagtighden van den Staet der vereenigde Nederlanden, ſoo in Vranckryck, Engeland, Sweden, Denemarcken, Polen &c beginnende van den jaere 1652. tot 1669. inclus.* 4. Hagæ-Com. apud Henr. Scheurleer. 1723. Tomi VII. quorum poſtremus Indicem continet generalem. Curam Operis hujus habuit Nob. Dom. Joannes de Witt, *Joannis* & *Cornelii* nepos, in Cæſareo Belgici Ærarii Bruxellæ Conſilio Aſſeſſor, qui etiam præfationes compoſuit.

Cæterùm *Jacobus de Witt*, Vir Conſularis urbis Dordracenæ, *Cornelii* & *Joannis* pater, eorum lugendo fato ſupervixit, & die demum decimo menſis Januarii an. 1674. è vivis exceſſit, decrepita fere ætate, annum agens octuageſimum quintum: qui remp. litterariam poëtico ingenii monumento belgico ditavit, ſub hoc titulo: *Eenvoudige uytdruckſels van godt-vrugtige gedachten naergelaten by d'Heer Jacob de Witt in ſyn leven Borgemeeſter des Stadt Dordrecht, Raedt ende Meeſter der Rekeninge van de Domeynen van haer Ed. Groot-Mogende de Heeren Staeten van Hollandt ende Weſt-Vrieſlandt* &c. *beſtaende in ſtichtelycke Gedichten en Gebeden: zedige Tweelingen; Geeſtelyke Loſſangen; en laeſtelyck Korte ſuchtinge, tot Godt.* Tot Dordrecht 1674. in 4.

## JOANNES WOWERIUS,

Vulgò VAN DEN WOUWERE, Antverpiæ naſcitur anno 1576. v. Kal. Junias. Poſt jacta ibidem in Scholis S. J. litterarum humaniorum fundamenta, Lovanii, domo & contubernio uſus *Juſti Lipſii*, viri præſtantiſſimi, *vitam ad optima præcepta, ingenium ad artes confirmavit*, ejuſdem Lipſii teſtimonio, qui ita carum *Woverium* habuit, ut unum è teſtamenti ſui Curatoribus eum eſſe voluerit, ſolumque elegerit, cujus fidei libros, ſcriptaque edenda & non edenda committeret. Adeoque abeuntem à ſe non immeritò his verſibus proſecutus eſt:

*En ſcripto tibi pectoris receſſus*
*Noſtri pandimus, intimoſqœe amores.*
*Hos habe ſine fraude, & hos habebis,*
*Dum me terra, vel æther ipſe habebit.*

Poſt luſtratas triennali peregrinatione Galliam, Hiſpaniam, Italiam, Germaniamque, patriæ redditus, mox in Senatorium ordinem adlectus fuit, pòſt Finantiarum ſeu Ærarii Regii in Belgio Aſſeſſor, atque à Conſiliis bellicis, ſtatus publici cauſſâ ad Regem Catholicum *Philippum IV.* à Sereniſſ. *Iſabella-Clara-Eugenia*, Hiſpan. Infante &c. delegatus, ab eodem Rege Eques nominatur, & torque aureo inſignitur.

Scripſit, dum à gravioribus Reip. muneribus adhuc immunis eſſet, ſequentia:

*Euchariſticon I.* LIPSIO, Doctori ſuo, typis Plant. 1606. 4.

*Aſſertionem Donarii Lipſiani.* Ibid. 1607. 4.

*Panegyricum* Sereniſſ. ALBERTO & ISABELLÆ, Belgarum Principibus. Ibidem, 1609. 8.

*Vitam* B. SIMONIS, Sacerdotis Valentini. Ibid. 1614. 8.

*De Conſolatione* ad Petrum Paulum Rubenium, lugentem Philippi fratris mortem. Ibid. 1615. cum Rubenii Poſtumis.

*Julii Firmici Materni, de errore profanarum Religionum ad Conſtantiam Aug.* è tenebris eruit, Notiſque illuſtravit, 8. typis Frobenianis 1603.

Edidit & *Juſti Lipſii Epiſtolarum Centurias II. poſtumas*, itemque *Tacitum* & *Senecam*, cum Commentario & Notis auctioribus: verùm ex ejuſdem Lipſii præſcripto debebat Reip. litterariæ.

*Epiſtolarum Doctorum Virorum ad Juſtum Lipſium Centurias II.*

Plura ipſe meditabatur, quorum ſera fortaſſis exſpectatio erit, *Woverio* an-

no 1635. die XXIII. Septemb. ætatis anno LVIII. vitâ functo.

## JOANNES ZANGRIUS,

Paſtor Tiletanus in Flandria, ſcripſit vernaculè

Tractatum *De Charitate Dei.* Antver. apud Verduſ. 1613.

## JOANNES DE ZANTVLIET,

Brabantus, Medicus profeſſione, edidit

Tractatum *De Diætis totius anni.* Extat cum Regimine Sanitatis, Magnino Mediolanenſi auctore. Lugduni, 1515. 4.

## JOANNES ZWALLARD,

Eques S. Sepulcri, & Athenſis in Hannonia Prætor, *Iter* ſuum *Jeroſolymitanum* ſcripto conſignavit; primò Romæ, italicè; dein Antverpiæ, gallicè 1608. 4. typis Arnoldi Regii. Abſolvit iter illud anno 1587. peregrinationis ſuæ comitem nactus Illuſtriſſ. *Philippum Merodium*, Frentzii Baronem &c.

Dedit & *Deſcriptionem urbis Athenſis* gallico idiomate, anno 1610. 8. Athi, typis Maſii.

## JOB VAN MEECKREN,

Batavus, Chirurgiæ & Anatomiæ Profeſſor Amſtelodami, nec non Admiralitatis & Hoſpitalis celeberrimi in eadem Urbe director Medicus, evulgavit Flandricè

*Obſervationes Medico-Anatomicas*, cum fig. 8. Amſtelodami 1668. quas anno 1682. Abrahamus Blaſius latinitate donavit.

## JODOCUS AB ALMARAZ,

Londerzelio Brabantiæ pago agri Bruxellenſis oriundus, tertii inſtituti D. Franciſci, quos Bogardos ſive Beggardos nuncupant, Miniſter Zepperenſis, ſcripſit

Tract. *De tribus Virtutibus Theologicis.*

*De frequenti uſu SS. Sacramenti Euchariſtiæ.*

*Meditationes ſpirituales* varias.

## JODOCUS ANDRIES,

Cortracenſis, natus anno 1588. die XV. Aprilis, nomen Societati Jeſu dedit anno 1606. Concionator eximius, totus incubuit animabus Chriſto lucrifaciendis, eumque in finem varia edidit pia ſeu documenta ſeu hortamenta, & ferè tacito nomine, quæ Bibliotheca Scriptorum Societ. Jeſu recenſet. Ex his in unum collegit, ediditque aliqua, hoc titulo.

*Fauſtus Annus, Menſis, Hebdomas, Dies, Hora Chriſtiani hominis.* Brugis, typis Nic. Breydelii. 1638. in 24.

*Purgatorium Catholicè aſſertum.* Ibid. 1642. 12. & 1649.

Bruxellæ, dans operam erudiendæ juventuti, edidit ſub nomine Rhetorum & Collegii Societ. Jeſu,

*Lacrimas in obitum Sereniſſ. Hiſpaniar. Reginæ Margaretæ Auſtriacæ, cum Oratione Funebri*, typis Velpii, 1611.

Dein *Brugas Marianas* Flandricè. Brugis 1634.

*Negotiationem ſpiritualis mercaturæ*, gallicè, flandricè ac latinè.

*Perpetuam Crucem, ſive Paſſionem D. N. J. C.* deſcripſit atque Iconibus expreſſit; Ant. 1649. in 12.

*Perpetuum gladium Reginæ Martyrum.* 1650.

*Neceſſariam ad ſalutem ſcientiam, partim neceſſitate medii, partim neceſſitate præcepti.* 12. 1654. De VII. Punctis hîc aſſertis, vide ſupra pag. 217. item *Steyartium* Parte II. Aphoriſm. Diſp. 8. ſub finem.

Obiit

Obiit P. Andries, Bruxellis 21. Novembris 1658. ætatis anno 70.

## JODOCUS AB ASSCHA,

Ord. B. Mariæ de Monte Carmelo, Cœnobii Aloſtani Prior, ſcripſit patrio idiomate

*Theſaurum ſacri Scapularis Carmelitani.* Antverpię 1619. 8.

## JODOCUS BACHERUS,

Bruxellenſis, Canonicus Duacenſis, Clariſſ. Viri *Nicolai Antonii*, Hiſpalenſis Eccleſiæ Canonici, Ordinis S. Jacobi Equitis, negotia Regis Hiſpaniarum in Romana Curia agentis, quondam domeſticus, ejuſdemque in concinnanda *Bibliotheca Scriptorum Hiſpanorum* fidelis adjutor. Vir elegantis ingenii, faciliſque ad latinum pangendum carmen. Obiit circa annum 1661. Preter minutiora quædam Poëmata, edidit, teſte eodem *Antonio*,

*Phœbi nuncium de Natalibus Sereniſſ. Principis Hiſpan. Philippi Proſperi.* in 4.

*Panegyrin pro Reverendiſſ. D. Franciſco Antonio de Cabrera Archidiacono Compoſtellano, dein Salmanticenſi Epiſcopo.* 4. Romæ 1657.

## JODOCUS BADIUS,

Ascensius, ſive Ascanius, (cognomine ex Asca, agri Bruxellenſis municipio deſumpto) anno 1462. natus eſt. Gandavi in Flandria apud Fratres Vitæ communis prima literarum rudimenta poſuit, ut ipſe in Vita Thomę Kempenſis teſtatur: atque hinc fortè Gandenſis à pleriſque eſt habitus. Ferrariæ in Italia pleniùs litteras hauſit, uſus in Græcis *Baptiſta Guarino* doctore. Lugduni in Gallia publicè eiſdem privatimque profeſſus eſt, & *Enarrationes familiares* in pleroſque Latinos Auctores conſcripſit.

Celebris tunc erat Lugduni Typographus *Joannes Trechſellius*, gente Germanus, apud quem Correctoris munere functus eſt *Badius*: in quo non ſine incrementis & famæ ſuæ & divitiarum ipſius deſudavit. Itàque *Theliſam Trechſelli* filiam uxorem ſibi promeruit: defunctoque ſocero, Pariſios migravit, Officinam ſive Prelum *Aſcenſianum* (ut vocabatur) inſtructurus, in vico S. Jacobi, ſub tribus Lupis; dictuſque fuit Librarius Academiæ Pariſienſis juratus. Artis ſuæ imagini in libri frontiſpicio carmen hoc fere adſcribebat.

*Ære meret Badius, laude Auctorem, arte legentem.*

Typographiam Pariſienſem ab anno 1590. multùm auxit, librorum imprimendorum diligentiſſimus caſtigator: Gothico tamen charactere, donec vixit, plerumque uſus. *Aldi Manutii* Romani imitatorem ſe profitebatur: cujus certè, ſi non eandem famam, laborem tamen & induſtriam æquavit.

Imo *Eraſmum* eò ſuæ in *Badium* amicitiæ vis proripuit, ut eum cum *Guilielmo Budæo* non dubitaret æquare; quod judicium quia Galli quidam graviter ferebant, eò quod Belga Belgæ favêre videretur, certè ipſe Budæus de Badio tam bene ſentiebat, ut non alium mallet, per quem ſuæ lucubrationes in publicum prodirent.

Scripta autem *Badii* leguntur ſequentia, pleraque auctoris typis primùm edita:

*Silva Moralis contra Vitia*, carmine, è Poëtarum diverſorum ſcriptis, cum interpretatione. Lugduni, 1492. fol.

*Pſalterium* B. Mariæ, verſibus Sapphicis.

*Epigrammatum* liber.

*De ſtultifera navicula, ſeu ſcapha fatuarum mulierum circa ſenſus quinque exteriores fraude navigantium.* 4. Argenti-

næ 1502. apud Joann. Prus; & alibi.

*De Grammatica.*

*De conſcribendis Epiſtolis.* Pariſ. 1512. 4. cum Auguſtini Dathi libello, *de Elegantia*, cujus & Epitomen dedit.

*Vitam Thomæ à Kempis*, Operibus illius præfixa.

Commentarii verò ſive Familiares Enarrationes circumferuntur, in *Horatium Flaccum:* in *Perſii Satyras:* in *Terentii Comœdias*: in *Juvencum:* in *Theocriti Idillia* &c.

*In Epiſtolas Ciceronis ad familiares.* Mediolani, 1519.

*In Philippicas Orationes ejuſdem.* Pariſ. 1529. 4.

*In Officia*, *Lælium* ſive *de Amicitia*, *de Senectute*, *& Paradoxa* Lugd. 1514.

*In Libros Rhetoricorum ad Herennium.* Pariſ.

*In Saluſtium.*

*In Valerium Maximum.*

*In M. F. Quinctiliani Inſtitutiones Oratorias.*

*In A. Gellii Noctes Atticas*, ex Annotationibus *Ægidii Maſerii.* Pariſiis. 1530. fol.

*Epitome in ſex Latinæ linguæ Elegantiarum Libros Laurentii Vallæ, & Opuſculum de reciprocatione* ſui & ſuus; *cum explanationibus, & Mancinelli lima*; impreſſit Simon Colinæus Pariſ. 1524. in 4.

*In Angeli Politiani Epiſtolas & Miſcellanea*, 1519.

*In Baptiſtæ Mantuani Bucolica, atque Opera pleraque.*

*In Philippi Beroaldi Næniam de Paſſione Domini.*

*In Petri Burri Pæanas V. Feſtorum Virg. Dei-paræ*, 1508. 4.

*In Calphurnii Eclogas: Franc. Petrarchæ Bucolica, &c.*

Reliquit Badius *Conradum* filium, qui poſtmodum ad Calviniſtas Genevenſes digreſſus eſt, treſque filias, tribus poſtea typographis celebrioribus, *Roberto Stephano Petronillam*, *Michaeli Vaſcoſano Catharinam*, *Joanni Roigny Joannam*, in matrimonium collocatas. Porro filias ſuas tres ipſe linguam latinam docuit: in quibus præſertim Petronilla nihil eorum quæ latinè dicebantur, minus quam gallicè intelligebat, aut interpretabatur.

Denique poſt annos XLI. rei litterariæ & typographicæ impenſos, anno vitæ LXXIII. Chriſtianæ Æræ 1535. deceſſit menſe Decembri. In ejus mortem Epitaphia græcè & latinè ſcripſit *Henricus Stephanus*, è filia nepos, ſed à fide Catholicâ, quam *Badius* profitebatur, devius.

*Hic liberorum plurimorum qui parens,*
*Parens librorum plurimorum qui fuit,*
*Situs* JODOCUS BADIUS *eſt Aſcenſius.*
*Plures fuerunt liberis tamen libri,*
*Quod jam ſeneſcens cœpit eos gignere,*
*Ætate florens cœpit hos quod edere.*

Aliud ejuſdem.

*Hâc tumulatus humo, ſibi qui jam feſſus ab annis*
*Sponte Typographicum congeminavit opus:*
*Luci dum libros, libriſque ferentia lucem*
*Scripta ſui fœtus tradidit ingenii.*
*Quæ digna eſſe ſuâ nobis eſt laude fatendum,*
*Digna ſuo ut ſæclo nemo negare poteſt.*

ΙΟΔΟΚΟΥ ΒΑΔΙΟΥ ΕΠΙΤΑΦΙΟΝ.

Κεῖνος ὁ καὶ Μέδοιος καὶ Ἀρκὶ πέρι σοφὰ πονήσας
Παρισίῳ Βαδίος χειδεται ἐν δ' ἀπίδῳ.
Βίβλους μὲν Μέδοισιν, Ἀρκὶ δὲ ἔργα δίκης ἠδὲ,
Ἔργα εἰρήνης, ἔργα καὶ πολέμου.
Καὶ τάχα δ' ἶσχε πατὴρ ἴσων παίδεσσι βίβλωντε,
Ἐπ, ὅτι βιβλοτοκῆν, ἄρξατο παιδοτοκῆν.

Plura *de Badio* lege in Annal. Typograph. Mich. Maittaire, Tomo II.

## JODOCUS BEISSELIUS,

Patricius Aquiſgranenſis, Lovanii Legum Licentiatus anno 1474. Decretorum verò anno 1476. die XII. De-

cembris renuntiatus fuit, pòst illustrissimi Austriæ Ducis Consiliarius, Philosophus, Poëta, Orator, incredibili sacrarum Scripturarum amore fervens, tametsi, ductâ uxore, domesticæ eum curæ non parum distraherent. Vixit familiaris *Arnoldo Bostio*, *Hermolao Barbaro*, *Joanni Trithemio*, & aliis. Scripsit

*Rosacea tria coronamenta*, in honorem Annæ, Mariæ & Jesu, versu elegiaco. Antver. 1495. & Lovanii, 1623. 8. typis Hastenii.

*De mysteriis Rosarii* librum I.

*De optimo genere Musicorum.*

*Gesta Flandrorum.* Fortè eadem cum iis, quę manusc. Lovanii ad S. Martinum leguntur, *Judoci Besselii ad Car. Virulum de Seditione Gandensi.*

*De Christiano Ambitu*, quem libellum absque loci & anni nomine vidi excusum, hoc titulo, *M Tullii Ciceronis conversi Commentarius de Christiano Ambitu*, id est, *De petitione cælestis eminentiæ*, unà cum *Epitome Stimuli divini amoris*, eodem auctore.

## JODOCUS a CASTRO,

Bruxellensis, Ordinis Minorum Ecclesiastes celebris nominis ac famæ, & per Germaniam Inferiorem Minister Provincialis, edidit

*Conciones in Euangelia Dominicalia totius anni, & Octavam Vener. Sacramenti*, simul &

*Elenchum ad formandas Conciones pro Feriis Quadragesimæ & Sanctis.* Antver. typis Plant. 1633. 4. Tomis II.

*Decachordum Morale, de X. Virtutibus Immaculatæ Virginis Annuntiatæ.* Ibid. 1635. 4 Tomis II.

Humanis eximitur anno reparatæ salutis 1634. die XVIII. Aprilis, Mechliniæ epidemico morbo sublatus. Corpus ejus in choro FF. Minorum ad cornu Euangelii terræ mandatum est; insculpto hoc Epitaphio.

D. O. M.
Post fructuosos labores,
Hîc quiescit, quod in terra
Quiescere posuit, R. A. P.
F. Judoci a Castro,
Secundò Ministri Provincialis,
De Provincia & hoc Conventu
Optimè meriti,
Anno M. D. C. XXXIV. 18. Aprilis.

## JODOCUS CLICHTOVÆUS,

Neoportuensis Flander, æterna sui sæculi gloria, & firmissimum Ecclesiæ adversus Novatores propugnaculum; Lovanii (teste Valerio Andrea in Biblioth. Belg.) in Pœdagogio Lilienſi disciplinis humaniorum litterarum operam dedit; at (teste Joanne Launoyo in Historia Domûs Navarræ pag. 668.) Parisiis in Cardinalis-Monachi Collegio Philosophiam sub Joanne Fabro Stabulensi didicit & dein docuit.

Altiora meditatus, in Navarræ Collegium se recepit, ibique litterarios adolescentes ad optimarum Artium studia & virtutem informare cœpit, habitis ad Magistros & Scholasticos concionibus. Interea Theologiæ cursum absolvit anno 1505. annoque sequente pridie Nonas Decembris, in Domo Navarræ (testante Launoio in Historia Navarr.) Magister in Theologia renunciatus est.

Attamen *Andreas Chevillier* S. T. D. Sorbonicus libro suo de Origine Typographiæ Paris. pag. 413. *Clichtovæum* pluribus argumentis Sorbonę Doctoribus ac Sociis probat accensendum.

Fuit dein variorum nobilium Præceptor, atque imprimis nepotum Jacobi Claromontensis Episcopi Georgiique Cardinalis Ambiasiani; tum etiam *Ludovici Guillardi* ad Tornacensem Episcopatum nominati educationem suscepit.

Cum hoc Præsule reversus est anno

1513 ad Navarræum Collegium, ibique degit ad annum uſque 1517. quà publicæ Scripturarum interpretationi, quà piorum librorum editioni incumbens. Epiſcopo ſuo ſe conferente Tornacum, Clichtovæus egit ibidem per annos aliquot Parochum & Paſtorem Eccleſiæ S. Jacobi, atque ad plebem ſibi commiſſam frequentes habuit concionēs, uti & poſtmodum Lutetiæ Pariſiorum in Domo Navarrica, ad S. Sulpitium, ad S. Germanum de Pratis, Carnuti atque alibi. Et quamvis (ut de ſe alibi ipſe ſcripſit) non eam eſſet naturæ beneficio ſortitus vocis ſonoritatem & vehementiam, quæ ad frequens auditorium expoſcitur; attamen defectum illum ſupplevit ingens ejus pietati conjuncta eruditio.

Dum anno 1527. à Tornacenſi Cathedra ad Carnutenſem transferretur Guillardus, ſecutus eum Clichtovæus, beneficio illius in Cathedrali B. M. Eccleſia Canonicatum obtinuit, ibique reliquos vitæ dies tranſegit.

Porro laus ejus præcipua eſt, quod primus è Pariſienſium Theologorum cœtu contra Lutherum ſcripſerit, & rectiſſimè, ut ea tulit ætas, ſcripſerit; quod ſuâ diligentiâ & ſtudio habitum ab Antonio de Prato Archiepiſcopo adverſus Novatores Pariſiis Concilium, Senonenſe dictum, adjuverit quam-plurimum; quod ſummâ vitæ integritate & zelo ſalutis publicæ claruerit; quod divitias omnino contempſerit; quod reliquum vitæ tempus in obeundis Doctoris muneribus univerſis conſumpſerit.

Quocirca Viri graves & docti vix locuti ſunt de Clichtoveo, quin elogium adjecerint. Eraſmus, ad Ludovicum Guillard Tornacenſem Epiſcopum ſcribens, *uberrimum* vocat *rerum optimarum fontem*. Sixtus Senenſis in Bibliotheca ſancta: *Theologum, Philoſophum, Oratorem & in eloquiis ſacris enarrandis declamatorem egregium* appellavit, &c.

Tot ac tanta ſcripſit Opera (inquit Launoyus in hiſtoria Gymnaſii Navarræ, pag. 672.) ut eorum Catalogus confici vix poſſit, nullo prætermiſſo.

Hęc autem, partim Philoſophica, partim Theologica, à Valerio Andrea, aliiſque citantur.

*Introductiones in Dialecticam.* Pariſ. 1534. 8, typis Mich. Vaſcoſani.

*Scholia in Paraphraſes Jacobi Fabri Stabulenſis, ſuper Ariſtotelis Philoſophia naturali.* Ibid. fol. 1533.

*In Politica Ariſtotelis Introductio ejuſdem Jacobi Fabri, adjecto Commentario declarata per Clichtovæum.* Ibid. fol.

*Introductio in terminorum cognitionem in libros Logicorum* 4. Pariſ. apud Henr. Stephanum 1520. dein apud Sim. Colinæum 1526. in 8.

*De Praxi Numerandi, Compendium.*

*Commentarium in Arithmeticam Boëtii.*

*Commentarius in Theoricam Planetarum Jac. Fabri.* 1517. fol. typis Henric. Stephani.

*Commentarius in Elegantias Auguſtini Dathi.* 1512. in 4.

Theologica vero ſunt hæc.

*De Sacrificio Miſſæ.*

*De Sacramento Euchariſtiæ, contra Oecolampadium.* 4. Ibid. 1526.

*De laudibus trium antiquorum Patrum Joſeph, David & Tobiæ, libri III.* 4. Paris. apud Colinæum 1533.

*De doctrina Moriendi, Opuſculum* 4. Pariſ. 1520. apud eundem.

*De vera Nobilitate, Opuſculum* 4. Ibid. 1520.

*De Vita & moribus Sacerdotum, Opuſculum* ad Lud. Guillardum Epiſc. Pariſ. 1520.

*Propugnaculum Eccleſiæ adverſus Lutheranos.* fol. Ibid. 1526.

*Compendium Veritatum contra Lutheranos, ex Actis Concilii Senonenſis*, anno 1529. habiti ſub Ant. à Prato S. R.

Digitized by Google

E. Cardinale; cui etiam Clichtovæus interfuit, Actaque præcipua ipſe digeſſit. Liber inſcriptus eſt Regi Franciſco I. fol. Pariſ. apud Colinæum.

*Improbatio quorumdam Articulorum Lutheri à veritate Catholica diſſidentium, & in quodam libello gallico, qui hic diſcutitur* (author erat Georgius de Halluin, de quo ſupra) *non ſatis exactè nec rectè impugnatorum.* 4. Pariſ. apud Simon. Colinæum 1533.

*De Veneratione Sanctorum Opuſculum.* 4. Pariſ. apud Colinæum 1523.

*De bello & pace, Opuſculum, Chriſtianos Principes ad ſedandos bellorum tumultus, & pacem componendam excitans.* 4. Ibid. 1523.

*Anti-Lutherus, libri III.* fol. Pariſ. apud Colin. 1524. item Coloniæ, typis Quentelii 1525.

*Damaſceni Theologia, IV. Libris exp'icata, Fabro interprete & adjecto Clichtovæi ad litteram Commentario elucidata.* fol. Pariſ. apud Henr. Stephanum 1512.

*De laudibus S. Ludovici & S. Ceciliæ Virginis & Mart.* 4. Pariſ. apud Henr. Stephanum 1516.

*Elucidatorium Eccleſiaſticum, ad Officium Eccleſiæ pertinentia* (puta Hymnos, Cantica, Proſas, & Miſſas) *planiùs exponens*, & IV. Libros complectens. fol Pariſ. apud Henr. Stephanum 1516. item Baſileæ apud Frobenium 1517.

*De puritate Conceptionis B. M. libri II. De ejus dolore in paſſione filii, liber; de ejus ſtatione juxta crucem, Homilia; de Aſſumptione ipſius, liber.* 4. Pariſ. apud Stephanum. 1513. item 1517.

*De Regis officio, Opuſculum*, ad Ludovicum Pannoniæ Regem. 4. Ibid. apud Simonem Colinæum. 1519. 4.

*De laude Monaſticæ Religionis, libellus.* 4. Pariſ. apud Henr. Stephanum 1513.

*Opuſculum de myſtica numerorum ſignificatione, præſertim qui in ſacris litteris uſitati habentur.* Pariſ. apud Henr. Stephanum 1513.

*Convulſio calumniarum Ulrichi Veleni, quibus S. Petrum nunquam Romæ fuiſſe cavillatur.* 4. Pariſ.

*De Sacra Scriptura in lingua vernacula non legenda.*

*Diſceptatio de Maria Magdalena, triduo Chriſti & de tribus & unâ Maria.* 4. Pariſ. per Henr. Stephanum 1518.

*Deceptationis de Magdalena defenſio*, Apologiæ Marci Grandivallis & Joannis Fisheri Roffenſis Epiſcopi, illam improbare nitentium, ex adverſo reſpondens. 4. Pariſ. apud Stephanum 1519. Accedit *Præfatio Clichtovæi, in Diſceptationem Jacobi Fabri*, Stabulenſis, S. T. D. pro eodem argumento. Ibid. Porro has controverſias Facultas Theologica Pariſienſis ſedandas duxit, damnando ſententiam Fabri & Clichtovei, de tribus Magdalenis, Kal. Decembris 1521. Vide Collectionem Argentræi Epiſc. Tutelenſ. Tom. II. pag. VII.

*De neceſſitate peccati Adæ & felicitate culpæ ejuſdem, Apologetica Diſſertatio*, ad Jo. Gozthon Jaurinenſem in Pannonia Epiſc. 8. Pariſ. 1519. per H. Stephanum.

*De dignitate & excellentia Annunciationis B. M. V. & de benignitate & gratia ejus Viſitationis* 4. Pariſ. 1519. apud Stephanum.

*Homiliæ CXII. de tempore & Sanctis.*

*De Præceptis Decalogi; de Oratione Dominicâ; Salutatione Angelica; De Sacramentis.* Pariſ. 1547. 8. Coloniæ 1550. fol. apud Quentelium, & 1572. apud Cholinum. 8.

Denique ſcripſit ad imitationem S. Cyrilli libros IV. *Commentariorum in eam partem Euangelii S. Joannis*, in quam totidem libri Cyrilli intercideruntur.

Cæterum Clichtovæus utriuſque Collegii, tum Sorbonici, tum Navar-

ræi ingens benefactor fuit; cum Navarræis moderatoribus pactum inierat, ut si Lutetiæ decederet è vita, in ejusdem Collegii æde sepeliretur: sed aliter evenit: quia Carnuti, ubi Canonicus erat, decessit x. Kalendas Octobris anno 1543, & in S. Andreæ templo inter altare majus & pulpitum sepultus. Gallicum Carnuti habet Epitaphium

*Mais où sont ceux, lesquels à tous propos*
*De jour & de nuit sans aucun repos,*
*Par tous moyens & de toutes manieres*
*S'en vont fouissant en la terre les minieres*
*D'or, d'argent & tous autres metaux? &c.*

*Celui-ci estoit de Nieuport en Flandres,*
*Où il passa ses jours premiers & tendres:*
*Puis en France vint demeurer,*
*Bien bon François, qui la sceut savourer,*
*Docteur il fut en la sainte Ecriture,*
*Tel que dessus j'en ai fait la peinture.*
*A Chartres, où la Vierge mere à Dieu,*
*A un si beau, & si bien servi lieu,*
*Fut à bon droict Theologal Chanoine,*
*Où il servit à cette haute Royne,*
*Jusques à temps que l'an mil & cinq cens*
*Quarante-trois à mort paya le cens,*
*Sortant du corps l'esprit plus clair que l'ambre,*
*Vingt & deux jours dans le mois de Septembre.*
*Quoy qu'il advienne,*
*Priez, pour l'ame de feu bon homme*
*Notre Maistre Clichouë.*

Tumulum hujus viri circumdant hæc verba:

*Tumulus Judoci Clichovæi Neoportuensis, Doctoris Theologi, & Canonici Eccleſiæ Carnotensis, in omni genere virtutum, & Litterarum ornatissimi. Obiit 22. die mensis Septembris, anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo tertio. Requiescat in pace.*

Fuit & *Hieronymus Clichtovæus*, Jodoci nepos, in Academia Parisiensi Theologus non incelebris, cujus pro gradu Doctorali respondentis Propositiones IV. de *Venditione Beneficiorum, pensionum & bursarum*, Facultas Theologica censuravit anno 1521 die 5. Decembris.

*Vide Decretum in Collectione Judiciorum de novis erroribus, auth. Carolo Argentræo Tutel. Episc.* (Tomo I. Part II. pag. 401.) Idem ille *Hieron. Clichtovæus*, postmodum Pastor ac major Custos Ecclesiæ D. Donatiani Brugis obiit 8. Novembris 1555.

## JODOCUS DAMHOUDERUS,

Brugensis, Eques, natus est anno 1507. VII. Kal. Decembris, Vir à se & majoribus clarissimus. Juvenis Lovanii anno 1527. disciplinæ civili dans operam, *Nicolaum Heems à Bruxella*, J. U. Doctorem, virum egregiè doctum, præceptorem & domesticum habuit, aliosque ibidem docentes diligenter audivit, quorum cum honore passim meminit.

Aureliis in Gallia J. U. Doctor creatus, patriæque redditus, primò Reipublicæ Brugensis Syndicus seu Pensionarius, postea ab anno 1551. die VI. Januarii, per annos triginta Carolo V. Cæsari & Philippo II. Regi Catholico in Belgio à Consiliis fuit Finantiarum; resque Fisci cum fide administravit; littoris Flandrici Præfecturam cum laude gessit; Justitiæ summus cultor, scelerum acer vindex. Librorum suorum Catalogum ipse contexuit, Appendice ad Praxin Criminalem, hoc ordine:

*Patrocinium Pupillorum, minorum & Prodigorum.* Brugis. 1544. fol. Antverp. 1646. & alibi. Gallicè Antverpiæ, 1567. item Brugis 1730.

*Subhastationum Exegesin* compendiosam. Lovanii, 1558. gallicè Gandavi, 1564. 8. item Brugis 1730. Extant quoque inter Tractatus Juris Tom. VI. & VIII.

IVDOCVS DAMHOVDERIVS
IV. D. eques, et questure Regiæ, apud Belgas consil.
obiit an. CIↃ. IↃLXXXI. ætatis. LXX.
Den Dam ghehouden. Is t'landt behouden.

P. v. de Iode sculpsit.



*Enchiridion Rerum Criminalium.* Antverpiæ, Lugduni, & alibi; gallicè Lovanii, 1554. flandricè ibid. 4. germanicè Francof. 1565. qui liber fuit Romæ prohibitus anno 1625, donec corrigatur.

*Praxin rerum Civilium*: quibus demùm acceſſerunt *Nic. Tuldeni* Notæ Practicæ. Antver. 1617. 4. typis Gaſp. Belleri. item Antv. 1646. & alibi, una cum ejus Praxi rerum Criminalium, in fol.

*Similia & Paria Juris Utriuſque.* Ibid. 1601. 4. cum *Tuldeni* Notis.

*Paræneſes Chriſtianas*, ſeu Locos communes ad Religionem & pietatem Chriſtianam pertinentes, ex utroque Teſtamento. Antver. 1571. 4. Venetiis, 1572. 8.

*De magnificentia Politiæ Civitatis Brugarum*; qui liber dein flandricè editus eſt Amſtelod. in 4. an. 1688. hoc titulo: *Chronicon generale Comitum Flandriæ & Brabantiæ Ducum, unà cum vitâ omnium Foreſtariorum:* curâ N. Ingelbrecht Med. Doctoris.

*Orationem panegyricam in laudem Hiſpanorum Negotiatorum.* Lovanii, 1558. cum Exegeſi Subhaſtationum.

*Speculum Conſcientiæ*, latinè, gallicè, flandricè, hucuſque ineditum.

Obiit Antverpiæ, anno 1581. XI. Kal. Februarii, ætatis anno LXXIV. relicto *Ludovico* Filio in ſupremo Flandriæ Conſilio Senatore. Corpus Brugis patriis ſedibus redditum, & honorifico tumulo conditum in Sacello SS. Sacramenti in D. Virginis Collegiatâ; hoc duplice Epitaphio.

Memoriæ poſteritatis ſacr.
Hoſpes ſepulcrum vides
Viri à ſe & majoribus clariſſ.
D. Jodoci Damhouderi,
Equitis aurati
Qui per ann. XXX. in Belgio
Conſiliarius fuit
Imp. Caroli V. & Philippi II. Regis
Cujus curæ res fiſci credita
Cum fide adminiſtrata eſt.
Qui juſtitiæ ſummus cultor,
Scelerum vindex acer,
Etiam Præfecturam geſſit
Littoris Flandrici
Exercendis viverris.
Nec ſolus ille hic jacet;
D. Ludovica de Chantraines
Alio nomine Broucsaulx,
Arteſia Domo,
Omni laude quæ in mulierem cadit,
Cumulata.
Obiit Vir XI. Kal. Febr. M.D.LXXXI.
Uxor autè XII. Kal. Julii MD.LXXV.
A quibus auguſtum in dies ſingulos
Sacrificium
Piè hîc conſtitutum eſt,
Et anniverſarium PP. cum præbendis LX.
Compoſitis ſit quies ſecura.

Altera inſcriptio gallica.

*Sepulture de Meſſire Joſſe de Damhoudere, fils de Simon, Chevalier, Docteur en deux Droits, Conſeiller & Commis des Finances tant de feu de tres haulte memoire l'Empereur Charle le quint, comme auſſi du Roy Catholique ſon fils Roy d'Eſpagne, qui mourut le 22. du mois de Janvier de notre Seigneur M. D. LXXXI. & Demoiſelle Loyſe de Chantraines, dicte de Broucſaulx, fille de Pierre, ſon Epouſe, laquelle trepaſſa le xx. jour de Juing l'an de notre Redempteur M. D. LXXV.*

*Vous qui ceſtes voyez & liſez,*
*Priez pour les Trepaſſez.*

## JODOCUS DESMARETZ,

Antverpienſis, Societatis Jeſu, latinis græciſque litteris egregiè excultus, edidit

*Commentarium* brevem *in Horatium*, repurgatum ab omni obſcœnitate, in gratiam juventutis. Duaci, 1636. 8.

*Onomaſticon*, quo vocabula à latinis hactenus uſurpata explicantur.

Obiit Rector Collegii Malbodienſis anno 1637. die XIII. Decembris.

## JODOCUS A DUDINCK,

Canonicus Reſenſis, & Paſtor Vinenſis ad Rhenum, pari inter Reſam & Sanctenſe opidum intervallo, multę vir lectionis; cujus rei indicium faciunt libri ſequentes:

*Bibliothecariographia*; hoc eſt: Enumeratio omnium Auctorum Operumque, quæ ſub titulo Bibliothecæ, Catalogi, Indicis, Nomenclatoris, Athenarum &c. prodierunt. Coloniæ, apud Jodocum Kalcoven, 1643. 8.

*Palatium Apollinis & Palladis*, hoc eſt: Deſignatio præcipuarum Bibliothecarum veteris novique ſœculi. Ibid. 8. Notandum hîc tamen, plures è Germanis Scriptoribus exiſtimare, duos jam recenſitos libros nunquam in rerum natura extitiſſe.

*Synopſis Bibliothecæ Marianæ*; hoc eſt: Recenſio omnium Auctorum, qui de B. M. Virgine ſcripſerunt. Ibid. 8.

*Mundus Marianus*, hoc eſt: Specificatio omnium Mundi locorum, in quibus B. Virgo Dei-para miraculosè colitur. Ibid. 8.

## JODOCUS DE GHISTELLA,

Flander, Eques, Toparcha de Axele, Maelſtede, Mocre, &c. quartùm urbis Gandavenſis faſces Conſulares tenuit, ceu Proto-Scabinus, ac Palæſtinam ſive Terram ſanctam luſtravit, & deſcripſit, teſte Ortelio. Legitur Teutonicè *Peregrinatio* ejus, libris VIII. conſcripta (totidem enim annis peregrinationem ſuam abſolvit, reverſus Antverpiam anno 1485.) Gandavi parvo folio, 1563 apud Henr. Van-den Keere.

Alii tamen Itinerarii hujus auctorem faciunt *Ambroſium Zeebout*, presbyterum, *Ghiſtelii* Capellanum, & peregrinationis ſocium.

## JODOCUS GRAESSIUS,

Cartuſiæ Weſalienſis Prior, è gallico latinè interpretatus eſt

*Vitam B. Philippæ*, Ducisſæ Gelriç, quæ marito ſuo Renato Lotharingiæ Duce è vivis exempto, S. Claræ Ordinem amplexa fuit, ibique ſanctè obiit anno 1547. Prodiit Coloniæ 1604. 12. typis Mylii.

## JODOCUS DE HARCHIES,

Montenſis, Hanno, Medicus in patria, reliquit librum

*De cauſſis contemptæ Medicinæ* Leodii, 1563. 8. apud Gualterum Morberium.

*Enchiridion Pharmacorum ſimplicium*, carmine. Baſileę, 1573. 8. apud Pet. Pernam.

Quæ in Germania Theologica, extra artis ſuæ ſepta profiliens, edidit, ut hæretica & damnata, non attingo.

## JODOCUS VANDER HEYDEN,

à Calmpthoudt, (qui pagus eſt territorii Antverpienſis, quà Bergizomium itur) Lovanii, poſt acceptum Magiſterii in Artibus titulum, in Gymnaſio Caſtrenſi, cum omnium collegarum approbatione, juventutem inſtituit: pòſt Scholæ Haſſelenſis apud Eburones Rector fuit, vir doctior, quàm arrogantior. È græcis latinas facit, Notiſque Politicis illuſtravit,

*Lyſiæ Athenienſis Orationes XXXIV.* quæ de CCC. reliquæ ſunt. Francof. typis Wechelianis.

## JODOCUS HONDIUS,

Ex Wackene, Flandriæ municipio, oriundus

briundus, Ptolomæus Belgicus, ac celeberrimis aliarum ætatum tum in Batavia tum apud Europæos omnes Cosmographis æquiparandus.

Edidit varias orbis Tabulas geographicas ac hydrographicas, & *Atlantem Gerardi Mercatoris* multò majorem atque illustriorem reddidit, 1627.

## JODOCUS KERCKHOVIUS,

Gandavensis, Scholæ litterariæ in ea, quæ Sodalium Hieronymianorum olim fuit, domo (hodie Seminarium est Episcopale) Moderator, vir fuit indefessi & laboris & studii. Edidit *Rudimenta Grammatices.*

Filium reliquit *Simonem Kerckhovium*, qui paternis insistens vestigiis non minori cum laude & fructu eidem Scholę præfuit, obiitque ad S. Bavonem Canonicus anno 1625. mense Junio.

## JODOCUS LAMBERTUS,

Gandavensis, Typographus ac Typoglyphus, teste Ant. Sandero non vulgariter eruditus, scripsit

*De vera & genuina Orthographiæ Teutonicæ ratione:* quem librum ipse typis suis vulgavit.

## JODOCUS LARENUS,

Arnemudæ apud Zelandos oppido natus anno 1586, patre Calvinisticæ Sectæ prædicutio, & ipse ejusdem genii studiique, per annos plusquam 34. Minister Vlissingensis; obiit 6. Octobris 1653. Scripsit quædam latinè, quædam vernaculè, è quibus potiora sunt hæc.

*Examen Cap. IX. ad Romanos, cum Responsione ad Analysin Jacobi Arminii in idem Caput.* Mediob. 1616. 8.

*Pleias in Caput XII. Isaiæ.* Roterod. 1651. 8.

*De Melchisedecho, Disputatio.*

*Epistola ad Guilielmum Apollonium, contra calumnias libelli famosi, cui nomen Grallæ.* Mediob. 1646. in 8.

*Responsio ad Grallarum Authoris Anonymi Bombomachiam Vlissinganam.* Mediob. 1647. 8. Prodiêre posteriores duo libelli contra *Nicolaum Vedelium*, qui in libro suo *de Episcopatu Constantini, seu de potestate Magistratuum Reformatorum circa res Ecclesiasticas*, pleroſque Ministros Acatholicos offenderat.

Cetera *Lareni* Opuscula lege in *Zelandia Litteraria D. Petri de la Rue*, quæ anno 1734. vernaculè prodiit.

## JODOCUS VANDER LINDEN,

Bruxellensis, S. T. L. ejusque olim Mechliniæ Professor in Seminario, dein Ecclesiæ Metropolitanæ Mechlinensis Canonicus Graduatus & Archipresbyter, nec non Presbyterorum Oratorii D. Jesu Præpositus, vitâ functus Mechliniæ anno 1684.

*Orationem funebrem in exequiis Illustriss. D. Joannis à Wachtendonck* Archiepiscopi Mechlinensis, dictam in Metropoli die 31. Julii 1668, edidit 4. Bruxellis.

## JODOCUS LOMMIUS,

Buranus, Gelder, Medicus urbis Bruxellensis, scripsit tersâ latinitate,

*Medicinalium Observationum* libros III. quibus præsagia ac signa Morborum omnium accuratissimè proponuntur. Antver. 1560. 8. apud Plant. & 1563. 8. apud Guil. Silvium. Prodiit iterum Amstelod. apud Bernard. 1714. in 8. curâ quorumdam Medicorum, qui *Opusculum aureum* vocant. Quin etiam *N. le Brethon* celebris apud Gallos Medicus id-ipsum in gallicum traduxit, hoc titulo: *Tableau des maladies, où l'on decouvre leurs signes & leurs evenemens* &c. 12. Parisiis 1712.

*De curandis Febribus continuis* librum I. Ibid. 1563. 8. typis Silvii.

*De Sanitate tuenda :* in librum primum Cornelii Celsi, de re Medica. Lovanii, 1558. 8. apud Ant. Mariam Bergaigne.

## JODOCUS RAVESTEYN,

Tiletanus Flander, quartus inter Artium Magistros Lovanii anno 1525. è Pœdagogio Lilii, in quo & Philosophiam professus est; dein S. Theologiæ Doctor renuntiatus die v. Octob. 1546. Præpositus quoque B. M. Walcurien-sis in Diœcesi Namurcensi, Canonicus ad S. Bavonem Gandavi, Xenodochii Lovanien-sis Rector, Collegii Hauterlæi Præses, nec non Privilegiorum Academiæ suæ Conservator.

Summi nominis Theologus extitit, tum in hac nostra, tum in superiore Germania. Jussu Caroli V. Cæs. primùm ad Concilium Tridentinum anno 1550, dein ad Colloquium Wormacien-se anno 1557. missus, unà cum *Franc. Sonnio*, *Mart. Rithovio*, *Barth. Latomo*, & *Petro Canisio*, Belgis, utrobique hæreses contra Catholicam fidem atque Ecclesiam insurgentes, doctrinâ & scriptis confutavit. Lovanii quoque novellis dogmatibus *Michaëlis Baii* fortiter sese oppo-suit. Illius sunt,

*Defensiones Decretorum Concilii Triden-tini*, contra Martini Chemnitii Exa-men, Tomis II. Lovanii, 1568. & 1570. Coloniæ, 1607. 8.

*Confutatio Confessionis seu Doctrinæ, quæ nuper edita est à Ministris, qui in Ecclesiam Antverpiensem irrepserunt, & Augustanæ Confessioni se assentiri profiten-tur.* 8. Lovanii apud Petr. Zangrium. 1567. Accedunt Orationes duæ ab eo-dem Ravesteinio in scholis Theolo-gicis habitæ.

I. *Contra inanes Cavillationes Caroli Molinæi adversus Concilium Tridentinum.*

II. *De officio Viri pii tempore hæreseos.*

*Apologia Catholicæ Confutationis prophanæ illius & pestilentis Confessionis (quam Antverpiensem appellant Pseudo-ministri quidam) contra inanes cavillationes Matthæi Flacci Illyrici.* Lovanii 1568. apud Zangrium 8.

E vivis eximitur anno 1570. VII. Febr. in æde sacra Xenodochii majo-ris, cujus multis annis Præpositus fue-rat, tumulatus, hoc Epitaphio.

Eximius ac Rever. D. ac M. N.
JUDOCUS RAVESTEYN,
Tiletanus, Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri
Lovanii Canonicus,
Præpositus Walcurien-sis,
Hujus almæ Universitatis
Privilegiorum Conservator,
Artium & S. Theologiæ
Professor clariss.
Qui hæreses contra Catholicam fidem
Suo tempore insurgentes
Doctrinâ & libris scriptis profligavit;
Hujus Xenodochii Præpositus,
[illegible] certè multæ eruditionis,
Pietatis ac modestiæ,
Hic sepultus est.
Obiit anno Domini M.D. LXX.
Die VII. Febr.
R. I. S. P.

## JODOCUS DE RYCKE,

Machlinien-sis, patre *Jodoco*, matre *Joannâ de Marzelaer*, Ord. Minorum S. Francisci, omnium primus missus ad Cœnobium Francis-canorum in Qui-to apud Americanos anno 1534. scripsit

*Epistolam insignem de moribus incola-rum ejus loci.* Vide Commentarium *Henr. Sedulii* ad cap. III. Vitæ S. Francisci.

## JODOCUS SCHOLLAERT,

Gerardi-montanus, Poëta elegans, lusit *Comœdias* varias, *de Achario*, *de Eugenia* duas, *de Joanne Damasceno*: *Tra-*


VIR PHÆBO ET MUSIS GRATUS VONDELIUS HIC EST.
Obiit Amstelod. 5 Febr. 1679.
ætat. anno 92.

*gi-Comœdiam ſacram de S. Adriano, de Gedeone, de Liderico*, Flandriæ Saltuario : *Tragœdiam de S. Bartholomæo, de Holoferne, de Judith.*

Item *Genethliaca*, *Epitaphia* : *de Gerardi-monte, de Comitibus Flandriæ.* Quæ omnia filius ejus *Chriſtianus Scholardus*, Presbyter, poſſedit.

## JODOCUS VELARÆUS,

Verbroecanus, è Waſia Flandriæ, ut puto, oriundus, Ludum aperuit litterarium Antverpiæ. E græco latinè reddidit, prosâ oratione,

*Homeri Hymnos XXXII.* Coloniæ, 1534. 8. apud Eucharium.

*Q. Calabri Paralipomena Homeri.* Antver. 1539. 8.

*Coluthum Thebanum de Raptu Helenæ.* Lugd. apud Griphium, 8.

*Palæphatum de non credendis Hiſtoriis.*

*Phurnutum de Natura Deorum.*

*Luciani Orationem de Aſtrologia.* Simul edita Antver. 1528. 8.

*Plutarchi* libellos tres. I. *De Superſtitione.* II. *Quo pacto ſe quis citra invidiam laudare poſſit.* III. *De futili loquacitate.* Ibid. 1540. 8. typis Steelſii.

Denique ut adoleſcentulis ſibi traditis ad Græcæ Linguę ſtudium ſtimulos adderet, græcè reddidit *Pædologiam Petri Moſellani*, Dialogis XXXVII. comprehenſam. Excudit ibid. Graphæus, 1532. 8.

## JODOCUS VONDELIUS,

Vernaculè Joost van den Vondel, alter linguæ noſtræ Belgicæ apud Batavos Virgilius, ac Poëtarum noſtratium facilè princeps, natus erat Coloniæ Agrippinæ die 17 Novembris 1587, parentibus Mennoniſtarum ſeu Anabaptiſtarum hæreſi infectis. Fixo poſtmodum Amſtelodami domicilio, uxorem duxit anno 1610. *Mariam Wolf*; quæ dum in ſua officina tibialia venum exponebat, Vondelius arti poëticæ totus vacabat : ac pro primitiis poëticis dedit anno 1617. *Viridarium belluarum.* Erat ei familiare cum eruditis omnibus Batavis commercium, quorum memoriam Inſtriptionibus honorariis, aut epitaphiis celebrare ſolebat. Ætate maturior à Mennoniſtis tranſiit ad Arminianos, ſeu Remonſtrantes, in quorum favorem vernaculum poëma *Palamedis* edidit ſeu *Innocentiam occiſam*, deſignans perſonam *Joannis ab Olden-Barnevelt.* Nec diu poſt, relictâ Arminiana hæreſi, ad veram Catholicam Fidem converſus eſt, ſtudio præſertim *Leonardi Marii*, S. T. D. celeberrimi in Urbe Amſtelodamenſi Paſtoris & Eccleſiaſtæ. Edidit velut pro Fidei ſuę teſſera carmen elegantiſſimum de SS. Euchariſtiæ Sacramento, vulgo *Altaersgeheymeniſſen*, quod Illuſtriſſ. Jacobo Boonen Archiepiſcopo Mechlinienſi dedicavit. Neque ætas decrepita amœnitates poëticas in eo extinxit : nam & anno æt. 84. Paraphraſin Metamorpheſeon Ovidii verſu vernaculo dedit.

Tandem completo anno ætatis 91. Amſtelodami piè obiit, extremis Catholicæ Eccleſiæ Sacramentis munitus, die 5 Februarii 1679. ſepultus ibidem in Eccleſia nova, hoc Epitaphio.

*Hic eſt* Vondelii *tumulus. Non; Ille Maronis,*
*Et Flacci & Sophoclis, contegit oſſa lapis.*
*Parce quieſcenti cineri gravis eſſe Viator :*
*Hæc ſuper impoſito nec preme ſaxa pede.*
*Iſte locus ſacer eſt; greſſus averte, locumque*
*Attonitus multâ Relligione cole.*
*Utque decet, venerare ſenem, venerare Poëtam,*
*Qui cunctos ævo vicit & ingenio.*

Aliud ibidem.

*Vir Phœbo & Muſis gratus* Vondelius *hic eſt.*

Vitam Poëtæ Vondelii edidit anno 1681. *Gerardus Brandt*, celebris apud Batavos Hiſtoricus.

Extant omnia ejus Opera vernaculè novem Tomis in quarto, quorum ſeriem viſum fuit accuratius eodem idiomate recenſêre.

*Wercken van den Prins der Nederduytſche Dichteren, Jooſt vanden Vondel, vervat in IX. Voll. Welckers*

I. *Behelſt de wercken van Virgilius Maro.*

II. *De herſchepping van Ovidius Naſo.*

III. *D'eerſte Deel der Poëſy, behelſende de aenleydinghe ter Nederduytſche Digt conſte; voorts Zegen-ſangen, groote Lof-dighten, Klink-dighten, Afbeeldinghen, Bruyloſts-dighten.*

IV. *'T tweede Deel der Poëſy, behelſende Lyck-dichten, Graf-ſchriften, Geboorte-digten, Danck-digten, Brieven, Clagten, Hekel-digten, Lof-digten op Geleerden &c. By-ſchriften op ſteden, gebouwen, gedenck-Penningen; Schouburgs digten, Raetſels, Geſanghen, op Kerk ſtoffen, Mengeld: Vertalingen, Oude Rymen, en ſulcke, die den Digter t'onrecht zyn aen-geſchreven; en eyndlyck t'leven van* J. V. Vondel, *en deſſelfs Graf-ſchrift door* G. Brand; *mitſgaeders ſeer geleerde Lyck-dighten op den ſelven.*

V. *De Treur-ſpelen: Jeruſalem verwoeſt, Palamedes, Amſterdam, Hecuba, Hippolytus, Gysbrecht van Amſtel, Electra, Joſeph in Dothain en in Egypten, Soſompaneas of Joſeph in 't hof, Maegden, Gebroeders, Maria Stuart, Salomon, Leeuwen-daelders.*

VI. *De Treurſpelen: Lucifer, Salmoneus, Jephta, Ædipus, Coning David in ballingſchap, Coning David herſtelt; Samſon, Adonias. Waer achter volghen drye Boecken der Altaer-Geheymeniſſen; de Parnas aen de Belt; Keurdigt op Prins Maurits; Onderwys, van de H. Drie-eenheyt, en Joannes den Boetgeſant.*

VII. *Altaer-Geheymeniſſen, vervat in drie Boecken, Offer-ſpys, Offer-hande; Heerlyckheyt der Kerke in haer In-Op-en Voortgang; Brieven der H. Maegden en Martelareſſen.*

VIII. *Joannes den Bockgeſant, laeſt uytgegaen door Abr. Bogaert.*

IX. *Warande der Dieren, met 125. aerdighe en curieus in't koper geſneden afbeeldinghen verciert.* 4. Amſtelod. 1682.

Acceſſit opus poſthumum. *Beſpiegelinghen van Godt en Godes-dienſt, teghens de Ongodiſten, verloochenaers der Godheid en Goddelyke voorſienigheid.* 4. Roterod. 1700. editio ſecunda.

## JODOCUS DE WEERDT,

S. P. Q. Antverpienſi à Conſiliis (Penſionarium vocant) ſubtili vir ingenio, & in verſibus condendis facili atque amœno: edidit de Induciis belli Belgici

*Concordiæ Belgicæ Panegyricum Parnaſſicum* in quo varia Anagrammata, Acroſtichides, & alii ingenii luſus; typis Plantin. 4. 1609. & 1626.

Vivere deſiit anno 1625. ipſo S. Dominici, ſepultus apud Minores in monumento parentum.

## JOSEPH A S. BARBARA,

Brugenſis, Carmelita diſcalceatus, Prioris officio ſæpe functus, ac demum Miſſionarius, obiit Lugduni Batav. 18. Novemb. 1670. Luſit ſermone vernaculo

*Luſum divini Amoris*, vulgo *het Geeſtelyck kaert-ſpel*, editum Antv. 1666. in 8. iterumque 1712.

## JOSEPHUS DE BERGAIGNE,

Antverpienſis, ex Ordine FF. Minorum S. Franciſci, Provincialis primùm, Commiſſarius generalis &c. dein conſecratus anno 1641. VII. ac poſtremus Epiſcopus Sylvæducenſis: ſed occupatâ per Hollandos urbe ſuâ prin-

cipali ac totâ ferme Diœceſi, reſidêre ibidem non potuit. Tandem anno 1645. Archiepiſcopus ac Dux Cameracenſis: ſed nondum ingreſſus hanc ſuam Metropolim, delectus eſt à Rege Philippo IV. cui à ſanctioribus erat conſiliis, ut cum regiæ poteſtatis plenitudine Legatus Monaſterium in Weſtphalia, pacem inter Regem ſuum & Fœderati Belgii Ordines componeret. Cui negotio dum allaborat, paulò ante concluſam pacem, in pace requievit Monaſterii Weſtphalorum anno 1647. die 21. Octobris, ætatis 59.

Scripſit (teſte Waddingo de Scriptoribus Ordinis FF. Min.)

*Apologiam adverſus Litteras Gerlaci Molitoris, prædicutii hæretici.*

*Apologiam ad Imp. Ferdinandum III.*

*Inſtructionem ad Virgines nobiles recenter à Calviniſmo converſas.*

## JOSEPHUS GELDOLPHUS A RYCKEL,

Natus in Oorbecano majorum ſuorum peculio, apud Thenas Brabantiæ urbem, ſtudia humanitatis ac Philoſophiæ Ariſtotelicæ abſolvit Lovanii in Pædagogio Falconis. Vitam inde Canonicam ſub Regula S. Auguſtini in nobili Abbatia S. Gertrudis profeſſus, eos brevi tempore in ſtudio Theologico, ſub directione *Guilielmi Mercieri* S. Th. Doctoris ac Profeſſoris, progreſſus fecit, ceteriſque pietatis ac diſciplinæ monaſticæ exemplo ita præluxit, ut Supprior primùm ſui Conventûs, deinde Ooſterwicani nobiliſſimi municipii per annos decem Paſtor, anno 1626. ad ejuſdem Abbatiæ Prælaturam fuerit promotus.

Qua in dignitate poſt varia virtutum publica exercitia tandem non uno morbo, patientiſſimè ad exemplum tolerato, fatigatus ac fractus, deſiit eſſe in humanis die XXI. Octobris anno 1642. ætatis ſuæ LXI. Ab ingenio illius hæc ſuperſtant monumenta:

*Vita S.* BEGGÆ, *Ducisſæ Brabantiæ, Andennenſium, Begginarum & Beggardorum Fundatricis, Commentario illuſtrata*: & *Hiſtoria Begginaſiorum Belgii.* Lovanii, typis Corn. Cœneſtenii, 1631. 4.

*Ancile ſacrum pro animabus in Purgatorio exiſtentibus.* Ibid. 1632. 12.

*De Sodalitiis in ſubſidium Animarum in Purgatorio exiſtentium erectis* &c. Ibid. 1633. 12.

*Juſta Funebria Animabus Fidelium defunctorum perſolvenda*: hoc eſt, *Officium Defunctorum, Gloſſâ ſive interpretatione paraphraſticâ & interlineari illuſtratum.* Ibid. 1634. 8.

*Hodoeporicon Marianum*, id eſt, Itinerarium B. M. V.

Item *Diurnale Marianum*, Cultus B. M. V. per Menſes atque Hebdomadas diſtinctus. Ibid. 1634. 8.

*Nomen* MARIÆ *tetragrammaton*, ſive *De cultu Nominis Mariani varia Commentatio.* Ibid. 1635. 12.

*Spelunca B. M. de Covadonga in Aſturiis Hiſpaniarum montibus, publicâ religione olim à Pelagio dedicata*, &c. 4. Bruxellis 1635. Quo libro author duo ſpecialiter enucleat, iter S. Jacobi in Hiſpaniam, & Epiſtolam S. Pauli ad Hebræos, olim fuiſſe ſcriptam ad eos qui tum in Hiſpania morabantur.

*Cultus Sanctiſſimæ Trinitatis.* Ibid. 1639. 12.

*Hiſtoria* S. GERTRUDIS, *Principis-Virginis, primæ Nivellenſis Abbatiſſæ.* In quo libro multa etiam de Stemmatibus familiarum Belgicarum ac Leodienſium. Bruxellæ, typis Godef. Schovartii, 1637. 4.

*Phylacterium ex Reliquiis ſacris*, JESU, MARIÆ, ANNÆ & JOSEPH *compoſitum.* Ibid. 1639. 4.

*Patriarchæ Familiarum Religioſarum, & ſuppares eorum.* Ibid. 1641. 8.

## JOSEPHUS JUSTUS SCALIGER,

Galliæ natales, fortunam Belgio debet, in quo diu admodum verſatus, Academiam præſertim Lugduno-Batavam eruditione ſuâ illuſtravit. Natus Agenni in Provincia Aquitaniæ IV. Auguſti 1540, patre *Julio-Cæſare Scaligero*, qui ſtemma ſuum à Principibus de Scala Veronenſibus deducebat (de quo lege curioſa quædam inter Menagiana Tomo 2. pag. 326. edit. Pariſ. 1715.)

Puer, unà cum fratribus Burdigalam miſſus, triennium primis elementis Latinitatis operam dedit. Inde peſtilentiâ exactus, ad patrem ſe recepit, qui quamdiu apud eum fuit, quotidie declamatiunculam ab eo exigebat, facto argumenti arbitrio, quod ex aliqua hiſtoriuncula peteret. Hac exercitatione, & uſu ſtili quotidiano, latinè ſcribere aſſuevit.

Quia vero verſus patris excipiebat, ex hac neceſſitate aliquem poëtices ſaporem imbibit. Tragædia Ædipi primus fuit ingenii vernantis fetus; in quam (quantum ætas illa patiebatur) omnia poëtices ornamenta & verborum delectum impenderat.

Anno ætatis XIX, cum jam vitâ functus pater eſſet, Lutetiam petiit, litterarum græcarum amore; quas qui neſciret, omnia neſcire putabat. Operam primam dedit Adriano Turnebo, dein muſæo incluſus, ſe-ipſo magiſtro didicit. Poſt biennium à Græcis tranſiit ad litteras Hebraicas, quas pari felicitate ſeſe docuit. Sunt &, qui tredecim diverſa idiomata Scaligerum calluiſſe affirment.

Multa verſu in vario ſermone luſit; multa in Authores diverſarum linguarum obſervavit; è quibus Variorum, Antiquarum lectionum, Miſcellaneorum, & aliorum hujuſmodi libros concinnare potuiſſet: ſed hæc talia ab aliis edi, quam à ſe, maluit. Ut tamen ipſi vigiliarum ſuarum conſtaret ratio, interpretandos & emaculandos Autores integros ſuſcepit: nulluſque pene fuit Bibliothecæ ejus liber, ſive Græcus ſive Latinus, in cujus margine non plura notârit. Id probant libri ex legato ejus Bibliothecæ publicæ Lugduno-Batavæ relicti.

Anno 1563 in contubernium ſeſe dederat *Ludovico de Chataigner de la Rochepoſay*, dein Pictavorum Epiſcopo; ex illoque tempore vix ullum à peregrinationibus vacuum tempus habuit: donec in Academia Batava quietis ſedem invenit, ad quam venit, Curatorum vocatu, anno 1593. Hanc cum per annos XVI. nominis ſui famâ, non quidem publicè docendo, ſed multa ſcribendo, illuſtraſſet, ex hydrope obiit, celebs die 21 Januarii 1609. ætatis anno LXVIII. pro funere laudatus à Dominico Baudio. Mortuo Monumentum ex marmore poſuerunt Curatores Academiæ in templo B. M. V. nunc Calviniſtarum Gallorum, cum hac Inſcriptione.

Deo opt. max. Sacrum,
Et æternæ Memoriæ
JOSEPHI JUSTI SCALIGERI,
Jul. Cæſ. à Burden F.
Principum Veronenſium Nepotis,
Viri, qui invicto animo,
Unà cum parente, Heroë maximo,
Contra fortunam adſurgens,
Ac jus ſuum ſibi perſequens,
Imperium majoribus ereptum,
Ingenio excelſo, labore indefeſſo,
Eruditione inuſitatâ,
In Literaria Republica
Quaſi fataliter recuperavit.
Sed præſertim ejuſdem modeſtiæ,
Quod ſibi fieri vetuit,
Iidem, qui in Urbem hanc vocarunt,
Curatores Academiæ ac Urb. Coſſ.
Hoc in loco Monumentum
P. E. L. C.

Digitized by Google


IOSEPHVS IVLIGER

Digitized by Google

Ipſe ſibi æternum
In animis hominum reliquit.

Tanta fuit Scaligeri fama & eruditio, ut certatim omnes eum laudibus cumularent: quin & ſubinde *eruditionis abyſſus*, *oceanus ſcientiarum*, *naturæ miraculum* audiit. Verum ſcientiâ inflatus, aſpernabatur Scriptores paſſim omnes, non modo coætaneos, ſed & Veteres S. Eccleſiæ Patres, *Hieronymum & Epiphanium ignaros*, *Chryſoſtomum ac Baſilium ſuperbos*, *Origenem Somniatorem*, *Thomam Aquinatem Sophiſtam & paralogiſmorum divenditorem* appellans.

Operum Scaligeranorum Catalogum bene longum exhibet P. Niceron in Notitia Authorum illuſtrium Tomo XXIII. pag. 279. unà cum obſervationibus lectu dignis.

Inter hæc eminet *Opus de Emendatione Temporum*, editum fol. Pariſ. 1583. dein caſtigatius & auctius, cum Veterum Græcorum fragmentis ſelectis, ac Notis, Lugd. Bat. 1598. fol. ac tertiò Genevæ 1609. Prohibitum Romæ, donec emendetur.

*Epiſtolæ ejus* à Daniele Heinſio collectæ. Leidæ 1627. in 8. & anno ſequente Francof. ſimiliter prohibitæ, donec corrigantur.

*Epiſtola de vetuſtate & ſplendore Gentis Scaligeræ*, *& Julii Cæſaris Scaligeri* (patris ſui) *Vita*. 4. Lugd. Bat. apud Raphelengium 1597.

*Opuſcula varia*, collecta per Iſaac. Caſaubonum Pariſ. 1610. 4. item Francof. 1612. 8.

*Elenchus Tribæreſii Nicolai Serarii*. Extat etiam cum Jo. Druſio de Sectis Judaicis.

*Annotationes in Euangelia*, *Actus Apoſtolicos*, *Epiſtolas & Apocalypſin*, unà cum *Diſſert. de Decimis*, extant inter Criticos ſacros Pearſonii.

*De Veteri anno Romanorum*: extat in Theſauro Antiquit. Roman. Grævii, Tomo VIII.

*De re Nummaria*: extat in Theſauro Antiquit. Græcarum Gronovii, Tomo IX.

*Notitia Galliæ*, extat inter Commentarios Julii Cæſ. edente Arn. Montano. Amſtel. 1661. item inter Scriptores Francicos Du-Chenii Tomo I.

*Indices XXV. in Inſcriptiones Jani Gruteri*: extant cum iiſdem.

*Scaligerana*, ſive argutè à Joſ. Scaligero dicta, quæ ſimul cum *Perronianis*, ex Bibliotheca Iſaaci Voſſii prodierunt Hagæ-Com. 1666. in 8. item Coloniæ 1667. Poſtea ex Bibliotheca Tanaquilli Fabri prodierunt illa, quæ dicuntur *Scaligerana prima*. Groningæ 1669. in 12. His adduntur *Scaligerana altera*, quæ priùs prodierant. Originem horum Scaligeranorum adſcribunt *Joanni & Nicolao Vaſſan*, nobilibus Gallis, Petri ac Franciſci Pithæorum nepotibus; qui dum in Lugdunenſi apud Batavos Academia ab ore Scaligeri penderent, ſedulo notaverunt, quæ Scaliger eloqueretur. Sed multa in his injurioſa, multa tam inepta, ut ipſo Scaligero indigna habeantur: unde non dubitant eruditiores, quin multa malignè fuerint intermixta.

Denique *Commentarii*, *Interpretationes*, *Notæ & emendationes in pleroſque Authores Veteres*, quorum ſeriem vide apud P. Niceron, loco ſupra-citato.

## JOSEPHUS RIVIUS,

Brabantus, Canonicus Præmonſtratenſis ex Abbatia Tungerloënſi in Campinia; per annos ſeptem ibidem Prior, dein Paſtor zeloſus in Druenen & Poppel. Vivere deſiit die 23 Octobris 1666. ætatis anno 60. profeſſionis 36. Quæ vivens ſermocinatus fuerat, poſt mortem ejus prodierunt vernaculè, hoc titulo,

*Annulus Chriſtianus, ſive novi Sermones Catholici in Evangelia dierum Dominicorum Feſtorumque totius anni*. Fol. Ant-

verpiæ apud Hieronymum Verduſſen 1668.

## JOSQUINUS A PRATO,

Vulgo *Joſquin de Prez*, Muſicorum ſui ſæculi facilè princeps, vir Eccleſiaſticis & Magnatibus gratus, compoſuit, teſte Swertio in Athenis Belgicis, *Cantilenas varias ſacras, quas Motetas vocant, & profanas.* Antverp. typis Tilmani Suſati anno 1544. Quidam illi hoc epitaphium ſcripſit, quod Bruxellis in D. Gudilæ extitit ante Iconoclaſtiam.

*O mors inevitabilis,*
*Mors amara, mors crudelis,*
*JOSQUINUM dum necaſti,*
*Illum nobis abſtuliſti;*
*Qui ſuam per harmoniam*
*Illuſtravit Eccleſiam.*
*Propterea dic tu Muſice,*
*Requieſcat in pace. Amen.*

Gerardus Avidius, Noviomagus, Præceptori ſuo,

*Muſæ, Jovis ter maximi*
*Proles canora, plangite,*
*Comas cypreſſus comprimat,*
*JOSQUINUS ille, ille occidit,*
*Templorum decus,*
*Et veſtrum decus.*
*Severa mors & improba,*
*Quæ templa dulcibus ſonis*
*Privas, & aulas Principum,*
*Malum tibi quod imprecer,*
*Tollenti bonos,*
*Parcenti malis?*
*Apollo ſed necem tibi*
*Minatur, heu mors peſſima,*
*Inſtructus arcu & ſpiculis,*
*Muſaſque ut reddant commovet,*
*Et laurum comis,*
*Et aurum comis.*
*JOSQUINUS (inquit) optimo*
*Et maximo gratus Jovi,*
*Triumphat inter cœlites,*
*Et dulce carmen concinit,*
*Templorum decus,*
*Muſarum decus.*

## ISAACUS BULLART,

Roterodami natus die v. Januarii 1599, patrem habuit Antonium, ſpectatâ inter Roterodamos Batavos familiâ oriundum: matrem Mariam Wilckens, è patriciâ apud Colonienſes familia, & Cardinali Guil. Enkevortio ſanguine junctam. In tenera ætate patre orbatus, piâ matris ſolicitudine è Batavis Burdigalam in Galliâ miſſus eſt, ut procul à locis Calviniană hæreſi infectis veræ fidei pietatiſque documenta ſimul cum litteris humanioribus hauriret. Inde Bruxellas adiit, ibique ætate maturior uxorem duxit Annam Franciſcam De Bruyns, Andreæ filiam, è Juliacenſi Ducatu oriundi. Sub idem tempus Wenceſlaus Cobergius Montes Pietatis in Belgio, faventibus Archiducibus Alberto & Iſabella erexerat. Hic autem Iſaaco Bullart affini ſuo Præfecturam Montis Pietatis apud Atrebates inſtituti anno 1629. conceſſit, qui proinde larem familiamque eò tranſtulit. Paulo poſt à Maximiliano Burgundo celeberrimi Monaſterii Vedaſtini Abbate officio Magni Prætoris per Artheſiæ Comitatum donatus eſt. Equeſtri etiam dignitate in Ordine Militari ſancti Michaëlis, per litteras Reginæ matris Ludovici XIV. tertiâ Aprilis 1647. datas, honoratus. Virtutem tamen probitatemque cunctis honoribus præferens, cum per annos 72. laudabiliter vixiſſet, magno ſui relicto deſiderio Atrebati obiit ipſo Paſchatis die 17. Aprilis 1672, ſepultus unà cum conjuge in æde Parochiali Stæ. Crucis, ante aram Sacelli B. M. V. de Fide, appoſito ſequenti Epitaphio.

Bibliothecam ſibi collegerat exquiſitam, & inter ſcriptores veteres *Plutarchum*

*chum* æmulatus, *Paulumque Jovium* inter recentiores, ſcripto laudare aggreſſus eſt viros in omni ſcientia arteque illuſtriores. Quod opus, cum in majorem plurium voluminum molem excreviſſet, multis etiam Ronſardi aliorumque ſuperioris ævi Poetarum verſibus illuſtratum, *Jacobus Ignatius Bullart*, Atrebas, Iſaaci filius, in duo volumina contraxit, Bruxellis edita, fol. cum fig. apud Franc. Foppens 1683. hoc titulo: *Academie des Sciences & des Arts &c.* ſuppoſito licet typo Amſtelodamenſi.

D. O. M. S.
Hic jacet Vir Nobilis
D. ISAACUS BULLART,
Roterodamus,
Qui ab aliquot Patriciis
Colonienſibus, aliiſque primariis
In Hollandia Viris
Genus ſuum ducens,
Iſti ſuæ gloriæ
Majorumque ſuorum ſtemmatibus
Vitę integritatem ſemper prætulit,
Cum qua, per ſecunda pacis
Et per adverſa belli tempora,
Montis pietatis
In Atrebatibus Præfecturam,
Primùm ſub Rege Catholico,
Poſtmodum ſub Rege Chriſtianiſſimo
Per annos XLIII. digne & fideliter
Geſſit, ſolatio populi,
Magis quam ſuo fructu:
Pulcherrimam ſibi eſſe mercedem
Virtutem ipſam judicans.
Nimia demum ſanguinis emiſſione
Debilitatus ac febre correptus,
Laboribuſque fractus,
E vita exceſſit ipſo die Paſſchæ
Menſis Aprîl. die XVII.
An. M. D. C. LXXII.
Ita ut non tam obiiſſe dici poſſit,
Quam reſurrexiſſe cum Chriſto,
In æternum cum illo victurus.
Vixit an. LXXII. menſ. III. d. XII.
R. I. P. Amen.

## ISAAC DE MALMEDY,

Leodienſis, edidit gallicè *Tractatum, ſeu brevem Diſcurſum de Origine ac genealogia Domûs Croïacæ in Picardia.* 8. Pariſ. 1566.

## ISAACUS VANDER MYE,

Delphenſis Batavus, è Societate Jeſu, Poëta elegans, nec non per annos 25. Miſſionarius in patria, denatus ibidem 7. Junii 1656.

Scripſit ſub nomine Daphnidis *Idyllium* de morte elegantiſſimi Poëtæ Caſparis Kinſchotii. 12. Lugd. Bat. 1650.

Item *Muſas Paræneticas* Kal. Anni 1648. 4. Roterod.

## ISAACUS VOSSIUS,

Lugduni apud Batavos natus eſt anno 1618. patre *Gerardo Joanne Voſſio*, Theologiæ Hiſtoriarumque Profeſſore, nulli inter ſuos ſecundo; matre *Eliſabetha Junià* (vulgo *du Jon*) *Franciſci Junii*, J. C. celeberrimi ſorore. Unicus inter plures liberos patri ſuo ſuperſtes, non alium præter eum ſtudiorum morumque formatorem habuit. Tantùm itaque ſub tam erudito magiſtro in græcis hebraïcis latiniſque litteris profecit, uti & in Juridicis, hiſtoricis, politiciſque diſciplinis, ut patri ſuo non impar evaſerit.

*Chriſtinæ* Suecorum Reginæ doctiſſimæ affectum ſibi conciliavit, eamque in græcis Literis didaſcalam habuit. Exempto è vivis parente anno 1649, Amſtelodamenſis Reſpublica *Iſaacum* filium, oblatâ cum ampliore honorario Hiſtoriarum profeſſione publica, ſibi addicere tentavit: aſt fruſtra. Præferebat is dulces Muſæi ſui latebras publico Athenæo. Anno 1663. favorem Ludovici XIV. Gallorum Regis inſignem promeruit, tranſmiſſo per Mini-

ſtrum *Joannem Bapt. Colbertum* honorario pecuniario, annuçque penſionis ſchedulâ; quin & inter Regiæ Scientiarum Academiæ Socios Pariſiis cooptari meruit.

Anno 1670. trajecit in Angliam, Caroli II. Regis benevolentiâ excitatus, qui eum paulopòſt opîmo Windeſorienſis Eccleſiæ Canonicatu remuneravit; ut favoribus honoribuſque accumulatus nullam deinceps extra Angliam ſedem requireret. Vixit itaque tum Londini, tum Windeſoriæ, adſumpto in contubernium avunculo *Franciſco Junio*, Viro literatiſſimo, cui & anno 1678. oculos clauſit. Tandem ſeptuagenario major, è vivis exceſſit die 21 Februarii 1689. ſtylo communi; ſeu (quod perinde eſt) 10. Februarii 1688. ſtylo Anglicano. Bibliothecam habebat locupletiſſimam, multis etiam libris MSS. inſignitam: quam Univerſitas Lugduno-Batava 36000. florenorum precio ſibi comparavit: moxque in Hollandiam tranſtulit, ne forte Anglos præventionis hujus aliquando pœniteret: uti ab eventu patuiſſe, declarat *Baylius* in Epiſtolis.

Plura de *Iſaaco Voſſio* refert P. Niceron in Notitia Virorum illuſtrium Tomo XIII. pag. 127. Operum ejus hæc ſeries.

*Periplus Scylacis Caryandrenſis*, & *Anonymi Periplus Ponti Euxini*, è græco latinè verſa & caſtigata, à Voſſio, ætatis ſuæ anno XXI. Amſtelod. 1639. in 4. Inſerta dein inter *Geographiæ Veteris Scriptores Græcos*, edente Joanno Hudſono, Vol. I. num. 2. & 8. Oxonii 1698.

In *Juſtini Hiſtoriarum ex Trogo Pompeio libros XLIV.* Notas edidit. Leydæ apud Elzevir. 1640. in 12.

*Pomponius Mela de ſitu Orbis*, recenſitus cum Obſervationibus. Hagæ 1658. 4. & Franek. 1701. 8.

*Obſervationum ad Pomponium Melam, Appendix.* Accedit *ad tertias P. Simonii Objectiones Reſponſio.* Subjungitur *Pauli Colomeſii ad Henricum Juſtellum Epiſtola.* 4. Londini 1686.

*Reſponſio ad objecta Joannis de Bruyn & Petri Petit, de Luce.* Hagæ. 1663. in 4.

*De motu marium & ventorum.* Ibid. 1663. 4.

*De Nili & aliorum fluminum origine.* Ibid. 1666. 4

*De Poëmatum cantu & viribus Rythmi.* 8. Oxonii 1673.

*Reſponſio ad objecta nuperæ Criticæ ſacræ.* Leidæ 1680. in 8. Eſt contra P. Richardum Simon, Oratorii Gallici Presb. qui repoſuit: *Caſtigationes Theologi cujuſdam Pariſienſis ad Opuſcula Iſaacii Voſſii &c.*

*C. Valerius Catullus*, & *in eum Iſaaci Voſſii Obſervationes.* Londini 1684. in 4. Notę ſcatent obſcœnitatibus, inſertis etiam locis variis impudiciſſimi Authoris *Adriani Beverlandii de Proſtibulis Veterum.*

*De antiqua Urbis Romæ magnitudine.* Extat in Theſauro Antiquitt. Roman. Grævii Tomo IV. pag. 1497.

*De triremium & Liburnicarum conſtructione.* Ibid. Tomo XII. pag. 705.

*Sententia de Accentibus Græcanicis.* Extat cum Henninio de pronunciatione linguæ Græcæ.

Sequuntur & alia ejuſdem *Voſſii* Opera, per S. Congregationem Indicis Romæ proſcripta: videlicet

*De LXX. Interpretibus eorumque Tralatione & Chronologia, Diſſertationes.* Hagæ-Com. 1661. Lond. 1665. in 4.

*Appendix ad librum de LXX. Interpretibus, ſeu Reſponſiones ad objecta variorum Theologorum.* Hagæ-Com. 1663. 4.

*Chronologia ſacra, ad mentem veterum Hebræorum, & præcipuè Joſephi, expoſita.* 4. Hagæ-Com. 1661.

*Diſſertatio de vera ætate Mundi*, quâ oſtenditur natale mundi tempus annis

Digitized by Google

minimùm 1440. vulgarem Æram anticipare. 4. Hagæ 1659. Oppoſuit eodem anno *Georgius Hornius* ( de quo ſupra pag. 339. ) *Diſſertationem*, quâ Voſſii ſententia refellitur.

*Caſtigationes ad Scriptum Georgii Hornii de ætate Mundi:* item

*Auctarium Caſtigationum ad Scriptum de Ætate Mundi.* 4. Hagæ 1659. utrumque contra eundem Hornium.

*Ad Andream Colvium Epiſtola*; quâ refelluntur argumenta, quæ diverſi Scriptores de Ætate Mundi oppoſuêre. Item *Reſponſio ad objecta Chriſtiani Schotani.* 4. Ibid. 1661.

*De lucis natura & proprietate*, liber Amſtel. 1662. in 4.

*De Sibyllinis, aliiſque quæ Chriſti Nalem præceſſere, Oraculis.* Oxonii 1679. in 8. item Leydæ 1680. in 12.

*S. Ignatii Epiſcopi Antiocheni Epiſtolæ, item S. Barnabæ Apoſt. Epiſtola, Græcè & Latinè, cum Notis*: ex fide ſinceri Codicis MS. in Bibliotheca Medicæa Florentina reperti. 4. Amſtelod. apud Jo. Blaeuw. 1646. item Londini 1680. in 4. Notæ per S. Congregationem Indicis Romæ prohibitæ ſunt.

*Epiſtolæ duæ ad Rivetum, pro Epiſtolis S. Ignatii, adverſus Davidem Blondellum*, qui veluti ſuppoſitias rejecerat. Extant cum *Joannis Pearſonii Vindiciis Epiſtolarum S. Ignatii.* Cantabrig. 1672. in 4.

*Variarum Obſervationum liber.* 4. Londini 1685. cui plures è præcitatis *Iſaaci Voſſii* Tractatibus denuo inſeruntur.

Extat inter *Opera poſthuma Mabillonii*, eruditiſſimi inter Gallos Benedictini, Pariſiis edita 1724. Tomo II. *Votum D. Joannis Mabilloni, de quibuſdam Iſaaci Voſſii Opuſculis*; quippe is anno 1685. Romę exiſtens, & à Cardinale Caſanata ad Congregationem Indicis invitatus, Scripto iſto tentavit quaſdam Voſſii ſententias Cenſurę ſubducere: ſed irrito conatu.

## ISBRANDUS DE DIEMERBROECK,

Monte-forti, Ultrajectinæ Provinciæ oppidulo natus die 23. Decembris 1609. in Academia Ultrajectina per omnes ſtudiorum gradus ad Doctoratum in Medicina promotus eſt. Ac primò quidem conſtitutus 1649. 8 Junii Profeſſor Anatomię extraordinarius, dein Medicinæ ordinarius die 14. Aprilis 1651. Huic quoque Academiæ Rector ſecundò præfuit; neque in Theoria ſolùm excelluit, ſed & in Praxi medica. Vivere deſiit Ultrajecti die 7. Novembris 1674; pro funere laudatus à Joannes Georgio Grævio, Eloquentiæ Profeſſore. Ediderat

*Anatomen Corporis humani* plurimis novis inventis *inſtructam, variiſque Obſervationibus & Paradoxis cum Medicis tum Phyſiologicis adornatam.* 4. Ultrajecti 1672. Genevæ 1679. Lugduni Batav. 1679. &c. Item gallicè Lugduni Celtarum 4. ex traductione *J. Proſt* Doctoris Medici Lugdunenſis, anno 1695.

*Tractatum de Peſte, Libris IV. truculentiſſimi Morbi hiſtoriam ratione & experientiâ adornatam exhibentem.* 4. Arnhemii 1646. Amſtelodami 1665.

*Tractatum de Variolis & Morbillis.*

*Obſervationum & Curationum Medicarum Centuriam.*

*Diſputationes Practicas, de Morbis capitis & Thoracis.* 12. Ultraj. 1664.

Quæ omnia Opera, priùs ſparſim edita, ſed pluribus locis ab ipſo Authore emendata & aucta, partim etiam nondum edita, ſimul collegit, atque poſt obitum parentis diligenter recognita, primùm Ultrajecti anno 1685. in folio, dein in 2. Volum. in 4. Coloniæ Allobrogum, ſeu Genevæ edi curavit anno 1687. *Timannus de Diemerbroeck, Isbrandi* filius, Medicinæ Doctor & Reipublicæ Trajectinæ Poliater.

## ISIDORUS A S. DOMINICO,

In ſæculo dictus GISLENUS BULTEEL, natus Ipris anno 1591. Ordinem FF. Carmelitarum diſcalceatorum profeſſus Bruxellis anno 1618. Theologus fuit & Orator facundus, græcæ æquè ac latinæ linguæ peritus. Anno 1656 electus Ordinis ſui Præpoſitus Generalis, Romæ, diem illic clauſit extremum anno 1668. Tranſtulit latinè ex hiſpanico *Opuſcula S. Joannis à Cruce.* Coloniæ 1639.

## ISIDORUS A S. JOSEPH,

Dunkercanus, ex Ord. Carmelitarum Diſcalceatorum, Prioris, Procuratoris ac Definitoris generalis officiis inclytus, virtute ac doctrinâ clarior, Romæ obiit anno 1666. Edidit

*Vitam V. P. Joannis à Jeſu Maria*, qui hunc Diſcalceatorum Ordinem in Belgio propagavit. Prodiit Romæ 1649.

*Epiſtolas ſpirituales ac myſticas ejuſdem P. Joannis à Jeſu Maria.* Ibid. eodem anno.

Operam quoque contulit edendo Tomo I. *Hiſtoriæ generalis FF. Carmelitarum Diſcalceatorum* &c. qui prodiit Romæ 1668.

## JULIANUS AURELIUS DE HAVRECH,

Leſſinienſis, J. U. Doctor, poſt obitas Gallicas Academias in ſupremo Conſiſtorio Machlinienſi cauſarum patronus, dein Philippo Crojaco, Duci Arſchotano, ejuſque filio Carolo à conſiliis, ſcripſit eruditè

*De Cognominibus Deorum Gentilium* libros III. Antver. 1541. Baſ. typis Oporini, 1543. & auctiores Lovanii, 1569. 8. apud Rutgerum Reſcium.

*Commentarium & Paraphraſin in duas priores Horatii Satyras.* Antver. 1541. in 8. typis Ant. Goini.

*Declarationem ad L. Juris-gentium §. Quin-imo ff. de Pactis*, editam Pictavii 1538. in 8.

## JULIANUS FOSSETIER,

Presbyter, patriâ & habitatione Athenſis, ſcripſit vernaculo ſermone volumen ingens

*De vita Chriſti*; ſive *Opus Commentariorum & Declarationum in IV. Euangeliſtas*, abſolutum anno 1520. & dicatum Magaretæ Auſtriacæ, quæ tum Belgium pro nepote Carolo V. moderabatur; cujus ſeſe Hiſtoriographum ſcribebat (Gallicè hoc titulo utens, *Cronicqueur & Judiciaire de treſpuiſſant Prince Don Charles* &c.) Legitur manuſc. ad S. Martinum Tornaci.

Item *Epitomen omnium Chronicorum*, ſimiliter gallicè, hoc titulo: *La Chronique Margueriticque où Atheſienne, où Recœuil univerſel de toutes Chroniques.* MSS. in Cœnobio Camberonenſi, Ord. Ciſtertienſis apud Hannones.

## JULIANUS GRAND-AMI,

Sanct-Odomarius Artheſius, ſcripſit *Orationem funebrem in obitum Alphonſi Contreras*, Ord. Prædicat. Duci Albano à Confeſſionibus, habitam Lovanii, 1569. die XXIII. Decemb. editam typis Plantini 1570. in 8.

*Carmen in obitum Gabrielis Manrique*, Hiſpani, ad Groningam interfecti: item *Encomium Cæſaris de Avalos*, Vice-Regis Siciliæ. Ibid.

## JULIANUS HASSARD,

Angienſis, Hanno, Ord. B. M. Virg. de monte-Carmelo, Antiquitatis & Hiſtoriæ cùm ſacræ tum etiam profanæ ſtudioſiſſimus, ſcripſiſſe quę-

dam fertur, verum hactenus non visa; veluti

*Thesaurum Ord. Carmelitarum.*

*Fontem Eliæ magni.*

*Chronica Hannoniæ, Flandriæ, Hollandiæ &c.*

*Sermonum* libros III.

Obiit anno 1525. in Conventu suo Angiano, tunc extra urbis muros sito: hodie ruinæ & rudera sunt.

## JULIANUS DE LIGNE,

Presbyter Cameracensis, edidit Duaci *Tabulam Monasticam.*

*Tabulam ad præparationem & dignam Missæ celebrationem.* Adornarat etiam *Tabulam de Sanctis*, qui contra pestem invocantur. Item

*Chronologiam brevem Sanctorum* illorum, quorum in Canone Missæ fit mentio. Sed hæc edita non sunt.

## JULIANUS WAUDRÆUS,

Hanno-Montensis, celebris Scholæ seu Collegii Houdani apud suos Præfectus, & ad S. Germanum Canonicus, ab anno 1629. usque ad 1650. quo obiit. Erat in versibus pangendis facilis ac venustus, ediditque gallicè

*Epigrammatum* libros III. Montibus, typis Lucæ Rivii, 1618. 16.

*Elegos Morales.* Ibid. 1626.

*Psalmos Davidicos*, metro, *Theatrum mortis*, & alia plura. Hoc sibi Epitaphium vivens scripsit.

*Jam quod es, ante fui: jam sum cinis, umbra minusque,*
*Tu quod es, & quod ego, simul omnia subjice puncto:*
*Omnia prætereunt. Nos ivimus, ibitis, ibunt.*

## JULIUS A BEYMA,

Doccumi in Frisia natus, Jurisprudentiam Lovanii didicit, titulumque Licentiati Aureliis in Gallia adeptus est. Hinc Jura docuit in Academia Wittembergensi, inde in Lugduno-Batava & in Franekerana; ac tandem Comes Palatinus Cæsareæ Majestatis, & in suprema Frisiorum Curia ordini Senatorum adscriptus, vivere desiit anno 1598. ætatis suæ LIX. Reliquit Tractatus de Jure varios, quos filius ejus *Lambertus à Beyma*, J. C. Collegio Deputatorum Frisię à secretis edi curavit; nempe

*Commentaria de Pignoribus & Hypothecis, de Usuris & Fructibus; de acquirenda & retinenda Possessione; de duobus Reis, de Mora; de eo quod interest, de de obligationibus* &c. 4. Leovardiæ apud Claudium Fontanum, 1645.

*Commentaria in Titulum de Verborum Significatione, & de diversis Regulis Juris antiqui; uti & Tractatum de Moderamine inculpatæ Tutelæ & de Legitima.* 8. Leovardiæ apud eundem Fontanum 1649.

*Commentaria ad Institutiones Juris Justinianæas.*

*Tractatum Methodicum in universam Materiam Contractuum.*

## JULIUS CÆSAR DE LA COULTURE,

Bruxellensis, Societ. Jesu, à Belgio in Bohemiam missus, docuit ibidem Rhetoricam, Theologiam Moralem & Controversias, rexitque Collegia Novodomense & Wratislaviense. Obiit Wartembergæ dic 9 Augusti 1651. Edidit

*Demonstrationes Catholicas, quod Lutherana Ecclesia dissentiat in essentialibus Fidei articulis à primitiva vera Apostolica Ecclesia.*

*Spectacula Christianorum Heroum*, Ferdinando IV. electo Romanorum Regi in applausum à Collegio Pragensi oblata. Fol. Pragæ 1653.

*Orationes* item *varias, & Controversias.*

## JULIUS CHIFFLETIUS,

*Joannis Jacobi* in Aula Belgica An-

chiatri filius, Burgundio, juventutis annos in Academia Lovaniensi exegit, ubi & *Ericium Puteanum* in politiore litteratura atque Historiis, & Virum Clariss. *Diodorum Thuldenum* in utroque Jure præceptores coluit, & Bruxellæ in Hebraicis Professorem habuit Mantuanum quemdam, natione Judæum, professione Catholicum.

In Metropoli Vesuntionensi Canonicatum adeptus, uti & Prioratum Domûs Petri, sive Donnæ-Petræ in Sequanis, supremâ quoque J. U. laureâ in Academia Dolana decoratus fuit anno 1646. Constitutus insuper Cancellarius inclyti Ordinis Aurei Velleris, per litteras Philippi IV. Hispan. Regis, datas Matriti die 28. Martii 1648. ac tandem Archiepiscopi Claudii d'Achey & Sedis Bizuntinæ dein vacantis Vicarius Generalis. Vivere desiit circa annum 1670. Descripsit

*Audomarum obsessum & liberatum anno* 1638. Antverp. typis Plant. 1640. in 12.

*Commentarium de Cruce Andreana in Arienſi obſidione cælitus oſtenſa*; eisdem typis 1642. in 12.

*Traité de la Maiſon de Rye.* (1644.) in fol.

*Hiſtoire du bon Chevalier Jaques de Lalaing Frere de l'Ordre de la Toiſon d'or, écrite par George Chaſtellain, & mis nouvellement en lumiere par Jules Chiffler.* 4. Bruxellis 1634.

*Le voiage du Prince Don Ferdinand Infant d'Eſpagne & Cardinal & ſes expeditions, juſqu'à ſon entrée à Bruſſelle &c. Traduit de l'Eſpagnol.* 4. Antv. 1635.

*Les Marques d'honneur de la Maiſon de Taſſis*, fol. Antverpiæ typis Plantin. cum fig. 1645.

*Avis de Droit ſur la nomination à l'Archeveché de Beſançon, en faveur de Sa Majeſté.* 4. Vesuntione 1663.

*Aula ſacra Principum Belgii, ſive Commentarius Hiſtoricus de Capellæ Regiæ in Belgio principiis, Miniſtris, ritibus atque univerſo aparatu. Accedunt pro eadem Capella ſacræ Conſtitutiones, & Diarium Officii, Alberto & Iſabello Principibus.* 4. Antverp. typis Plantinianis 1650.

*Breviarium Hiſtoricum Inclyti Ordinis aurei Velleris.* 4. Antverp. typis Plantin. 1652.

Porrò *Julius Chiffletius* fratres habuit *Joannem*, Cathedralis Eccleſiæ Tornacenſis Canonicum, *Philippum*, Abbatem Balernenſem, *Petrum Franciſcum*, & *Laurentium*, Societatis Jesu Presbyteros &c. omnes pariter eruditos, de quibus suo loco.

## JUSTINUS COLIER,

Batavus, Fœderatorum Belgii Ordinum ad magnum Turcarum Sultanum Legatus; inde redux in patriam, evulgavit vernaculè, *Diarium itineris ſui, rerumque in hac Legatione geſtarum.* Prodiit Hagæ-Com. 1668. in 4.

## JUSTUS AB ASSUMPTIONE,

In sæculo dictus ALEXANDER ROGER, in Oppido Antonienſi juxta Tornacum natus, Ordinem FF. Carmelitarum Discalceatorum professus postmodum, S. Th. Lector fuit Lovanii, Prior autem Tornaci: re & nomine *Juſtus*. Devotionem suam erga SS. Eucharistiæ Sacramentum testatam reliquit, opere inscripto

*Manna communicantium piiſſimas Meditationes continens, per modum Colloquii melliflui, Chriſtum inter & animam; nomine diſcipuli ad ſacras epulas ſe præparantis.* 4. Duaci 1660. Tomi II. iterumque Bruxellis 1677.

Accessit *Tractatus de frequenti Confeſſione & Communione*, contra Neotericos; gallicè etiam translatus: uti & *Spiritualia decem dierum Exercitia*, Insulis impressa.

Dum autem tertiæ editioni *Mannæ Communicantium* incumbit *P. Juſtus*, coronam juſtitiæ recepit à juſto Judice die 8. Octobris 1679. æt. 67. profeſſ. 46. Sacerd. 39.

## JUSTUS BALBIANUS,

Aloſtanus Flander, Doctor Medicus, Gaudæ inter Acatholicos vixit, & ipſe Calvinianis imbutus erroribus. Edidit

*Novam rationem Praxeos Medicinæ*, libris III. Venet. 1600.

*Tractatus VII. De Lapide Philoſophico*, à ſe collectos, & emendatos; typis Plant. apud Raphel. 1600.

In templo primario Gaudæ extat hoc ejus Epitaphium.

„ Singulos dies, ſingulas vitas pu-
„ ta. *Juſti à Balbian*, Flandri, Aloſta-
„ ni, Philo-Chymici, ejuſque here-
„ dum Sepulchrum. Ille heri, ego
„ hodie, tu cras. Obiit anno 1616.

## JUSTUS BLANCWALTIUS,

Antverpianus, S. Theol. Licentiatus Colonienſis, Canonicus in patria, edidit *Modum placandæ iræ divinæ hoc tempore*. Antver. 1588. 8. Obiit Antverpiæ anno 1600. die XIX. Martii.

## JUSTUS HEURNIUS,

Ultrajectinus, Joannis filius, Otthonis frater, qui ambo Medicinæ Doctores ac Profeſſores Academiam Lugduno-Batavam egregiè exornarunt, ſcriptis itidem clari. Ipſe autem Calviniſtarum Miniſter anno 1620. in oppidulo *Wyck-te-Deurſtede*, zeloſus ſuæ ſectæ promotor, eam quoque ad remotiores orbis partes propagari deſideravit, mediaque ſuggeſſit Rerum Indicarum Curatoribus, hoc libro,

*De Legatione Evangelica ad Indos capeſſenda, Admonitio.* Lugd. apud Elzevir 1618. in 8. Prohib. Romæ.

## JUSTUS JUDOCUS DECULEO,

Vulgò DE CUYLE, Cortracenſis, *Joannis* filius, adoleſcens admodum è Belgio diſcedens bellis infeſto, relictaque Flandriâ ſuâ, fanaticorum hominum libidine tunc fœdè defloratâ, primò Galliam adiit, & in familia vixit Nob. Viri *Augerii Giſleni Busbequii*. Hinc Italiam petiit: inde in Burgundiam venit, & Veſontione litteras politiores docuit: in Dolana verò Academia etiam Philoſophiam regio honorario profeſſus eſt. Juris ſumpto titulo anno 1584. in patriam revertitur. Edidit

*Orationes* VII. Dolæ habitas: *Epiſtolas* aliquot, & miſcelli generis; excuſa Antverp. apud Hieron. Verduſſium, 1613. 12.

## JUSTUS HARDUINUS,

*Franciſci* Filius, Gandavi naſcitur anno 1582. die XI. Aprilis. Amœniſſimi ingenii Poëta fuit, rythmo præſertim vernaculo, eoque puro, rejectis vocabulis exoticis & Galliſantibus, ac certis numeris legibuſque adſtricto. Quo in genere excellunt ingenui *Roſemondæ ignes*: itemque *Amores ſacri anhelantis ad ſponſum ſuum in Canticis Canticorum ſponſæ*.

Edidit & *Cantica ſpiritualia*, præcipuis anni Feſtivitatibus accommodata. Gandavi, typis Joan. Kerckhovii.

Item *Lapſum & Pœnitentiam Regis Davidis*. Ibid.

Denique *Pia Deſideria Hermanni Hugonis* rythmis vernaculis expreſſit.

Dedit & Lipſius inſigne de hoc Harduino teſtimonium; quod ad perennem memoriam evulgandum judicavit Franc. Swertius in Athenis Belg.

*Moribus antiquis res ſtat Romana virisque.*

Digitized by Google

*Et patrem tuum amore*, JUSTE, *juſto*
*Dudum proſequor*, *eruditione*
*Hæc varia meritum*, *elegantiâque*
*Morum atque ingenii. Amore* JUSTE, *juſto*
*Et te proſequor hoc parente natum*,
*Si veſtigia conſequi parentis*
*Porro pergis*, *& eruditione*
*Hunc refers*, *ſimul elegantiâque.*
*Tu fac*, *& faciam*; *manu ecce ſigno.*
JUSTUS LIPSIUS
Lovanii, Idib. ſextilib. M.D.C.V.

## JUSTUS LIPSIUS,

Natus in Iſcano municipio ( quod pari à Palatina urbe Bruxella & Brabantiæ metropoli Lovanio trium milliarium intervallo diſtat ) anno 1547. xv. Kal. Novembris, *Ægidio Lipſio* & *Iſabellâ Petiriviâ*, parentibus majoribuſque Bruxellâ oriundis, & patriciæ ſtirpis.

Puer annorum decem Athum (Hannoniæ opidum eſt, quam propterea diatribam pueritiæ ſuæ nuncupat *Lipſius*, Cent. I. ad Belgas, epiſt. 90. ad *Petrum Jardinum*, ejuſdem Scholæ Rectorem, ſcribens ) à parentibus deſtinatus, vix duodecennis cœpit ingenii ſui dare ſpecimen, carmen pangere, orationes ſcribere & habere, *pueriles ſcilicet*, ut de ſe Centuriâ II. miſcel. epiſt. ad Abrah. Mylium ſcribit, *ſed quas gravior etiam ætas laudaret in illa ætate.*

Atho Coloniam miſſus fuit Philoſophicis præceptis inbuendus: verùm è medio curſu abreptus, & Lovanium evocatus, quod in Philoſophia Phyſiciſque reliquum fuit, pari animi contentione didicit & abſolvit anno 1565. in Lilienſi Gymnaſio.

In Trilingui deinde Buſlidiano litterarum atque Antiquitatis ſtudiis ampliùs animum cœpit adjicere, *Cornelio Valerio* ductore: potiſſimùm tamen ſcientiæ Politicæ atque Ethicæ illum amor cepit, animo cùm formando tum firmando. Nec interim Juriſprudentiæ omiſit ſtudia, quibus imbutum optabant parentes & Reipublicę adminiſtrandæ admotum iri. Verùm magis magiſque Antiquitatis illum amor & ſtudium tenuit, maximè parentibus fato abreptis. Cœpit ergò vix novemdecennis cogitare de honeſta aliqua ἀποδημια capeſſenda, ſed non niſi ingenii ſui facto periculo ac tirocinio, editiſque *Variarum Lectionum* libris.

Primùm in Italiam iter inſtituit, & in doctiſſimorum ac Principum virorum familiaritatem ſeſe penitùs inſinuavit, eâ integritate morum, ſuavitate ſermonis & conſuetudinis, ut, diſcedente illo, multi ægrè paterentur avelli ſe ab adoleſcente & optimo & doctiſſimo. Id certè M. Ant. Muretus Corn. Valerio ſcribens ingenuè teſtatus eſt. Vixit Romæ in familia *Antonii Perrenoti*, Cardinalis Granvellani, eidem ab Epiſtolis Latinis.

Lovanium redux, vix annum ibi ſubſtitit. Altera ergò Germanica fuit peregrinatio: quâ Burgundiam & in ea Dolam, Sequanorum Academiam, Auſtriam, & hìc Viennam Cæſaris aulam & Academiam luſtravit. Profeſſionis publicæ ac doctrinæ ſpecimen dedit in Jenenſi apud Saxones Academia, dum in patriam cogitat miſerè afflictam.

Ad ſuos revertens Coloniam divertit, & menſes inibi novem moratur, ductâ ibidem uxore *Annâ Calſtriâ*, è patriciis Lovanienſibus ortâ: ( ſed ſupra modum moroſâ, quæque adeo fortunæ mariti ſui non parvum obicem poſuiſſe perhibetur. ) Hac comite Lovanium reverſus, in Iſcano primùm ſuo paulliſper ſubſtitit, ſed nulla hìc quies: hinc in Academiam migravit, & Juriſconſulti accepto titulo, Leges Decemvirales ac Regias interpretatus eſt. Sed nec hìc diuturnam ac quietam invenit vitæ

Clarissimus Iustus Lipsius Historiographus Regius Professor
Ant. van Dyck pinxit Consiliarius &c. ... t de Boulenois sc



vitæ ac ſtudiis ſedem, in iſtis rerum turbis & procellis : quam ut inveniret, Lugdunum Batavorum ſecedere coactus fuit, Ordinum vocatu & ſtipendio. Hæſit ibidem ac docuit annos tredecim, Calvinianis quidem externè aſſentiens, ſed nullâ ( uti ipſimet faſſi ſunt ) Cœnæ eorum communione ſociatus.

Tandem Batavis ſeſe prudenter cauteque ſubduxit, & pedem extulit locis, in quibus aliàs alia omnia copioſa & benigna. Sed longiùs proſpexit, uti ipſe alibi ad Joannem Brantium ſcribit, & temporis quoque ejus rationem habuit, quod nunc eſt, & in pejus poſt nos erit. Leodicum itaque venit, acidos Spadæ fontes bibiturus, morbo hepatario curando. Bibit, & ſic biennium ferè morbum illum curavit.

Mirum eſt, dum ibi hęret, quantis precibus præmiiſque Pontifex, Reges, Duces, Reſpublicæ, Præſules, aliique Principes *Lipſium* expetierint. Verùm maluit ille redire Lovanium, & eligere hîc vitæ mortiſque ſedem ; præſertim rogatus & evocatus à Brabantiæ Ordinibus, ut Hiſtoriam veterem in Athenæo publico explanaret. Quod, quoad vixit, ſeriò præſtitit, magno audientium ex omni gente, confluxu, vel ſolius *Lipſii* cauſſâ : accedente etiam Principum favore & amore.

*Philippus* enim II. Hiſpan. Rex Catholicus & Belgarum Princeps ab Hiſtoriis eum eſſe voluit ; Sereniſſ. *Albertus* à Conſiliis, in ſanctiori Senatu, quem rerum Status vocant. Fuit *Lipſio* ingenium vividum ac promptum etiam in viridi ſenecta, judicium acre, memoria etiam in puero ſumma, & cum his doctrina uberrima : meritò dubites, an in quoquam mortalium hæc omnia ab aliquot ſæculis majora fuerint.

Profectò dare non potuit de hoc Viro cenſuram magis ex vero & abſque omni fuco atque affectu M. Ant. Bonciarius, homo Italus, cæcus quidem ab oculorum vitio, ſed vel in hac re ſola oculatiſſimus, & multò plus aliis videns, ex eadem gente, qui *Lipſium* deprimere conati, & Solem hunc obſcurare vel Lunæ radiis. Statura *Lipſio* juſta fuit, frons ampla, corpus non ita firmum.

Vixit Moribus Antiquis : in geſtu, cultu, ſermone modicus, diſcipulis & auditoribus familiaris, viris ſummis carus, qui velut cœlo lapſum ipſum ſuſpiciebant. Hinc illa doctiſſimorum Virorum de *Lipſio* elogia, *Amor & delicium generis humani*, *Ocellus & decus Belgicæ*, *Univerſi Phœnix*, *Senatus Litteratorum Princeps*, *Perfectiſſimum rei litterariæ columen*. Petrus Joannes Nunneſius, Hiſpanorum litteratiſſimus, *Florem Litteratorum & ornamentum* vocabat : Erycius Puteanus *Litteraterum optimum* & *Thaletem* ſuum : idemque nomine *Auditoris Lipſiani* in Italia nominis ſui ac famæ auſpicia fecit.

Prodigus verò eſt in laudes Lipſianas Valens Acidalius, Animadverſionibus Curtianis, dum *Lipſium* nominat *Vitiorum omnium domitorem*, *unum Veri aſſertorem*, *legitimæ Criticæ ſolum auctorem*, *Solem Antiquitatis*, *Hiſtoriæ omnis promum & condum*, *Animam Sapientiæ ac Prudentiæ*. Cætera de *Lipſii* Vita Scriptiſque ſingulari Commentario complexus eſt *Aubertus Miræus*, Antverp. Eccleſiæ Decanus.

E vita deceſſit Lovanii, anno Dom. 1606. die 23. Martii, conditus in Æde ſacra FF. Minorum Ord. S. Franciſci : ubi Inſcriptio legitur, quam paucis ipſe verſibus, biennio antè conceperat.

*Quis hîc ſepultus, quæris? Ipſe edifferam.*
*Nuper locutus & ſtilo & linguâ fui,*
*Nunc altero licebit. Ego ſum* Lipsius,
*Cui litteræ dant nomen, & tuus favor ;*

*Sed nomen. Ipſe abivi, abivit hoc quoque,*
*Et nihil hic orbis, quod perennet, poſſidet.*
*Vis altiore voce me tecum loqui?*
*Humana cuncta fumus, umbra, vanitas,*
*Et ſcenæ imago, &, verbo ut abſolvam,*
NIHIL.
*Extremùm hoc te alloquor,*
*Æternùm ut gaudeam tu apprecare.*

JUSTUS LIPSIUS,
*Vixit Annos LVIII. Menſ. V.*
*Obiit anno Chriſti M. D. C. VI.*
*X. Kal. April.*

Sarcophagum marmoreum S. P. Q. Antverpienſis amico veteri & Urbis ſuæ cultori poſuit, hac Epigraphe.

JUSTI LIPSII,
Quod claudi potuit,
Hic jacet.
S. P. Q. Antverpienſis
Incliti viri famæ, orbi notæ,
Virtuti cælo receptę
H. M. P.

Pro Funere dixit *Gerardus Corſelius*, Juris Civilis Anteceſſor. Laudavit Doctorem quoque ſuum Oratione ſive Lipſio-mnemate anniverſario *Erycius Puteanus*. *Gaugericus* verò *Rivius* J. C. Principatum Litterarium Lipſii ad ritum priſcum elegantiſſimè expreſſit. Nænias, Epitaphia, Elegias, Leſſus luſerunt varii, quos Fama Poſtuma ſuppeditat. Cæterùm ad ſcripta quod attinet, typis illa Plantinianis ſæpiùs excuſa ſunt, ſæpiùs aucta ab auctore ſuo ac recognita: & demùm à morte *Lipſii*, curâ & ſtudio *Balthaſaris Moreti* Tomis VI. diſtincta, 1637. fol.

TOMO I. continentur, quæ ad *Criticam* ſpectant:

*Variarum Lectionum* libri III. in quibus pleræque ad Marc. Tullium Ciceronem, Varronem & Propertium Notæ.

*Antiquarum Lectionum* libri V. in quibus varia Scriptorum loca, Plauti præſertim, illuſtrantur.

*Epiſtolicarum Quæſtionum* libri V. in quibus ad varios Scriptores, pleræque ad Titum Livium, Notę.

*Electorum* libri II. in quibus, præter cenſuras, varii priſci ritus.

*Ad Valerium Maximum* breves *Notæ*.

*Animadverſiones in Tragœdias L. Annæo Senecæ* tributas.

*Judicium de Conſolatione Ciceronis*: libro nuper, ut volunt, reperto.

*Satyra Menippæa ſive Somnium*: Luſus in iſtius ævi Criticos.

*De recta Pronuntiatione Latinæ Linguæ*. Dialogus.

TOMO II. EPISTOLARUM Centuriæ X. continentur:

*Centuriæ V. Miſcellaneæ.*

*Centuria ſingularis ad Italos & Hiſpanos.*

Item altera *ad Germanos & Gallos.*

*Centuriæ III. ad Belgas.*

*Epiſtolica Inſtitutio*, è dictantis ore excepta.

TOMUS III. Hiſtoriam, ſacram ac profanam, & ANTIQUITATEM ROMANAM variè illuſtrat.

*De Militia Romana* libri V. *Commentarius ad Polybium* cum Analecticis ad eoſdem libros; quos ex italico *Franciſci Patricii* libro hauſiſſe creditur.

*Poliorceticōn*, ſive *de Machinis*, *Tormentis*, *Telis*, libri V.

*Admiranda*, ſive *de Magnitudine Romana* libri IV. cum Notis.

*Saturnalium Sermonum*, ſive *de Gladiatoribus* libri II. Extant & apud Græv. in Antiquitat. Romanis Tom. IX.

*De Amphitheatro* liber: in quo forma Loci & ratio ſpectandi, item

*De Amphitheatris*, quæ extra Romam, libellus. Extant ambo apud Grævium loco citato.

*De Veſta & Veſtalibus* Syntagma; apud eundem Grævium Tomo V.

*De Bibliothecis* Syntagma, ubi etiam de ornatu & diſpoſitione Bibliothecarum veterum.

*De Cruce* libri III. ad ſacram profa-

námque Hiſtoriam utiles. Prodierunt iterum cum Notis Amſtel. 1670. in 12.

*Diva Virgo Hallenſis:* beneficia ac Miracula ejus ordine deſcripta.

*Diva Virgo Sichemienſis ſive Aſpricollis*, Miracula ejus nova. Ob hanc pietatem ſuam in Virg. Deiparam, multa ab hæreticis paſſus eſt dicteria, defenſus ab *Anaſt. Cochelet*, & *Claud. Dauſquecio.*

*Rejectiuncula Sannionis cujuſdam Batavi. Lovanium*, ſive Opidi & Academiæ Deſcriptio.

Tomo IV. Politica & Philosophica comprehenduntur :

*Politicorum*, ſive *Civilis Doctrinæ* libri VI. qui ad Principatum maximè ſpectant.

*De una Religione adverſus Dialogiſtam*: ad tria Cap. libri IV. Politicor. Vide inferiùs de *Theodoro Coornhert.*

*Monita & Exempla Politica* libri II.

*De vitiis & virtutibus Principum.*

*Leges Regiæ & Decemvirales*, collectore *Lipſio.*

*Diſſertatiuncula apud Sereniſſ. Albertum & Iſabellam*, Belgarum Principes.

*Commentarius in C. Plinii Panegyricum Trajano dictum.*

*De Conſtantia* libri II. qui alloquium præcipuè continent in publicis malis.

*Manuductionis ad Stoicam Philoſophiam* libri tres.

*Phyſiologiæ Stoicorum* libri item tres.

Tomo V. continentur *Caji Cornelii* Taciti *Opera*, emendata, & *Commentariis* plenis illuſtrata. Reputatur hoc Opus inter omnia Lipſiana doctiſſimum.

*Diſpunctio Notarum Mirandulani Codicis ad Tacitum.*

*C. Velleii Paterculi Hiſtoriæ Romanæ libri duo*, cum *Animadverſionibus.* Prodierunt iterum Pariſiis 1714. in 12.

Tomo VI. *Annæi* Senecæ Opera omnia emendata, & Scholiis illuſtrata; ac rurſum edita anno 1652. Ob quæ & alia de Philoſophia Stoïcorum edita, *Senecæ Belgici* titulum *Lipſius* promeruit.

*Poëmata Lipſii*, hinc inde ſparſa, collegit Franciſcus Swertius, & *Muſas Errantes* inſcripſit, Antver. 1609. 4.

Ex eodem *Lipſio* Nicolaus Stochius *Mellificium* duplex *Similium & Aphoriſmorum*, Lugd. Batavorum; Joach. Niſſæus *Mellificium Deliciarum*, Francof. apud Marnium; alii, *Philoſophiæ totius Flores*, Magdeburgi, 1600. 8. ediderunt, Denique hos ſecutus, *Flores Lipſianos* congeſſit Franc. Swertius, & per locos communes digeſſit: additis *Teſtimoniis*, *Symbolis*, *Inſcriptionibus*, *Epitaphiis* pleriſque, quæ *Lipſius* Auditoribus ſuis & amicis ſcripſerat. Coloniæ, 1620 12.

Quas verò Germani Jenenſes vulgarunt anno 1607. *Orationes VIII. Lipſii* nomine, eæ ſuppoſititiæ ſunt & confictæ à malæ fidei hominibus, ac Romæ damnatæ anno 1609. Certè languidam illam atque inſulſam *De duplici concordia Litterarum atque Religionis*, Jenæ, ut volunt, habitam, falſimoniam eſſe meram, oſtendit ipſe Lipſius Cent. IV Miſcell. Epiſt. 68.

Ex iis autem, quæ à morte ejuſdem prodierunt *De Magiſtratibus Populi Romani*, *de Veteri Scriptura Latinorum*, aliaque, non inficior quædam eſſe *Lipſii*, ex ore dictantis excepta, ſed nihil minùs cogitantis, quàm ut ea ſuo nomine aliquando ederentur. Imò ne quidem illa, quæ confecta aut pænè adfecta adſervabat, typis dari teſtamento voluit, videlicet

*Admiranda Judaïca* libris III.

*Commentaria in libros III. L. Annæi Flori* priores.

*De Lectione & Utilitate Hiſtoriæ.* Orationes II.

*Panegyricas Virgini-Matri* dictas, totidem.

Porro *Henricus Knippingius*, Eloq. Prof. quoſdam etiam particulares Tractatus ſub nomine J. Lipſii edidit, nempe

*De Veterum Latinorum Scriptura.*
*De Re Pecuniaria*
*De Nominibus Romanorum.*
*De Ritu Conviviorum.*
*De Cenſura & Cenſu.*
*De anno deque ejus diverſitate*, item *ratione intercalandi.*
*De Crucis ſupplicio apud Romanos uſitato.* Prodierunt Leidæ, 1713.
*Syllogen Epiſtolarum Juſti Lipſii & aliorum ad ipſum*, antehac ineditarum, (numerantur autem 855.) collegit Tom. I. & II. Sylloges ſuæ amplioris, Petrus Burmannus J. U. D. ac Profeſſor Hiſtor. veterumque Monumentorum curioſus ſcrutator, Leidæ in 4. 1727.

Ad lemma Lipſianum: MORIBUS ANTIQUIS, alluſit amicus ejus atque ſucceſſor *Erycius Puteanus.*

*Lipſius hoc priſcis ornavit moribus ævum:*
*An mirum? Priſcis par erat ille viris.*

## JUSTUS MEIERUS,

Noviomagus, J. U. Doctor & Profeſſor in Argentoratenſi Academia (ubi & bonas antea litteras tradiderat, editâ typis Ant. Bertrami, anno 1619. in 8. *Daniele* Comœdiâ ſacrâ) præceptores ſuos laudat *Dion. Gotofredum* & *Georg. Obrechtum*, Argentinenſem, illum in Heidelbergenſi, hunc in Academia patria Doctorem & Profeſſorem. Edidit

*Endoxa Juſtinianæa*, ſive Diſputationes apologeticas pro Juris Civilis dignitate & veritate tuenda. Argent. 1616. 4.

Prætereà Jus omne Pandectarum, quodque eidem ex Codice, Inſtitutionibus ac Novellis Conſtitutionibus Juſtiniani Imper. reſpondet, unâ perpetuaque methodo diſpoſuit, ac diſputandum propoſuit; inſcripſitque *Collegium Juridicum Argentoratenſe.* Ibid. 1617. 4. Tomis II. iterumque, cum Additionibus *Jo. Otth. Thaboris*, Ibid. 1657.

Scripſit quoque *De Hæreſi & perſecutione Proteſtantium*, contra Gaſp. Schioppium. Argent. 4. 1629.

*Juris-publici Quæſtionem capitalem:* ſintne *Proteſtantes Jure Cæſareo hæretici, & ſupplicio afficiendi*: contra Claſſicum Schioppii. Ibid 4. 1624. Item plures alias Quæſtiones Juris Miſcellaneas.

## JUSTUS RYCKIUS,

*Jacobi* filius, *Joannis Stadii*, Mathematici celeberrimi ex *Catharina* filia nepos, Gandavi natus eſt in Arce Othoniana pridie Nonas Majas, 1587. A prima ætate Litterarum ſtudiis admotus fuit; primâque adoleſcentiâ ad Duacenſe Athenæum deſtinatus, robuſtioris diſciplinæ ac Philoſophiæ cauſâ. Hìc Juriſprudentiæ principiis leviter deguſtatis, laceſſere ingenii vires Muſaſque cœpit, duo-deviginti annorum adoleſcens, editis *Præludiis Poëticis.*

Mox ingenuorum ferè Belgarum receptо more, ingenio magis excolendo, in Italiam contendit. In qua etſi ætate tenerâ nonnullam ſibi virorum eruditorum gratiam conciliavit; & in primis Illuſtriſſ. Comitis *Ludovici Saregi*, Veronenſis, Peruſiæ & Umbriæ Ex-Præfecti, cui à Studiis interioribus & Bibliotheca fuit.

In Belgium reverſus, eùm Lovanii aliquantiſper ſubſtitiſſet, & ad ſeraciorem vitam, otiique litterarii tranquillitatem ſe totum convertiſſet, Collegio Canonicorum ad D. Bavonem in patria adſcribitur. Non defuerunt interim novæ ab Italia illecebræ, oblatâ Profeſſoriâ cathedrâ Bononienſi, agente id maximè *Scipione Card. Cobellutio.*

Itaque anno 1624. exeunte, iterum Romam adiit, indeque Bononiam, Urbani VIII. P. M. auſpiciis, ſedem fortunarum ſuarum tranſtulit, ubi paulò pòſt præmaturè diem ſupremum obiit, anno 1627. VI. Idus Decembris.

Vir fuit elegantioris doctrinæ & Antiquitatis omnis in primis peritus, ſtilo facili, ſive ſolutam orationem tractaret, ſive metri adſtrictam legibus: ingenio comi & feſtivo, moribus ad omnem humanitatem factis. Ejus hæc ſunt:

*Præludia Poëtica.* Duaci, 1606. 4. typis Caroli Boſcardi.

*Primitiæ Epiſtolicæ.* Coloniæ, 1610. 8.

*Centuria Epiſtolarum nova.* Lovanii, 1615. 8.

*Odarum*, ſive *Poëmatum* libri II. Ibid. 1614. 8.

*Panegyris* PAULO V. *Pont. Max.* ſcripta, victâ ſolutaque oratione, ad Card. Burgeſium, nepotem. Romæ, 1611. 4.

*Parentalia in Funere* ejuſdem PAULI V. typis Pantin. 1616. 4.

*Panegyris Heroica Scipioni Cobellutio*, Cardinali creato. Gandavi, 1615. 4.

*Pietas in Funere Philippi* III. Hiſp. Regis Catholici. typis Plantini 1616. 4.

*Juſta Funebria* ALBERTI, Archiducis, Principis Belgarum. Ibid. 1622. 4.

*De Capitolio Romano Veteri* Commentarius. Gandavi, 1617. 4.

*Syntagma de Anno ſæculari Jubileo & annis ſolemnibus diverſarum nationum.* Antv. typis Guil. à Tongris, 1615. 8.

*Heroicorum Carminum* liber ſingularis. Gandavi, 1624.

*Parcæ*, ſive *Epitaphiorum* libri III. Ibid. 1624. 8.

## JUSTUS VELSIUS,

Vulgò *Welſens*, Hagæ-Comitanus, Batavus, Philoſophus & Doctor Medicus Lovanii, anno 1541. renuntiatus, vixit ibidem familiaris *Petro Nannio*, cujus in docendo vices aliquando obivit, aliiſque. Lovanio profugus, metu inquiſitionis, ob novorum dogmatum, quæ tunc invaleſcere cœperant, ſuſpicionem, deflexit ad Argentinenſes, ubi azylum hæretici habebant: indeque Coloniam venit, perſuadens, quod religionis causâ Argentoratum deſeruiſſet, ubi in Philoſophica Profeſſione Græcam Latinamque conjunxit linguam, ad id muneris à Senatorio illius urbis ordine adſumptus. Scripſit, ediditque

*Orationem, Utrum in Medico variarum artium ac ſcientiarum cognitio deſideretur.* Cui accedunt,

*Hippocrates de Inſomniis:* item *Galenus de ea, quæ ex Inſomniis habetur, affectionum dignotione*, è Græco tranſlati.

*Vera* inſuper *Lectio & Enarratio Aphoriſmi quinti Hippocratis*, & *Galeni ad eumdem Commentarius*, eodem interprete. Baſil. typis Oporini, 1540. 4.

*Diſputationem de Univerſalibus.*

*De humanæ vitæ rectâ ratione.*

*De Artium liberalium & Philoſophiæ præcepta tradendi explicandique rectâ ratione ac via.* Coloniæ 1554.

*Tabulas in Ariſtotelis Topica.*

*In Cebetis Tabulam Commentariorum* libros VI. Lugd. 1551. 4. Pariſ. 1557. apud Wechelum.

*In Ariſtotelis libellum de Virtutibus, Commentariorum* libros III. cum *Diviſione Virtutum.* Ibid. 1551. & 1590. 8. apud Mart. Gymnicum.

*Orationem in Matthæum Cardenum, Coloniæ in Philoſophia adverſarium Ramiſtam.*

*Orationem de Diſciplinis Mathematicis*, in 4.

*Ad Simplicium in Categorias Ariſtotelis*, Græcè editas, præfatus eſt ad Viglium Zuichemum Præſidem.

Κρίσις, ſive *Veræ Chriſtianæque Philoſophiæ comprobatoris atque æmuli, & Sophiſtæ per comparationem Deſcriptio.* Qui libellus anno 1554. judicio Facultatis Theologicæ Lovan. declaratus eſt *impius, famoſus, ſeditioſus, & de hæreſi violenter ſuſpectus, talemque reddens ſuum Authorem: qui proinde ad revocationem & reparationem ſit compellendus; &c.*

# K.

## KEMPO A MARTENA,

ERisius, primariæ nobilitatis Vir, Principi ſuo ac patriæ fidelem operam difficillimis temporibus navavit. Anno 1515, cùm Florentius Egmondanus, nomine Caroli Auſtriaci Hiſpan. & Belgii Principis, poſſeſſionem Friſiæ ex Ducis Saxoniæ ceſſione adiret, Kempo equeſtri dignitate donatus, & in Collegium Octo-Virûm, qui Friſię præeſſent, adlectus fuit, variaſque obivit legationes.

Ordines Friſiæ, habitis Comitiis, Kemponi *publicos Friſiæ Annales* conſcribendos demandarunt; quos ab anno 1498. uſque ad 1540. perduxit, & quibus datus eſt titulus: *Het Landt-Boeck*, id eſt: *Codex Provinciæ*, qui ab aliis ſuppletus ex publica fide, in Curia & paſſim uſurpatur.

Inter *Viglii Zwichemi* Epiſtolas Latinas, Lovanii in ejus nominis Collegio ſervatas, plures ſunt ad *Kemponem* exaratæ; ex quibus, quanti illum Viglius fecerit, dignoſcas.

De ejus obitu hactenus occurrit nihil, quem ignoratum quoque reperi à Suffrido Petri de Script. Friſiæ Dec. XI. cap. 3. Edit. ann. 1699.

## KEMPO,

Theſſalienſis, à Teſſalia ſive Texelia, Hollandiæ ſeptemtrionalis inſula, ſcripſit

*Commentarios in ſecundam partem Doctrinalis Alexandri*;

Item *Carmina quædam & Epigrammata*. Extant omnia ſimul impreſſa per Wilhelm. Vorſterman Antverp. 1522. in 4.

# L.

## LÆVINUS AMMONIUS,

VUlgò *Vander Maude*, Gandavenſis, Cartuſianus, profeſſus in Domo Silvæ S. Martini prope Gerardi-montem, & Procurator Vallis Regalis apud Gandavum, *Vir eruditione juxta ac pietate inſignis*, Eraſmi elogio Epiſt. Baſileæ ſcriptâ anno 1529. ad Carolum Utenhovium. Scripſit

*Tractatum in Parabolam de filio minore natu*. Lovanii, 1542. apud Reſcium.

*Vitam Guilielmi Bibaucii*, Ord. Cartuſiani Generalis; cujus meminit *Theodorus Petreius*.

Familiaris vixit Eraſmo, cujus ad *Ammonium* leguntur Epiſtolæ; deſiitque vivere anno 1556.

## LÆVINUS APOLLONIUS,

Gandobruganus, Mittelburgenſis, quod opidum eſt Brugenſis agri, ſcripſit

*De Peruvia regione*, tertia Novi orbis parte, & rebus in ea geſtis. Antver. 1567. 8. apud Joann. Bellerum.

*De Navigatione Gallorum in Terram Floridam*: deque clade anno 1565. ab ab Hiſpanis accepta. Ibid. 1568. 8. & Germanicè, Baſil. 1583. fol.

Fuit *Andreæ Hoii* aliorumque plurium doctorum Brugis præceptor, & poſt deſcriptam à ſe editamque ditionem *Peruanam*, in Hiſpaniam profectus eſt, inde in Peruviam trajecit: qua in provincia, aut in inſulis Canariis putatur obiiſſe.

## LÆVINUS BRECHTUS,

Antverpienſis, Ordinis Minorum, Poëta elegans, obiit Guardianus Ma-

chliniæ, anno 1558. die XIX. Septembris. Scripſit

*Euripum Tragœdiam*; de vitæ humanæ inconſtantia, exhibitam in Falconenſi Lovanii Gymnaſio, anno 1548. Kal. Julii; typis Mart. Rotarii, 1549. & Velpii, 1568. 8.

*Silvam piorum Carminum* Ibid. apud Joann. Waen, 1555. 8.

*Hiſtoriam agonis SS. Marci & Marcelliani*, fratrum Martyrum, carmine ab ἀνωνύμῳ conſcriptam, recognovit.

Adjecta *Pia Carmina Brechti*, ut *Vita S. Lamberti*, *S. Sebaſtiani*, & aliorum. Ibid. 1551. apud Rotarium.

## LÆVINUS CRUCIUS,

Vulgò VANDEN CRUYCE, Aldenardinus, Paſtor Boſcepanus in Flandria occidentali, prope Caſletum, vir nec indoctus, nec verſibus pangendis infelix, totos XXXIV. annos juventutem inſtituit. Qua de re ipſe anno 1542. ad Joannem Langium Carolo V. à Secretis ſcribens, *Jam ſtentoriis*, inquit, *clamoribus ad ravim triginta quatuor univerſos annos docendo juventutem cerebrum mihi comminutum peneque exhauſtum eſt.* Edidit

*Viridarium Florum*, è Proceribus, ut vocat, Linguæ Latinæ. Antverpiæ 1536. & 1548. 8. typis Simonis Coci.

*Scholia in Diſticha Catonis.* Gandavi, apud Jud. Lamberti, 1541. 8.

*Threnodiam in temeraria quorundam judicia*, ad Franc. Craneveldium.

*Paræneſin ad Potentatus Chriſtianos, ut percuſſo inter ſe fœdere arma in Turcam ac Lutherum convertant*, verſu Elegiaco. Ibid. 1543. 8.

*Tractatus De Sanctorum cultu & invocatione: de Laudibus, Roſario & Sodalitatibus B. M. Virginis: Gazophylacium præconiorum Nominis* JESU, *Cruciſque Dominicæ*, hactenus inedita.

*Eruditorium Exorciſtæ*, etiam inditum, in quo plurima congeſſit remedia adverſus maleficia, quorum pleriſque ob abuſum utile ſit non uti. Vidit Martinus Ant. Delrio, S. I. dum Diſquiſitiones Magicas ſcribere lib. 3. p. 2. quæſt. 4. ſect. 9. in fine; legiturque in Bibliotheca Brugenſi Societ. JESU.

Vivendi finem fecit anno 1590. Gandavi, ubi & ſepulturam habet, hoc Epitaphio ornatam:

*Quis hoc rigenti marmore incluſus jacet?*
LÆVINUS à CRUCE.
*Quando obiit? Poſt has cruces*, X.X.X. X.X.X.X.X.X.
*Status huic? Sacerdos. Vita? Sectari Crucem.*
*Crucifixus illi mundus, is mundo fuit.*
*Quando reſurget? Quando fatali die*
*Victricia necis ſigna fulgebunt Crucis.*
*Abi, Hoſpes: & Deum timens mori para.*

## LÆVINUS HULSIUS,

Gandavenſis, Notarius Imperialis, Geographus & Mathematicus in Germania celebris, poſteris dedit

*Deſcriptionem uſus Viatorii & Horologii ſolaris.* Norimbergæ.

*De uſu Quadrati & Quadrantis Geometrici ac Chronologici* Ibid.

*Inſtrumenta Mechanica.* Ibid. 4.

*Emblemata anniverſaria Academiæ Alfordinæ.* Francof. 1597. 4.

*XII. Cæſarum ac LXIV. ipſorum uxorum ac parentum effigies, ex antiquis Numiſmatibus æri inciſas*, edidit Francofurti an. 1596 in 4. & Spiræ 1599.

*Seriem Numiſmatum Impp. Romanorum à C. Julio Cæſ. ad Rudolphum II.* Ibid. 1603. 8.

*Tranſilvaniæ, Moldaviæ, Walachiæ Deſcriptionem &c.* Ibid. 1595. 4.

*Chronologiam rerum memorabilium in Hungaria, Tranſilvania &c. geſtarum*, uſque ad annum 1597. Norimb. 1597.

Digitized by Google

## LÆVINUS LEMNIUS,

Ziriczæus, Zelandus, natus anno 1505. XIII. Kal. Junii, prima tirocinii rudimenta partim in urbe patria, partim Gandavi posuit, ut ipse testatur libro 4. cap. 2. De occultis Naturæ miraculis. Hinc Lovanii, post politioris litteraturæ nonnullam cognitionem, Medicinæ (ad quam, ut artem maximè plausibilem, se videbat naturâ propensiorem) sacrarum litterarum studium adjunxit, ad quod Petrus Curtius, S. T. D. dein Brug. Epis. illi auctor & instigator extitit, ipso quoque *Lemnio* teste eo libello, quem de Vitæ termino scripsit.

Doctorem in Medicina suum laudat *Andream Vesalium*, vixitque familiaris *Remberto Dodonæo*, Machlinienſi, *Jasoni Pratensi*, *Conrado Gesnero*, aliisque. Rem medicam quadraginta ampliùs annos apud suos factitavit, atque elatâ uxore sacris initiatus, Canonicorum ibidem Sti. Lebuini Collegio adscribitur.

Vir fuit in praxi exercitatus, & omninò felix, comis & affabilis omnibus, ægros suos jocis facetiisque, honestis tamen, sæpè non parum recreare ac sublevare solitus. Staturâ mediâ & quadratâ, statu corporis incessuque erecto, formâ faciei, qualem imago ejus æri inciſa refert, ac fronte serenâ. Scripsit eleganti ac masculo stilo varia.

*De occultis Naturæ Miraculis* libros IV. Antver. typis Plant. 1564. 8. Francof. & alibi, itemque Germanicè, *Jacobo Horstio* interprete.

*De Habitu & constitutione corporis*, quam Κρασιν sive *Complexionem* vocant. Antver. 1561. Francof. & alibi: itemque Venetiis 1567. Italicè.

*De Vita animi & corporis rectè instituenda.* Coloniæ, 1581. 8. Francof. 1590. 16. & alibi.

*De Astrologia*, quid illa veri, quid ficti falsique habeat, lib. I.

*De Præfixo statoque Vitæ termino* lib. I.

*De honesto animi & corporis oblectamento.* Antver. apud Mart. Nutium, 1554. 8.

*Similitudinum ac Parabolarum, quæ in Bibliis ex herbis atque arboribus desumuntur, Explicationem.* Antver typis Guil. Simonis, 1569. Erphordiæ, 1582. Francof. 1591. 8.

*Descriptionem Zelandiæ*, Antver. typis Plantin. quam rursus edidit in Batavia illustrata Petrus Scriverius anno 1609. & 1650. Harlemi.

Pollicebatur *Descriptionem Algæ* libro tertio de occultis Nat. Mirac. & *Compendium de Piscium trivialibus nomenclaturis*, lib. IV. cap. XI. Verùm iis lucem mors præpropera invidit.

Obiit autem Ziriczeæ, anno 1568. Kalendis Julii, in D. Lævini Æde primaria sepultus, ignobili sarcophago, cum brevi hac inscriptione:

LÆVINUS LEMNIUS MEDICUS
HIC SITUS EST.
OBIIT KAL. JUL.
ANNO DOM. M. D. LXVIII.

Filium habuit è legitimo thoro Guilielmum, qui & ipse Medicinam, patris exemplo, factitavit.

In obitum celeberrimi Viri LÆVINI LEMNII Ziriczæi, in urbe patria Medici Ordinarii, sequentes Versus lusit *Passchasius Ocmius*, apud Ziriczæos Archi-didascalus.

*Sacrificus simul & Medicus: quo nomine cives*
*Demeruit, cunctis officiosus erat.*
*Obvius, expositusque suis dum vita manebat,*
*Comis & humanus, candidus usque fuit.*
*Fuci expers, fictique etiam, simulata perosus,*
*Nec tetricos vultus, nec tulit ipse minas.*
*Municipi quoque se impendit, tum fovit, & illi*

*Exemit*

LAEVINVS TORRENTIVS
EPISCOP. ANTVERP.

*Christiadum columen vatum, Torrentius ille*
*Lævinus tali pingitur effigie:*
*Sed pietas, sed prisca fides, prudentia, mores*
*Ne lateant, docti perlege scripta viri.*

Ioan. Bochius.



Digitized by Google

*Exemit morbos, ſed medicante Deo.*
*Nam quaſcunque animi dotes, quæ munera vxentis*
*Obtinuit, ſupero accepta referre ſolet.*
*Ergo hujus tumulum quiſquis teris, oro, viator,*
*Jure hoſpitii enti perge referre vices:*
*Atque ita defunctum tali digneris honore,*
*Ut tibi ſit vitæ ceu cynoſura tuæ.*
*Non voces querulas, lacrimas non poſcit inanes,*
*Nemo ex præſcripto numinis iſta facit.*
*Cœlo etenim mens fixa ſtetit, Chriſtique beata*
*Per meritum ſperat ſiſtier ante Deum.*

## LÆVINUS PANAGATHUS,

Vulgo GOETHALS, Gandavenſis, græcè latineque non de vulgo eruditus, edidit

*Orationes quaſdam in genere demonſtrativo.*

Item *Carmina* diverſa, in Germania typis excuſa.

In fata conceſſit Ulmæ anno 1547. die XXV. Januarii

## LÆVINUS PONTANUS,

Gandavenſis, primùm in patria Ludum aperuit: dein naſcente Duaci Academiâ Græcas Latinaſque in ea litteras bis interdiu annos aliquot publicè profeſſus, provinciam eam *Joanni Olivario* gentili ſuo ceſſit, Doctoris in utroque Jure laureâ ibidem anno 1574. unâ cum Balduino Vander Piet itidem Gandavenſi inſignitus. Dein Regiam ac primariam SS. Canonum profeſſionem adeptus eſt. Scripſit

*Europæ Querelam* verſu heroïco, ad *Matthæum Donſanum* præceptorem ſuum. Gandavi, typis Jod. Lamberti.

*Moſcholatriam Tragicomœdiam.* Ibid. 1559.

*Synopſin Decretalium Juris Canonici.*



## LÆVINUS SANDERUS,

Gandavenſis, Antonii Canonici quondam Iprenſis celeberrimique Hiſtorici frater, Societatis Jeſu Sacerdos ac S. Theol. per annos 19. Profeſſor, denatus in patria die 5. Decembris 1643.

*Edidit Orationes varias in laudem B. M. Virginis.* Gandavi.

## LÆVINUS TORRENTIUS,

Vulgò VAN-DER-BEKEN, Gandavenſis, puer Lovanii Philoſophiæ operam dedit, & mox ad juriſprudentiam animum adjecit, ſpectavitque anno 1547. obſidionem illius urbis, per *Martinum Roſſemium* Geldro-Gallici exercitus Ducem, tentatam, & ſtudioſorum de hoſte fugato triumphantium pars fuit, Carmenque Elegiacum cecinit, editum Antverpiæ typis Dumei: ſed ſuppreſſo auctoris nomine.

Italiam exin, quò uberiorem ingenii fructum caperet, adiit, ac Bononiæ aliquantiſper ſubſtitit: Romæ verò, in illo orbis compendio, ac theatro doctorum hominum, plures annos verſatus fuit, facileque ſe in amicitiam interiorem *Guil Sirleti* ac *Cæſ. Baronii* Cardinalium, *Antonii Auguſtini*, *Fulvii Urſini*, aliorumque inſinuavit.

In Belgium reverſus, ac Litteris & Legationibus domi foriſque ſpectatus, ex Canonico & Archidiacono Brabantiæ in Eccleſia Leodienſi, illiuſque Principis Vicario Generali, II. Antverpienſium Epiſcopus, tandem III. Machlinienſium Archiepiſcopus deſignatus, Collegii Societatis Jeſu apud Lovanienſes Fundator, ad rerum Status Belgii Concilium adſcriptus, dum præcipitantem Rempublicam fractus viribus, animo infracto, conſiliis ſuſtentat, Bruxellæ deceſſit VI. Kal. Majas, anno 1595. ætatis LXX. ſepultus Antverpiæ in choro Ædis Cathedralis, quieſcen-

tis habitu, appoſito ad mauſolæum Epitaphio ſubſequente. Bibliothecam ſuam, quam habebat verè exquiſitam, reliquit Collegio Societatis Jeſu Lovanienſi.

Eruditio in hoc viro elucebat varia, Hiſtoriæ, Philoſophiæ, rerum divinarum humanarumque cognitio ſingularis: eloquentia à natura fluens, ſed aucta ſtudio & uſu Legationum. Poëta ad hæc fuit excellens, adeoque Catholicæ fidicen & Princeps Lyræ meritò audiebat. Carmen quippe pangebat ſonorum, purum, & Horatiano ſimillimum.

Veriſſimum itaque de eo *Juſti Lipſii* elogium eſt, dum libro II. Elect. cap. XVII. Virum fuiſſe ſcribit, *non in omni re litteraria ſolùm, ſed in Poëſi (quod mihi quidem*, inquit, *eximium eſt, qui ſcio Poëtam præſtantem neminem fuiſſe ſine parte quadam uberiore divinæ auræ) magnum, vel potius ſummum.* Scripſit

*De partu Virginis*, libros III. verſu Lyrico.

*De Vita D. Pauli*, libros II. verſu heroïco.

*De Cruento Dei Sacrificio*, libros V.

*De Bello Turcico*, & *Victoria navali apud Naupactum.*

*Odarum ad Amicos*, libros II. typis Plant. 1594. 8.

*De obſidione Lovanienſi per Martinum Roſſemium*, typis Dumæi; & alia quædam à Swertio in Athenis Belgicis citata.

*Commentarium in Suetonium.* 4. Antv. 1592. Extat integer in eâ editione Suetonii, qui ex recenſione & cum animadverſionibus Johannis Georgii Græevii prodiit Ultrajecti 1690. in 4.

*Commentarium in Q. Horatii Flacci Opera*; Ibid. 1607. 4. à morte auctoris editum, unâ cum ejuſdem

*Commentariolo ad Legem Juliam & Papiam de Matrimoniis ordinandis.*

Denique Operibus poſthumis *Joannis Goropii Becani* præmiſit Epiſtolam Apologeticam pro *Goropio*, adverſus *Joſ. Scaligerum*, ſtomachoſiùs in *Goropium* invectum. Reliquit & quædam MSS. quæ penes hæredes remanſerunt.

D. O. M.
LÆVINUS TORRENTIUS,
Patriâ Gandavenſis,
Litteris & Legationibus
Domi foriſque ſpectatus,
Ex Archidiacono
Et Principis Leodienſis Vicar. Generali
Secundus Antverpienſium Epiſcopus,
Tertius Mechlinienſis Archiepiſcopus
Deſignatus, Collegii Societatis Jeſu
Apud Lovanienſes Fundator,
Ad rerum Statûs Belgii
Conſilium accitus,
Dum periclitantem Rempubl.
Fractus viribus, animo infracto,
Conſiliis ſuſtento,
Bruxellis deceſſi
VI. Kalend. Maias M. D. XCV.
Vixi annis LXX. menſ. I. dieb. XVIII.

Amplas ejuſdem Præſulis laudes deſcripſere *Laurentius Beyerlinck*, *Aubertus Miræus*, *Swertius*, *Sanderus*, & alii quam-plures. Poëtæ etiam lugubri Carmine defunctum proſecuti ſunt, quos inter *Maximilianus Vrientius* S. P. Q. Gandenſium à ſecretis, tanto Muſarum præſide Chriſtianam Rempublicam deſtitutam ingemens, & ipſe ſui ævi Poëta celebris decantavit:

*Cujus hic eſt tumulus?* TORRENTII. *Vis nova florum*
*Unde flagrat? cineri grata parentat humus.*
*Ergo etiam flores ſolido de marmore? quid ni?*
*Marmoris hic hoſpes flos modo Soſpes erat*
*Flos ſimul & Torrens? hominum flos laudis honore,*
*Idem etiam Torrens pectore & ore fuit.*
*Quid circum illacrymant? inopis quæ cauſa querelæ?*
*Juſta, ſuum deflent deperiiſſe Patrem.*
*Quæ premit arentes lauros pedè turba?*
*Poëtæ.*

*Quæ ratio ? anne leves entheus ardor agit ?*
*Extinctum accuſant Phœbum. Quid ? Phœbus an ille ?*
*Inſula cui canum texit honore caput ?*
*Sic decet & Phœbum : juvenis tamen ille putatur,*
*Sic juvenis, diù ut ſit quoque mente ſenex.*
*Una ſed eſt Phœbo ; duplicem tulit ille tiaram :*
*Scilicet & Clario clarior ille fuit.*

## LÆVINUS WARNERUS,

. . . . . Batavus, Vir nobilis, varia in Turciam Perſidemque ſuſcepit itinera, linguaſque Hebraïcam, Græcam, Perſicam, aliaſque Orientales apprimè calluit. Porro ut diligens ejus ſtudium in conquirendis Orientalibus libris, etiam Manuſcriptis, aliorum quoque uſui inſerviret, hoſce omnes Bibliothecæ publicæ Univerſitatis Lugduno-Batavæ liberaliter donavit. Lege Catalogum ejuſdem anno 1716. editum, pag. 405. 409. &c.

Evulgavit, ac proprio charactere expreſſit ſequentia.

*Compendium Hiſtoricum eorum, quæ Mahummedani de Chriſto & præcipuis aliquot Religionis Chriſtianæ capitibus tradiderunt, Arabicè & Latinè.* 4. Lugd. Bat. 1643.

*Proverbiorum & Sententiarum Perſicarum Centuriam.* 4. Lugd. 1644.

*Epiſtolam valedictoriam de ſtylo hiſtoriæ Timuri, qui vulgo Tamerlanes corrupte.* 4. Ibid. 1644.

*Caſtigationes in Biblia Turcica.* 8. MSS.

*Exercitationes in Pentateuchum Hebræum & illius collationes cum Pentateucho Karæorum* ; in fol. MSS.

## LAMBERTUS DE ARDRES,

Presbyter ſeu Paſtor Eccleſiæ Ardrenſis, Diœceſis olim Morinenſis, claruit circa annum 1300. Scripſit latinè *Hiſtoriam Comitum Giſnenſium ac DD. Ardrenſium :* cujus plurima fragmenta jam olim edidit Andreas Quercetanus in Genealogia Domûs Giſnenſis. Extiterat hæc Hiſtoria hactenus MSS. in Bibliotheca Colbertina, & alibi : ſed anno 1727. in lucem edita fuit Francofurti & Lipſiæ per Clariſſ. Virum Jo. Ludewig, *Tomo VIII. Reliquiarum Manuſcriptorum ac Diplomatum.*

## LAMBERTUS ATREBATENSIS EPISCOPUS,

Patriâ Ghiſnenſis, Archidiaconus Eccleſiæ Teruanenſis, Canonicus ac Præcentor S. Petri Inſulenſis, magnâ vir ſanctitate præditus, à Clero Atrebatenſi delectus Antiſtes, ab Urbano II. Pont. Romæ conſecratur illius Sedis Epiſcopus primus anno 1093. XIV. Kal. Apriles, poſteaquam à multis ſæculis Atrebatenſis Eccleſia Cameracenſi Epiſcopo paruiſſet ; vel ( ut antiquiora Atrebatenſium Chronica loquuntur ) ſub jugo Cameracenſium gemuiſſet.

Rerum ab hoc Epiſcopo geſtarum partem aliquam dederant olim, Viri Antiquitatum Eccleſiaſticarum cognitione & diligentiâ memorabiles, *Ferreolus Locrius* in Chronico, & *Lucas Dacherius* in Spicilegio, tomo V. pag. 543. &c. Sed Acta integra dedit Clariſſ. *Stephanus Baluſius*, è MS. Atrebatenſis Eccleſiæ ( qui *Lamberti Epiſcopi Codex* appellatur ) deſcripta per *J. Crignon* illius Eccleſiæ Canonicum ac S. T. D. Sorbonicum. Sunt autem edita à Baluſio Pariſ. 1700. apud Franc. Muguet, Libro V. Miſcellaneorum, hoc titulo.

*Incipiunt Geſta, quibus Attrebatenſium civitas, ſub Urbano Romanæ & Apoſtolicæ Sedis Epiſcopo, excuſſo Cameracenſium ſubjectionis jugo, in antiquam reformatur dignitatem.* Pag. 237.

*Epiſtolæ CXLIV. Lamberti Epiſcopi*

*Atrebatenſis, & aliorum ad ipſum.* Pag. 283.

*Privilegia conceſſa à Lamberto Epiſcopo Atrebatenſi*, numero XIV. Pag. 377.

Accedunt *Varia de Rebus Atrebatenſibus*, Lamberto poſteriora, à pag. 401. ad 443. nimirum Epiſtolæ XLVI. Epiſcoporum Atrebatenſium ſequentium, ad illuſtrandam Hiſtoriam Eccleſiaſticam per-quam utiles.

Porro pius Antiſtes paſtorali munere ſummâ cum laude perfunctus, migravit ad Chriſtum 16. Maii 1115. tumulatus in æde Cathedrali, ubi Epitaphium hoc in marmore viſitur, ad lævam chori parieti affixum.

„ Anno Domini M.C.XV. XVI.
„ Kal. Junii, obiit beatæ memoriæ
„ LAMBERTUS, hujus Atrebatenſis Se-
„ dis Cardinalis Epiſcopus. Per hunc
„ reſtituta eſt dignitas hujus Epiſco-
„ patûs, quæ per multa tempora Ca-
„ meracenſi Epiſcopo fuerat commen-
„ data. Huic Epiſcopo & duobus jocu-
„ latoribus Itherio & Normanno, bea-
„ ta Maria in hac Eccleſia apparuit,
„ dans eis candelam, per quam ſanan-
„ tur ardentes igne malo.

Chronographus S. Bertini aliud profert his carminibus Epitaphium

*Vedaſtus proprius fuit hujus Epiſcopus Urbis;*
*Poſt cujus obitum proprio ſine Præſule languens*
*Hæc Sedes flevit ſubjecta diu Cameraceno.*
*Donec Lambertum, tumulo qui clauditur iſto,*
*Moribus egregium, ſapientem, religioſum,*
*Romæ ſacravit Urbanus Papa Secundus,*
*Et proprium Sedi Paſtorem reddidit iſti.*
*Mundo diſceſſit, cum Majus ab Idibus exit.*
*Præſtet ei requiem Dominus ſine fine manentem.*

## LAMBERTUS LE BEGUE,

Presbyter Leodius claruit anno 1173. ſub Radulpho Epiſcopo Leodienſe. De quo ſic habet *Ægidius Aureæ Vallis* in Geſtis Epiſcoporum Leodienſium apud Chapeavillum Tomo II. pag. 126. *Iiſdem diebus ſuſcitavit Deus ſpiritum ſancti cujuſdam ſacerdotis, viri Religioſi, qui* Lambertus le Begue, *quia balbus erat*, de S. Chriſtophoro *dicebatur; a cujus cognomine mulieres & puellæ quæ caſtè vivere proponunt*, Beguines *gallicè nominantur: quia ipſe primus extitit, qui eis præmium caſtitatis verbo & exemplo prædicavit.* &c.

Orta hinc Concertatio inter duos Cathed. Antverpienſis Eccleſiæ Canonicos Theologos, *Petrum Coenſium & Zegerum Van Hontzum*, de Begginarum noſtratium Origine; quam Coenſius præfato Lamberto Beggio, Zegerus vero ipſi S. Beggę, Pippini Brabantiæ noſtræ Principis filiæ, adſcribebat.

De Vita & fatis *Lamberti Beggii*, legendus Aub. Miræus in Chronico Ciſtercienſi pag. 199. & ſequentibus; ubi imprimis ait; *illum injuſto carceri mancipatum, ſacras in vinculis Literas tractaſſe*, Actaque Apoſtolorum *gallicè reddidiſſe, quæ pòſt Urbano III. Pont. obtulit. Et auctor eſt Jacobus Vitriacus, vincto, ut quondam commentanti Chryſoſtomo, B. Paulum Apoſtolum ſolatium in adverſis attuliſſe. &c.*

Demum Leodii ſanctiſſimè obiit menſe Octobri 1187. conditus in Æde ſacra à ſe exædificata, ante aram ſummam, honeſto tumulo, qui hodieque religioſè viſitur.

## LAMBERTUS BERCHEMIUS,

Pater Fratrum Gregorianorum, ſive Clericorum in communi viventium, & Scholarcha Silvæ-Ducenſis, vir pius & doctus, edidit

*Leges Scholæ Silvæducenſis*, typis Turnhouti, 1603. 8.

*Enchiridion Precationum.* Ibid. in 16.

## LAMBERTUS VANDEN BOSCH,

Dordracenus Batavus, magni nominis Hiſtoricus, ac Poëta elegans, *Leonis ab Aitzema* Hiſtoriagraphi celeberrimi imitator ac continuator, patrio ſermone evulgavit ſequentia :

*Arcadiam Dordracenam*, ſeu res ea in urbe geſtas. 1663. in 12. Amſtelod. Vide *Adr. Parſii* Indicem pag. 111.

*Hiſtorien onſes tydts, behelſende Saken van Staat en oorlogh* &c. id eſt : *Hiſtoriam noſtrorum temporum, res civiles ac bellicas complexam &c.* cujus Author primus *Leo ab Aitzema*, ſub titulo *Leonis Belgici reſtituti :* Continuator *Lambertus Silvius* ſive *Vanden Boſch*, duobus Tomis in fol. itidem vernaculis : quorum primo, Amſtelodami 1685. evulgato, res geſtæ ab anno 1668, in quo Aitzema deſierat, ad ann. 1679. ſeu Pacem Noviomagi concluſam ; altero qui 1688. editus eſt, res ab anno 1678. uſque ad 1687. deſcribuntur. Vide Acta Erudit. Lipſienſium Supplemento V. pag. 278.

*Theatrum funebre Virorum illuſtrium*, ſeu ortus & occaſus Magnatum, repræſentatus in fatis Impp. Regum, Principum &c. primò quidem Amſtel. 1658. in 8. dein poſt biennium ibid. 2. Vol. in 4. ac tertiò Amſtelod. 1698. apud Joann. Ten-Hoorn, Tomis III. in 4.

*Laurentius Van Zanten*, ad imitationem *Silvii* adjecit *Theatrum funebre mulierum illuſtrium*, Amſtel. 4. 1699. ubique cum iconibus ad vivum delineatis.

*Vitæ ac res geſtæ Heroum in arte maritimâ illuſtrium*, à Chriſtophoro Columbo, orbis novi inventore, ad Michaëlem Adrianum de Ruyter, Architalaſſum Batavum ; primùm quidem belgicè, dein tranſlatæ germanicè : Solisbaci 1694. in 4.

## LAMBERTUS A BRIAERDE,

Dunckercanus, Flander, Eques auratus, primùm in ſupremo Concilio Machlinienſi Libellorum ſupplicum Magiſter, deinde ejuſdem Concilii per annos xxx. Præſes, Vir magnæ eruditionis, prudentiæ experientiæque. Obiit Machliniæ anno 1557., ſepultus in D. Joannis Eccleſia, appoſito Epitaphio. Edidit vernaculo idiomate Tractatum, *De modo procedendi in actionibus, perſonalibus, realibus, mixtis*, &c. in ſupremis Franciæ, Flandriæ, aliiſque Belgii Curiis.

*Reſponſa* ſive *Conſilia* ſcripſit latinè, ut ipſe indicat in dicto Tractatu cap. cxxxvi. & lxxiii.

Cy giſt le Noble Homme,
Meſſire Lambert de Briarde,
Chevalier,
Preſident du grand Conſeil à Malines,
Qui tres-paſſa le x. d'Octobre
L'An M. D. LVII.
Et Dame Marguerite Micault,
Sa Compaigne, laquelle deceda
Le xxvii. d'Octobre M. D. XCVI.

## LAMBERTUS VANDERBURCH,

Naſcitur Machliniæ anno 1542. iv. Idus Auguſti, parentibus *Adriano vander-Burchio*, Equite, & Regii per Flandriam Senatûs Præſide, matre *Barbara van Schore*. Donatur Canonicatu ad Divam Virginem Ultrajecti anno 1555. Decanatu anno 1578. vi. Idus Decembris.

Exinde inter Ordines Provinciæ Ultrajectinæ comparuit, Religionem ruentem fulcire cum ſuis annixus ; ſed fruſtrà ; & Unioni Ultrajectinæ nequicquam repugnans, jubente Capitulo ſubſcripſit : motus ab Ordinibus, cum aliis Eccleſiaſticis omnibus, menſe Martio, anno 1582. Quod deinceps reliquum fuit vitæ, in otio littera-

to transegit, procul à strepitu & curis Reipublicæ.

Curæ & industriæ ejus debetur, quod incolumis perstiterit Ædes B. M. Ultrajectina, dum anno 1582. de eâ funditus diruenda agebatur. Ipse enim omni plumbo quo operta fuerat denudatam, sartam tectamque restauravit. Unde & Antonius Matthæus de Fundat. & Fatis Eccles. pag. 143. Vander Burchium laudat, ac Tomo V. Analect. pag. 523. aliud pietatis catholicæ monumentum refert, de repositis curâ hujus Decani ossibus Conradi Ultraject. Episcopi in mont montum novum anno 1580. Scripta illius hæc sunt.

*Historia gentilitia Ducum ac Principum Sabaudiæ* libris II. Lugd. Bat. typis Plant. 1599. 4.

*Vita Guidonis Comitis Flandriæ.* Ultrajecti. 1615. 8.

*Preces Rythmicæ Latinæ ad Divam Virginem.*

*Origo admiranda & Fundatio Ecclesiæ Collegiatæ D. Virginis Ultrajecti.* 4. Extat etiam inter Epistolarum Syllogen Antonii Matthæi, pag. 408.

*Historia Comitum Flandriæ.* Tomis quatuor distincta, quam Machliniæ Vir Nobilis Joannes Latemius adservare solebat.

Obiit anno reparatæ salutis 1617. XXI. Kal. Septembris, annos natus LXXV. dies VIII. sepultus in navi Ecclesiæ suæ, sub sarcophago, quem ipse sibi mortalitatis memor poni curavit. Idemque de parentibus ita lusit aliquando :

*Riquerii fanum patri, Dixmudaque matri*
*Sunt natale solum, sunt ab avis, atavis.*
*Est pater* ADRIANUS *mihi* VANDER-BURCHIUS, *urbs quo*
*Ultrajectensis Præside læta fuit.*
*Præside quo Flandri donati deinde, Sigilli*
*Regalis custos, Conciliique simul*
*Existens Status qui Consiliarius inde,*
*Londini vitæ posuit exuvias,*
*Philippum Regem sequitur, dum jungitur illi*
*Henrici Regis filia conjugio.*
Barbara *me genuit Marchovi nata Toparcho,*
*Brugis Flandrorum contumulata viro.*
*Tres fuimus fratres, quorum qui ætate*
Joannes
*Primus, jactatus munia per varia,*
*Machliniæ (mihi quæ patria est) atque inde Senatus*
*Arcani functus Præsidis officio est.*
*Proximus huic ego sum, qui munere, Virgo, Decani*
*Ultrajectensi fungor in æde tua:*
*Quæ diris gravibusque objectum sæpè periclis*
*Servasti clemens, mota meis lacrymis.*
*Quod vivo, valeo, quòd gnavus stemmata Regum*
*Scribo senex, fateor muneris esse tui.*
*Tertius est frater, genitoris nomine clarus,*
*Carmina qui pangit, qualia non alius,*
*Moribus ornandis, ævoque accommoda nostro;*
*Ævo, quo virtus, quo procul est pietas:*
Barbara, Margarides, *prior his* Catharina *sorores,*
*Illa viro, vita hæ cœlibe conspicuæ.*

Extant in Syllogę Epistolarum Simonis Gabbema plures Justi Lipsii Epistolæ ad *Lambertum Burchium*, qui & patruus fuit Illustriss. Præsulis *Henrici Francisci Vander-Burgh*, è Decano Mechlin. tandem Archiepiscopi Cameracensis, eumque à teneris Ultrajecti penes se educavit.

## LAMBERTUS GORIS,

*Martini* Geldriæ Cancellarii Filius, Arnhemiensis, post lustratas Germaniæ superioris, Galliæque Academias, ac sedulam Jurisprudentiæ impensam operam, patriæ redditus, eamdem ipse in Hardervicensi Gymnasio Geldro-Velavico publicè professus fuit, indeque

in Syndicum urbis Noviomagenſis adſcitus. Obiit ibidem malignâ febre correptus, 20. Junii 1651. Illius ſunt.

*Adverſariorum Juris ſubciſivorum Tractatus IV. quibus ultra Frederici à Sande Commentationem de Effeſtucatione, acceſſere Annotata perpetua, quibus non ſolum Conſuetudines Gelriæ & Zutphaniæ ſed, etiam Brabantiæ, Hollandiæ, ac totius propemodum Belgii & Galliæ mores ac Conſuetudines illuſtrantur.* 4. Arnhemii 1651, item Brux. apud Petr. Dobbeler 1687.

*Commentarius ad L. Obſervandum D. de Officio Præſidis.* Arnhemi, 1632. 8. & 1635. 4.

*Commentarius ad Conſuetudines Velaviæ.* 4. Noviom. 1645. Arnh. 1664.

*Carmen hendecaſyllabicum de Laudibus Noviomagi, urbis Geldriæ Ducatus primariæ.* Ibid.

## LAMBERTUS GRUTERUS,

Venradius, ex ditione Keſſelenſi, Suffraganeus Archiepiſc. atque Electoris Moguntini in civitate ac diſtrictu Erphordienſi, edidit

*D. Clementis Pont. Rom. Opera*, cum præfatione de veris falſiſque ejuſdem *Clementis* ſcriptis, & locorum difficilium explanatione. Colon. typis Birckmanni, 1569. fol.

## LAMBERTUS HORTENSIUS,

Monfortius, natus anno 1500. à patre hortulano *Hortenſii* nomen fabricavit. Admodum adoleſcens in primo ſtudiorum tirocinio Lovanium venit, excolendi ingenii cauſâ. Clarebant eâ tempeſtate in illa ipſa Academia Linguarum Profeſſores; Græcæ *Rutgerus Reſcius*; Latinæ *Conradus Goclenius*; Hebraicę *Joannes Campenſis*: viri cùm diligentes in tradendo, tum in ſua quiſque paleſtra primi nominis. *Hortenſius* nihil duxit antiquius, quàm eas linguas, quantum dabatur, juvenili ardore perdiſcere, ſine quibus ſcientiæ omnes infeliciter, nullaque cum laude diſcuntur. Audiebat etiam eximium Peripateticum *Joannem Ludovicum Vivem*, & inſignem Rhetorem *Joannem Paludanum.*

Erat tum illi in eo ſtudiorum curriculo contubernalis *Joannes Guinterius*, Andernacus, unà cum eo in re litteraria ab unguibus Ultrajecti educatus, vir ingenii præſtantis, & ad apicem eruditionis natus: cum quo noctes & dies pervolutandis Græcis auctoribus impendebat; duxitque initium ab *Ariſtophanis Pluto*, quem verſibus latinis expreſſit, Scholiisque illuſtravit: è cujus Præfatione de ſtudiorum illius ratione hæc ferè deſcripſimus. Scripſit præterea,

*Satyrarum* in ævi ſui vitia & mores, libros II. Et

*Epithalamiorum* librum I. Ultrajecti 1552. 8. apud Borculoum. Leguntur Ultrajecti aliæ ejuſdem & *Satyræ* & *Epiſtolæ* verſu ſcriptæ.

*Chorographiam Goylandiæ*, verſu Elegiaco. Edidit eam in Theatro ſuo Hollandiæ pag. 335. Marcus Zuerius Boxhornius.

*Seceſſionum Civilium Ultrajectinarum, & bellorum ab anno 1524. uſque ad tranſlationem Epiſcopatus ad Burgundos*, libros VII. Baſileæ typis Joannis Oporini, 1546. fol. & rurſum Ultrajecti apud Joann. Van Doorn 1642.

*De Tumultibus Anabaptiſtarum.* 1548. 4. item Amſtel. 1636.

*De Bello Germanico*, à Carolo V. Cæſare geſto, libros VII. Baſil. 1560. in 4.

*Enarrationes in Virgilii Æneida.* Ibid. 1559. & 1577. fol.

*Explanationes* luculentas *in Annæi Lucani Pharſaliam.* Ibid. 1578. fol.

Ludum habuit litterarium Nardæ, apud Batavos: quâ urbe anno 1572. ab Hiſpanis, duce Friderico Albano, Ferdinandi Filio occupata, propiùs

factum est nihil, quàm ut direptis omnibus & occiso in oculis filio suo naturali *Augustino* (Presbyter enim erat) ipse quoque transfacto ferro jugularetur, nisi gratus discipulus nobilis quidam, *Weldamius* nomine, qui inter Iberos militabat, Comesque Bossutius prædæ illum loco complexus servasset.

Quantæ famę fuisse putas, cui in tam atroci clade doctrina præsidio fuit? ut in Cosmocritico scribit *Cornelius Gemma*. Ferunt tunc *Hortensium*, periclitantem licet de vita, cæteris relictis omnibus, solùm quas in Lucanum scripserat lucubrationes secum auferre conatum. Descripsit postea idem *Hortensius* dicti *Nardeni oppidi Cædem & Direptionem*, quę Ultrajecti MS. legitur.

Obiit in prædio ibidem suburbano, quod vulgò *den hooghen Engh* vocant, Nardę in D. Viti conditus, ubi Epitaphium hoc legitur, publico ære positum:

HORTENSIUM *inter mortuos*
*Quæris viator? Urnula*
*Hæc ossa solùm aut pulveres*
*Habet, polus mentem entheam,*
*Nomen libri, famam vaga*
*Doctûm; ora ovat cœlo ac salo*
*Decus scholæ atque civium.*
Conditum hîc est corpus
D. LAMBERTI HORTENSII,
Viri omne genus eruditionis eximii,
Litteratoris arguti, Historici sagacis,
Juvętutis Nardenę Moderatoris strenui,
Evocati ex hac vita, anno à laniena,
Quę soli propter doctrinam singularem
Pepercerat, altero,
A nato Christo M.D. LXXIII.
Memoriæ ac honori
PP. Consules ac Æditui.

Vitam HORTENSII prolixiorem scripsit, Gisbertus Lappius à Waveren J. C. ediditque ad calcem Historiæ Ultraject. author. G. Heda & J. Beka, anno 1642. ubi & notatur Hortensius *Vir dubiæ famæ, inter Papismum & Lutheranismum fluctuans; unde & à rusticis vulgo* de Luytersche Paep *vocitabatur &c.*

## LAMBERTUS JEGHER,

Leodii nascitur anno 1572. Philosophiæ ac S. Theologiæ cursum emensus Lovanii, hujus deinde in Flonensi Canonicorum Regularium S. Augustini Abbatia annis aliquot Lector fuit, tandemque ad Præposituram Collegiatæ Ecclesiæ S. Hadelini in opido Visetensi vocatus, simul regimini Canonissarum Ord. S. Sepulchri Jerosolymitani præficitur. In quarum favorem vindicavit ab interitu Origines & progressus ejusdem Ordinis, edito libello, cui titulus:

*Gloria Ordinis Canonicorum Regularium S. Sepulchri Dominici Jerosolymitani:* cui Bullas adjunxit in eam rem Pontificias. Leodii, 1626. 8. typis Arn. de Corswaremia.

## LAMBERTUS LEODICENSIS,

Monachus S. Laurentii, in Cœnobio Tuitiensi Ordinis S. Benedicti, claruit anno 1220. sub Werimboldo III. Abbate. Scripsit, præter *Hymnos* & *Epigrammata*, mandante Metropoli Agrippinâ, ut habet Præfatio,

*De Vita S. Hereberti*, Archiepisc. Colonienſis, libros II. Extant in Actis SS. Bollandianis Tomo II. ad diem XVI. Martii. Meminit illius, Arn. Wionus in Ligno Vitæ, sive libro de Illustribus Benedictinis.

Memoratur quoque Lambertus quidam DE LEGIA, Ordinis Benedictini Monachus, qui *de Vita ac Miraculis S. Matthiæ* Apostoli, Carmine, & *de S. Agricio*, librum I. scripsisse dicitur; vixisse vero anno 1480. teste Gesnero, secundùm

ſecundùm alios (& fortè ſeriùs) anno 1580.

## LAMBERTUS LUDOLPHUS PYTHOPHÆUS,

Daventrienſis, *Orationes* vulgavit: *de Philoſophiæ Laudibus & Utilitate*, Heidelbergæ, in 4.

*De ſtudio & cauſis Eloquentiæ.* 1581. 4.

*De ſtudio Poëtices.* 1586. 2.

*De Aſtronomia.* 1589. 4.

Præterea *Tobiam* carmine Elegiaco reddidit, 1565. 8. ac denique vario & eleganti carmine NIHIL deſcripſit.

Moritur anno 1596. ætatis LXIII. IV. Kal. Februarii.

## LAMBERTUS PARVUS,

Monachus Cœnobii S. Jacobi in urbe Leodienſi, inſtituti Benedictini, ſæculo XII. floruit; deſcripſit

*Res Geſtas Epiſcoporum Leodicenſium*, ab anno 988. uſque ad annum 1194. quo è vita abiit. Continuarunt verò *Lamberti* Chronicon uſque ad annum 1229. *Reinerus*, & *Cornelius à Santfliet* ejuſdem loci Religioſi. Utrumque ibidem Manuſc. legebatur: donec anno 1729. Pariſiis editum fuit per PP. Benedictinos Congreg. S. Mauri, in noviſſima Collectione Veterum Monumentorum Tomo V. pag. 1.

## LAMBERTUS DE RYCKE,

Unà cum *Nathan Vayo*, & *Job du Rieu*, prædicutiis Calvinianis in oppido Bergizomenſi, deſcripſit vernaculè *Bergizomium obſeſſum* 18. *Julii* 1622. *& liberatum* 3. *Octobris ſequentis.* 4. Middelburgi 1623.

Obiit Bergis anno 1658, ætatis 83. miniſterii 53.

## LAMBERTUS A STIPITE,

Vulgo DE STOCKIS, Leodius, Decretorum Doctor, Monachus Benedictinus ad S. Laurentium Leodii, ſimulque Prior Bertreiæ in Gallo-Brabantia (poſtmodum ſuppreſſi Prioratûs, ac Sedi Epiſcopali Namurcenſi ad dotis illius augmentum uniti) Vir magnæ famę, claruit in Conſilio Piſano anno 1409. deinde in Conſtantienſi anno 1416, ubi & Seſſioni XVI. ſubſcripſit.

A Patribus Concilii deſignatus fuit arbiter quæſtionum inter Polonos, & Equites Ordinis Theutonici; ad Benedictum XIII. delegatus ut dicto Concilio aſſiſteret; ac demum (pro ſummæ ſcientiæ indicio) unus ex his, quos deputavit Concilium, ut unà cum Cardinalibus electioni Martini V. Pont. aſſiſterent.

Plurima ejus MSS. aſſervari dicuntur in præfata Abbatia S. Laurentii Leodii: è quibus plura, tùm de Actis ſupra-dicti Concilii, tum etiam de vita ejuſdem *Lamberti à Stipite* poſſent innoteſcere.

## LAMBERTUS THOMAS SCHENCKELIUS,

Duciſilvius, ſive Silvæ-ducenſis, natus anno 1547. Martii die VII, patre *Dominico*, Reip. Silvæ-ducenſis Medico: ſeptemdecim annorum adoleſcens Philoſophica Lovanii ſtudia ſectatus fuit in Porcenſi Gymnaſio. Coloniæ in Ubiis ad altiora contendenti infelicitas temporum aditum præcluſit. Itaque animum ad docendum appulit, Etteni, Thenis, Antverpiæ, & Machliniæ moderator ac Rector ſcholę publicæ. In Gallias profectus, Rotomagi, Lutetiæ Pariſiorum, & alibi vixit & docuit. Edidit in uſum ſcholarum, docentium diſcentiumque,

*Tabulam Scholæ publicæ Machlinienſis.* Antverp. excudit Plantinus. 1576. 8.

*Grammaticæ Latinæ Præceptiones*, libris III. Ibid. 1582. & 1592. 4.

*Tabulam Proſodiæ Latinæ*. Colon. 8.

*Corn. Valerii Tabulas Rhetorices* Interrogationibus diſtinctas, 1596. 8. typis Plantini.

*Flores & Sententias inſigniores*, ſelectas è *Phil. Cominæo*, *Froiſſardo*, Conſtantia & Politicis *Juſti Lipſii*. Pariſiis, 1606.

Carmen quoque pangebat facile, nec reluctante venâ aut invitâ Minervâ; cujuſmodi ſunt, ſparſim edita:

*Gratulatio adventus Joannis Auſtriaci in urbem Machlinienſem &c.* Lovanii apud Maſium, 1577.

*Gratulatio in adventum Alex. Parmæ Principis*, aliorumque Regi Catholico militantium. Antver. 1589. 8. apud Giſl. Janſenium.

*Apologia antithetica pro Rege Catholico*. Ibid. 1589. 8.

*Deſcriptio* brevis *prælii in Friſia initi*, anno 1568. die XIII. Maii, quo cecidit *Joannes Ligny*, Comes Arenbergius, Friſiæ Gubernator. Bruxellæ, apud Mommartium, 1590.

*Elegiarum & Epigrammatum* liber. Toloſæ, 1609.

*Lamentatio in obitum Henrici IV.* & *Gratulatio in proclamationem Ludovici XIII.* Regum Galliæ. Caſtreſii, 1610. apud Pet. Fabrum.

*Jovinianus* Imp. ſive *Hiſtoria fortunæ adverſæ*: cum *Elegiis* aliquot &c. Pragæ, 1617.

Ἔπαινος ſive *Præconium Matthiæ* Cæſaris &c. & *Ferdinandi*, Coronati Regis Bohemiæ & Hungariæ. Friburgi Briſgoiæ, 1620.

Præterea *De Memoriâ & admirandis memoriæ exemplis* libros duos conſcripſit gallicè, editos Atrebati 1593. in 8.

Eam artem annos amplius quadraginta in Belgio, Germania, Bohemia, Gallia, Burgundia & alibi docuit; ſtudiumque ſuum ac docendi facilitatem Epiſcopis, Antverpienſi, Leodienſi, Atrebatenſi; Academiis Pariſienſi, Lovanienſi, Duacenſi & Herbipolitanæ probavit. Tradens inſuper artem dictandi eodem tempore X. XV. XX. aut pluribus ſcribis materiæ diverſæ epiſtolas; aliaque in ſpeciem παραδόξα. Quale illud, linguam latinam ſex menſium aut breviori ſpatio doceri & addiſci poſſe: qua de re Methodum dedit Argentinæ, 1619. 8.

*Gazophylacium Artis Memoriæ Lamb. Schenckelii* editum Roſtochii, eodem anno, in 12. Itemque *Schenckelius detectus*, auctore Joan. Papio Galbaico.

Denique *Precationes* aliquot edidit *de Natali Chriſti*, Antver. apud Arn. Coninex, 1592.

## LAMBERTUS A VALLE,

Silvæducenſis, S. Theol. Baccal. Plebanus ſeu Paſtor Tungrenſis, vivebat anno 1550; reliquit

*Conceptus ſeu Locos Theologicos*, ordine alphabetico diſtributos; apud Regulares Tungrenſes.

## LAMBERTUS VELTHUYSEN,

Ultrajectinus, Vir Nobilis, ac Conſularis, qui ſubortis in patria ſua diſſentionibus, unà cum fratre Wernero omnibuſque cognitis & amicis, de gubernaculo Reip. dejectus fuit, circa annum 1665. Singulariter coluit *Thomam Hobbeſium*, Anglum, de Atheiſmo notatum; cujus etiam ſcripta tueri voluit. Proinde ſcripta *Velthuſii* itidem rogo digna cenſentur.

*Opera* ejus *omnia*, antea quidem ſeparatim, tam belgicè quam latinè, dein vero conjunctim latinè edita, prodierunt in 4. Roterodami 1680. nempe

*Tractatus moralis de naturali pudore & dignitate hominis, in quo agitur de inceſtu, ſcortatione, voto caſtitatis, conjugio, adulterio, polygamiâ & divortiis*. Ultraj. 1676. in 4.

*De Uſu rationis in Theologia*. Ultraj. 1668. in 12.

*De satisfactione*, contra Crellium. 16. 1648. in 12.

*Specimen retorsionis calumniarum.* 4. Ibid.

*De Principiis justi ac decori, Dissertatio epistolica, continens Apologiam pro Tractatu Hobbesii de Cive.* (qui de Atheismo suspectus est) primùm sine nomine Amstel. 1651. in 12.

*De Justitia divina & humana.* Ultraj. 1644. in 12.

*Initia primæ Philosophiæ, item de Deo & mente humana.* Ultraj. 1662. 12.

*De articulis Fidei Fundamentalibus & Cultu naturali.* Roterod. 1680. in 4. Sed omnia dein fuerunt prohibita Romæ Decr. S. Congreg. Indicis 25. Januarii 1684.

## LAMBERTUS DE VLIERDEN,

Harstallii apud Leodienses anno 1564. nascitur, patre quidem Leodiensi, sed avo Oorschotano. Puer in patria puritiæ transegit annos, deinde Aquisgrani, Coloniæ & rursum Leodii litteris humanioribus incubuit. Hinc Apollinis castris desertis, Martisque sacris initiatus, suo sub Principe Ernesto Bavaro aliisque, variis in locis variam fortunam expertus fuit. Qua de re ipse alibi ita cecinit:

*Me pater ô utinam duro sacrasset aratro,*
*Tempora cùm vitæ prima fuere meæ.*
*Non ego militiam neque castra secutus abissem*
*Ad vada, quæ ripis proxima, Rhene, tuis.*
*Non ego vidissem Moenum, neque forsitan Istrum,*
*Ignotusque suis Neccarus esset aquis.*
*Odera non esset, nec cognitus esset Obrincus,*
*Nec Vesaris Vari sanguinis ille reus,*
*Nulla Borussiacis essent mihi cognita regnis*
*Opida, Vandalicis opida nulla locis.*
*Machina nulla meum penetrasset abenea pectus,*
*Rupissent somnos classica nulla meos.*

Bis ab hostibus captus, ac tandem militiæ pertæsus, honesto probandoque transfugio Lovanium venit, & in Gymnasio Lilii Philosophiæ operam dedit & inter Artium Magistros, ut vocant, anno 1585. secundus in Promotione renuntiatus, Jurisprudentiæ animum adjecit. Titulum Jurisconsulti anno 1590. adeptus, in patriam rediit: ubi totis fere quinquaginta annis foro deserviens, consilium secutus Quintiliani libro XII. cap. ultimo, desistere potiùs quàm deficere maluit, proculque a contentionibus in litterato otio degere. Vir totus candidus & humanus, doctorum amantissimus. Versus ut faciles, ita & suavissimos, etiam in defecta propemodum ætate ludere solebat, sed oratione solutâ nervosior erat. Scripsit autem sequentia, pleraque carmine:

*Apotheosin & Panegyricum Ernesto ac Ferdinando, Bavaris, successivè Leodien. Episcopis.* Leodii, 1613. 8.

*De Electione & Coronatione Ferdinandi II. Imp.* Ibid. 1619. 8.

*Epitaphium D. Catharinæ de Miche D. Winandi*, viri Consularis & Prætorii *filiæ*, quod inscripsit *Antia Daphne. Jenæ*, 1619 8.

*Vota, Preces & Monita publica pro bello Bohemico*, &c. Leodii 1621. 8.

*De morte Alberti Pii*, Belgarum Principis. Ibid. 1622. 8.

*Epistolas militum Regiorum ad obsessos Bredæ rebelles milites, & horum ad illos responsorias*, sed alieno nomine. Augustæ Rauracorum, 1625. 8.

*Tractatum. De XXXII. Tribubus Opificum civitatis Leodiensis, deque earum origine.* Leodii 1628. 8.

*Fastos Magistrales inclitæ civitatis Leodiensis*, ad normam Cæsareæ jussionis in Comitiis anni 1628. VIII. Kal. Aug. habitis, 8.

*Historiam civitatis Leodiensis*, typo

seu tabulæ ejusdem subjectam.

*Edicta Nummorum omnium, quorum usus in civitate Leod. & vicinis Provinciis, ab anno* 1477. *adusque annum* 1623. Leodii, 1623. 4.

*Hercules Belgicus*, sive de rebus *Caroli Longevallii*, Comitis Bucquoii Archistrategi Cæsarei in Bohemia & Hungaria gestis, deque ejus deploranda morte liber, necdum lucem vidit.

*Prosopopœia Satyrica civitatis Leodiensis ab adventu Joannis de Weerdt*, & subsecutorum motuum, ab anno scilicet 1636. quæ finem exspectabat motuum, edenda versu Elegiaco.

## LAMBERTUS DE VLIERDEN,

Lamberti filius & Caroli Ferdinandi frater, prima studiorum fundamenta Leodii in patria sub S. J. Patribus posuit. Hinc Lovanii in Falconis Gymnasio Philosophiam feliciter didicit, exindeque toto quinquennio se totum Juris studio dedidit, & anno 1620. J. U. Licentiæ, ut vocant, lauream in patriam reportavit. Scripsit

*Caroli Longevallii, Bucquoy Comitis Epitaphium* versibus Elegiacis, cui titulum fecit *Hercules Belgicus*, ad instar paterni solutâ oratione scripti. Leodii, an 8.

## LAMBERTUS WATERLOS,

Canonicus Regularis Cœnobii S. Auberti, in urbe Cameracensi,

*Historiam Episcoporum Cameracensium*, à temporibus Odonis Episcopi usque ad annum Christi 1570. deduxit. Legitur Manuscriptum Cameraci, & in Cœnobiis Marchianensi atque Hennin-iano.

## LAURENTIUS VAN BENEDEN,

Theologus ac J. C. Pastorem egit annos XXIV. in Lakensi agri Bruxellensis Ecclesia, ubi miraculis clara colitur Virginis Deiparæ memoria, ibique decessit mense Augusto 1638. Scripsit quædam vernaculo sermone:

*Dioptram*, id est, *Speculum Catholicæ veritatis de SS. Sacrificio Missæ &c.*

*De Origine Ecclesiæ & Miraculis D. Virginis Lakensis.*

*De Vita & Virtutibus S. Joannis Evangelistæ.*

*De Vita S. Matris Annæ* 8. Bruxel. 1628. Aliaque.

## LAURENTIUS BEYERLINCK,

Antverpianus, S. Theol. Licentiatus Lovanienſis, nascitur anno 1578, mense Aprili, patre Adriano, matre Catharina Van Eyck civibus honestissimis: majoribus Bergizomiis.

Prima studiorum tirocinia fecit in patria sub Societatis Jesu Patribus. Hinc Lovanium ad uberiorem ingenii messem faciendam ablegatus, Philosophiæ stadium feliciter decurrit; ipseque ibidem juvenis adhuc Poëtices & Rhetorices præcepta in Collegio Vaulxiano, vulgò Gandensi; Philosophiam in Bethleëmitico Canonicorum Regularium cœnobio, tradidit: constitutus mox Pastor in pago de Herent extra urbis muros, & Decano Christianitatis, ut vocant, in ipsa urbe datus coöpitulator, à *Matthia Hovio*, Machlinienſium Antistite; cui dum vixit, gratus acceptusque fuit.

Anno 1605. evocatus in patriam à *Joanne Miræo*, Antverp. Episcopo, primam Seminarii sive Collegii Episcopalis institutionem & præfecturam suscepit, & non multò pòst eodem favente Canonicum beneficium, inter eos, quos Graduatos nuncupant, obtinuit; cui deinde accessit Archipresbyteri dignitas in Ecclesia Cathedrali ac districtu Antverpiensi.

Vir fuit ſermone ac ſtylo diſertus; quod teſtantur Conciones, quas variis in locis ad populum frequentes habuit, & ſcripta varii argumenti, ingenio facili & expedito, comitate morum & affabilitate gratus & carus omnibus, vitæque innocentiâ, atque in Deum pietate, apud cives & exteros clarus.

Ab ejus ingenio hæc profecta ſunt:

*Apophthegmata Chriſtianorum.* Antver. typis Plantin. 1608. 8.

*Opus Chronographicum*, ab anno 1570. uſque ad an. 1612. quod *Chronici Opmeriani* Auctarium eſt. Ibid. apud Verduſſ. 1612. in fol.

*Promptuarium Morale ſuper Euangelia Feſtorum anni totius.* Item *Commune Sanctorum.* Coloniæ, Tomis III. apud Ant. Hieratum, 1613. 1615. 1618. & 1625. 8.

*Tractatus Synodicus, ad Synodum Dordracenam*: ubi de Synodorum inſtitutione &c. Antver. 1619. 8.

*Examen conſilii Profectionis Marci Ant. de Dominis*, Archiepiſc. Spalatenſis. Coloniæ apud Kinckium, 1617. 8.

*Parentalia in Funere Joannis Miræi*, Epiſc. Antverpienſis. Ibid. 1611. 8.

*Parentalia in Funere Matthiæ Hovii*, Machlin. Archiepiſc. Ibid. 1620. 4.

*Orationes II. in Exequiis Philippi III.* Regis Catholici, & *Alberti Pii*, Belgarum Principis, Antverpiæ habitæ. Ibidem. 1621. 4.

*Biblia Sacra variarum Tranſlationum*, apud Keerbergium, 1618. fol. Tomis III.

*Magnum Theatrum Vitæ Humanæ*, hoc eſt: Rerum divinarum humanarumque Syntagma, Catholicum, Philoſophicum, Hiſtoricum, Dogmaticum, ordine Alphabetico & libris XX. diſpoſitum: editum à morte auctoris Coloniæ, typis Ant. Hierati, 1631. fol. Tomis VII. dein reimpreſſum Lugduni in Gallia anno 1678. ſumptibus Ant. Huguetan, Tomis VIII. cum Additionibus Caroli Pinctii S. T. L.

Idiomate vernaculo dedit *Reſponſa Catholica ad quæſita obvia prætenſæ Religionis reformatæ*, typis Verduſſii, 1609. & iterum aucta, 1617. 16.

Item *Vitas III. Apoſtolorum Antverpienſium SSS. Eligii, Willebrordi, Norberti*; apud Corn. Verſchueren, in 4. item 1651. latinè & belgicè.

Obiit anno à parta generi humano ſalute, 1627. ætatis XLIX. die 7. Junii, ad D. Virginem, in Sacello D Thomæ ſacro, apud parentes depoſitus, hoc Epitaphio ſpeciali.

LAURENTIUS BEYERLINCK,
Antverp. natus litteriſque excultus,
Lovanii Philoſophiam & Theol. hauſit.
Ad Seminarii curam huc evocatus,
Præfuit & fecit bene.
Hujus Ædis Canonicus, & Librorum
Cenſor, Diſtrictûs primùm,
Dein Urbis Archipresbyter,
Nec non S. R. E. Prothonotarius.
Tot muniis præclarè obitis,
Concionibus, ſcriptis ſacris & profanis,
Vitæ innocentiâ atque in Deum pietate,
Apud cives & exteros clarus,
Obiit 7. Junii M. D. C. XXVII.
Ætatis XLIX.

## LAURENTIUS BONETUS,

Atrebas, dedit *Inſtitutiones Linguæ utriuſque*, Orthographiam, Etymologiam, Syntaxin, Proſodiam complectens. Antver. 1572. 8. typis Radæi.

## LAURENTIUS CAMPESTER,

Vulgò *Van-den Velde*, Dieſtemius, Brabantus, *Nicolaum Clenardum* gentilem & præceptorem habuit. Ipſe poſtmodum in patria ludum aperuit litterarium, atque elatâ uxore, Lovanii apud Canonicos Regulares S. Auguſtini Gertrudanos juventutem docuit. Scripſit

*Dialogos Ethicos*, ſive morales, libris III. Lovanii, typis Rutgeri Velpii, 1564. & 1571. 8.

*Syntaxeos Propædeumata*, exemplis ethicis inſtructa. Ibid. 1555. 8.

*Sophroniſmum*: quo ſeductum ab errore revocat, & vitæ temperantioris dat monita. Ibid. 1577. 8.

*Orationem laudatoriam, pro Franciſco Valeſio, Francorum Rege.* Lugduni. 1538.

## LAURENTIUS CHIFFLETIUS,

Patriâ Biſuntinus, Sequanus, *Joannis Jacobi* Aulæ Bruxellenſis Archiatri Regii filius, Societatis Jeſu Inſtitutum amplexus eſt in Belgio anno 1617. ætatis ſuæ XIX. Multiplici eruditione excelluit, orator facundus, Confeſſarius zeloſus, multorum aſceticorum Opuſculorum auctor, quorum elenchum recenſet Bibliotheca Scriptorum S. J. Sexagenarius obiit Antverpiæ die 9. Julii 1658. in Domo Profeſſâ, quam Præpoſitus rexerat. Inprimis nota ſunt hæc, quæ latinè edidit,

*Idea præcipuorum actuum, ad invocandam Miſericordiæ Matrem.* Bruxellæ 1640.

*Hiſtoria miraculoſæ curationis, cœleſtis vocationis, Miſſionis Apoſtolicæ & glorioſæ mortis P. Marcelli Franciſci Maſtrillii è Societ. Jeſu.* 8. Duaci, typis Belleri. 1640.

*Epitome Panegyrica præcipuarum laudum SS. Ignatii & Xaverii*, ex italico latinè. Brux. 1649. 12.

Gallicè vero hæc.

*Exercitia Spiritualia*; quæ etiam in hiſpanicum tranſlata prodierunt Antv. 1653. 12.

*Pſalterium B. M. V.*

*Doctrina Chriſtiana.*

*Exercitia infirmorum.*

*Praxis Devotionis.*

*Methodus recitandi Roſarii*, aliaque plura aſcetica.

Item *Grammatica gallica*, Antver. 1659. & aliàs ſæpius recuſa.

## LAURENTIUS CUYPERS,

Gerardimontanus, Carmelitarum per Belgium Provincialis, S. Theologiæ Licent. & Eccleſiaſtes diſertiſſimus, ac patriæ hiſtoriæ peritiſſimus fuit. E gallico latinè reddidit

*Theatrum Mundi Minoris*, ſive humanæ calamitatis Oceanum. Adjecit libellum *De dignitate hominis.* Antver. 1576. & 1607. 12. apud Jo. Bellerum.

*B. Annæ Genealogiam & Vitam* ex vetuſtiſſimis Eccleſiæ DD. concinnavit. Ibid. 1592. 16.

Ἀνθρώπων ἔσχατα, *Quatuor hominis Noviſſima* Concionibus XXIV. explicavit. Cum *Paracleſi ad ſtudium Spiritualis militiæ.* Coloniæ, typis Cholini, 1583. in 8.

*Brabantina* denique *Chronica* ex Diplomatibus, aliiſque vetuſtis monumentis fideliter adornavit, ſi, quæ de primis ac fabuloſis, doctorum judicio, narrat Brabantiæ Principibus & Marchionibus Antuerpienſibus, reſecentur. Adſervari ſolebant Bruxellis in Curia.

Addit Petr. Lucius *Commentarium in Eſther, in Ruth. Sermones de Dominicis & Feſtis.*

Obiit Bruxellis, anno 1594. ætatis 66. die 29. Martii, in loco Capitulari conditus, hoc Epitaphio.

*Hic poſui Frater* LAURENTIUS *oſſa* CUPERUS.
*Dic requiem lector manibus ergo meis.*
*Ut dum finis erit mundi, defunctaque ſurgent*
*Corpora, perpetuum mittar in Elyſium.*
*Morte cadens anno M. D. XCIV.*
*XXIX Martii, ætatis LXVI.*

## LAURENTIUS FRISIUS,

Medicus, in Germania claruit circa

LAVRENTIVS, COSTERVS.

I.V. Campen. del. Do. L'armessin. sculp.

annum 1556. græcè & arabicè doctus. Scripsit

*Synonyma Simplicium Pharmacorum*, latinis, græcis & arabicis vocabulis. Liber germanicè scriptus, mille mendis refertus, inquit Gesnerus.

*Regimen Sanitatis per rationem victus.*

*Epitomen de curando morbo Gallico.* apud Hen. Petri, 1532. 4.

Præterea germanicè *Speculum Medicinæ*, de singulorum morborum curatione, à capite ad pedes.

## LAURENTIUS GHIFFENE,

Rotnacensis, Flander, Lovanii primus in Scholis Artium anno 1613. è Pœdagogio Lilii, in quo dein pluribus annis Professor Philosophiæ primarius, magnâ ingenii subtilitate & judicii acrimoniâ suos inter excelluit; ediditque

*Prodidagmata* sive *Logicæ Partem primam introductoriam ad Organum Aristotelis.* Lovanii, typis Cœnestenii, 1627. & 1641. 4.

Obiit præmaturè anno 1637. die VI. Maii, existens Canonicus S. Hermetis Rothnaci, item Thorensis in Ditione Leodiensi, per Privilegia Academica.

## LAURENTIUS HAECHTANUS,

Aliàs VAN GODTSENHOVEN, Machliniensis, vir totus candidus, & vitæ integer: scripsit

Μικροκόσμον, sive *Parvum mundum*, cum Imaginibus, carmine.

Flandrico verò idiomate, *Chronicon Ducum Brabantiæ.* Antver. 1606. fol. apud Joan. Bapt. Vrientium: multaque alia eodem vernaculo sermone, in gratiam juventutis commentatus est.

Moritur Antverpiæ anno 1603. ætatis LXXVI. IV. Idus Aprilis.

## LAURENTIUS VANDEN HANE,

Gandavensis, J. U. Licentiatus, in Provinciali Flandria Consilio caussarum patronus celeberrimus, Municipale Flandrorum Jus studiosè compilavit, amplissimosque ejusdem Indices eleganter concinnavit; hoc titulo,

*Vlaemsche Recht, dat is, Costumen ende Wetten ghedecreteert by de Graven ende Gravinnen van Vlaenderen.* Fol. Partes II. Gandavi apud Max. Graet 1664. Prodiere postmodum hoc titulo:

*Coutumes de Flandre, avec les Notes de Mr. Van den Hane, par Mr. le Grand.* fol. 3. Vol. Cameraci anno 1719.

## LAURENTIUS COSTERUS,

Joannis sacristæ filius, civis Harlemensis, etiamsi nullos scripsisse libros perhibeatur, optimo tamen jure in hac Bibliotheca Belgica locum sibi vendicat: quippe, qui Typographicæ Artis primus inventor, omnium fermè Librorum hîc recensitorum primam quasi materiam præbuit, plurimaque scripta cum blattis & tineis luctantia, aut aliàs prorsus interitura, universo orbi conservavit. Hinc sub *Costeri* effigie ad ejusdem domum appositæ fuere hæ duæ Inscriptiones.

Memoriæ sacrum.
Typographia
Ars artium omnium
Conservatrix
Hîc primum inventa
Circa an. M.CCCC. XL.

Viro Consulari
LAURENTIO COSTERO, Harlemensi,
Altero Cadmo,
Et Artis Typographicæ
Circa annum Domini M.CCCC.XXX.
Inventori primo,
Bene de Litteris ac toto orbe merito
Hanc Q. L. Q. C. statuam,
Quia æream non habuit,
Pro Monumento
Posuit Civis gratissimus.

Adinventam Harlemi Artem typographicam, ſic enarrat *Theodorus Schrevelius*, in ſuo Harlemo pag. 270.

*Quotquot cives Harlemi nati & educati, fide omnes digni, hoc quaſi per manus traditum à parentibus accepimus, ante annos CCVII Civem non è multis Harlemi fuiſſe, qui ædibus ſatis ſplendidis ſeroque imminentibus è regione Palatii regalis habitabat. Ei nomen fuit Laurentius Jo. Sacriſteyn, quod adituum ſignificat, non familiæ: munus enim hæreditarium fuit in ista ſtirpe: ita ut hic honos ipſi ſoli debeatur multis invidendus. Is autem id pro more habebat, exſpaciare in ſuburbano nemore, in ſylvis obambulare, & cum forte meditabundus in amœnis viretis conſediſſet temporis fallendi cauſa, venit in mentem in fagino cortice, litterarum typos formare, dein nomen incidere, quod impreſſit dorſo manûs, relictis totidem in cute litteris, mox verſiculum unum atque alterum animi gratia ducere, & recta linea litteras, quas atramento imbuebat, novus artifex & puræ chartæ imprimebat. Hoc primùm fuit artis maximæ rudimentum, quod ubi feliciter ſucceſſit, cepit animo altiora concipere. Primum omnium atramenti ſcriptorii genus glutinoſius, tenaciuſque excogitavit.*

*Placuit inventum, adhibito tandem in conſilium & partem curæ genero ſuo Thoma Petri, qui filios reliquit IV. qui omnes ſucceſſive Coſſ. & Conſulares fuere, ne quis exiſtimet è fece vulgi fuiſſe homines, qui tam præclaram artem invenerint; Dei inventum.*

*Inde totos pinacas caracteribus expreſſerunt, ſed ab una tantum parte. Exſtant hodieque ejus operis adverſaria paginis tantum adverſis impreſſa, quæ pagina glutine commiſſæ inter ſe cohærent, ut videantur eſſe epiſtographa. Ex hoc typographeo liber prodiit, qui lingua vernacula ſcriptus,* Speculum ſalutis *inſcribitur.*

*Hæc prima quaſi infantia artis hujus, quæ paulatim incrementa cepit. Nam auctor alta mente præditus bacillos buxeos protinus mutavit, & caracteres plumbeos fecit; mox è ſtaneo fuſiles litteras formavit, magis concinnas, & durabiles magis, quas Gerardus Thomæ diligenter aſſervavit ad fidem poſteritatis. Cumque jam progreſſus facerent indies majores, etiam rem facerent ex arte, & ex voto inchoata ſuccederent, quæſtum etiam facerent, author non fuit par labori typographico. Ita neceſſe habuit mercenariorum opera uti: quos non admiſit in officinam ſuam, niſi dato primum fidelitatis juramento, ne ſecreta artis typographicæ eliminarent, aut alios docerent quovis modo. Non obſtante eo, Joannes quidam, ſive, ut fert ſuſpicio, Fauſtus, hero ſuo invidus, à quo artem omnem fuerat edoctus, ipſo pervigilio Natalis Dominici, omne typorum choragium involavit, aſportavitque primùm Amſtelodamum, inde Coloniam Agrippinam, denique Moguntiacum: ubi hic trifurcifer & ſeſqui-lavernio, ſibi inventionis novæ laudem arrogans, intra vertentis anni ſpatium ad annum à nato Chriſto M.CCCC.XLII. iis ipſis, quas hero fuerat ſuffuratus, litteris, in lucem edidit, Alexandri Doctrinale cum Petri Hiſpani Tractatibus. Hinc rumor vulgo, Moguntiæ Artem typographicam inventam, in præjudicium Laurentii Coſteri.*

De eadem Typographiæ inventione hos verſus appoſuit P. Scriverius, ad Coſteri effigiem.

*Vana quid Architypos, quid Prela Moguntia jactas?*
*Harlemi Archetypos Prelaque nata ſcias.*
*Extruit hic (monſtrante Deo) Laurentius artem.*
*Diſſimulare Virum, diſſimulare Deum eſt.*

Scripſit quoque pro typis Harlemenſibus Marcus Zuerius Boxhornius, *De Typographicæ Artis Inventione & Inventoribus, Diſſertationem*, 1640. in 4. Leydæ. Sed omnes paſſim Germani gloriam hanc civitati Moguntinæ ejuſque civi *Joanni à Guttemberg*, quidam etiam

etiam Argentorato ejuſque civi *Joanni Mentelio* adſcribunt. *Bern. à Malinkrot*, Decanus Monaſterienſis, libro ſuo *de Ortu & progreſſu Artis typographicæ* 1639. id-ipſum multis probat argumentis. Quin & Galli & Angli, qui in hujus controverſiæ deciſione partem nationis non habent, ideoque æquiores judices videri volunt, magis tamen in partem Germanorum quam Harlemenſium propendent. Sit de his penes eruditiores judicium. Vide etiam Tomum *I. Annalium Typographicorum Mich. Maittaire Artium Mag. Angli*, opus curioſum Amſtelod. 1719. editum; item *Andream Chevillier*, & *Joannem de la Caille*, authores Gallos.

Primi porro Typographi famoſi in Belgio fuere *Joannes de Weſtphalia* Paderbornenſis, qui anno 1473. Lovanii, & anno ſequente Aloſti, ac 1479. Noviomagi impreſſit: ſocium Aloſti nactus *Theodoricum Martini*. Item anno 1476. Brugis *Colardus Manſion*, civis Brugenſis; & anno 1485. *Gerardus Leeuw* Antverpiæ.

## LAURENTIUS LANDMETER,

Tornacenſis, S. Theol. Licent. Lovanienſis, atque Ordinis Præmonſtratenſis in Abbatia Tongerloënſi Canonicus Regularis & Lector, pòſt curæ Paſtorali in Rhetenſi Brabantiæ municipio admotus, nec non Archipresbyter Diſtrictûs Gelenſis, accuratæ atque elegantioris vir doctrinæ, antiquitatumque Eccleſiaſticarum in paucis gnarus, affabilitate ac morum comitate omnibus amabilis, ſcripſit

*Commentarium* brevem *ad Regulam* S. AUGUSTINI. Lovanii typis Maſii, 1621. 8. item Antver. 1635. in 4. auctiorem.

*De vetere Clerico, Monacho, ac Monacho-Clerico, libros III*, quorum I. veterem eorum habitum; II. victum & diſciplinam; III. honorem & exemptionem deſcribit. Antver. apud Joan. Cnobbaert 1635. 4.

*Tractatum de Officio Parochi*. MS. Tungerloæ.

*Encomium Veritatis*, ſive alluſionem ad Lemma Abbatiæ Tungerloenſis *Veritas vincit*, deſumptum ex libro III. Eſdræ; cujus hìc ſimul brevis Commentarius. 12. Antver. apud Guil. Leeſten. 1645. Accedit

*Paraphraſis in librum Tertulliani de Pallio*. Ibid.

Plura item reliquit Bibliothecæ Tungerloenſi Manuſcripta, quæ lucem quoque merentur. Obiit in Parochia ſua de Rethy anno 1646.

## LAURENTIUS LEODICENSIS,

Cœnobii Laurentiani apud Leodicum Monachus, & ad S. Vitonum in Lotharingia: poſt Bertharium, & alium Anonymum, ſcripſit

*Geſta Epiſcoporum Virdunenſium, & Abbatum S. Vitoni*, ab anno Chriſti 1048. uſque ad annum 1144. & quod excurrit. Legebantur Virduni in S. Vitoni cœnobio, & Leodici ad S. Laurentium: nunc autem extant impreſſa Tomo I. pag. 200. inter Documenta *Hiſtoriæ Ducatûs Lotharingiæ* edita Nancæi anno 1728. per R. P. Auguſtinum Calmet Ord. S. Bened. Abbatem S. Leopoldi Nancæi. Laudavit ea Richardus Waſſeburgius libro de Antiquitatibus Galliæ-Belgicæ.

## LAURENTIUS MELART,

Hujenſis, pluries ibidem Conſul, vir in politicis verſatiſſimus, magnum regionis patriæque ſuę ornamentum, ſcripſit

*Hiſtoriam Caſtri & opidi Huienſis*, quod eſt in Eburonibus Condruſorum caput, deque horum antiquitatibus: cui addidit *Chronologiam Comitum & Epiſcoporum* Leodienſium ex donatione Comitum loci. Leodii, 1641. fol.

apud Joan. Tournay idiomate vernaculo.

## LAURENTIUS METSIUS,

Gerardimontanus, S. Theol. Licentiatus Lovanienſis, Bruxellis ad D. Gudilam Plebanus, indeque Decanus; ac Privilegiorum Lovanienſis Academiæ Conſervator. Anno 1569. die S. Georgio ſacro in ſecundum Eccleſiæ Silvæducenſis Epiſcopum conſecratus. Vir fuit admodum facundus, & Antiſtes multis nominibus laudandus. Vide plura in Hiſtoria Epiſc. Sylvæ-duc. pag. 91. Edidit

*Statuta I. Synodi Diœceſanæ Silvæ-ducenſis*; dein iterum curis *Martini Steyartii* Vicarii Apoſt. Sylvæ-duc. evulgata.

Item *Manuale Paſtorum.* typis Joan. à Turnhout, 1571.

Anno 1579. Sylvâ-ducis, ob ingraveſcentes ibidem hominum fanaticorum factiones ac turbas profugus, Namurci anno 1580. vivere deſiit, depoſitus in D. Albani, hoc brevi Epitaphio.

Reverendiſſimus D.
Laurentius Metsius,
Epiſcopus Buſcoducenſis,
E propria Sede exulans
Hîc piè obiit
Menſis Septembris die XVIII.
Anno M. D. LXXX.

## LAURENTIUS DE METS,

Sottegemienſis, Flander, Eremita Auguſtinianus, edidit flandrico idiomate libellum; cui titulus, *Salutaria Remedia pro laborantibus peſte* &c. Gandavi, 1639. 12. apud Joan. Kerchovium.

## Vener. P. LAURENTIUS MUSGHESELLE,

Aloſtanus, è Canonico ac Decano Capituli Haltrenſis (quod nunc Aloſti reſidet) Cartuſianus in Capella apud apud Angiam Hannoniæ opidum, memoratur à Petro Dorlando Chronici Cartuſ. lib. 7. cap. 25. & Petro Sutore lib. 2. Vitæ Cartuſ. Tract. 3. cap. 7. qui tantâ devotione ac vitæ ſanctimoniâ præditum fuiſſe referunt, ut & divinis fuerit revelationibus dotatus. Scripſit, eodem Sutore teſte,

*De amore Silentii & Solitudinis* lib. I.

Tractatum *De Sertulo* (fortè *Serto roſaceo*) D. N. Jesu *Chriſti.*

Addidit Dorlandus *Exercitium Spirituale de Parvulo & Agno*, horis Canonicis ad morem Ordinis Cartuſ. accommodatum. MS. in Cartuſia Ruremondenſi.

Moritur, non ſine ſanctitatis opinione, anno 1477. die tertiâ Decembris, quo ejus Memoria inter Beatos Ordinis habetur. Vixit in Ordine annos plus minùs XL. Ita Theodorus Petreius.

## LAURENTIUS NAGELMAECKER,

Bergheycanus, Brabantus, è municipio territorii Sylvæ-ducenſis, primus Lovanii in Scholis Artium anno 1563. è Pœdagogio Porcenſi, in quo & Philoſophiam tantiſper profeſſus eſt. Tum S. Theol. Licentiatus, ejuſdemque in Abbatia S. Bernardi ad Schaldim Profeſſor, anno 1571. inter Canonicos Graduatos Theologos Eccle. Metropol. Mechlinienſis meruit cooptari. Aſt poſtmodum dimiſſâ præbenda, (anno 1579.) prætulit paſtorale officium in eadem Eccleſiâ, quod Plebanîam vocant: donec iterum anno 1585. inter Canonicos Graduatos aſſumptus eſt. Mox Pœnitentiarius, ac demum Archidiaconus conſtituitur, ab ipſo Archiepiſcopo Hovio in locum ſuum anno 1596. ſurrogatus.

Fuit Eccleſiaſtes celebris, & author *Dialogi Theologici de Jubilæo & Indulgentiis.* Antv. 1576. 8.

Mechliniæ obiit anno 1602. ſepultus in æde ſacra Monialium de Bleyenberghe, Ord. S. Auguſt. quibus per annos multos à ſacris confeſſionibus fuerat; appoſito hoc Epitaphio.

„ D.O.M. & LAURENTIO NA-
„ GELMAKERO, Bergheycano, qui
„ poſt ſedulam Philoſophiæ ac Theo-
„ logiæ profeſſionem, in Eccleſia Me-
„ trop. Mechlin. Paſtor, Canonicus,
„ demumque Archidiaconus factus,
„ tandem arthritide, magno relicto
„ ſui deſiderio, confectus, annum
„ agens LVIII. in hoc Sacrarum Vir-
„ ginum, quibus & â Confeſſioni-
„ bus fuit, Collegio ſepeliri voluit
„ XXX. Junii M. D. C. II. Jacobus
„ Wachtelaer ex ſorore nepos, & te-
„ ſtamento heres P. C.

## LAURENTIUS NEESEN,

Trudonopolitanus, vix Sacerdotio initiatus, ab anno ætatis XXVI. regimini Seminarii Archiepiſcopalis Mechlinienſis præfectus fuit per Archiepiſcopum Jacobum Boonen. Quod munus per annos XL. geſſit ſummâ cum laude ac fructu, ſummoque ejuſdem Seminarii emolumento, quod ſtructo ſacello amploque ædificio decoravit.

Fuit item per annos Novemdecim in Eccleſia Metropolitana Canonicus Theologalis, librorum Cenſor, Examinator Synodalis &c. Præbendæ ſuæ fructus, omnemque dein ſupelectilem in ſtudioſorum & aliorum pauperum neceſſitates diſperſit. Prædicationi verbi Dei, & confeſſionibus fidelium excipiendis, quamdiu per valetudinem licuit, cum fructu vacavit. Diſciplinam Eccleſiaſticam conſtanter zelavit. Quæque in ſchola ejuſdem Seminarii vivâ voce docuerat, in publicum evulgavit, ut & ſubſequentium diſcipulorum manibus tererentur: nimirum *Univerſam Theologiam, in duos Tomos diviſam, ad mentem SS. Auguſtini & Thomæ expoſitam*; priùs in 4. deinde fol. ann. 1678. 1692. & 1707. Nota tamen *Tractatum de Jure & Juſtitia* eidem inſertum, non à Præſide *Neeſen*, ſed ab ejus ſucceſſore in Præbenda Theologali *Philippo Bertrand*, ſummæ eruditionis Viro, fuiſſe dictatum & editum.

Obiit vir piiſſimus in Seminario Mechlinienſi die 22. Maii 1679. ætatis 67. ſepultus illic in Sacello; hoc Epitaphio.

D. O. M.
Et memoriæ
Reverendi admodum Domini
D. LAURENTII NEESEN,
Canonici Divi Rumoldi,
Hujus Seminarii Præſidis
Per annos XL.
Cui vivere Chriſtus erat & mori lucrum.
Obiit 22. Maii M.D. C. LXXIX.
Ætatis LXVII. annorum,
Conſummatus meritis
In hoc Seminarium,
Quod ædificio ornavit;
In alumnos, quos verbo, exemplo
Et Theologia Morali ædificavit,
Ac in pauperes, quos pavit.
Omnibus omnia factus,
Ut Chriſto lucri-faceret. R. I. P.

## LAURENTIUS NICOLARTS,

Tungrenſis, in Academia Colonienſi S. Th. Doctor, Protonotarius Apoſtolicus, Eccleſiæ Collegiatæ S. Joannis Evangeliſtæ Leodii primùm Canonicus, inde in Cathedrali Eccleſia Lambertina Canonicus atque Pœnitentiarius, olim inter practicos Curiæ Romanæ multùm diuque verſatus. Edidit

*Tractatum de Praxi Beneficiaria, ex Concordatis inclytæ Nationis Germaniæ deductum.* 4. Coloniæ 1658. apud Joan. Kinckium: & iterum 1704.

## LAURENTIUS PRATANUS,

Nervius, Canonicus in patria, ſcripſit anno 1547. Tridenti exiſtens,

*Hiſtoriam rerum in Synodo Tridentina geſtarum*: ad Othonem Truchſeſium Card. & Epiſc. Auguſtanum. Extitit illa manuſc. in pergameno apud Dionyſium Villerium, Canonicum Tornacenſem, cujus Bibliotheca hodie eſt Eccleſiæ Cathedralis.

## LAURENTIUS DE LA ROCHE,

Rupenſis Luxemburgus, aliàs dictus *Michaelis*, nomen loci natalis prætulit, dum in Abbatia Aureæ-Vallis Monaſticen Ciſtercienſem profeſſus eſt. Fuit ibidem Coadjutor celeberrimi Abbatis Bernardi de Montgaillard, ejuſque anno 1628. ſucceſſor. Ipſe quoque è vivis abiit 5. Decembris 1638.

Scripſit Laudationem funebrem *Dionyſii de l'Argentier S. T. Doct. Sorbonici, Abbatis Clarævallenſis*, in Aurea Valle anno 1624. defuncti. 4. Luxemburgi 1624.

## LAURENTIUS ROSENDALIUS,

Brabantus, Cartuſiæ Leodienſis Propræfectus, & poſtea Romanæ Præfectus, vixit in Carthuſia Leodienſi circa annum 1460, ſcripſitque

*De Votis Monaſticis* librum I.

*Sermones de Tempore & Sanctis.*

*De præcipuis anni Solemnitatibus.* Adſervantur manuſc. Leodici, prelo & luce digna.

## LAURENTIUS VITALIS,

Caroli V. Cæſ. Nobilis domeſticus, & in pleriſque expeditionibus atque itineribus perpetuus comes, ſcripſit gallico ſermone

*Diarium ejuſdem Cæſ. ab anno 1527. uſque ad annum 1550.* quod apud Alexandrum Ducem Croyum & Havræum MS. extare ſolebat, & in Bibliotheca Hieron. Winghii Canon. Tornacenſis, quæ hodie publica eſt ejuſdem Eccleſiæ.

## LAURENTIUS UWENS,

Noviomagus, Societ. Jeſu Eccleſiaſtes, latino ac patrio ſermone diſertus, Venerabili P. Petro Caniſio tam ſanguine quam virtute cognatus. Rexit Antverpienſe Collegium, ac bis Domum Profeſſorum, diſciplinæ Religioſæ in ſe ac aliis ſedulus exactor: ac tandem hiſce muniis immortuus 2. Octobr. 1641. ætat. 51.

*Orationem in funere Viri Ampl. Petri Pecquii*, Equitis, Brabantiæ Cancellarii habuit, editam Lovanii, 1625. 4. typis Henr. Haſtenii.

*Imaginem primi ſæculi Societatis Jeſu* vertit Flandricè. 4. Antverpiæ 1640.

## LAZARUS MARQUIS,

Antverpienſis Reipublicæ Medicus, ſcripſit vernaculè *Tractatum de Peſte.* Antv. 1636.

## LEANDER A S. MARTINO,

Dictus in ſæculo *Joannes Jones*, Benedictinus Anglus, patriâ Londinenſis, aſt longo incolatu in Monaſterio S. Gregorii Duaceno, ac gradibus Academicis ibidem ſuſceptis, accenſendus Belgis. Magiſterii lauream in S. Theologia anno 1615. in Academia Duacena adeptus eſt, ſocios nactus Viros celeberrimos, Guilielmum Thyræum, dein Archiepiſcopum Tuamenſem in Hibernia, & Hyacinthum Chocquetium, Dominicanum, de quo ſupra. Fuit ibidem Hebraïcæ linguæ Profeſſor diſertiſſimus: dein Vicarius generalis Benedi-

ctinorum Congregationis Anglicanæ. Obiit anno 1636. Illius ſunt

*Sacra Ars Memoriæ, ad Scripturas divinas in promptu habendas memoriterque addiſcendas accommodata.* 8. Duaci 1623.

*Conciliatio omnium ferme locorum S. Scripturæ, quæ inter ſe pugnare videntur.* 8. Ibid. 1623.

*Commentarius in Prologos S. Hieronymi & illuſtrationes in Gloſſam ordinariam Lirani* &c. fol. 6. vol. Duaci typis Belleri 1617, dein Antverpiæ 1634.

*Ænigmatum Sacrorum Pentadem, ſeu Alphonſi Toſtati Abulenſis Epiſcopi Paradoxa, contraxit in Epitomen.* 8. Duaci apud Balth. Bellerum. 1621.

## LEO AB AITZEMA,

Doccumenſis, Equeſtris Ordinis Friſius, natus die XIX. Novembris 1600, luſit *Poëmata Juvenilia*, edita Franekeræ 1617. in 4. quantoque futurus eſſet ingenio, jam tum prodidit. Poſtmodum Civitatum Hanſeaticarum negotia Hagæ-Com. geſſit, totumque ſe ſcribendis Patriæ Hiſtoriis applicuit. Cumque facilis ei pateret, etiam ad ſecretiora, acceſſus, quidquid erat Actorum publicorom ſtudioſè collegit; in quo celeberrimam ſui nominis famam reliquit & pleriſque aliis Hiſtoricis palmam præripuit.

Primum quod edidit, *Hiſtoria Pacis* eſt, *à Fœderatis Belgis ab anno 1621. ad hoc uſque tempus pertractatæ*, primùm vernaculè, Hagæ-Com. 1650. 4. item Amſtelod. 1653. II. Vol. 4. dein etiam latinè apud Elzevirios. 4. Lugd. Bat. 1654. Fuit etiam inſerta Tomo VII. majoris ſuæ Hiſtoriæ.

Inde prodiit vernaculè *t'Herſtelde Leeuw*, id eſt *Leo reſtauratus*, quo Hiſtoria rerum ann. 1650. & 1651. exponitur. 12. Amſtel. 1655.

Hunc inſecutum eſt vaſtum Opus vernaculum: *Hiſtorie oft Verhael van ſaecken van Staet en oorlogh, in ende ontrent de Vereenighde Nederlanden* &c. id eſt, de Rebus Belli & Statûs, ab anno 1621, ad 1668.

Prodiit primum in 4. Lugd. Bat. anno 1657. apud Joann. Veelium, per XV. vol. Deinde auctum & in multis mutatum uſque ad annum 1669. per VII. vol. in fol. Hagæ-Com. anno 1672. comprehenſis Tractatibus Pacis, Inſtructionibus Legatorum, Reſponſis Regum ac Rerum-publicarum, aliiſque Actis publicis, præſertim ad Belgium pertinentibus. Operis hujus cenſor fuit *Wickefortius*, in libro ſuo *De Officiis Legatorum* Tom. I. pag. 172. Sed tamen utilitatem illius omnes paſſim eruditi commendarunt: tum propter Authoris in ſcribendo impartialitatem, tum propter Monimentorum fidem authenticam.

Poſtremò *Lambertus Silvius*, aliàs *Van den Boſch*, Batavus, Hiſtoriam *Aitzemæ* continuavit ſermone vernaculo ab anno 1668. uſque ad 1688. adjectis etiam Inſtrumentis publicis, per Tomos IV. fol. Amſtelod. 1685. & 1688. Item *P. Langius* eandem in compendium de ducere aggreſſus eſt.

Mortuus eſt *Aitzema* cælebs Delphis apud Batavos, die 23. Februarii 1669 ætat. anno 69. ſepultus ibidem in Ædc primaria, hoc Epitaphio,

D. O. M.

*Si Pacem quæris libertatemque Viator,*
*Aut nuſquam, aut tali ſub lapide invenies.*

LEO AB AITZEMA,
Natus An. M. D. C. XIX. Novembr.
Defunctus XXIII. Februarii
M. D. C. LXIX.
Hic P. & L. expectat.

## LEO MEYERUS,

Antverpianus, J. U. L. ab anno 1599. Præpoſitus Eccleſiæ Collegiatæ

S. Pharaildis Gandavi, pòst Harlebecæ ad S. Salvatorem anno 1615. Edidit

*Panegyres Marianas* binas: alteram Annuntiationis, alteram Assumptionis die solemni dictam. Prior Moreti typis Antver. edita, 1602. 4. altera Verdussii, 1608. 4.

Eodem Curatore *Funus Guilielmi Assonlevilii*, Antverpiæ 1599. 8. evulgatum, typis Plantinianis.

Mortuus est Harlebaci, scriptis & eruditione clarus, 28. Decembris 1630.

## LEODEGARIUS CARDON,

Gandavensis, S. Theol. Licentiatus Duaci anno 1610. renunciatus, dein Pastor in Winkle, in Assenede, ac demum in oppido Hulstano, illiusque Districtus Archipresbyter, pietate ac zelo conspicuus; uti docet Epitaphium in capella S. Adriani parochialis Ecclesiæ Hulstanæ, affixum muro, literisque aureis merito expressum. Scripsit idiomate patrio

*De antiqua populi devotione erga Virg. Deiparam, in Cápella ad Quercum*, juxta Hulstum. Gandavi apud Joan. Kerckhovium. 1614.

„ D. O. M. Leodegario Cardon, „ qui cum mentis solertiâ honestis ad „ laborum tolerantiam excultus artibus, vix-dum sacris altaribus, mox „ etiam secretioribus fori gubernaculis in Wincle, post etiam in Assenede admotus, judicio Pastorum „ simultaneo, hoc in oppido ad stationem renitens protractus est, cum „ potestate & titulo Præfecturæ in „ confinem Curionum manipulum; „ quibus tam enixè, quàm corpore „ quàm animo attendit, sui prodigus, „ omnibus omnia factus. Anniversariâ lustratione dum obiit commissam provinciam indefatigabilis laboris ac vigilantię Vir, terrore panico correptus, hostilium insidiarum „ timore supremum sibi diem accelleravit; contractâ ex fugæ metûsque „ insolentiâ exitiali noxâ, quam fugâ „ evaserat. Donec collectus, mortem „ in limine, in ipso sinu, ac intimis „ heu! viscеribus sero & immedicabiliter offendit; ac Deiparæ Virg. „ ductu (cui recens extra muros ad „ ilicem ædiculam suâ populique munificentiâ procuravit) meliore sui „ particulâ cœlestem repetens originem, hoc sub marmore quieturi „ paulisper corporis exuvias distulit, „ VII. Idus Maii anno M. D. C. „ XXVII. ætatis XL.

## LEONARDUS BERTON,

Namuranus, è Societ. Jesu, vitâ functus Duaci 18. Octobris 1666. Prodiit inde opus ejus posthumum,

*Via, veritas & vita, Christus demonstratus.* 4. Duaci 1667.

## LEONARDUS BUCK,

Oosterwicanus, Canonicus Regularis Ordinis S. Augustini Corsendoncanus, juxta Turnhautum, vir magnæ devotionis & singularis puritatis, cujus præconium per omnia Monasteria Brabantiæ notissimum fuisse, & in magno pretio habitum, auctor est Petrus Impens in Chronico suo Bethleëmitico. Composuit varios

*Tractatus Spirituales & Anagogicos*, unà cum *Dialogo*, cui titulus, *Normula vitæ religiosæ*; quorum autographum adservant Corsendoncani.

Vitam Deo reddidit, non sine opinione sanctitatis, anno 1488. professionis XXXVI.

## LEONARDUS FRANCISCUS DINGHENS A DINGHEN,

Breanus Eburo (oppidulum est

LEONARDVS. LESSIVS. E. SOCIETATE IESV.

N. De L'Armessin. fculp.

Campiniæ Leodienſis) Medicinæ Profeſſor Regius & ordinarius in Univerſitate Lovanienſi, Artem Medicam practicans, edidit

*Fundamenta Phyſico-Medica ad Scholæ acribologiam ſtudioſè aptata.* Accedit *Tractatus de febribus* fol. Lovanii per Petr. Saſſenum, 1678. Quem dicavit Concivi ſuo, Patrono atque cognato Reverendiſſ. D. Jacobo Emerix, J. U. Doctori, Cauſſarum S. Palatii Apoſtolici Auditori ſub Innocentio XI. Pont. Max.

## LEONARDUS HANSEN,

Juliacenſis, Ordinem FF. Prædicatorum Coloniæ profeſſus, per gradus omnes ad Magiſterium aſcendit; ipſamque Theologiam Viennæ in Auſtria anno 1638. publicè docuit. Inde cum Romæ pro Provincia Teutonica Comitiis Ordinis ſui iteratò interfuiſſet, apud tres ſucceſſivè Magiſtros Generales Socii munere functus eſt. Demum annis gravis deceſſit Romæ 28. Martii 1685. ætatis anno 82. ad S. Mariæ ſuper Minervam ſepultus. Edidit inter cetera

*Vitam mirabilem mortemque pretioſam Ven. Sor. Roſæ de S. Maria, Limenſis ex tertio Ordine S. Dominici.* Romæ in 4. & 12. 1662. Hanc poſt biennium hiſpanicè reddidit *Hiacynthus de Parra*, itemque belgicè *Joannes Bapt. Wauters*, Bruxell. ambo ejuſdem Ordinis

## LEONARDUS LESSIUS,

Vernaculè Leys, de Societate Jeſu, Theologus celeberrimus, natus annò 1554. Kal. Octobris, in pago Brechtano, quatuor milliaribus Antverpiâ diſſito, Philoſophiam Duaci toto ſeptennio, quindecim verò annis Theologiam Lovanii ſummâ cum laude profeſſus eſt.

Audiit olim ipſe Lovanii, alumnus Collegii Atrebatenſis, in Philoſophicis inter ceteros virum inſignem *Bartholomæum Petri* Lintrenſem, pòſt S. Theologiæ Duaci Doctorem, & primam Magiſterii palmam in Scholis Artium ac Pœdagogio Porcenſi anno 1572 ætatis ſuæ anno XVIII. aſſecutus, ſexto inde menſe Societatis Jeſu Collegium tiro ingreſſus eſt; in Theologicis verò Romæ *Franciſcum Suarez*, ejuſdem Societatis, ſcriptis orbi clariſſimum; tantis non impar magiſtris diſcipulus.

Fuit ei expeditum in ſcientias omnes ingenium, incredibile in rebus, animi præſertim, diſcernendis judicium, de quo præclara Principum virorum, qui eum, dum viveret, frequentes undique conſuluere, orbiſque univerſi extant teſtimonia. In Jure utroque, Mathematicis diſciplinis, Medicâ, Hiſtoricâ, ac Græcanicæ in primis linguæ peritiâ, nullo uſus magiſtro, præ multis excelluit. Quâ in ſcientiarum omnium encyclopædiâ ſingularis prorſus tanti viri pietas modeſtiaque enituit.

Scripta ejus (in quibus vivum quaſi auctorem legas) perdocta ſanè omnia piaque, ac in omnium manibus verſantur.

*De Juſtitia & Jure* libri IV. ad Secundum Secundæ D. Thomæ à Quæſt. XLVII. uſque ad CLXXI. Opus abſolutiſſimum, & auctore etiamnum ſuperſtite typis Plantinianis quinies recuſum, itemque Lovanii & Pariſiis, Lugduni in Gallia, & alibi; Romæ præſertim, in tribunalibus, magnâ authoritate habitum. Ferunt Leſſium, illud meditantem, aliquamdiu Antverpiæ egiſſe cum mercatoribus, ut ea quæ mercaturam & cambium concernunt, accuratiùs diſcuteret.

Accedit *Appendix de Montibus Pietatis* in Belgio, anno 1619. per Princi-

pes Albertum & Iſabellam erectis, juſſuque eorum ſcripta & edita.

*De Perfectionibus Motibuſque Divinis*, ſive *de Attributis Divinis* libri XIV. Antver. typis Plantin. 1620. 4.

*De Gratia efficaci, Decretis divinis, libertate arbitrii, & Præſcientia Dei conditionata*, *Diſputatio Apologetica.*

*De Prædeſtinatione & Reprobatione Angelorum & hominum*, *item de Prædeſtinatione Chriſti*, *Diſputationes duæ*

*De Summo Bono & æterna Beatitudine Hominis* libri IV. ad Primam ſecundæ D. Thomæ. Ibid. 1613. & 1616. 8. Librum hunc, ut & ſequentem Sinico idiomate donavit *Jo. Adamus Schall*, S. J. Colonienſis.

*De Providentia Numinis & Animi immortalitate*, *adverſus Atheos & Politicos* libri II. Ibid. 1617. 8.

*Quæ fides & Religio capeſſenda*, Conſultatio. Ibid. 1610. 8. cum Appendice ad quæſtiones quaſdam reſpontoriâ.

*De Statu vitæ deligendo & Religionis ingreſſu.* Ibid. 1613. & 1617. 8. Librum hunc tranſtulit in linguam gallicam N. Abbas de Maupertuis anno 1715.

*De bono Statu eorum, qui vovent & colunt caſtitatem in ſæculo*. Coloniæ, apud Kinckium, 1615. ſub nomine *Leonis Hubertini à S. Dionyſio*, S. Theol. Doctoris.

*De Antichriſto ejuſque Præcurſoribus* Diſputatio Apologetica, typis Plant. 1611. 8.

*Hygiaſticon*, ſive *de tuendâ valetudine*, tam animi quàm corporis. Subjungitur, eodem pertinens, *Tractatus Ludovici Cornari*, *Veneti*, à *Leſſio* ex italico in latinum ſermonem tranſlatus. Ibid. 1613. & 1614. 8.

*De quinquaginta Nominibus Dei Opuſculum*, paucis ante obitum diebus ab Auctore abſolutum. Bruxellæ, apud God. Schovartium, 1640. 8. & Lovanii, apud Cœneſtenium, 1642. 12.

Pleraque hæc continentur Operum Leſſii Tomo ſecundo, edito typis Plantin. 1626. fol.

Lessium quoquç Authorem habet, ſub alieno nomine, *Diſcuſſio Decreti magni Concilii Lateranenſis.* Moguntiæ 1616.

Ejuſdem *Prælectiones Theologicæ poſthumæ in D. Thomam*, *de Beatitudine*, *de Actibus humanis*, *de Incarnatione Verbi*, *de Sacramentis & Cenſuris*, olim in Academia Lovanienſi ab anno 1635. iteratò propoſitæ, & tam in vita, quam à morte Auctoris plurimorum votis ad prelum expetitæ, prodierunt Lovanii typis Corn. Cœneſtenii, 1645. Quibus acceſſerunt

*Variorum Caſuum Conſcientiæ Reſolutiones.* Ibid. Extant inſuper in Bibliotheca Eminentiſſ. D. Cardinalis *de Alſatia*, Archiep. Mechlin. *Conſultationes Leſſii Epiſtolicæ MSS. quam-plurimæ ad præcipuos Caſus Theologicos ac Juridicos.* Nempe cum *Leſſius* intimâ Archiepiſcoporum *Hovii* & *Boonen* amicitiâ frueretur, nihil tum occurrebat arduum, in quo judicium ejus non expeteretur.

*Diſputatio de Summi Pontificis Authoritate*, MSS. in præfata Bibliotheca Cardin. uti &

*Notæ in Martini Navarri Enchiridion*, MSS. in 4. ibid.

*Apologia pro Scriptoribus Myſticæ Theologiæ, qui à Ludovico Bloſio citantur, cum Scholaſtica Explicatione Locutionum myſticarum.*

Cæterùm Univerſitates Lovanienſis ac Duacena annis 1586. & 1588. in famoſis ſuis Cenſuris, XXXI. Propoſitiones *Leſſii* de Auxiliis divinæ Gratiæ proſcripſerunt. Tum Sixtus V. controverſias Romam à S. Sede dijudicandas evocavit; atque hinc exortæ ſunt famoſæ *Controverſiæ de Auxiliis* inter PP. Dominicanos & Jeſuitas coram ſummis Pontificibus Clemente VIII.

&

& Paulo V. ac tandem nihil fuit Romæ decisum.

*Apologia* Lessii adversus utramque Censuram prædictam edita fuit anno 1705. Antverp. in *Historiâ Controversiarum de Auxiliis*, authore *Theodoro Eleutherio*, aliàs *P. Livino de Meyer*, S.J. à pag. 753, ad 785.

Obiit Lovanii, non sine sanctitatis opinione, anno 1623. ætatis suæ LXIX. die 18. Januarii, Cathedræ D. Petri Romæ sacro, vitæ haud dubiè longiori destinatus, nisi gemini, ovorum magnitudine, à morte reperti in eo calculi, vi quasi eam, ingentibus inquam, tormentis, elisissent. Elogium amplius P. *Lessii* vide in Bibliotheca Scriptorum Societat. Jesu per *P. Allegambe*. Vitam quoque descripsit *Leonardus Schoofs* Religiosus Præmonstratensis S. Michaelis Antverp. *Lessii* è sorore nepos: sed Romæ prohibitam anno 1646.

Extat in Bibliotheca Archiepiscopali Mechliniæ *Processus MS. de Vita & Virtutibus Lessii*: de cujus Beatificatione apud S. Sedem postulanda, paulò post ejus mortem agi cæptum erat.

*Justus Rycquius*, Canonicus Cath. Gandavensis, hoc illum Epitaphio celebravit.

LEONARDO LESSIO Theologo eximio.
LESSUM *scribere* LESSIO *parabam*,
*Quo non doctior, atque temperatæ*
*Vitæ sanctius ordinem secutus*
*Alter, Belgiacis refulsit oris;*
*Cum me respiciens severa vultu*
*Virtus turbidulo: quid occuparis*
*Inquit*, RYCQUIE, *versibus minutis*
*Dignum* LESSIADÆ *parare Lessum?*
*Frustra funera tam beata vexas:*
*Non est exiguo canendus ore*
*Noster* LESSIADES, *poli inquilinus*,
*Astrorum incola, Numinisque consors:*
*Si gratum indigeti facis novello*,
*Has partes mihi tutius relinques.*

*Tu* Leo, *tu* Nardus, LESSI, (*quis credat?*) *es idem*:
Nardus *Catholicis*, *hæreticisque* Leo:

## LEONARDUS MARIUS,

Goesanus, Zelandus, S. Th. Doctor, ejusdemque in Academia Colonienſi Professor, ac Præses Seminarii Hollandici, per Sasboldum Vosmerum Archiepiscopum Philippensem apud Batavos Vicarium Apostolicum Coloniæ Agrippinæ erecti, postea Lovanium per successorem Jo. Neercasselium Castorienſem Episcopum translati. Vir maximi ingenii, prodigiosæ memoriæ, ac præter reconditam in divinis scientiam facundiâ admirabili ac meliore litteraturâ imprimis excellens: quibus linguarum Græcæ atque Hebraïcæ notitiam non vulgarem adjecit, Theologo vel maximè utilem, ne dicam, necessariam.

Ab Ubiis ad Batavos revocatus, evasit mox Pastor veteris lateris (ut aiunt) in urbe Amstelodamensi, ac Begginagii, post Sibrandum Sixtium, Rector per annos ferè XXII.; Harlemensis insuper Ecclesiæ (referente in Batavia sacra Heussenio, non tamen satis æquo in tanti Viri memoriam) Archidiaconus, Præpositus, Decanus ac Vicarius generalis. Plura quidem ad controversias fidei spectantia, sed alieno nomine, scripsit & evulgavit: sed potior doctrinæ, industriæ ac laborum fructus fuit, variorum Acatholicorum ad veram fidem conversio: inter quos *Jodocus Vondelius*, Poëta celeberrimus, *Jacobus Ouzelius*, Reformatorum Minister, aliique multi inter potiores ac ditiores Amstelodamensium familias.

Obiit Amstelodami, scriptis, & laboribus plurimis de Ecclesia Dei optimè meritus, die 18. Octobris 1652,

ætatis anno LXIV. Evulgavit

*Commentarium in Pentateuchum*, fol. Coloniæ 1621; atque insuper continuavit Annotationes doctissimas in universam S. Scripturam, quarum prope XX. Volumina MSS. hodieque asservantur in Bibliotheca Collegii D. Pulcheriæ, sive Hollandici, in Academia Lovaniensi.

*Hierarchiæ Ecclesiasticæ Catholicam Assertionem*, quâ B. Petri & Romanæ Sedis Primatus, adversus *Marci Antonii de Dominis*, quondam Archiepiscopi Spalatensis, hæreses & schisma defenditur. Colon. 1619. Extat iterum in Bibliotheca maxima Pontificia P. Roccaberti Archiep. Valent. Tomo XV. Romæ 1698. Contra hunc librum *Marii* prodiit alius, hoc titulo prorsus ridiculo:

*Sorex primus, oras chartarum primi libri de Republica Ecclesiastica D. Archiepiscopi Spalatensis corrodens, Leonardus Marius Theologaster Colonienſis, à Daniele Lobeto Burgundo Laudunensi, ejusdem Spalatensis amanuensi, in muscipula captus, & ejusdem scalpello confossus. &c.* Qui liber Romæ à S. Congregatione Indicis damnatus fuit die 22. Octobris 1619.

Insuper edidit *Marius* vernaculè *Responsum Catholicum contra Simonem Episcopium* Ministrum Calvinianum.

*Libellum de multiplicibus Miraculis SS. Eucharistiæ Sacramenti, anno 1345. in igne conservati*, & forsan alia.

## LEONARDUS RUBENIUS,

Essendiensis, Ordinis S. Benedicti Theologus, Monasterii Sancti Martini Majoris Coloniæ, scripsit *de Idololatria* libros III. in 8. Coloniæ, apud Birckmannum 1597. Consanguineum fuisse celeberrimi pictoris *Petri Pauli Rubens*, non est absimile: nam & hic ortu Colonienſis erat.

## LEONARDUS A STO. FRANCISCO,

Antverpiensis, Carmelita Excalceatus, flandricè transtulit Gand. 1674. *Vitam Vener. Matris Eleonoræ à Sto. Bernardo*, primæ Priorissæ Carmelitidum excalceatarum Gandavi, ibique cum fama sanctitatis anno 1639. defunctæ.

## LEONARDUS SCHOOFS,

Celebris Abbatiæ S. Michaëlis in urbe Antverpiensi Religiosus-Canonicus, & Pastor in Santvliet, scripsit

*De Vita & moribus Leonardi Lessii*, è Societ. Jesu, avunculi sui, librum, editum curâ *Thomæ Courtois* J. C. Bruxellæ apud God. Schovartium, 1640. 8. Fuit dein Romæ prohibitus per Congregationem Indicis, die 18. Decembris 1646.

## LETBERTUS,

Primùm Canonicus Insulensis, postmodum S. Rufi Abbas, Ord. S. Aug. in Delphinatu, circa an. 1255. (ignotus tamen scriptoribus Gall. Christ.) Collegit *Flores super Psalterium*, è diversis expositoribus exceptos. Extant MSS. Brugis in Dunensi Cœnobio, & Tornaci ad Martinum Tomis II. Præmittiturque Epistola Galteri sive Walteri Magalonensis Episcopi, Insulis Flandriæ opido oriundi, ad Præpositum & Canonicos Ecclesiæ Insulensis, in qua de laude hujus operis & auctoris agit.

## LEVOLDUS A NORTHOFF,

Nobilis Marcanus, Cathedralis Ecclesiæ Leodiensis Canonicus, & Abbas sæcularis Visetensis, sub Eberhardo Comite Marcano vixit, & cum filio ejus Engelberto, dein Leodiensi Episcopo, anno 1326. Romam profectus est.

Digitized by Google

ILL^MO ET REV^MO DNO D. IACOBO BOONEN ARCHIEPISCOPO MECHL. BELGAR. PRIMATI REGIÆ CATHOL. MA^TI A CONSILIIS STATVS &c. ~

*Hanc effigiem EX. D. LIBERTI FROMONDI rarissimâ virtute et doctrinâ gloriosam, immortalitatem dudum ante mortem meriti, nec minus in vitâ ab eodem culti, quàm eiusdem Culteris. D.C.Q. Quirinus Boel Antuerp. Sculptor. A. 1654.*

Scripsit *Chronicon Episcoporum Leodiensium*, quod tersiori latinitate donatum, Notisque eruditis illustratum primus evulgavit *Joannes Henricus Meibomius* Lemgoviensis Germanus, Poëtices & Historiarum Professor in Academia Julia: postea vero *Henricus Meibomius* Joh. Henrici filius, Tomo I. Scriptorum Rerum Germanicarum inseruit.

Item *Chronicon Comitum de Marca & Altena*; Notis illustratum ab eodem Meibomio, fol. Hanoviæ 1613.

## LIBERTUS FROMONDUS,

sive *Froidmont*, Haccurianus (qui in Eburonibus ad Mosam fluvium, Trajectum inter ac Leodicum, est pagus) nascitur anno 1587. III. Nonas Septembris. Pòst hausta Leodii studiorum, quæ ab humanitate nomen habent, fundamenta, Philosophiam Lovanii didicit in Pædagogio Falconis, tertius in Scholis Artium anno 1606. docuitque eandem Antverpiæ ad S. Michaelem ferè triennio, totis verò XIV. annis in Falcone Lovanii, postquam artem ibidem Oratoriam quadriennio integro tradidisset. Unde & vigore Privilegiorum Academicorum Præbendam in Cathedrali Tornacensi promeritus est.

Interea & S. Theologiæ animum adjecit, Doctorque anno 1628. die 14. Octobris renuntiatus, primùm Professor Ordinarius, deinde Regius Sacrarum Litterarum Interpres *Cornelio Jansenio*, ad cathedram Iprensem promoto, sufficitur.

Hic Præsul dum anno 1638. extremo morbo laboraret, amicissimum sibi *Libertum Fromondum*, unàque *Henricum Calenum*, Archidiaconum Mechlinienſem, ultimæ voluntatis suæ Executores constituit, eorumque curis edendum reliquit infelicem suum librum, cui nomen *Augustini* dedit; quique anno 1640. Lovanii in lucem prodiit, *Fromondo* singula folia revidente ac corrigente. Hinc illæ subortæ sunt per Ecclesiam Dei contentiones, ad quas dissipandas toties Vaticano fulmine opus fuit.

Porro Doctor *Fromondus*, Decanus Ecclesiæ Collegiatę S. Petri Lovanii eligitur anno 1639. die IX. Septembris. Fuit & Præses, primùm Collegii Craendonck, dein Seminarii Leodiensis per annos XXIV. amœnissimi ac politissimi Vir ingenii, doctrinæ & lectionis omnifariæ, atque in Matheſi rerumque cœlestium indagatione non infeliciter quoque versatus. Ab eo sunt:

*Cœnæ Saturnalitiæ*, id est, Quæstiones varii argumenti (de quibus anno 1615. in Quodlibeticis, ut vocant, disseruerat) variatæ *Somno* sive *Peregrinatione Cœlesti*. Edidit Lovanii Phil. Dormalius, 1616. 8.

*Dissertatio de Comœta anni* 1618. Antver. 1619. 8. cum *Thomæ Fieni* Comœta.

*Laudatio Funebris* Alberti Pii, Belgarum Principis, Lovanii habita, & vulgata, 1621. 8.

*Meteorologicorum* libri V. Antver. typis Plantini 1631. 4.

*Commentarii in libros Quæstionum Naturalium Senecæ*, Justo Lipsio intactos: & in Ἀποκολοκύντωσιν, sive *Ludum Claudii Cæsaris*, eodem *Seneca* auctore. Ibid. fol. anno 1632.

*Anti-Aristarchus* sive *de orbe terræ immobili*, adversus *Philippum Lansbergium*. Ibid. 1631. 4.

*Vesta*, sive *Anti-Aristarchi Vindex*, adversus *Jac. Lansbergium*, Philippi fil.

*Labyrinthus*, sive *de Compositione Continui*. Ibid. 4.

*Laudatio Funebris Joannis Drusii*, *Monasterii Parcensis Ordinis Præmonstratensis Abbatis*. Lovanii, typis Masii, 1635. 8.

*Cauſſæ deſperatæ Gisberti Voetii Miniſtri Calvinani, adverſus Spongiam Cornelii Janſenii*, Epiſcopi Iprenſis, *Criſis*. Ibid. apud Joan. Oliverium, 1636. 4.

*Sycophanta: Epiſtola ad Gisbertum Voetium*. Ibid. apud Jac. Zegers, 1640. 4.

*Laudatio Funebris Joannis Franciſci à Balneo, Tit. S. Alexii S. R. E. Cardinalis, Academiæ Lovanienſis Protectoris*. Ibid. 1641. 4.

*Anatomia Hominis*, naturam ejus talem repreſentans, qualem D. Auguſtinus olim nobis deſcripſit. Ibid. 1641. 4. liber Romæ prohibitus ab Innocentio X. 1654.

*Catechiſmus* antiquus, ad uſum Philoſophorum Facultatis Artium ſcriptus, etiam *Fromondum* auctorem habet. In cujus locum alius prodivit recentior, anno 1712. authore *Petro Ludov. Danes*, tunc Phil. Prof. dein S. T. D. Lov

*Philoſophiæ Chriſtianæ de Anima* libri IV. Lovanii apud Nempæum 1649. 4.

*Commentaria in S. Scripturam*, in duas partes diſtributa, quarum prima continet Epiſtolas S. Pauli, & VII. Canonicas aliorum Apoſtolorum: pars altera habet Actus Apoſtolorum, Apocalypſim Beati Joannis Apoſtoli, & Canticum Canticorum: cum annexo *Libello Exercitii ſpiritualis*, auth. *P. Joanne Euangeliſtâ*, Capucino Silvæducenſi, & Judicio Reverendiſſ. *Joannis Malderi*, Antverp. Epiſcopi, *de quibuſdam Exercitiis ſpiritualibus*, cum Notulis *Fromondi*. fol. Lovanii 1663. apud Hieron. Nempæum, dein Pariſiis apud Joann. Du-Puis 1673. & alibi.

Sequentia vero edidit ſeu Anonyma, ſeu Pſeudonyma: quæ ſimul prohibita fuere Romæ Decreto Innocentii X. Pont. dato 25. April. 1654.

*Lucerna Auguſtiniana, quâ breviter & dilucidè declaratur concordia & diſcordia, quâ duo nuper Eximii Doctores S. Th. Ovanenſes conveniunt à cæteris hodie S. Auguſtini Diſcipulis*. Anno 1650. ſine loco impreſſionis.

*Emunctorium Lucernæ Auguſtinianæ, quo fuligines à quibuſdam aſperſæ emunguntur*.

*Conventus Africanus*, ſive Diſceptatio judicialis apud tribunal Præſulis Auguſtini &c. enarratore *Artemidoro Oneirocritico*. Eam tamen adſcribunt alii *Petro Stockmans*, J. U. D. Lov.

*Chryſippus, ſeu de libero arbitrio, ad Philoſophos Peripateticos*. Lovanii 1644.

*Auguſtini Iprenſis & Auguſtini Hipponenſis, de Deo, omnes ſalvare volente, Homologia*, Lovanii apud Jac. Zeghers.

*Epiſtola Liberti Fromondi, & Henrici Caleni*, ad PP. Societ. Lovanii 16. Junii 1641. quæ incipit: *Theſes veſtras* &c.

*Vincentii Lenis Theriaca adverſus Dionyſium Petavium S. J. Theol. & Antonium Richardum, de libero Arbitrio*. Richardus autem erat Stephanus Deſchamps, ejuſdem Societ. Paris. 1648.

*Ejusdem Epiſtola prodroma*. Lovanii. 1649.

*Antonii Richardi Stratagema, quo bellum ſui ſociorumque defenſivum ab erroribus Maſſilienſium tranſtulit in S. Auguſtini & Epiſcopi Iprenſis offenſivum*. 1650.

*Collatio Antverpienſis, ad Petrum Aurelium*. Lov. 1647. & alia forte his affinia. Utinam Doctor Fromondus, vir eruditione eximius, ſummæque apud Lovanienſes Academicos authoritatis, præpropero illo erga *Janſenium* ſuum ejuſque *Librum* jam tum Romæ damnatum affectu, abripi ſe paſſus non fuiſſet! Utiliorem ſane operam Eccleſiæ Catholicæ præſtitiſſet; ut &. præſtitit per ea quæ vel in S. Scripturam vel contra Calvinianos Batavos edidit.

Obiit Lovanii anno 1653, die 27. Octobris: inque ejus funere vulgatum fuit hoc Chronicon: SoL. aCaDeMIÆ. obIIt. Sepultus in Choro Ec-

eleſiæ D. Petri, hoc Epitaphio.

D. O. M.
Memoriæ R. ac Ex. Viri, D. ac M. N.
LIBERTI FROMONDI, Haccuriani,
S. Th. Doctoris ac Profeſſ. Regii,
Hujus inſignis Eccleſ. Colleg.
D. Petri Decani & Canonici,
Quod mortale fuit
Hìc depoſitum eſt.
At virtutes quibus præluxit,
Pietas, munificentia in pauperes,
Eruditio varia & rara
Scriptaque bono publico relicta,
Mori eum non ſinent.
Obiit A. Domini M. D. C. LIII.
IV Kal. Novembris,
Ætatis ſuæ LXVI.

## LIBERTUS AB HAUTHEM,

Tungrenſis, Canonicorum ibidem Regularium Prior, vir omnibus ferè liberalibus artibus apprimè eruditus, Philoſophus, Theologus, Medicus & Mathematicus, linguarum inſuper græcæ atque hebraicæ peritus, ſcripta reliquit ſequentia, MSS. apud Regulares Tungrenſes.

Deceſſit è vivis Thenis, Rector Virginum in Conventu Cabbekano anno 1557. die XXI. Octobris

*Exhortationum* ſuper quælibet occurrentia Feſta Partes III. ordine alphabetico.

*Sermonum* aliorum Faſciculus.

Tractatus *de Geometria*, ſtilo flandrico.

## LIBERTUS AB HAUTHEM,

Superioris è fratre nepos, Tungrenſis, Congregationis Hieronymianæ olim *Fratrum de Pœnitentia* dictorum Leodii Rector, & in Collegio Houdano apud Montenſes Profeſſor, Poëta Laureatus, edidit

*De Verſibus faciendis Compendium.*

*Ethicam Vitæ Rationem*, ſeu Moralia præcepta, ſcenariis comprehenſa. Leodii, 1573. 4.

*Theatrum Vitæ humanæ*, Comœdiam. Ibid. 1574. 4.

*Gedeonem*, Tragi-Comœdiam ſacram. Ibid. 1575. 4.

*Orationem in Natalem Chriſti*, verſu heroïco. Antver. typis Plantini. 1577. 8.

Κακοχωρίαν, ſeu *De mala Vicinia.* Montibus Hannoniæ, 1580. 8. apud Velpium: ubi tum Houdanæ Scholæ Gymnaſiarcha erat. Obiit in itinere Romano, Româ rediens.

## LIBERTUS DE PAEPE,

Nobili ac patricia apud Lovanienſes ſtirpe ortus, Cornelii in eadem Univerſitate J. U. Doctoris ac Profeſſ. ex Anna van Hove filius, in vicina Abbatia Parcenſi Canonicus Regularis Præmonſtratenſis, tum S. Th. Lic. dein ſui Monaſterii Prior, anno 1648. electus Abbas, ac poſtmodum Vicarius generalis per Circarias Brabantiæ Friſiæque Provincias conſtitutus. Vir in vita ac regimine exemplaris, egregius Abbatiæ ſuæ & Academiæ Lovanienſis benefactor, ad Comitia Ordinum Brabantiæ iteratis vicibus Deputatus Ordinarius, Judex Synodalis &c. Scripſit:

*Summaria Chronologica inſignis Eccleſiæ Parcenſis, ſitæ prope muros Urbis Lovanienſis, ex Archivo dictæ Eccleſiæ in ordinem redacta, variiſque Diplomatibus illuſtrata.* 8. Lovanii 1662. Integrè: dein inſcruit *Brabantiæ Illuſtratæ* Tomo I. *Antonius Sanderus.* Supplementum adjecit anno 1726. Abbas *Hieron. de Waerſeggbere.*

Obiit autem *Libertus de Paepe* die 7. Julii 1682. regiminis XXXIV. Fratres habuit *Leonem Joannem* S. P. Q. Bruxellenſis Syndicum & Conſiliarium, dein etiam ſanctioris Conſilii Præſidem, qui obiit anno 1685. relictâ præclara

posteritate: item *Cornelium* J. U. Doctorem ac Professorem Lovanii, qui præmaturè obiit Romæ anno 1648.

## LOTHARIUS,

Sacrista & Monachus Elnonensis ad S. Amandum in Hannonia, mortuo S. Amando, varia in ejus laudem Carmina scripsit, quæ ibidem manusc. leguntur.

## LUBERTUS BERNERUS,

Zwollensis, inter luminaria prima Clericorum Congregationis D. Hieronymi atque Gregorii in Daventria, diem obiit extremum Zutphaniæ anno 1398. VIII. Kal. Septembres. Ejus *Vita*, & *Exercitia pia* leguntur cum Operibus Thomæ Kempensis.

## LUBERTUS HAUTSCHILT,

Nobili apud Brugenses familiâ editus, è Priore electus anno 1393. Abbas Cœnobii Quercetani sive Ecchoutani Canonicorum Regularium Ord. S. Augustini in urbe Brugensi. Concilio Constantiensi interfuit, ibique a Cardinale Petro de Alliaco Concilii illius Præside curam restituendi Kalendarii suscepit, indeque ob virtutem atque eruditionem, mitram retulit. Ejus quædam in membranis exstare scribit Sanderus.

Vir fuit litteratus ac multiplici eruditione clarus, magnorum Principum, Flandriæ Comitum &c. Consiliarius; variis ad magnates legationibus functus, & ad Magistratus Brugenses renovandos à Principe deputatus.

Obiit septuagenario major ac jubilarius, Brugis anno 1417. sepultus in meditullio loci Capitularis, appositâ hac circumscriptione ad lapidem sepulchralem.

„ Anno Domini M. CCCC. XVII. „ die 27. Decembris, obiit bonæ me„ moriæ Domnus LUBERTUS HAUDT„ SCHILT, filius Joannis, Abbas hu„ jus Ecclesiæ; qui cum quindecim „ esset annorum, hanc Religionem „ ingressus, & anno XXXIII. suæ „ Religionis in Abbatem electus, Ec„ clesiam rexit annis XXIV.

In eodem lapide versus isti leguntur potius quam intelliguntur.

*Mors mortis morti mortem si morte dedisset,*
*Hic foret in terris, aut integer astra petisset.*
*Sed quia dissolvi fuerat sic juncta necesse,*
*Ossa tenet saxum, proprio mens durat in esse.*

Fatale vero Flandriæ Vaticinium, HAUTSCHILTO authore circa annum 1400 scriptum: cujus hoc initium: *Gibid væ tibi; nam de te facis ipsa ruinam.* &c.

Plures de calamitatibus Flandriæ belloque quadragenario (ab anno nempe 1568. ad 1608.) interpretantur. Atque ita elucidatum fuit idem Vaticinium à *Joanne Otthone* Brugensi primùm; dein à *Cornelio Bartholomæi*, Abbatiæ Ecchoutanæ Canonico; item abbreviatum ac ad lucem paratum ab *Augustino Blomme* ibidem quoque Religioso. Extat hactenus MSS. in præfata Abbatia Ecchautana, unà cum vita ejusdem Abbatis *Luberti Hautschilt*.

## LUCAS AURIGARIUS,

Vulgari idiomate *Wagenaer* dictus, Enchusanus Batavus, scripsit vernaculo sermone

*Speculum Navigationis per mare occidentale*; excusum Leidæ, typis Plant. 1584. fol & correctum auctiusque, 1594. Utilis liber est, tam navigantibus, quàm historiarum studiosis, in quo

Chartæ ſive Mappæ latinis annotationibus ac declarationibus indigetant portus, arenas, ſcopuloſque maris.

## LUCAS ....

Abbas Montis S. Cornelii, Ordinis Præmonſtratenſis, juxta Leodicum, claruit anno 1140. ſcripſitque ad Milonem, Teruanenſis Eccleſiæ Antiſtitem,

*In Cantica Canticorum*, eſtque Epitome Commentariorum *Aponii* in eadem Cantica, edita primùm Friburgi 1538. cum ipſo Aponio. Prodiit denuo in Bibliotheca SS. Patrum. Meminit vero Henricus à Gandavo, & Trithemius, qui malè Benedictinum facit.

## LUCAS FRUTERIUS,

vulgo FRUYTIERS, Brugenſis, ſingulari ingenii præſtantiâ, abſolutâ judicii integritate, perfectâ omnium diſciplinarum cognitione, ſummo denique vitæ & morum candore excelluit, interque prima ingenia Belgii noſtri, imò & Galliæ fuit, ut ſcripta indicant, quamquam adfecta potiùs quàm confecta, ex quibus facilè de adoleſcentis ingenio judicioque æſtimare eſt. Stilus electus, eruditè elegans, cenſurę maturum quoddam judicium, & ante omnia quid altum & ingenuum, quod ſpirat in ejus ſcriptis. Ita ad Janum Douſam Juſtus Lipſius. Teſtes ſunt

*Veriſimilium* libri II. opus Criticum.

*Verſus miſcelli*, à morte typis Plantinianis editi: quæque in *Lucretium* adfecta habuit: quibus non parum adjuti, qui, poſt Lambinum, auctorem illum Collectaneis illuſtrarunt, ut ad Trium-viros Amoris notavit Janus Douſa, cum inſigni *Fruterii* elogio.

*Epiſtola* benè longa *ad M. Ant. Muretum*, quâ *Feſti Pompeii* loca mutila & lacera reſtituuntur, Mureti Epiſtolis inſerta.

*Julii Severiani Symptomata Rhetorices*, ab eodem eruta & edita.

Pluraque in Lampade ſeu Face Critica Janus Gruterus edidit.

*Librorum qui recuperari potuerunt, Reliquiæ*. Antv. 1584. in 8.

Obiit Pariſiis, nondum quintum & viceſimum natus annum, hauſtâ à pilæ luſu aquâ frigidâ. Tumulum amico poſuit Victor Giſelinus: hiſce verbis.

*Viator aſta, & ſi vacat, lege paucula,*
*Multa ut reſciſcas. Tumulus iſte Grayis,*
*Novem & Sororibus ſacratus,* FRUTERIUM
*Tegit, illum amorem gratiarum amabilem,*
*Novem & ſororum. Bruga ipſum nobili*
*Beavit ortu; Ganda facilem vim ingeni*
*Dedit artibus madere liberalibus.*
*Lovanium & Lutetia uſque in ultima*
*Antiquitatis intima penetralia*
*Subire, & inde, quæ viri doctiſſimi*
*Quique adprobarent, arte ſumma expromere.*
*His tam auſpicatis initiis fata impia,*
*Fata impia, inquam, inviderunt: illa juvenem*
*Quintum ante luſtrum fila ſecuere aurea.*
*Quid obſtupeſcis? an novum aut mirùm id tibi?*
*Fuit Poëta. Sic ſuis lumina oculis*
*Reliquit olim* Valerius, *ſic memoriâ*
*Noſtrâ* Secundus; *taceo cæteros. Abi.*

## LUCAS DE LINDA,

Batavus, edidit latinè

*Deſcriptionem Orbis & omnium Rerumpublicarum*, in qua præcipua Regnorum ac Rerum-publ. ordine & methodicè pertractantur. 8. Amſtel. apud Jac. de Zetter 1665. 3. vol. Marchio Majolinus Biſaccionus eandem in italicum tranſtulit, atque anno 1672. auctiorem Venetiis reddidit.

## LUCIUS TUNGRENSIS,

Vetus Hiſtoricus, ſcripſit à ſæculis aliquot Hiſtoriam rerum Belgicarum ante Chriſti adventum, totam è fabulis compoſitam. Laudant tamen citantque eam aliquoties Amandus Zierixienſis in ſuo Venatorio veritatis hiſtoricæ, Marcus van Vaernewyck in Speculo Antiquitatis Belgicæ, & auctor Florarii, vel, ut ego malim, Faſciculi temporum in hiſtoria Principum Tungrorum.

## LUCTATIUS PETRÆUS, ANDREADES,

Vulgò Stynen (nomen enim *Jacobi*, quod à luctando Hebræi ducunt, ac cognomen, quod flandricè *Petram* ſonat, latinis expreſſit vocabulis) Hagæ-Comitanus, Batavus, ſed Brabantinis oriundus parentibus, Poëta, verſus faciles ludebat, & brevitate atque aculeo ſuo inſignes. In his *Acanthides Aſpri-Colles* ſunt; Carmina pleraque ſacra, & ad amicos. Machliniæ, 1617. 8. typis Henrici Jaye.

Ejuſdem elegans exſtat *Epitalamium in Nuptias Joannis Nobelarii*, Dom. in Gruyſenoort, *& Mariæ Uytwyck*, Dom. de Meliſſant &c.

## S. LUDGERUS,

Friſius, in Virumo pago prope Doccomium natus, è Clerico & Monacho Benedictino Sancti Salvatoris Ultrajecti, primus fuit Monaſterienſium Epiſcopus, à Carolo Magno anno 794. conſtitutus.

De quo plura in ejus Vita Monachi S. Benedicti Werdinenſes, (quam S. Salvatoris apud Trajectum Monachis alii tribuunt) 26. Martii, apud Surium. *Erat* enim, ut ibidem cap. xxxi. legitur, *in Scripturis ſacris non mediocriter eruditus, quod in pleriſque Opuſculis, quæ ipſe fecit, liquido apparet. Nam ea, quæ in Paſſione* S. Martyris Bonifacii *de eo prætermiſſa noverat, primordia ſcilicet Vitæ ejus, adventum atque ordinationem, pulcro ſermone conſcripſit. Compoſuit & Libellum de Vita ſuorum quondam Doctorum, Venerabilium æque Sacerdotum*, Gregorii & Alberici: *in quo vel ingenii ejus acumen, vel eloquii ſplendor elucet. Quodque non minimâ admiratione eget, inter varias occupationes, quibus in dictando, prædicando, orando, jugiter occupatus tenebatur, diſcipulis quotidie ſuis divinas Scripturas ſemotim tradere conſuevit, & profundiora quæque eis explanare.* Hæc Monachi Werdinenſes: cujus loci Cœnobium, unà cum fratre *S. Hildegrino*, primo Halberſtadenſium Epiſcopo, fundavit. Habuit & *S. Herebergam* ſororem.

Dierum plenus, piè in Domino obdormivit, anno 809. viii. Kal. Aprilis Bilderbecq, inde ad Eccleſiam Monaſterienſem tranſlatus, hinc Werdenam, ubi hodieque quieſcit.

Vide Metropolim Crantzii libro I. cap. v. & Saxoniam ejuſdem lib. II. cap xiv. & xvi. Scripſit

*Vitam S. Gregorii, Epiſcopi Ultrajectini tertii*, editam à Nic. Serrario, lib. III. Rerum Moguntiacarum.

*Vitam S. Alberici*, ſucceſſoris S. Gregorii.

*Vitam, Elevationem, Canonizationem & Miracula S. Suitberti*, Co-Epiſcopi S. Willebrordi, ad Rixfridum Epiſcopum Ultrajectinum (cujus etiam ad Ludgerum exſtat Epiſtola) apud Surium, & PP. Hagiographos Societ. Jeſu, ad diem 1. Martii. Leguntur apud eoſdem Acta S. Suitberti, per Marcellinum Presbyterum, de quo infrà.

LU-

## LUDOVICUS DE BERLAIMONT,

Caroli, Equitis aurei Velleris, filius, Archiepiſcopus & Dux Cameracenſis, ordine ſecundus, unàque Epiſcopatûs Tornacenſis Adminiſtrator; Vir in dicendo promptus, in congreſſu facilis, comis atque acutus, in divinis humaniſque litteris plurimùm verſatus. Anno 1586, menſe Octobri, Montibus in D. Waldetrudis, *Concilium* celebravit *Provinciale*, præſente ac præſidente *Joanne Franciſco Bonhomio*, Epiſcopo Vercellenſi, Nuntio Apoſtolico, ibidem editum 1587. & aliàs ſæpius.

Moritur Montibus Hannoniæ anno 1596. apud Nigras Sorores, in Sacello D. Mariæ Magdalenæ, à ſe conſtructo, depoſitus, hoc Epitaphio.

D. O. M.
Honoris & Æternitatis M.
Illuſtriſſimo Præſuli
LUDOVICO DE BERLAIMONT,
Archiepiſcopo & Duci Cameracenſi,
Clementiſſimo Cameracenæ ditionis
Comiti, S. R. Imp. Principi,
Nobiliſſimæ Comitum de Berlaimont
Propaginis Heroi,
Synodi Provincialis
In hoc oppido habitæ auctori
Et executori vigilantiſſimo,
Tornacenſis Epiſcopatûs,
Ob res inconcuſſâ fide geſtas
In Deum & Principem,
Adminiſtratori,
Patriæ Cameracenſium
Libertatis aſſertori, ac demum
Poſt multos generoſiſſimi animi
In rebus adverſis perpeſſos labores,
Vitâ functo 15. Febr. M. D. XCVI.
Et in hoc ſuo ſacello quieſcenti,
Ætat. ſuæ LIV. Præſulatus XXV.

## LUDOVICUS DE BERQUIN,

Vir nobilis & eruditus, è vico *de Zuut-Berquin* ſub Caſtellania Caſletana apud Flandros occiduos oriundus (unde olim illuſtris *Berquinorum* familia, *Gribovalicæ* dein inſerta) Deſid. Eraſmo familiaris & Regi Franciſco I. à conſiliis; à concepto in viros Eccleſiaſticos ac Religioſos odio tranſiit ad novaturientes, indeque in hæreſim Lutheranam prolapſus eſt. Ant. Sanderus inter Scriptores Flandriæ locum ei dedit: nec vetat, Authores etiam malos hîc adjungere, ut ex eorum interitu diſcamus, quam nocivum ſit, à doctrina Eccleſiæ deviare. Seriem Vitæ ac Scriptorum ejus pulchrè recenſuit *Andreas Chevillier*, Doctor Sorbonicus, *Diſſertatione de Origine Typographiæ Pariſienſis*; à pag. 175. ad 180.

Scripſit autem hæc latinè;

*Speculum Theologaſtrorum.*

*De uſu & efficacia Miſſæ.*

*Rationes Lutheri, quibus omnes Chriſtianos eſſe Sacerdotes, molitur ſuadere.*

*Epiſtolas Apoſtolicas plures, pro Luthero, adverſus calumnias aliquorum.*

Item hæc gallicè:

*Raiſons, pour leſquelles Luther a fait bruler publiquement les Decretales, & tous les livres de Droict Canonique.*

*La Triade Romaine.*

*Le Paradis du Pape Jules.*

*Le Catholique du Pape & de Moiſe.* Sunt & alii complures libri, à Luthero vel ab Eraſmo latinè ſcripti, & à Lud. Berquino in gallicum tranſlati. Quos omnes Facultas Theologica Pariſienſis, Decreto dato 26. Junii 1523, igni tradendos eſſe cenſuit; declarans ſimul Berquinum, velut *Lutheranæ impietatis acerrimum propugnatorem, & (quantum de ſe eſt) in deſtructionem & enervationem totius Hierarchiæ Eccleſiæ, ſimul propagatorem, viâ juridicâ compellendum ad publicam abjurationem eorum quæ compoſuit & tranſtulit* &c. Extat Decretum iſtud in Collectione Judiciorum de novis Erroribus per Carolum d'Argentré

Tutelenſem Epiſcopum, Tomo I. pag. 404.

Poſt hæc rediit Berquinus ad priſtinas hæreſes; ac tandem poſt ſententiam latam à duodecim Judicibus ſelectis, (quorum unus erat *Gulielmus Budæus* J. U. D. celeberrimus) Pariſiis, in loco *Greviæ* dicto, hæreticus pertinax flammis traditus expiravit 22. Aprilis 1529.

De interitu *Berquini* ſcribebat *Eraſmus* ad *Carolum Utenhovium*: *De cauſâ, quoniam mihi prorſus ignota eſt, non habeo quod pronunciem. Si non commeruit ſupplicium, doleo: ſi commeruit, bis doleo. . . . Non dubito, quin ſibi perſuaſerit eſſe pia quæ defendebat.* Aliter ſenſit Spondanus, in Annalibus ad annum 1529. pronuncians: à *quâ peſte atque incendio Deus tunc liberaverit Galliam.*

Nec defuit Beza, quin Berquinum Martyrologio ſuo inſereret: addens, quod *Gallia alterum fuiſſet Lutherum nacta*, ſi loco Franciſci I. Fredericus Saxoniæ Dux ei obtigiſſet.

## LUDOVICUS BERTRANDUS LOTH,

Audomaropolitanus, Ordinem Prædicatorum profeſſus in patria die 14. Februarii 1628; poſtmodum in Collegio S. Thomæ Duaci pluribus annis ſtudiorum Regens primarius, Conventûs ſui Audomarenſis iteratò Prior. In Academia Duacena S. T. Doctor renunciatus 24. Maii 1646, prçſente Reverendiſſimo P. *Thoma Turco* Prædicatorii Ordinis Magiſtro Generali, qui tunc Provincias Belgicas viſitabat.

Variorum Authorum libros Duaci evulgari curavit, ſuiſque obſervationibus illuſtravit; ut *Didaci Alvari Tranenſis Archiepiſcopi de Concordia liberi arbitrii cum Gratia*, Duaci apud Bellerum 1635. in 8. *Opuſcula tripartita Franciſci de Arauxo Ordin. Prædic.* Ibid. 1633. *Directorium Conſcientiæ F. Joannis de la Cruz &c.*

Labore autem proprio evulgavit *Reſolutiones Theologicas illuſtrium difficultatum contingentium in Belgio, in XXIV. Tractatus per Quæſtiones & articulos diviſas.* fol. Duaci apud Bellerum 1653. ac poſtmodum Brugis. Plura tamen ſunt in hoc libro, quæ limâ egent.

Reliquit & *quinque Volumina in Summam D. Thomæ*, item *Philoſophiam ad mentem ejuſdem Doctoris*; MSS. in Conventu Prædicatorum Audomarenſi, in quo Author prçmaturo fato obiit anno 1652; ſepultus illic in Eccleſia, appoſito hoc Epitaphio

Monumentum R. ac Eximii P. F.
Ludovici Bertrandi Loth, S.T.D.
Ejuſdemque in Collegio S. Thomæ Aq.
Duaci Regentis primarii,
Qui ſecundâ vice hujus Conventûs
Prioratum fructuoſè agens,
Doctrinâ & ſcriptis clarus
Obiit 16. Octobris M.DC.LII. R.I.P.

## LUDOVICUS BIVORDANUS,

Ex Rhoda S. Petri, prope Lovanium, Canonicus Regularis in Viridi-Valle, vixit anno 1430. pluresque Tractatus metricè conſcripſit:

*De Inventione corporis B. Ludovici de Velthem.*

Libellum, quem inſcripſit, *Salutiferum Ludovici.*

*De VII. Peccatis capitalibus.*

*De Conflictu Morum & Vitiorum.* MSS. in Viridi-Valle.

## LUDOVICUS DE BLASERE,

Gandavenſis, Idewalli Toparcha, atque Eques Jeroſolymitanus, vir rerum civilium gnarus, deque patria optimè meritus, reliquit

*Itinerarium Peregrinationis*, à ſe ſuſceptæ, *in Terram ſanctam, Syriam &*

LVDOVICVS BLOSIVS ABBAS LÆTIENSIS
APVD HANNONES.

*Gallia Bernardo, Francisco Roma triumphat,*
*Bætica non vnum tollit in astra virum.*
*Relligionis opes magno non inuidet orbi*
*Quas habet in* BLOSIO LÆTIA *lata suo.*

*Ægyptum &c.* Legebatur apud Ludovicum ejus filium Gandavi.

## LUDOVICUS BLAVIFLOS,

Gandavenſis, ex Gymnaſio Fratrum S. Hieronymi, inſignem ſcripſit *Threnodiam* carmine, ſuper immaturo obitu *M. Joannis Dullardi*, Gandavenſis, S. Th. Baccalaurei. Gandavi, 1513. in 4.

## LUDOVICUS BLOSIUS,

Vulgò DE BLOIS, ex illuſtri *Bloſiorum* ſive *Bleſenſium* ac *Barbanſoniorum* materna ſtirpe, naſcitur anno 1506. in Caſtello Doni-Stephani (vulgò *Don-Eſtienne*) provinciæ ac diœceſis Leodienſis, prope Bellum-Montem Hannoniæ opidum. Primam ætatem in aulâ *Caroli* Belgarum Principis, poſtea Imp. ejus nominis V. inter illuſtres pueros honorarios egit: quâ deinde valere juſſâ, in ipſo ætatis flore, annos natus XIV. Benedictinorum inſtitutum, in Lætienſi apud Hannones Abbatia, amplexus eſt.

Lovanium miſſus, ſub *Nicolai Clenardi* viri doctiſſimi diſciplina, latinas, græcas, hebraïcas Litteras didicit; atque abſens, in *Ægidii Gippi* Abbatis ſui, laboribus anniſque fracti, Coadjutorem electus fuit, ætate adhuc immaturâ, & vocatione ſeu profeſſione inter ſuos ferè poſtremus, & necdum ſacerdotio initiatus.

Biennio pòſt, anno 1530. *Ægidio* mortuo, ad Cœnobii regimen Lovanio revocatus, primam Deo hoſtiam pridie Idus Julii obtulit; ipſiſque Idibus conſecratus Abbas, mox arduum Reformationis negotium aggreſſus eſt, ac Religioſis diſſolutè & minùs religioſè viventibus ad diſciplinam religioſiorem & verè Monaſticam revocandis, annos multos laboravit, *Statuta* nova conſcripſit & præſcripſit, à Paulo III. Pont. Max. anno 1545. VI. Idus Aprilis approbata, & Diplomate confirmata: novum templi chorum à fundamentis erexit; aliaque præſtitit, quæ Cœnobium illud hodieque florentiſſimum reddiderunt.

Fuit *Bloſius* comis & ſuavis in moribus; benignus & manſuetus in correptionibus; in lectione, ſcriptione, ac rerum ſacrarum meditatione aſſiduus; Virtutum omnium narthecium, ſui decus & miraculum ſæculi. Oblatum ſibi aliquando à Carolo V. Cameracenſem Epiſcopatum, conſtanter humiliterque recuſaſſe fertur. Tandem piiſſimè, & cum famâ ſanctitatis deceſſit anno 1566. die 7. Januarii, ætatis LIX. regiminis XXXV.

Multa ſcripſit aſcetica & pia Opuſcula: quorum lectione Carolum V. Cæſarem, Philippum II. Regem Catholicum, ſummopere delectatos accepimus. Collegit illa & in unum corpus redegit, ſervato ferè ordine temporis, quo ſcripta, Notuliſque & Capitum argumentis illuſtravit *Jacobus Froyus*, *Bloſii* diſcipulus, dein Abbas Haſnonienſis, (vide ſupra p. 513.) edita Lovanii anno 1568. fol. Coloniæ 1572. & 1589. item 1606. 1615. 1618. & 1625. 4. Pariſ. 1622. 4. & Auguſtæ Vindelic. 1626. in 12. Tomis aliquot diſtincta. Auctiora verò & ornatiora, cum Vita Auctoris, auſpiciis *Antonii Winghii*, Abbatis Lætienſis, prodierunt Antverpiæ typis Plantin. 1633. fol. in Sectiones X. diſtributa, hoc ordine:

SECTIO I. *Paradiſus animæ fidelis.* Conſtat partibus quattuor:

I. *Canone Vitæ ſpiritualis.*

II. *Cimeliarchio piarum Precularum.*

III. *Medullâ Pſalmodiæ ſacræ.*

IV. *Officio Horarum de* JESU & MARIA.

SECTIO II. *Pſychagogia*, ſeu *Animæ*

*recreatio.* Addita eſt *Comparatio Regis & Monachi*, ex græco D. *Joannis Chryſoſtomi* latinè reddita.

Sectio III. *Sacellum Animæ fidelis*: quo continentur

I. *Tabella ſpiritualis.*

II. *Preculæ admodum piæ.*

III. *Dicta quorumdam Patrum verè aurea.*

Sectio IV. *Inſtitutio ſpiritualis*; cum Appendicibus quattuor:

I. *Ex libris Joannis Tauleri & aliorum.*

II. *Corollarium Exercitiorum Inſtitutionis ſpiritualis.* Porro Inſtitutiones *Bloſii*, tranſtulit in gallicum P. *Joannes Brignon* Societ. Jeſu, Pariſiis 1706; dein etiam Bruxellis apud Petr. Foppens, & alibi.

III. *Piæ Precationes.*

IV. *Apologia pro Joanne Taulero*, adverſus *Joannem Eckium*, Theologum quidem probè Catholicum: ſed qui nimio abreptus zelo, quædam P. *Tauleri* aſcetica carpſerat.

Sectio V. *Brevis regula & Exercitia quotidiana Tyronis ſpiritualis*, S. Ignatio S. J. fundatori inprimis probata.

Sectio VI. *Conſolatio puſillanimium*, cum *Paracleſi divina ex ſacris Litteris.*

Sectio VII. *Margaritum ſpirituale*; cujus ſex partes ſunt:

I. *De Incarnatione & Vita Domini* Jesu, *ex Johanne Taulero & Joanne Rusbrochio.*

II. *Epitome Vitæ Chriſti ex IV. Euangeliſtis.*

III. *Dominicæ Paſſionis Explicatio*, *ferè ex Taulero.*

IV. *Farrago utiliſſimarum inſtitutionum*, *potiſſimùm ex Rusbrochio.*

V. *Articuli Vitæ* Christi.

VI. *Divini amoris Igniariolum.*

Sectio VIII. *Conclave animæ fidelis*, in IV. partes diſtinctum.

I. *Speculum ſpirituale.*

II. *Monile ſpirituale.*

III. *Corona ſpiritualis.*

IV. *Scriniolum ſpirituale.*

Sectio IX. *Inſtructio Vitæ aſceticæ.* Continet tres partes:

I. *Speculum Monachorum*, ſub nomine *Dacriani* (quod latinè *Lacrymatorem* ſonat) Abbatis, ab ipſo *Bloſio* Lovanii anno 1538. 4. editum.

II. *Enchiridii Parvulorum* libros II. cum *Precatiunculis & Doxologiis.*

III. *Septem Exercitia ſeu Meditationes pro Religioſis tironibus.*

Sectio X. *Polemica*, ſeu *Defenſio veræ Fidei.* Continet item partes tres.

I. *Collyrii hæreticorum* libros II.

II. *Faculam illuminandis & ab errore revocandis hæreticis.*

III. *Epiſtolam ad Nobilem Matronam per hæreticos à vera Fide ſeductam.*

Venerandum *Bloſii* corpus, primum humili loco ante chori Lætienſis ingreſſum quieverat, cum breviſſimâ Epigraphe, uſque ad annum 1631. Tum vero in medio chori elegans ei è marmore ſepulchrum erectum fuit, quò ab Illuſtriſſ. D. *Franciſco Vander Burch* Archiepiſcopo Cameracenſi è priore tumulo oſſa illius tranſlata ſunt, die 15. Junii. Sepulchro hæc Epigraphe inſcripta legitur.

D. O. M.
R. D. Ludovico Blosio
Hujus Monaſterii Abbati XXXIV.
Nobili Bleſenſium ſanguine,
Religioſâ Vitâ,
Aſceticis Libris,
Monaſticæ Diſciplinæ reſtauratione
Domi foriſque clariſſimo,
Cum annis à morte LXV.
Sub vicino ſepulchri ſui lapillo jacuiſſet,
Antonius Abbas XXXVII.
Monachique Lætienſes
Dulciſſimo Patri ſuo,
Tranſlatis huc
Venerandis ejus oſſibus,
Ac honorificentiùs reconditis,
Piæ gratitudinis.

Et venerationis ergo
Æviternæ posterorum Memoriæ
Hoc Monimentum
Anno salutis M. D. C. XXXI.
Posuerunt.
Rexit annis XXXV. vixit LIX.

Olim vero Abbatis sui tumulum Religiosi his versibus honoraverant.

*Qui tres exactè linguas callebat ab ipsa*
*Ephebia, virtutum & omnium Narthecium,*
BLOSIUS, *heu! cecidit, tumbaque reconditur istâ,*
*Nostri decus miraculumque sæculi.*
*Huic age fac Lector, felicia cuncta precare,*
*Et te para ad summi tribunal Judicis.*

## LUDOVICUS BRESINIUS,

Arienſis, *Annalium* ſeu *Chronicorum Arteſiæ ac Flandriæ* volumen ingens ad annum 1560. deduxit. Lecta fuit prior pars MS. Atrebati, apud Ferreolum Locrium qui ex eo ſuum ferè contexuit: altera apud Dom. Caſtellain, Patricium Audomarenſem.

## LUDOVICUS BROMANNUS,

Bruxellenſis, Patricii ordinis, verſu heroïco adgratulatus eſt

*Sereniſſ. Principi* FERDINANDO *Auſtriaco, S. R. E. Card. feliciſſimum in Aulam opidumque Bruxellenſe ingreſſum.*, typis Mommartii, 1635. 4.

## LUDOVICUS CARRIO,

Brugenſis, ſed Hiſpanus origine, Lovanii comparem iiſdem in ſtudiis, ac poſtea æmulum habuit *Juſtum Lipſium*: Duaci ac Pariſiis Martino Ant. Del-Rio à ſtudiis fuit. E gallico itinere Lovanium redux, & J. U. Doctor anno 1586. renuntiatus, primò Inſtitutionum Imperialium, deinde Decretorum Profeſſor fuit Regius, itemque Canonicus in Cathedr. Audomarenſi, ad D. Petrum Lovanii, & ad D. Germanum Montibus Hannoniæ. Quæ verò ſcripſit, ferè Criticam ſpectant, veterumque ſcripta, velut è naufragio tabulas, collegit, recenſuit, & auxit.

*Hiſtoriarum Salluſtii Fragmenta*; cum Notis. Antver. 1573. 8. apud Plantinum.

*Cenſorinum de die Natali*: cui Incerti auctoris fragmentum ejuſdem ferè argumenti adjunxit. Pariſ. 1583. 8.

*Magni Aurelii Caſſiodori de Orthographia* libellum. Antver. 1579. 8.

*Valerii Flacci Argonautica*, cum *Caſtigationum* libello. Ibid. in 8. & 16. & Lugd. 1617. 8.

Præterea *Antiquarum Lectionum* libros III. ſcripſit, & edidit typis Plantini, 8. 1576.

*Emendationum* libros II. typis Ægidii Bay, Lutetiæ, in 4. & in Lampade Critica, Tomo III.

Ante diem Lovanii moritur, anno 1595. die 23. Junii, in Collegio D. Ivonis, cui præerat.

## LUDOVICUS A CASTRO,

Leodienſis, S. Theol. Doctor, Ord. Seraphicorum Conventualium ſæpiùs Provincialis, & in Romana Patrum congregatione Commiſſarius Ordinis per Sabaudiam, Delphinatum, Vivareſium, Burgundiam, vicinaque loca renuntiatus: Vir fuit in omni ſcientiarum genere verſatiſſimus & concionator facundiſſimus, ad quem è ſuggeſtu detonantem tota penè Leodienſis ſolebat concurrere civitas; ut proinde illo decedente magnum Reſpub. Chriſtiana vulnus acceperit. Scripſit gallicè,

*De diviſione prætenſæ Religionis Provinciarum Belgicarum, quæ ſe Fœderatas nuncupant*, ſeu de diſſectis Calvini ſectis.

*Anti-Synodica Conventiculorum, Ultra-*

*jecti & Dordraci annis* 1618. & 1619. *habitorum.* Leodii apud Chriſt. Ouwerx, 1619. 8.

*Caſtrum Monaſticum*, ſive *Apologiam*, ſalſam & eruditam, *oppoſitam Turri Babel Danielis Hochede*, Calviniani Gallorum Dordraci Concionatoris. Ibid. 1622. 8.

*Vindicias Montis Pietatis Leodienſis*, contra *Joannem de Lillers*, Advocatum Cameracenſem. Ibid. 1627. 4.

*De Inſtitutione Montium Pietatis*, per Principatum Leodienſem & Comitatum Loſſenſem. Ibid. 1618. 4.

Deceſſit verò anno 1632. Leodii, apud ſuos magno honore ſepulcri in navi Eccleſiæ tumulatus.

## LUDOVICUS DE DIEU,

Vliſſingæ apud Zelandos natus eſt anno 1590. die VII. Aprilis, patre *Daniele*, Bruxellenſi, qui Calviniani dogmatis diſſeminator ac prædicutius, câ ex urbe anno 1585. per Ducem Parmenſem pulſus, idem miniſterium apud Vliſſinganos dein exercuit. Avum habuit *Ludovicum de Dieu*, quem Carolus V. Cæſar litteris Nobilitatis donârat.

Patri ſuo *Danieli*, in Calviniani ritûs miniſterio Vliſſingano ſuffectus eſt *Ludovicus* filius, exactoque biennio ad idem munus evocatus anno 1619. Lugdunum-Batavorum. Creatus etiam Theol. Doctor, ſucceſſit & *Danieli Colonio*, avunculo, in regimine Collegii Theologici, ad formandos prædicutios Gallos in Lugdunenſi Academia inſtituti.

Linguarum Orientalium peritiâ, ad ſtuporem, inſtructus fuit, pluresque Codices, etiam ex Arabico & Perſico, latinè vertit, tam indefeſſâ diligentiâ, ut & mortem ex immoderato ſtudio ſibi acceleraſſe credatur. Annum agebat ætatis 53. dum fato raptus eſt Leidæ die 13. Decembris 1642; relictâ viduâ *Catharinâ Bogaard*, Scabini Vliſſingenſis filiâ, undecim liberorum matre, è quibus aliqui etiam in ſtudiis excelluêre.

Oratione funebri Collegam ſuum proſecuti ſunt, *Joannes Polyander à Kerckhove*, & *Abraham Heydanus*, Profeſſores Theol. Leidenſes. *Marcus Zuerius Boxhornius*, Profeſſor Hiſt. hos quoque pro Epitaphio verſus ei poſuit.

*Oriens, Viator, Occidentis hîc jacet.*
*Fallor. Sepulcrum hoc Occidens Orientis eſt.*

Illius Opera hæc ſunt.

*Compendium Grammaticæ Hebraïcæ*, & *Dictionariolum præcipuarum Radicum.* 4. Leidæ 1626. typis Elſevirianis.

*Grammatica Trilinguis, Hebraica, Syriaca & Chaldaïca*; ſive Linguarum Orientalium inter ſe collatarum. Leydæ 1628. in 4.

*Rudimenta Linguæ Perſicæ.* Ibid. 1639. 4.

*Animadverſiones in IV. Euangelia.* Ibid. 1631. 4.

*Animadverſiones in Acta Apoſtolorum, ubi collatis Syri, Arabis, Æthiopici Vulgati, Eraſmi & Bezæ Verſionibus, difficiliora quæque loca illuſtrantur.* 4. Lugduni Bat. 1634.

*Animadverſiones in Pauli Epiſtolam ad Romanos, & reliquas Epiſtolas*; in quibus collatis &c. (ut ſupra.) 4. Lugd. Bat. 1646.

*Apocalypſis S. Joannis*, Syriacè ex MS. exemplari Bibliothecæ Joſephi Scaligeri edita, charactere Syro & Hebræo, cum Verſione Latina, Græco Textu & Notis. Leydæ apud Elzevirios. 1627. in 4.

*Hiſtoria Chriſti & S. Petri.* ab Hieronymo Xaverio S. J. Perſicè conſcripta: cum latina Verſione & Animadverſionibus. 4. Leidæ 1639. In his quidem Interpretem agit ſatis fidelem: verùm Animadverſiones, quas

adjecit, ſpiritum redolent hæreticum; eaſque rogo dignas cenſuit Philippus Allegambe in Bibliotheca Scriptorum S. J. Unde & Romæ à S. Congregatione Indicis proſcriptæ fuerunt, die 4. Junii 1661.

*Animadverſiones in Veteris Teſtamenti Libros omnes, ex Chaldæorum & Syrorum & Arabum Verſionibus, ut & Hebræorum Commentariis.* 4. Leydę 1627. & 1646. Omnia hæc Biblica rurſum prodierunt, hoc titulo:

*Critica Sacra, ſive Animadverſiones in loca quædam difficiliora Veteris & Novi Teſtamenti; Editio nova recognita, ac variis in locis ex Authoris Manuſcriptis aucta.* Amſtelod. apud G. Borſtium, 1693. fol.

*Collationes Criticæ Sacræ*, per Epiſtolas cum Joanne Cloppenburgio Theol. Franek. de quo ſupra.

*Grammatica Linguarum Orientalium*, ex recenſione Davidis Clodii. Francof. 1673. 4.

*Aphoriſmi Theologici*, editi per Melch. Leydęckerum Theol. Ultraject. Ibid. 1693. 8.

*Tractatus contra Avaritiam.* Flandricè in 8. Amſtel. 1660. item Daventr. 1695.

Ceterum quæcumque ab *Lud. de Dieu* edita fuerant, Romæ damnata fuêre, â die 18. Decembris 1646. De ipſius ſcriptis conſulendus etiam P. Niceron Tomo XV. Authorum illuſtrium.

## LUDOVICUS FIDELIUS,

Nervius, Canonicus in patria, & Doctor Theologus Pariſienſis, ſcripſit doctè ac diſertè,

*De Mundi ſtructura*, ſeu *de ſex dierum opificio*, libros VII. Pariſ. 1556. 8. apud Guil. Morellium.

*De Humana reſtauratione*, ſeu *de Incarnatione Domini.* Antver. 1569. 8. apud Nutium.

*De Militia Spirituali*, libros IV. adverſus mundi hujus tyrannidem. Pariſ. 1540. typis Jod. Tiletani.

Obiit Tornaci Nerviorum, in Noſocomio, cui Paſtor Hoſpitalarius præfuit, conditus.

## LUDOVICUS FOULON,

Cameracenſis, per annos XL. domeſticus Illuſtriſſ. Domini Franciſci Van der Burch Archiepiſcopi Cameracenſis; nempe primùm illi à cubiculis, dein à ſacris & ſecretis, ac demum ejuſdem beneficio in Metropolitana Eccleſia Cameracenſi Canonicus. Benefactoris ſui, anno 1644. vitâ functi expreſſit

*Epitomen Vitæ & Virtutum Ill. ac Reverendiſſimi D. Franciſci Vander Burch, Archiep. & Ducis Cameracenſis*: &c. 4. Inſulis 1647.

## LUDOVICUS DU GARDIN,

Sive HORTENSIUS, Valencenas, Doctor ac Profeſſor Medicinæ Regius Ordinariuſque, in Academia Duacena, per annos XXVIII. edidit

Epitomen methodicam *de Peſtis natura, cauſſis, ſignis, prognoſticis*, cui titulum fecit, *Alexiotomus.* typis Auroii, 1617. 8.

*Quæſtiones III. de animatione fœtus*, quibus oſtenditur, Animam rationalem ante organizationem non infundi, adverſus *Thomam Fienum* Doctorem &c. Prof. Med. Lovanienſem. Ibid. 1623. in 8.

Apologiam pro iiſdem Quæſtionibus, hoc titulo, *Anima rationalis reſtituta in integrum* Ibid.

*Manuductionum per omnes Medicinæ partes*, ſive *Inſtitutiones Medicinæ.* Ibid. 1626. 8. & auctiores 1634. 4.

*Medicamenta purgantia, ſimplicia &*

*compoſita, ſelecta, uſitata & ſufficientia.* Ibid. 1631. 12.

## LUDOVICUS GUICHARDIN,

*Hieronymi* filius, Patricius Florentinus, à ſe & patruo *Franciſco Guicciardino*, magni & celebris nominis Hiſtoriographo longè clariſſimus; cujus famam æmulatus, univerſam *Belgicam*, ſeu omnes Germaniæ inferioris Provincias, primus Etruſco quidem ſermone, deſcripſit, Antv. 1567. Opus poſtea gallicè, interprete *Franciſco Belleforeſto*, ſtandricè *Cornelio Kyliano*, ac latinè ex interpretatione *Regneri Vitellii* Ziriczei editum eſt, folio apud Janſonium Amſtelodami 1613, cum Tabulis Geographicis Provinciarum & Urbium: ac rurſum Amſtel. 1660. 2. Vol. 8.

*Commentariorum* ejuſdem *de rebus memorabilibus quæ in Europa, maximè vero in Belgio, ab undetricesimo uſque in annum* 1560. *evenerunt, libri III.*, primùm Italicè Antv. apud G. Silvium 1565. in 4. Dein latinè interprete *Petro Paulo Kerckhovio* Dunkercano, Antver. 1566, in 8. ac rurſum anno 1580. Francofurti, Tomo II. Scriptorum Rerum Belgicarum.

*Horas recreationis*, ex Italico idem Belleforeſtus in gallicum vertit ſermonem. Antv. & Pariſ. gallicè 1573.

De univerſo Belgio, homo licet Italus, optimè meritus, ac pluſquam Belga, Antverpiæ in meditullio Belgii, diem obiit anno 1589. ætatis 66. die 22. Martii, ſepultus in Æde Cathedrali ante odæum, publico Monumento à S. P. Q. Antverpienſi honoratus.

LUDOVICO GUICCIARDINO
Florentino,
Nobilibus majoribus orto,
Inter quos patruum habuit
Franciſcum
Magni nominis Hiſtoricum,
Cujus Famam æmulatus
Univerſam Belgicam
Eleganti ſtudio deſcripſit.
Vixit ann. LXVI.
Obiit XI. Kal. April. M. D. LXXXIX.
S. P. Q. Antverp.
B. M. P. C.

## LUDOVICUS GUILLARD,

Origine quidem Gallus ac Domûs Navarræ Doctor Theologus, munere Epiſcopus Tornacenſis, ab anno 1513. uſque ad 1524. quo ad Carnotenſem Cathedram fuit tranſlatus, hinc anno 1553. ad Cabilonenſem, ac demum ad Silvanectenſem. Devixit Pariſiis anno 1565. præ ſenectute cœcus.

Evulgavit Tornaci anno 1520. *Statuta Synodalia*, quæ olim edita in 4. haud pridem inſerta fuêrunt Collectioni Synodorum Tornacenſium, anno 1726. vulgatæ, pag. 123.

Item Carnuti *Conſtitutiones Synodales, ordinatas* 1526. quæ prodierunt 4. Pariſiis apud Colinæum 1530. aliis 1538.

*Statuta Synodalia Carnutenſia* ejuſdem Epiſcopi anno 1550. prodierunt 4. Aureliæ apud Hotot.

*Conſtitutiones Synodales Diœceſis Cabilionenſis* anno 1554.

Porro his quæ Præſul Guillardus evulgavit Statutis, tum Tornaci tum Carnuti, doctam manum appoſuit *Judocus Clichtovæus*, Neoportuenſis Flander, S. T. D. è Domo Navarræ, quem Præſul ſuum olim Magiſtrum, Tornaci S. Jacobi Paſtorem, Carnuti vero Canonicum creavit.

## LUDOVICUS HENNEPIN,

Athenſis Hanno, Ord. FF. Minorum Recollectorum Sacerdos, Prædicator & Confeſſarius, Conventûs Rentiacenſis in Artheſia Guardianus, dein Miſſionarius ac Notarius Apoſtolicus in regno Canadæ ſeu novæ Franciæ, iter

iter ſuum, & quæ ibi curioſa obſervavit, prodidit hiſce libris.

*Deſcription de la Louiſiane nouvellement decouverte au Sud-Oueſt de la nouvelle France, par ordre du Roi, avec la Carte du Pais, les mœurs & la maniere de vivre des Sauvages.* 12. Pariſ. 1683. item italicè Bononiæ 1686, ex verſione Caſimiri Freſchot.

*Nouvelle Deſcription d'un tres grand païs ſitué dans l'Amerique entre le nouveau Mexique & la Mer glaciale, depuis l'an 1670 juſqu'en 1682, avec des Reflexions ſur les entrepriſes de M. Cavelier de la Salle, & autres choſes concernant la Deſcription & l'Hiſtoire de l'Amerique Septentrionale.* 12. Utrecht 1698. 2. Vol.

*La morale pratique du Janſeniſme, avec un Appel comme d'Abus au Pape Innocent XII.*

## LUDOVICUS HILLESSEMIUS,

Andernacus, diœceſis Colonienſis, Vir Conſularis, ſcripſit, teſte Swertio in Athenis Belg.

*De conſolatione juſtorum* libros III.

*Elegiam de morte hominis juſti conſolatoriam.* Coloniæ, 1572.

*Meditationes rerum divinarum in Pſalmos XV.*

*Orationem gratulatoriam, ad Salentinum Archiepiſcopum Colonienſem.* Coloniæ, 1568. typis Materni Cholini.

*Sacrarum Antiquitatum monumenta, Patriarcharum, Regum, Prophetarum, & Virorum vere illuſtrium Veteris Teſtamenti, imaginibus & elogiis approbata.* Antverp. typis Plantini. 1577.

Sepultus eſt Coloniæ hoc Epitaphio.

Hoc virtus tumulo jacet.
Hoc parvo pietas marmore clauditur.
Hoc ſaxo tegitur Fides.
Heu! mors improba, quid ſidera deripis
Orbi? cur tenebræ placent?
Mors eſt ingeniis nulla perennibus.

## LUDOVICUS JACOBI,

Bruxellenſis, è Societ. Jeſu, vitâ functus Cortraci 8. Decembris 1661. Deſcripſit

*Vitas Alphonſi Rodriguez & Benedicti Goes Coadjutorum temporalium Societatis.* 12. Antver. 1659.

*Ingreſſum in Vitam æternam, ſeu piam præparationem ad felicem mortem.* 12. Antv. 1661.

## LUDOVICUS JOSEPHUS HUVETTERUS,

Flander, Canonicus Cathedralis Eccleſiæ S. Martini Iprenſis, ſuſceptâ devotâ peregrinatione Eccleſias ſtationeſque viſitavit Romanas, in patriamque reverſus vernaculo ſermone vulgavit

*Deſcriptionem variorum locorum ſacrorum.*

Item *Synopſin Vitæ Sanctorum.* Antv. typis Trognæſii 1628. 4.

## LUDOVICUS LAUTIUS,

Aliàs Lautens, Gandavenſis, Paſtor ad Sanctum Michaëlem in patria, Theologus ac Poëta, præter *Notas in Varronem, Catullum, Tibullum atque Propertium*, ſcripſit quoque *Notas in Pauli Oroſii Hiſtoriam*, de veteribus libris calamo exaratis. Edidit cum Franc. Fabricii Commentario in eamdem, Moguntiæ Petrus Cholinus, 1615. 8.

## LUDOVICUS LINDANUS,

Sylvæducenſis, Paſtor in Reymenam, quæ Mechlinienſis diſtrictûs parochia eſt, luſit

*Epigrammata in hæreticos, & alia Miſcellanea; item Luſus Anacreontæos, ſive Charites Marianas.* 4. Mechl. 1656.

Obiit provectâ jam ætate, circa ann. 1678.

## LUDOVICUS MAKEBLYDE,

Poperinganus, Flander, è Societate Jesu, primus nascenti Collegio Bergensi ad S. Winocum Rector præfuit, deinde Iprensi ad sex annos, missusque in Bataviam totis ibi XIX. annis vineam sacram excoluit; atque excelluit populari præsertim sermone, quo prodesse studuit, & scripsit, digna latinè legi; videlicet

*Catechismum, ad usum Provinciæ & Suffraganearum Ecclesiarum Archiepiscopatus Mechliniensis*; qui puerorum manibus teritur & memoriæ mandatur, ac plusquam centies prelum subiit.

*Paradisum XII. Exercitiorum Spiritualium.* Antverp. typis Verdussii, 1617.

*Thesaurum Precationum.*

*Thesaurum Doctrinæ Christianæ.*

*Montem spiritualium delitiarum Consolatorium ægrorum & defunctorum.*

*Artem Virtutum seu Perfectionis.* Aliaque Antverpiæ sæpiùs recusa.

Delphis Batavorum Missionarius vivere desiit anno 1630. ætatis LXVI.

## LUDOVICUS MASURIUS,

Nervius, Calvinianæ sectæ assecla, Poëmata quædam latina edidit Basileæ 1579. 8. excusa, quorum hic titulus:

*Borboniades, sive de Bello Civili ob Religionis caussam in Gallia gesto, Libri XIV.* Sunt autem vetitæ lectionis: ut & illud, quod de exilio suo à Galliarum finibus cecinit, adjectum Æneidi Virgilianæ à *Masurio* rythmo Gallico expressæ, Paris. 1554.

## LUDOVICUS MEDARDUS,

Seu MEDAERTS, Lovanienſis, quintus Lovanii in Scholis Artium anno 1593. è Pœdagogio Falconis; inde Canonicus ad D. Petrum in patria, plurimùm eloquentiâ valuit, nec minùs elegans Poëta fuit. Specimen in utraque oratione dedit pænè puer, edito Panegyrico duplici, quo Sereniss. ERNESTI, *Archiducis Austriæ, Belgicarum Provinciarum Gubernatoris*, optatum in Belgium gratulatur adventum. Lovanii, 1594. 4.

Vitæ finem posuit anno 1635. v. Nonas Octobris.

## LUDOVICUS NONNIUS,

*Alvari* Medici Lusitani filius, Antverpiæ natus, promotus in secunda linea Lovanii anno 1573. fuit dein Medicus excellens, Historicus, Poëta. In singulis ostendit ingenii præstantiam, variam doctrinam, Antiquitatis notitiam non vulgarem. Scripsit

*Hispaniam*, sive de opidis fluminibusque Hispaniæ. Antverpiæ. 1607. 8. apud Verdussium.

*Ichthyophagiam*, seu *de esu Piscium*, Ibid. 1616. 8. typis Belleri. Item

*Dieteticon*, seu *de re cibaria* libros IV. Ibid. 1626. 8. item 4. ibid. 1646. Quibus libris imprimis ostendit, esum piscium, quem certis diebus Ecclesia Romano-Catholica præcipit, simul etiam esse salubriorem.

*Epistolas quasdam ad Joan. Boverovicium Med. Dordrac. de Calculo, Aquis Spadanis* &c. Extant inter Opera Beverovicii.

*Commentarium in Julium Cæsarem, Augustum, Tiberiumque, Huberti Goltzii.* Ibid. 1620. fol. typis Ærtsii.

In ejusdem Goltzii *Numismata Græcia*, seu in *Tabulas Insularum Græciæ* apud eumdem.

Lusit quoque *Epicedium Justo Lipsio*, editum in fama postuma ejusdem Lipsii & alia quædam Carmina, sparsim edita; ac parata editioni habuit *Elogia Hispanorum armis illustrium*.

## LUDOVICUS OVERDATS,

Doctor Medicus Marchionis de Caſtello-Roderici Gubernatoris Belgii, graſſantem peſtem deſcripſit vernaculè, ſimulque præſcripſit remedia. Titulus eſt : *Kort verhael van de peſte met haere genees-middelen, dienſtigh voor alle aerme menſſchen.* 12. Bruxell. apud J. Mommaert. 1668.

## LUDOVICUS RADOUX,

Leodius, primò Curiæ Leodienſis Sententiarius, pòſt Sereniſſ. Principis ærario Præfectus, vir ad omnem humanitatem compoſitus, & in agendis ac tractandis rebus negotiiſque omnibus, dum vixit, diligentiſſimus ac ſolertiſſimus, plurimùmque de Imperio Romano, de Principe ſuo patriaque meritus, poſtquam libro doctiſſimo deſcripſit

*Jura omnia, quæ ſacrum Rom. Imperium habet in Dominio de Fleron, ſub Advocatia B. Virginis Regalis urbis Aquenſis conſtituto*, cum argumentorum per adverſarios propoſitorum veriſſima ſolidiſſimaque reſolutione. Uxorem duxerat D. Eliſabetham d'Hennin.

## LUDOVICUS DE SCHILDERE,

Brugenſis, Societatis Jeſu Theologus, ac per annos plures Profeſſor apud ſuos in Academiâ Lovanienſi; obiit Brugis die XVII. Junii 1667. ætatis 61. Ediderat

*Tractatus VI. de Principiis formandæ Conſcientiæ.* 12. Antverp. 1664.

*Synopſin Theologicam de Sacramentis Eccleſiæ* fol. Lovanii 1648. Quam & in publicis Diſputationibus ſub ejus preſidio defendit Illuſtriſſ. Dominus Humbertus Guilielmus à Precipiano, poſtmodum Archiepiſcopus Mechlinienſis.

## LUDOVICUS DE SCHORE,

Lovanienſis, Patriciæ ſtirpis, J. U. Doctor renunciatus anno 1520. XI. Kal. Junii, eodemque anno Legum Profeſſor Ordinarius Lovanii, non ita multo pòſt à Carolo V. Cæſare in Conſilium Machlinienſe adſcitus fuit, nec unâ Legatione, ejuſdem Imp. nomine, ad Angliç Galliæque Reges functus eſt. Demum anno 1540. poſt Illuſtriſſ. *Joannem Carondeletum*, Archiepiſcopum Panormitanum, Conſiliorum Statûs Sanctioriſque conſtitutus Præſes.

Scripſit amplum atque iteratâ editione dignum *Conſilium, ſuper viribus Matrimonii, inter Henricum VIII. Anglorum Regem, & Catharinam Auſtriacam*, quæ nupta antè fuerat Arthuro, Henrici fratri : cum cauſſa ea Rom. Pontifici dijudicanda proponeretur : editum Lovanii fol. 1534. typis Saſſeni.

Vivere deſiit Antverpiæ, anno 1548. die XXV. Februarii, relicto ex *Joannâ Vander Noot*, filiâ *Adolphi* Brabantiæ Cancellarii, ( quæ marito ſuperſtes, Leodii deceſſit anno 1590.) *Erardo* filio, J. C. Equite, Lovanii ſæpius Conſule, præclaràque ex eo poſteritate. Conditus Lovanii apud Eremitas Auguſtinianos : ubi Vitæ ſeries proponitur, his verbis.

*Quiſquis ades, qui ſacra frequens hæc limina templi*
*Viſis ad hæc dubios per monumenta pedes.*
*Summa* LUDOVICUS SCHOREÆ *gloria Stirpis,*
*Hac moriens condi viſcera juſſit humo.*
*Hunc quia vitales urbs Lovanienſis in auras*
*Protulit, ereptum nunc ſibi mæſta dolet.*
*Sedulus ingenuas vix-dum puer imbibit artes,*
*Ingenii rarâ dexteritate valens :*

*Cum bene luſtraſſet ſinuoſa volumina Juris,*
*Prælegit Leges, Juſtiniane, tuas.*
*Sacratos vix-dum Doctoris adeptus honores,*
*Nativâ ſummus Rector in Urbe fuit.*
*Machliniæ hinc cæpit clarere Senator in aula,*
*Edens ingenii dona ſtupenda ſui.*
*Mittitur idcirco Regem Legatus ad Anglum:*
*Bis Francum Caroli nomine miſſus adit.*
*Inde reverſus ad Heſperios acceſſit Iberos;*
*Hinc decus huic meritò Cæſar Equeſtre dedit.*
*Protinus incolumem poſt tanta pericula Cæſar,*
*Majori dignum duxit honore virum.*
*Illuſtris Statuum ſit ad alta palatia Præſes,*
*Secretique capit munera Concilii.*
*Cunctarum tradit ditionum Cæſar habenas,*
*Quas nunc inferior noſter hic orbis habet.*
*Non favor à recto, procerumque potentia movit,*
*Flectere propoſitæ non valuiſtis opes.*
*Hoc Cenſore fuit magnas perpeſſa ruinas*
*Hæreſis, in multis Hydra coorta locis.*
*Adjunxit Carolo validos ad bella Sycambros,*
*Conſilio dirimens prælia capta ſuo.*
*His quatuor ſummas rerum eſt moderatus ad annos,*
*Cum lentâ caderet vita ſoluta febri.*
*Hei mihi quam tenui pendent mortalia filo,*
*Quamque trahit dubiâ ſtamina Parca manu!*
*Tam clarum patriæ columen, Deus optime, tecum*
*Quæſumus æthereos fac habitare polos.*

## LUDOVICUS SOMBECHUS,

Abbas & Comes Gemblacenſis, Ord. Benedictini, obiit 12. Septembris 1609. poſteaquam ſcripſiſſet libellum aſceticum, quem inſcripſit

*Funiculum triplicem* contra præſentis ſæculi calamitates; in quo Paſſionis, Mortis & Crucis Dominicæ myſteria & documenta, SS. Patrum verbis expreſſa. Bruxellæ, typis R. Velpii, 1607. 8.

## LUDOVICUS TALESIUS,

Religioſus Claromarenſis Ord. Ciſt. prope Audomaropolim, ſacris Virginibus in Viridario juxta Oſyacum à Confeſſionibus, librum edidit, cui titulus:

*Ad Pœnitentem recenſque confeſſum Exhortatio.*

## LUDOVICUS DE LA TOUR,

Profeſſus Cartuſiæ Leodicenſis, Poëta inſignis, vitâ functus Liræ in Brabantia, anno 1632; carmine numerali deſcripſit

*Generales omnes Ordinis Cartuſiani, à D. Brunone* ad ſua uſque tempora. Coloniæ, 1597. & Wirceburgi, 1606.

## LUDOVICUS WOVERIUS,

Joannis filius Franciſci frater, Antverpianus, admodum adoleſcens latinas græcaſque litteras accuratè didicerat, adeò ut ſolutâ vinctaque ſcriptione ad elegantiam emineret, ac verſibus Tragicis pangendis unus omnibus principatum prærepturus videretur: verùm florem illum Belgarum eripuit nobis nimis præmatura mors anno 1624. IV. Kalen. Septembres, Madriti in Hiſpania, cùm vixiſſet annos dumtaxat XVI. menſes VII. Exſtat

*Applauſus amoris & favoris ab amiciſſimis & Doctiſſimis Viris Franciſco Woverio, Joannis filio ſcriptus*, publicante *Ludovico* ejus fratre, typis Plantin. 1623.

*Apobaterion* ſive *Itineris ſui in Hiſpanam Narratio*, ad Erycium Puteanum.

*Piorum Jamborum Mnemoſynon.* Ibid.

# M.

## MACARIUS HAVERMANS,

ANtverpiensis, Religiosus Abbatiæ S. Michaëlis Ordinis Præmonstratensis Antverpiæ, annos aliquot S. Theologiæ Professor fuit, verè eruditus, licet apud quosdam notam Jansenismi non evaserit. Florente ætate raptus est è vivis Antverpiæ 20. Februarii 1680. annos vix natus 36. professus 14. Edidit

*Tyrocinium Theologiæ Moralis, ad mentem SS Patrum*, præsertim Augustini. Antverpiæ apud Reinerum Slegers 1675. in 8. Editio II. aucta.

*Defensionem Tyrocinii Moralis Theologiæ contra Theses illi oppositas.* Coloniæ per Balth. Egmond. 1676, in 12.

*Examen libelli P. Caroli ab Assumptione Carmelitæ Discalceati: cui titulus: Pentalogus diaphoricus, sive quinque differentiarum rationes, quibus verum judicatur de dilatione Absolutionis.* Coloniæ apud Egmond 1679. in 8.

*Dissertationem Theologicam de Authoritate SS. Patrum*, præsertim Augustini. Coloniæ apud Egmond. 1677. in 8.

*Epistolam Apologeticam ad summum Pontificem Innocentium XI. contra injustam accusationem Francisci Simonis.* Coloniæ per Egmond 1678. in 8.

*Disquisitionem Theologicam, An proximus diligi debeat formali interno dilectionis actu.* Coloniæ per Egmond 1678. in 8.

*Disquisitionem Theologicam, quinam Amor Dei requiratur & sufficiat ad justificationem.* Lovanii per Adrian. de Witte. 1675. in 8.

## MACARIUS SIMEOMO,

Antverpiensis, S. Theol. Licentiatus in Academia Lovaniensi, ejusdem Professor in Abbatia S. Michaëlis Antverpiæ, ibique Canonicus Præmonstratensis, ac dein Abbas anno 1663. Fervebant in Belgio Controversiæ occasione Libri Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi, recens ab Apostolica Sede damnati. Hinc scripsit sequentia contra P. *Guilielmum Landsheere* Societ. Jesu, Antverpiæ in Domo professa Conferentias Ecclesiasticas, vulgo *Collationes*, è Cathedrâ proclamantem: nempe

*Collationem Antverpiensem*, ad Clariss. Virum Petrum Aurelium; Lovanii anno 1647. dein etiam Parisiis.

*Novum Prosperum contra novum Collatorem.* Ibidem

*Theses Theologicas de Peccatis, & peccatoris per J. C. gratiam justificatione.* 4. Antverp. 1647.

Obiit Antverpiæ 12. Aprilis 1676. ætatis anno 60.

## MAILLARDUS VULDERUS,

Furnensis, J. U. Licentiatus, nobilis præstantissimorum Bituricensis Scholæ Antecessorum *Francisci Duareni* & *Jacobi Cujacii*, Lovanii autem *Gabrielis Mudæi* discipulus. Ut primum in patriam venit, cepit in Comitio Flandrico eloquentiæ præsidio confisus, reorum periclitantium causas dubias defendere. Postea S. P. Q. Aldenardensi à Consiliis extitit. Anno vero 1586. Consilii Flandrensis Patronus Fisci creatus, omnibus admirationi fuit. Ubi quid in deliberationem cadebat, quod inextricabile videbatur, incredibilem in differendo subtilitatem manifestabat. Sexagenario minor, maximis exantlatis laboribus, pthysica febre consumptus, hujus mortalis vitæ fortem anno 1592. dereliquens, 10. Martii, raptus est ad immortalem.

Multa elucubrata habuit in Jure Civili, teste Swertio in Athenis Belg.

inter cetera *Volumen Reſponſorum, ſive Conſiliorum*, quibus reconditarum materiarum nodos difficiles ſolerti ingenio, & exquiſito judicio ſolvit. Remanſerunt MSS. penes heredes, *Maillardum & Antonium de Vuldere, Maillardi* filios, in ſupremo Conſilio Senatores Mechliniæ; poſterior enim ſucceſſit priori ad ſanctius Conſilium adſumpto, anno 1624.

## S. MARCELLINUS,

Presbyter, comes peregrinationis SS. Willibrordi & Suitberti, & Actorum ſcriptor, claruit circa ann. 730. de quo S. Lutgerus libro de Vita ac Miraculis S. SUITBERTI: *Expaveſco & tremiſco aliquid addere ad complementum illius libri, editi & conſcripti à tam excellenti Gentilium prædicatore, egregio Preſbytero Marcellino.* Scripſit verò *Vitam & Acta* S. Suitberti, mandato & auctoritate S. Gregorii Epiſcopi Trajectenſis. Edidit Surius, 1. Martii, ſed mutato ſtilo. Ægidius Gelenius S. Theol. Licent. Canonicus ad S. Andream Coloniæ, ſcripſit *Clypeum Suitbertinum*, quo jacula, quæ in Scriptorem Vitæ S. Suitberti contorquentur, avertit, editum Coloniæ, 1640. 4.

Hactenus quidem *Val. Andreas*: verùm quæcumque ſub nomine *Marcellini* edita ſunt, fabuloſa atque conficta eſſe, fuſè demonſtrant PP. Hagiographi S. J. ad diem 1. Martii.

## MARCELLUS FRANCHEIMIUS,

Zutphanius, Gelder, J. U. Doctor, pleraſque Italiæ, Germaniæque Academias luſtravit, varium & miſcellaneum doctrinæ genus ſectatus, docuitque ipſe græcam latinamque Linguam. Poſtea ſede fortunarum ſuarum tranſlatâ Bruxellam, inde in Concilium Navale ſive Admiralitatis, ut vocant, Dunkercæ adſcitus eſt, obiitque ibidem anno 1643. Edidit.

*Epiſtolam pro Jatro-Chimica*, ad Joan. Erneſtum Burggravium, Franekeræ, 1611. 8. cum Burggravii Biolychnio.

*Ἐπίχρισιν ϛοχαϛικὴν ad Achillem παυσπερομαχον.* Præmittitur Burggravii libro cui titulus *Achilles παυοπλος* &c. Amſtel. typis Henr. Laurentii, 1612. in 8.

*Expeditionem Sicambro-Batavam*, ad fidem & virtutem antiquorum. Moguntiæ, 1620. 4. apud Balth. Lippium.

Item librum Apologeticum, hoc titulo, *Aſinus palmatus*, ſeu *Pædagogus Halenſis Sigiſmundus Evenius furens adverſus Adamum, ad fuſtuarium remiſſus.* Ibid. eodem anno 4.

## MARCUS ANTONIUS BIGATO,

Abbatiæ Tungerloenſis in Campinia Canonicus Regularis Præmonſtratenſis, & anno 1660. Paſtor in Dieſſen, prodidit

*Auguſtinum humiliatum, excitantem cor ad amorem Miſericordiæ Dei, & dulcedinem Gratiæ illius, quâ potens eſt omnis infirmus, qui ſibi per ipſam fit conſcius infirmitatis ſuæ.* 12. Lovanii 1646. apud Maſium.

## MARCUS CORNELIUS MARTINI,

Antverpianus, & Philoſophiæ in Academia Julia Profeſſor,

*Diſputationem de ſubjecto & fine Logices* &c. adverſus Ramiſtas, edidit Lemgoviæ. 1597. 8.

## MARCUS GHEERAERTS,

Inſignis rerum quarumlibet pictor & delineator, artem pictoriam Brugis cum laude & ſucceſſu exercuit & promovit: ſed anno 1566. turbantibus

rem ſacram & civilem Calviniſtarum concionibus, pictoria inter cæteras artes frigere cepit. Unde aliam ille viam tentandam ratus pingendi ſcientiam cum cælandi arte, feliciter commutavit; eo ſcilicet modo, qui erodente aquâ perficitur; ejuſque raræ dexteritatis prȩclarum ſpecimen dedit, dum prægrandem Chartam geometricam civitatis Brugenſis delineavit & ſculpſit; quâ nihil in eo genere accuratius aut elegantius deſiderari poteſt. Poſtea ſeceſſit in Angliam, ibique, relicto filio paternæ artis hærede, mortuus eſt. Edidit linguâ vernaculâ

*Veraces fabulas animalium*, cum fig. exquiſitiſſimis. Brugis apud Petrum de Clerck 1567. 4. quas & *Huberto Goltzio* inſcripſit. Verſus autem qui cuilibet figuræ appoſiti & fabulam narrant & ejus ethicen docent, compoſiti ſunt ab *Edewardo de Dene* Brugenſi, ut in calce libri patet. Idem opuſculum denuo prodiit belgicè ſub titulo, *Vivarium animalium*. Amſtel. 1617. 4. quod & proſâ & alio verſu interpolavit *Jodocus Vondelius:* ſed elegantiam figurarum prelo detritam imperitum ſcalprum poſtmodum temeravit.

Illi quoque adſcribitur ſub nomine *Gerardi ter Brugge* libellus de Arte pictoria, hoc titulo: *Verlichterie kunde, oft recht gebruyck der Water-verven &c.* iterato editus per *W. Goeree*, typographum Middelburgi 1670.

## MARCUS GUALTERUS,

Campenſis Scholæ Rector, apud Trans-Iſalanos, edidit Amſtelodami, 1614. 8. apud Henr. Laurentium,

*Dialogos de Scholis, earum antiquitate, uſu &c.*

## MARCUS LAURINUS,

Brugenſis, Waetervlieti Dominus, *Guidonis* frater, hiſtoriarum & antiquitatis omnis velut promus & condus: *Huberto Goltzio* Antverpiâ accerſito, eodemque in Italiam, Germaniam, ac Galliam miſſo, ad Antiquitatis omne genus conquirendum; reducis Goltzii operâ, *Faſtos Conſulares*, è Faſtis Capitolinis ac Nummis mirâ quadam elegantiâ à ſe concinnatos atque digeſtos publicavit, ut Goltzius ipſe in C. Julio Cæſare ad Laurinum præfatur.

Cetera quoque Numiſmata omnia pari ordine & congruitate diſpoſuit, in *C. Julio Cæſare*, *Hiſtoria Auguſta*, *Magna Græcia* à Goltzio vulgatis. Cœperat, perducto ad umbilicum Auguſto, reliquos deinceps ad Domitianum Cæſares ſimili Venere & elegantiâ expolire: ſed, bellis civilibus undique in Belgio exorientibus, ſpoliato in itinere Oſtendano maximâ antiquarii theſauri parte Laurino, & typis Goltzianis à ſervo fure ablatis; pulcerrimi illi conatus planè conciderunt, magno rei litterariæ damno.

Obiit celebs anno 1610. ſepultus in choro parochialis templi de Watervliet, à majoribus magnificè exſtructi atque dotati; addito hoc Epitaphio vernaculo.

*Sepulture Jonckheere Marcus Lauweryn, Schiltknape, Heere van Waetervliet, Waeterlant, Philippine &c. den welcken ongetrout overleden is . . . 1610. Ende Mevrouwe Françoiſe Lauweryn, naer dedoot van haeren bovengeſchreven broeder Vrouwe van Waetervliet, &c. de welcke twee bovengeſchreve kinderen waeren van wylent Joucker Guido Lauweryn, filius Matthias, geprocreert by Vrouwe Joanna de Deurnagele, &c.*

Porrò alius ejuſdem Stemmatis fuit *Marcus Laurinus*, Vir non minùs eruditus, Eccleſiæ D. Donatiani Brugis per annos XXI. Decanus, *Deſiderii Eraſmi* amicus ac patronus, à quo frequentes ad eum extant Epiſtolæ. Obiit ille 4. Novembris 1542.

## MARCUS LYCKLAMA,

A Nyeholdt, Frisius, J. C. juvenis Heydelbergæ atque alibi Jura didicit, eademque Franekeræ Frisiorum Professor primarius docuit, indeque Ordinum Generalium Belgii fœderati in consistorio Statu Consiliarius, & per Stellinguerfiam in Frisia orientali Grietmannus, ut ibi loquuntur, hoc est, Dynastes seu Satrapa, Eques D. Marci, Ordinis illius insignibus donatus à Marco Ant. Morosino, Serenissimæ Reip. Venetæ ad Ordines Belgii fœderati Legato. Edidit

*Membranarum*, sive Opinionum ad Jus Civile controversarum libros VII. Amstelodami, 1608. & 1609. 4. Jenæ, 1624. 8. Leovard. 1644.

*Commentarium De incunda rei debitæ æstimatione*, ad L. Vinum 22. D. de rebus cred. Amstel. 1610. 8.

*Operas gratuitas* de *Condictione furtiva*, pro Jacobo Cujacio, adversus Operas Ant. Fabri subsidiarias, nomine *Ant. Mercatoris*. Lug. Batavorum, 1616 8.

*Benedictorum* libros IV. adversus maledicta atque errores cùm Pragmaticorum, tum aliorum, circa actiones ex delicto merè pœnales, mixtas, rei persecutorias &c. Ibid. 1617. 8.

*De hæredibus instituendis in legitima*. 8. Franekeræ.

*De Jure studiosorum*. Ibid. 1609.

*Orationem de Professore Juris*. Ibid. 1616.

## MARCUS MASTELEYN,

Bruxellensis, filius Henrici, Sereniss. Principum Alberti & Isabellæ à cubiculis & per 34. annos Doctoris Medici, Canonicus Regularis Ordinis S. Augustini in Viridi-Valle, S. Theol. Licentiatus Lovanienſis, ibidemque Collegii sui Ordinis Præses, ac demùm Prior Cœnobii Septem-Fontium, vir non minùs religione, vitæque integritate quàm ingenio doctrinaque excellens. Obiit apud suos anno 1651. Ediderat.

*Necrologium Monasterii Viridis-Vallis* &c. Brux. in 4. typis Meerbecii.

Item *Joannis de Bercht*, ejusdem instituti Canonici, *Elucidatorium in Psalmos Davidicos*, suppletis iis, quæ à Psalmo CXIV. usque ad Psalm. CXXXIII. inclusivè deerant. Antver. 1634. 4.

## MARCUS NEVIANUS,

Gerardi nontanus, Medicus & Philosophus, in patria Consul fuit, pòst Sacerdos Gandavi vixit. Macrum imitatus scripsit

*De Plantarum viribus*, carmine. Lovanii, 1563. 8. apud Wellæum.

*De Morbis curandis* librum, Gandavi excusum.

## MARCUS VAERNEWYCK,

Civis & Patricius Gandavensis, vernaculè scripsit

*Speculum Historiæ Belgicæ*, typis editum, tertio prelo, Antverpiæ 1665, in 4.

Verùm fallitur & fallit vir optimus, dum origines Belgicas Trojano ab ovo ducit, scriptaque sua apocryphis atque improbatæ fidei narrationibus contaminat. Plura alia idiomate patrio (nullius enim alterius peritum fuisse constat) conscripta, legebantur apud *Joannem Schepperum*, ex filia nepotem, & recensentur à Sandero libro III, de Gandavensibus eruditione claris, & à Swertio in Athenis Belgicis; veluti

*Descriptio Comitatûs Flandriæ & Zelandiæ.*

*Chronicon Flandriæ.*

*De origine & situ opidi Gandavensis.*

*Clypeus Fidei Christianæ.*

*Itinerarium Romanum.*

*Speculum Anabaptistarum.*

*Cotes quadrangularis*, *de Judæis, Infidelibus*

*fidelibus*, *Turcis & Pseudo-Christianis.*

*De antiqua Nobilitate & origine Flandriæ*, rythmo vernaculo, &c.

Decessit anno 1567. majorum tumulo ad S. Bavonem illatus.

## MARCUS ZUERIUS BOXHORNIUS,

Bergizomii, quod Brabantiæ opidum est ad Schaldim famâ belli olim celeberrimum, anno 1612 natus est mense Septembri, patre *Jacobo Zuerio* ibidem Ministro Calviniano, matre *Anna Boxhornia*, *Henrici* Ministri itidem Bredani filiâ. Itaque nomen *Zuerii* à patre, *Boxhornii* vero à matre assumpsit: reclamantibus tamen Familiis Patriciis *de Zueyro* & *Boxhorn*, quarum illa Antverpiæ hæc Bruxellis plane illustres habebantur.

Puer incredibili literarum amore incensus, ingenio prompto ac facili, æquales omnes est supergressus: sexennis, amisso patre, sub oculis *Henrici Boxhornii*, avi materni educatus est Bredæ, usque ad annum 1625, quo, occupatâ per Hispanos Breda, Lugdunum Batavorum secessit. Studiosis illius Academiæ adscriptus, stupendos in Philosophiæ, Jurisprudentiæ, Historiarum ac Politices studiis fecit progressus: eruditissimorum hominum, præcipue *Danieli Heinsii* publicis lectionibus ac familiaritate usus.

Unde tantam doctrinæ famam fructumque acquisivit, ut anno ætatis XIX. haud dum impleto, a Curatoribus ejusdem Academiæ ad publicam Eloquentiæ & bonarum Litterarum Professionem, post *Petrum Cunæum* admotus sit; cujus quidem Cathedræ possessionem adeptus est anno 1632. pridie Kalendis Septembris. Dein anno 1640 Professor Institutionum Juris, & 1648. Historiarum Professor publicus, dum cathedra hæc à discessu *Gerardi Joannis Vossii* dudum vacasset. Inter hæc à Cancellario *Oxenstierna* Suecorum ad Ordines Fœderatos Legato, *Christinæ* Reginæ & procerum nomine ad amplissimas dignitates evocatus in Sueciam, illi Septemtrioni amorem præstulit patriæ.

*Boxhornii* cum debentur quem-plurima Authorum, præsertim Batavorum, encomia, quæ Bibliothecæ suæ Belgicæ inseruit *Valerius Andreas*, qui familiare litterarum commercium cum *Boxhornio* habuit: unde & plures hodie asservantur Epistolæ MSS.

Uxorem duxerat *Boxhornius* filiam *Petri Duvelaar* Consulis Mediobur-gensis, è quo connubio filiæ duæ relictæ sunt. Obiit diuturno morbo exhaustus, Lugduni Batavorum die 3. Octobris 1653, annos vix natus XLI. pro funere laudatus à collega *Lamberto Barlæo*, Casparis filio.

Varia edidit, & quidem ex iis quædam penè puer adhuc, nimirum decimo-septimo ætatis anno. Sunt autem hæc.

*Poëmata*, præsertim de capta Silvaducis &c. 1629. 12.

*Granatarum encomium* Amstel. 1631. 4.

*Historiæ Augustæ Scriptores*, cum Animadversionibus ac Notis. Lugd. Bat. 1631. 12. Tomis IV.

*Theatrum*, *sive Descriptio Comitatûs & Urbium Hollandiæ*, cum Tabulis geographicis. Amstel. 1632. in 4. *Petrus Montanus* in flandricum transtulit 4. Amstel. eodem anno.

*C. Plinii Panegyricus recensitus.* Lug. Bat. 1632. & 1648. Item Amstelod. 1659. in 12.

*Animadversiones in Suetonium Tranquillum.* Lug. Bat. 1632. & 1645 12.

*Poëtæ Satirici minores, cum Commentariis.* Lug. Bat. 1632. 8.

*Respublica Leodienſium* Lug. Bat. 1633. in 24.

*Apologia pro Navigationibus Hollandorum, adversùs Pontum Heuterum.* Lug.

Bat. 1633. 24. Londini 1636. 8.

*Emblemata Politica, & Dissertationes Politicæ.* Amstelod. 1634. & 1651. 12.

*Julii Cæsaris Opera, cum Commentariis variorum.* Amstelod. 1634. fol.

*Grammatica Regia, sive nova & facillima Ratio discendi Linguæ latinæ præcepta, pro Christina Suecorum Regina.* Holmiæ 1635. 12. item Lug. Bat. 1650. in 12.

*D. Catonis Disticha de Moribus, græco-latina, cum Notis.* Lug. Bat. 1635. 8.

*Orationes duæ de vera Nobilitate & ineptiis sæculi.* Lug. Bat. 1635. fol.

*Oratio inauguralis de majestate Eloquentiæ Romanæ.* Lug. Bat. 1636. 4.

*Orationes tres de Theologia Paganorum, Fabulis Poëtarum & Animarum immortalitate.* Lug. Bat. 1636. 4.

*Oratio funebris in obitum Illust. Herois, Dominici Molini, Patricii & Senatoris Veneti.* Lug. Bat. 1636. fol.

*Character Causarum Patroni.* Lug. Bat. 1637. 4.

*Character Amoris.* Lug. Bat. 1637. 4.

*Panegyricus Celsissimo Arausionensium Principi, Friderico Henrico, post Bredam oppugnatam dictus.* Lug. Bat. 1637. fol.

*Quæstiones Romanæ, in quibus sacri & profani Ritus, plurima etiam Antiquitatis Monumenta eruuntur & explicantur;* unà cum *Plutarchi Quæstionibus Romanis,* Commentario uberrimo explicatis. Lugd. Bat. 1637. in 4. Extant etiam in Thesauro Antiquit. Roman. Grævii, Tomo V.

*Monumenta Illustrium Virorum æri incisa & elogia.* Lug. Bat. 1638. fol.

*Justinus, cum Notis.* Amstelod. 1638. in 12.

*Panegyricus in Classem Hispanorum profligatam.* Lug. Bat. 1639. fol.

*Oratio de Somniis, habita cum ordiretur interpretationem Somnii Scipionis.* Lugd. Bat. 1639. in 4.

*Historia obsidionis Bredanæ & rerum anno 1637. in Belgio aut alibi gestarum.* Lugd. Bat. 1640. fol.

*De Typographicæ Artis Inventione & Inventoribus, Dissertatio.* Lugd. Bat. 1640. 4.

*Dissertatio de Trapezitis, vulgò Longobardis, qui in fœderato Belgio mensas fœnebres exercent.* Lugd. Bat. 1640. 8. item Groningæ 1658. 4.

*Panegyricus in Nuptias Principis Arausionensium Guilielmi, & Mariæ, Britanniæ Regis filiæ.* Lugd. Bat. 1641. fol.

*Oratio in excessum Illustris Viri Cornelii Vander Myle.* Lugd. Bat. 1642. fol.

*Oratio quâ Ser. Henricæ Mariæ, magnæ Britanniæ Reginæ urbem Leydensem subeuntis adventum veneratur.* Lugd. Bat. 1642. fol.

*Oratio in excessum Ill. Principis Constantini Alexandri.* Lugd. Bat. 1642. fol.

*Commentarius in Vitam Agricolæ Cornelii Taciti.* Lugd. Bat. 1642. 12.

*Apologia pro Commentario ad Agricolam Taciti, adversùs Dialogistam.* Amstel. 1643. 12.

*Animadversiones in Cornelium Tacitum.* Amstel. 1643, & 1648. in 12. item 1673. in 8. item Lugd. Bat. 1642. in 12. item Venet. 1645. in 12.

*Historia Belgica,* usque ad Caroli V. Cæs. regimen deducta; Flandricè, Leidæ 1644. 1649. in 4.

*Chronicon Zelandiæ,* prius à *Joanne Reygersbergio* vernaculè editum, cum observationibus & auctario luculento dedit denuo Middelburgi, 1644. in 4.

*De Cultu Deæ Nehalenniæ.* flandricè, Leydæ. 1647. in 4.

*Plinii Epistolæ, una cum ejus Panegyrico, recensitæ.* Lugd. Bat. 1648. 12. Amstel. 1659. in 12.

*Dissertatio de Amnestia.* Lugd. Bat. 1648. 12.

*Dissertatio de Successione & Jure Primogenitorum, in adeundo Principatu, ad Carolum II. Magnæ Brittanniæ Regem.* Lugd. Bat. 1649. 4.

*De Majeſtate Regum Principumque Liber ſingularis, adversùs J. B. Cogitationes ſubitaneas in Diſſertationem de Succeſſione &c.* Lug. Bat. 1649. in 4.

*Commentariolus de Statu Fœderatarum Provinciarum Belgii*, Boxhornio tribuitur. Prodiit in 16. Hagæ-Com. apud Joan. Verhoeven 1649. per XII. Capp. item anno 1650. Hagæ in XXVI. Capit. Prior tamen editio integrior eſt: ſed cùm propter eam *Boxhornius* indignationem Ordinum Hollandiæ in curriſſet, qui librum ejus proſcripſerunt, aliam ejuſdem editionem caſtratam ſubſtituere coactus eſt.

*Oratio funebris in exceſſum Adriani Falckoburgii Med Doct. & Profeſſoris.* Lugd. Bat. 1650. 4.

*Haymonis Hiſtoria Eccleſiaſticæ Breviarium, cui adjuncta prima Religionis Chriſtianæ Rudimenta, vetuſtiſſima Alemannorum & Saxonum Lingua conſcripta.* Lugd. Bat. 1650. 12.

*Diſquiſitiones Politicæ, ex omni Hiſtoria ſelecta.* Hagæ Comitum 1650. & 1655. 12. item Erfurti, 1664. 12.

*Diſſertatio de Græcæ, Romanæ & Germanicæ Linguarum harmonia* Lugd. Bat. 1650. 12.

*Hiſtoria univerſalis Sacra & Profana à nato Chriſto ad annum* 1650. Lugd. Bat. 1651. & 1652. in 4. item Lipſiæ 1675. 4.

*Orationes varii argumenti.* Amſtelod. 1651. in 12.

*Oratio in exceſſum Guilielmi Principis Arauſiæ, Comitis Naſſovii.* Lugd. Bat. 1651. fol.

*Metamorphoſis Anglorum.* Hagæ Com. 1653. 12.

*Originum Gallicarum Liber, in quo veteris & nobiliſſimæ Gallorum Gentis Origines, Antiquitates, Mores & Lingua, eruuntur aut illuſtrantur.* Cui accedit antiquę Linguæ Britannicæ Lexicon Britannico-Latinum, inſertis explicatiſque paſſim Adagiis Britannicis. Amſtelod. 1654. 4.

*Ideæ Orationum è ſelectiori materia moderni ſtatûs Politici deſumptæ.* Lugd. Bat. 1657. 12. item Lipſ. 1661. 12.

*Inſtitutionum ſeu Diſquiſitionum Politicarum Libri II.* quibus proponuntur ac deciduntur caſus politici: cum Notis *Georgii Hornii*, Lipſiæ 1659. item Amſtelod. 1663. D.ſplicent multis ob nimiam ſcribendi libertatem: ideoque Author inter *Monarcho-machos* reputatur.

*Chronologia ſacra & prophana*, curis *Joannis Andreæ Boſii* prodiit Francof. 1660. fol.

*Epiſtolæ & Poëmata*, Amſt. 1662. in 12. cum præfixa Vita *Boxhornii*, Authore *Jacobo Baſelio* Min. Calv. item Lipſiæ 1679. cum Præfatione *Jacobi Thomaſii.*

*Diſſertatio de Imperio Romano*, Jenæ 1664. in 12.

Ceterum de avo Marci Zuerii Boxhornii quædam etiam veniunt digna notatu. *Henricus* iſte non *Boxhornius*, ſed vero ac vulgato nomine *Bockorinck* vocabatur. Nativitate Bruxellenſis erat, filius foſſoris cœmiterii parochialis Eccleſiæ B. M. de Capella. Lovanii primus tertię lineæ (ut ajunt) in Promotione Philoſophicâ anni 1568. expleto dein S. Theologiæ curſu, Preſbyteratu ac Licentiæ gradu inſignitus fuerat, indeque Decanus ac Paſtor Eccleſiæ S. Germani Thenis, ejuſdem quoque Diſtrictûs Archipresbyter ab Archiepiſc. Mechlinienſi conſtitutus.

Poſtmodum Religionis ac ſui-ipſius immemor, ſuperbiâ admodum inflatus, poſt occultum primò inceſtuoſumque commercium cum quadam *Sibilla Stylſia*, unde & proles nata fuerat; tandem Thenis relictis, cum eadem aufugit in Hollandiam, anno 1594. factuſque infamis Apoſtata à Religione Catholica, publicè eidem Sybillæ per ſacrilegas nuptias copulatus fuit: & pro deſertionis ſuæ præmio ad Miniſterium Calvinianum in oppido Woer-

denſi primùm, dein anno 1601. Bredę evehi meruit. Deſertionis ſuæ cauſſas per *Apologiam* à ſe editam palliare conatus eſt: cui *Paræneticam Epiſtolam* typis oppoſuit doctiſſ. æque ac piiſſimus *Henricus Cuyckius* S. T. D. Lov. & ad D. Petrum Decanus, dein Ruræmund. Epiſcopus. Inſcripſit eam partim Decano ac reliquo Clero, Prętori Coſſ. S. P. Q. Thenenſi, partim Ampliſſ. Viro *Philippo Boxhornio* in Curia Brabantina Senatori regio; cujus familiæ nomen hic Apoſtata uſurpaverat. Indeque tota hæc narratio deſumpta eſt, quam & confirmat *Baylius* in *Dictionario critico*.

Quin & de *Sibilla Stylſia* narrat P. *Herm. Hugo*, S. J. in Hiſtoria obſidionis Bredæ, veſanam hanc mulierem, ut ſuum pro ſecta Calviniana zelum demonſtraret, ſpiritu quaſi prophetico aſſeruiſſe, Bredam non aliter ab Hiſpanorum manibus eripiendam, niſi priùs B. M. V. Icon, quæ in loco publico expoſita, hactenus ab hæreticis intacta permanſerat, inde amoveretur.

Hæc per tranſennam de parentibus *Marci Zuerii Boxhornii*; quæ ſtudioſè diſſimulavit in Bibliotheca ſua Belgica *Val. Andreas*: eò quod litterarum ejus commercio uteretur.

## MARGARETA AUSTRIACA,

Maximiliani I. Imp. filia unica, Philippi Pulchri Hiſp. Regis ſoror, Caroli V. Imp. amita, nata eſt Brugis die x. Januarii 1480. Scripſit varia Opuſcula gallicè, tam verſu quam proſâ: inter alia *Deſcriptionem calamitatum ſuarum*. Varia ejus Epigrammata apud Belgas & Gallos paſſim leguntur, atque imprimis hoc, quod de ſe-ipſa ſcripſerat Epitaphium.

*Cy giſt Margot la gentil' Damoiſelle,*
*Qu'a deux maris, & encore eſt pucelle.*

Alludebat ad binas priores nuptias: ſiquidem primò deſponſata fuerat tertio ætatis ſuæ anno, Carolo VIII. Francorum Regi, qui dein Annam Britannicam duxit; ſecundò Joanni Hiſpaniarum Infanti, Ferdinandi Regis unigenito; ad quem dum è Belgio in Hiſpaniam duceretur, navi per tempeſtatem periclitante, verſus iſtos compoſuit. Tum ante conſummatum matrimonium vidua, Philiberto Sabaudiæ Duci anno 1501. nupſit, ac rurſum poſt triennium, ſine prole vidua.

Hinc anno 1513. Belgis Gubernatrix data, rexit ſapienter atque feliciter, naſcentique hæreſi ſeſe fortiter oppoſuit, uſque ad annum 1530, quo vitæ finem habuit Mechliniæ Kal. Decembris. Cor ejus Brugis urbe natali, in Annuntiatarum Monaſterio, quod condiderat, corpus vero ſepelitur Burgi in Breſſia, in Eccleſia S. Nicolai Tolentinatis, Auguſtinianorum, quos itidem fundaverat.

Epitaphium habuit Bruxellis in D. Gudilæ, in laminâ, quam Iconoclaſtæ ſuſtulerunt.

*Cæſaribus proavis, & Cæſare claranepote*
MARGARETA, *Auſtriaci ſata ſemine*
MAXIMILIANI,
*Illa ego quæ miti rexi moderamine Belgas,*
*Et per fœmineas percuſſo fœdere dextras*
*Diſcordes populos, tranquilla pace beavi,*
*Hic fato depreſſa cubo, telluſque tenebit,*
*Neſcio quid noſtro de corpore pulveris atri.*
*Luſtra decem vitæ Lacheſis vix neverat,*
*& mox*
*Stamina Parca ferox fatalia rupit, iterque*
*Ire per obſcurum nulli remeabile juſſit.*
*At vos plebeio geniti de ſanguine, quando*
*Ferrea nec nobis didicerunt fata, nec ullis*
*Parcere nominibus, patientius ite ſub umbras.*

In altera lamina ibidem.

*Ergo nigra dies, & adeſt quoque flebilis hora.*
*Femina Dia tibi? nec mors diademata curat?*

*Ergo longa quies tibi jam properatur, & iſta*
*Lumina perpetuis claudet nox una tenebris?*
*Nec pietas, nec ſancta fides, nec nobile Stemma,*
*Belgica, nec divos tellus miſeranda movebit?*
*Scilicet hoc fuerit tumidæ movere quod undæ,*
*Et terra lacrymas ſuggeſſerit Amphitrite.*
*Illa orbanda ſua rectrice, orbanda parente,*
*Jam nunc in riguos meditatur abire liquores.*
*Parce piis lachrymis, tellus & pace querelis,*
*Nec mutari opta, quod ſtat fatalibus olim*
*Ignibus impreſſum, nullis revocabile votis.*

## MARGARETA GODEWYCK,

Dordraci in lucem edita pridie Kal. Septembr. 1627. celeberrimæ apud Batavos *Annæ Schurmanniæ* coætanea & æmula, quanti nominis hæc fuit apud Ultrajectinos, tanti habita illa fuit apud concives Dordracenos. In arte præſertim poëtica excelluit, verſuſque latinos æque ac vernaculos facili venâ pangebat. Præter linguam græcam callebat etiam gallicam, italicam & anglicam: neque artis pictoriæ muſicæque ignara fuit. Meminit illius *Matthæus Balen* in Deſcript. Dordrac. pag. 203. velut ad prodigium eruditæ mulieris, inque omni arte exercitatę.

Obiit autem quinquagenaria Dordraci, die 2. Novemb. 1677.

## MARGARETA TRIGAULT,

Duacena, Monialis Benedictina Abbatiæ B. M. V. de Pace Duaci, una è quatuor primis Monialibus à fundatrice primaque Abbatiſſa Florentiâ de Werguignœuil adductis, ad inchoandam ſtrictiorem Regulæ S. Benedicti obſervantiam pro devoto fœmineo ſexu. Ex qua dein Abbatia Duacenâ B. M. de Pace plurimæ aliæ Parthenones in Belgio, puta Atrebati, Gerardi-montibus, Bethuniæ, Brugis, Namurci ac Leodii, propagatæ ſunt. Scripſit Vitam Fundatricis, gallicè.

*Abregé de la Vie de la Venerable Mere Florence de Verguigneuil, decedée l'an* 1638. Extat in libro gallico, cui titulus: *Voiage Litteraire*, per Religioſos Benedictinos Gallos è Congregatione S. Mauri. Tomo I. parte 2. pag. 219.

## MARIA D'ENNETIERES,

Tornacenſis, mulier nobilis & docta, claruit anno 1539. quo vulgavit, gallicè ſcriptam,

*Epiſtolam contra Turcas, Judæos, Infideles, Pſeudo-Chriſtianos, Anabaptiſtas & Lutheranos.*

## MARIA DE SUCCA,

*Benedicti* J. C. Leodienſis filia, naſcitur anno ſæculari M. D. C. pridie Conceptionis Virginis Dei-paræ. Miraculum ſexus ſequioris: nam præter Arithmeticam, Muſicam atque Organicam ſcientiam, dum ad Religioſarum Virginum Conventum anhelaret, poſt didicita trium menſium ſpatio linguæ Latinæ præcepta, tantos deinde non totis ſex menſibus in eadem lingua fecit progreſſus, ut illo ipſo anno nec-dum vertente Epiſtolas Ciceronis ad familiares ſibi fecerit familiariſſimas, doctiſſimaſque ad viros doctiſſimos latinas ſcripſerit epiſtolas, ut vel una è multis, Leodio à Lamberto Vlierdeno miſſa, fidem fecit. Denata eſt anno 1626. annos nata XXV. menſem unum, condito ſibi extremo elogio & pleno pietatis teſtamento latino, quod à patre Leodii, ut & Epiſtolarum faſciculus, adſervatum fuit.

## MARIUS JOANNES GODTSCALCANUS,

Antverpienſis, Ordinis S. Franciſci tertii Inſtituti, quos Bogardos vocant, edidit

*De Republica Chriſtiana noviſſimorum temporum* libros III. Antver. typis Belleri, 1600. 12. & Lovanii apud Rivium.

*Precationum libellum.* Antverp. typis Keerbergii, 1587.

*Evangelicas & Chriſtianas Orationes*, ſermone vernaculo, 1590.

Naturæ debitum ſolvit Bruxellis apud ſuos anno 1596. & ſepultus in ambitu Monaſterii, hoc Epitaphio ſimulque Chronographico.

QUALIS HOMO TU NUNC, EGO TUNC; AT QUALIS EGO NUNC, TALIS TU TUNC, ET, SI BENE, DIVES ERIS.

## MARIUS VOET,

Eques, Toparcha de Kneckenbourg &c. Conſul & Scabinus perpetuus Territorii Franconatenſis, ſtudio ac labore indefeſſo collegit, quidquid ad Genealogiam Familiarum, tum Flandriæ, tum cæterarum Belgii Provinciarum pertinet imò, & plurimarum exterarum. Celebs obiit Brugis anno 1685.

Manu propriâ ſcripſerat Libros XLVIII. quorum hi præcipui, aſſervati Bruxellis penes Comitem de Colins, qui ejus abneptem Dominam N. Delval, uxorem habet.

*Hiſtoire genealogique de la Maiſon des Comtes de Flandre & de Hainaut &c. diviſée en ſept livres & juſtifiée par les Chartes de diverſes Egliſes, Abbaies, Arrets des Parlemens, Titres, Epitaphes &c.* 1685.

*Recuil & Liſte des grands Baillis & Ecoutettes de Bruges; des Bourguemaitres & Echevins de ladite Ville, des Bourguemaitres & Echevins du Franc &c.*

*Pluſieurs Volumes d'Epitaphes & autres Preuves des Genealogies.*

*Hiſtoire genealogique de la Famille de Sarmiento & Villa-major en Eſpagne &c.*

## MARSILIUS DE INGHEN,

S. Theologiæ Doctor & Profeſſor, an Germaniæ inferiori ſeu Belgis accenſendus veniat, video pluries dubitatum, proque illius natalibus plures lego contendiſſe urbes, Pariſienſem, Londinenſem, Heidelbergenſem & Ultrajectinam. Trithemius quidem natione facit Anglicum; verùm addit eſſe, qui eum ſcribant fuiſſe Germanum, quibus ego, inquit, liberum concedo judicium. *Ingben* pagus eſt in Batavia nova, vulgò *Betuwe*, ibidemque Commendatoria Ordinis ſeu Militiæ Rhodienſis. Hìc equidem loci, aut ſaltem Ultrajecti, ex ejuſdem nominis familia, natum credidero *Marſilium*. Fuit ipſe Canonicus & Theſaurarius ad S. Andream Coloniæ, primuſque Academiæ Heidelbergenſis plantator, Trithemio teſte; leguntur que ejus non inutilia

*Commentaria in libros IV. Sententiarum*, Argentorati anno 1501. edita.

Moritur Heidelbergæ anno 1396. die xx. Auguſti.

Vide Monumenta Heidelbergenſia Melchioris Adami, ubi Oratio legitur funebris, habita à *Nicolao Prouwin*, Sacræ Paginæ Profeſſore. In qua quod quidem perſonam *Marſilii* ſpectat, ita legitur: *Vita venerabilis laudabilem produxit ab occaſum Regulariter non cœnavit: ſextis feriis in pane & aqua jejunavit, & aliis Vigiliis magnis cilicio carnem caſtigans &c.*

Atque hinc non ſit veriſimile, eum ex Profeſſore Heidelbergenſi umquam Carthuſianum eſſe factum, nec conjicere poſſim, cur inter Ordinis illius Scrip-

tores numeretur à Thoma Bozio lib. XXII. de Signis Ecclesiæ cap. V.

## MARTINUS ANTONIUS DEL-RIO,

*Antonii* Cantabri, Artzelariæ & Cleydaliæ in agro Antverpiensi Toparchæ & *Eleonoræ Lopez de Villanova* filius, natus est Antverpiæ, anno salutis 1551. ipso Pentecostes meridie. Puer Liram missus, ad tertium à natali solo lapidem, ibidem rei litterariæ prima jecit fundamenta: quibus deinde solidiora adjecit Lutetiæ Parisiorum, Eloquentiæ ac Philosophię Peripateticæ in Collegio Claromontano Societ. Jesu datâ operâ, familiam inter Philosophos ibi tum ducente *Joanne Maldonato*.

Hinc Duacum ablegatus, ad Juris utriusque studia capessenda, moderatorem adolescentiæ suæ studiorumque habuit *Ludovicum Carrionem*, virum ingenio & scriptis clarum, cum eoque Lovanium profectus, in eodem Juris studio gnaviter sese exercuit; & in litteris humanioribus eos progressus fecit, sub *Corn. Valerii* disciplina, *Justi Lipsii* usus familiaritate, ut vix Lytæ seu Baccalaurei J. U. titulo insignitus, anno 1571. ætatis suæ vicesimo necdum completo, *Cajum Solinum*, ex MSS. ejusdem Lipsii membranis correctum, Notisque illustratum, publici usus fecerit.

Lovanio Salmanticam, celebrem in primis Hispaniæ Academiam, Laureæ indipiscendæ gratiâ, concessit, quam ibidem anno 1574. eo Doctorum omnium suffragantium, cæterorumque applausu est consecutus, ut non diu post, anno nimirum insequente in Belgium reversus, supremi Consilii Brabantici Senator, & mox Regii exercitus Judex supremus (Auditorem Generalem vocant) fuerit constitutus, Fiscoque Regio præfectus.

Tot igitur tantisque muniis cum laude annis aliquot functus, cùm vitæ pacatioris desiderio teneretur, nullaque in Belgio bellis civilibus jam tum pœnè attrito spes pacis affulgeret, impetratâ (nescio quâ caussâ) à Parmensi Principe missione, iter in Hispaniam instituit, & Vallisoleti anno 1580. ætatis undetricesimo, VII. Idus Maii nomen Societati Jesu, in tuta ac fida à mundi fluctibus statione, dedit.

Post biennii tirocinium, & triennalem Philosophiæ meditationem Belgis suis velut postliminio redditus, sacris litteris ac Theologiæ Scholasticæ partim Lovanii partim Moguntiæ operam dedit: docuitque ipse postmodum Philosophiam Duaci; Conscientiæ, ut vocant, Casus Leodici; Sacras & Hebraïcas litteras Lovanii, Græcii in Styriensi Comitatu, & Salmanticæ in Hispania, frequente ubique concursu, nec minore fructu, quàm laude.

Dum ex Hispania in Belgium, majori, quàm vires ferebant, celeritate revertitur, Lovanii acerbissimis calculi cruciatibus tertio à reditu die moritur, anno 1608. mensis Octobris die XIX. annum agens ætatis LVIII.

Scripsit verò *Mart. Del-Rio*, adhuc adolescens, & pænè puer,

*In C. Solini Polyhistorem Notas.* Antver. 1572. 8. typis Plant. Inserta sunt Scholia brevia in T. Livii Epitomen.

*In Claudiani Poëtæ Opera Notas & Conjecturas:* ibid. in 16. sæpius recusas.

*Adversaria in L. Annæi Senecæ Tragœdias:* quæ post altero Tomo auxit, & *triplici Syntagmate* distinxit; in quo Veterum Tragicorum fragmenta, Senecæ Vita, in Senecę Tragœdias Commentarius novus. Ibid. 1594. 4.

*Miscellanea Scriptorum ad universum Jus civile.* Paris. typis Sonnii, 4. & auctiora studio Petri Brossæi, Lugd. 1606.

*Repetitionem L. Tranſigere C. De tranſactionibus.*

*Exercitationem ad L. Contractus D. De Regulis Juris.*

*De Principiis Juris* libros II.

Aliaque in Jure adfecta habebat, ac prelo parata, ut in Miſcellaneis ipſe præfatur. Verùm cum ſanctiore habitu ſanctius ſtudium aſſumpſit, Muſis tamen non omnino valere juſſis. Illius generis ſunt,

*Diſquiſitionum Magicarum* Libri VI. quibus continetur accurata curioſarum Artium & variarum ſuperſtitionum confutatio, utilis Theologis, Juriſconſultis, Medicis, Philologis. 4. Coloniæ Lovanii, Moguntiæ, Lugduni ſæpiùs editi.

In *S. Orientii, Epiſcopi Illiberitani, Commonitorium*, & *S. Althelmi Ænigmata* breves *Notæ*. Antver. typis Trogneſii, 1600. 12.

*Florida Mariana*, de Laudibus & Virtutibus Virginis Dei-paræ, Panegyrici XIII. Antver. typis Plant. 1598. 8.

*Opus Marianum*, nempe *Speculum Marianum*, *Speculum Caritatis & patientiæ Jeſu & Mariæ*, *Polemica Mariana & Florida Mariana*, ſimul excuſa Lugd. 1607. 8.

*Vindiciæ Areopagiticæ*, contra Joſephum Scaligerum. Ibid. 1607. 8.

*Peniculus foriarum Elenchi Scaligeriani*, editus anno 1609. 12. ſub nomine *Liberii Sangæ*, auctorem *Delrium* habet.

*Commentarius in Cantica Canticorum*. Ingolſtadii, 1604. fol. & alibi.

*Commentarius litteralis in Threnos Jeremiæ* Lugduni, 1608. 4.

*Adagialia Sacra*, è Veteri Teſtamento. Ibid. 1612. 4.

*De difficilioribus & utilioribus S. Scripturæ locis*. Tom. III.

Prodiit denique, auctore *Rolando Mirteo Onatino*, qui *Martinus Ant. Delrius* eſt, *Commentarius Rerum in Belgio geſtarum à Petro Henriquez, Comite Fontano*. Madriti, 1610. & Coloniæ, 1611. 4.

Vitam ejus dedit *Hermannus Langeveltius*; quod tamen fictitium nomen puto, nomine auctoris ſuppreſſo. Elogium amplum ſcripſit Aub. Miræus. Addit Swertius in Athenis Belgicis: nullo ſaxo gravari innoxios ejus Manes, ſoliſque piorum votis & lacrimis decorari: ſi quis volet, hæc animo inſculpat.

*Subſiſte, tangis termiuum: hic mors imperat.*
*Hoc* DEL-RIONIS *indicat tumulus tibi.*
*Marmor videre poſtulas? cœlos vide.*
*Hoc marmor illi eſt, orbis eſt buſtum: libri*
*Favilla: fama publica, eſt inſcriptio.*
*Lege hoſpes, & quod exprimas tibi ſelige.*
*Brevi eſt eundum: nam hoſpes es, quæras viam.*

## MARTINUS BALDUINI RITHOVIUS,

A natali municipio Rythoviæ, quod in Silvæducenſi territorio eſt, cognomentum induit. Adoleſcens Lovanii Philoſophiæ ſtudiis in Falconenſi Pœdagogio perceptis, anno 1533. ſecundus inter Magiſtros Artium renunciatus eſt, ac paulò poſt ad eam prælegendam aſſumptus. Unde & poſtmodum, gratitudinis ergo, unà cum *Joanne Venduillio* Tornacenſi Epiſcopo, hocce ſuum Pœdagogium ab inſtanti ruinâ vindicavit, reſtauravitque.

Lovanio ad Dilinganam apud Suevos Academiam recens excitatam ſuggerente *Ruardo Tappero* evocatus anno 1549. in ea aliquot annis ſacras Litteras explanavit. Reverſus autem ad almam matrem Lovanienſem, anno 1556. die XIX. Maii Magiſtralem in S. Theol. lauream unà cum *Joanne Heſſelio*, viro non minus erudito, aſſumptit. Colloquio Wormatienſi interfuit 1557. in Decanum

MARTINVS RITHOVIVS BRABANTVS,
EPISCOPVS I. IPRENSIS.

*Quæ micat in læto pietas doctrinaq; vultu,*
*Purus et antiquæ relligionis amor,*
*Eſt ignis, Martine, tuus, quo poſtuma torres*
*Pectora, quoq; tuas paſtor aduris oues:*
*Quo calet Ipra, calent Grudij, calet alma Dilinga,*
*Sacra Tridentini Concilij acta calent.*

*Ant. Sanderus. Gandenſis.*

Decanum D. Petri electus 1559.

Primus Iprenſium Epiſcopus ab ipſo Cardinale Granvellano inauguratus Bruxellis 2. Novembris 1562. mox ad Concilium Tridentinum miſſus eſt, cujus & finem ſpectavit.

Plura de iis quæ geſſit ac paſſus fuit *Rythovius*, Ant. Sanderus in ſua Flandria illuſtrata recenſet, eumque meritò inſignioribus primitivæ Eccleſiæ Epiſcopis æquiparat.

Vir fuit eminentis doctrinæ, & *qui, rarâ ſæculi felicitate* (elogium eſt Florentii Vander-Haer de Initiis tumultuum Belgic. lib. I. cap. XI.) *excellenti eruditioni eam lautatiſſimæ vitæ integritatem conjunxerat, quâ majorem rigidis naſcentis Eccleſiæ moribus difficulter invenias; anus ſibi ſemper conſtans, temperantiâ in victu, prudentiâ in proſperis atque adverſis, liberalitate in egenos, pietate in omnes, ſtudio in ſubditos; ſummus futurus, ſi rerum humanarum uſum majorem habuiſſet.*

Concilio I. *Provinciali*, Cardinale Granvellano abſente, Machliniæ anno 1570. præfuit, & *Decreta* ejuſdem edidit 1571. 8. & 4. typis Plantinianis.

Anno 1577. *Synodum Diœceſanam* Ipris celebravit, & edidit.

Item *Acta Synodi Provincialis Mechlinienſis Lovanii habitæ Menſe Maio, anno Domini* 1574. quæ Acta nunquam antehac edita, primùm prodierunt in lucem anno 1717. Tomo IV. *Theſauri novi Anecdotorum*, Pariſiis, curantibus Domnis *Martene & Durand*, Benedictinis è Congreg. S. Mauri.

Terebantur pridem diſcipulorum manibus abſolutiſſimi *Commentarii in libros IV. Sententiarum*, Lovanii magno audientium concurſu ab eo prælecti.

*Manuale Paſtorum*, ab eodem editum eſt Pariſ. 1576. 4. unà cum *Inſtructione Paſtorum adverſus Dæmonum infeſtationes & Incantationum maleficia.*

Tandem Audomaropoli, exulans, lue epidemicâ extinguitur die 1x. Octobris 1583. depoſitus primùm apud Sorores tertii Ordinis S. Franciſci, unde oſſa ejus anno 1607. in Cathedralem Iprenſem tranſlata ſunt, juxta aram primariam humata; erecto mauſolæo marmoreo, unà cum hoc Epitaphio.

Sicut in Adam omnes moriuntur,
Ita & in Chriſto
Omnes vivificabuntur.
Ero mors tua ô mors,
Morſus tuus ô inferne.
MARTINO RYTHOVIO,
Iprenſium Epiſcopo,
Qui Tridentino Concilio interfuit,
Gandavi pro fide carceres tulit,
Audomaropoli obiit IX. Octob.
M. D. LXXXIII.
Seminarium Iprenſe hæres poſ.
M. D. C. VII.

## MARTINUS BACCIUS,

Tiletanus Flander, Lovanii inter Magiſtros Artium anno 1564. octavo promotus eſt loco, Pædagogii Lilienſis tunc alumnus; hinc S. Theol. Lic. & Paſtor Aloſtanus in Eccleſia S. Martini. Annis ſedecim in cura Paſtorali exactis, electus Canonicus Graduatus Theologus in Cathedrali Iprenſi anno 1583. Tum ſucceſſivè Officialis, Theſaurarius, ac demum Archipresbyter ab anno 1601. Vir græcè ac hebraïcè doctus, obiit 25. Februarii 1609.

Edidit populari ſermone laudatas ſæpius *Conciones per annum*: in queis linguæ decor, & viri eruditio varia relucet, typis Verduſſii, fol.

Laboravit quoque in caſtigando Tomo I. Operum D. Auguſtini, unà cum Theologis Lovanienſibus.

## MARTINUS BECANUS,

Hilvarenbecâ Campiniæ Brabanticæ municipio oriundus, Societatis Jeſu Theologus celeberrimi nominis, Mo-

guntiæ, Herbipoli & Viennæ Auſtriæ totos annos XXII. docuit, hæreſes voce & ſtilo ſtrenuè oppugnavit. Hinc Viennam Auſtriæ conceſſit, Ferdinando II. Imp. à Confeſſionibus, quod munus triennio ſuſtinuit. Omnibus fuit in amoribus ob inſignem facilitatem, ac mores ſuaves; ſolitus ipſos quoque hæreticos hac ratione ſibi demereri.

Scripſit varia, pleraque hæreticis Calviniſtis confutandis & refellendis, quæ ſeorſim primò excuſa, dein Tomis II. incluſa, primùm Moguntiæ, anno 1630. & 1631. fol. deinde Duaci, 1641. Rothomagi 1657. & alibi, prodierunt. Laudatur in his omnibus cum brevitate perſpicuitas, & plena doctrinæ ſanæ ſoliditas; ut plenius proſequitur Bibliotheca Scriptorum S. J.

Tomus I. complectitur *Summam Theologiæ Scholaſticæ*, tribus Partibus Summæ D. Thomæ reſpondentem.

Tomo II. continentur cætera ejus *Opuſcula Theologica*, & ferè *Polemica*, ſeu *de Controverſiis Fidei*, *contra Hæreticos*, Tomis V. diſtincta.

Tomo I. *De Prædeſtinatione Calviniſtarum deſperata.*

*De Prædeſtinatione Catholicorum orthodoxa.*

*De Auctore peccati*, ſeu *An alius ſit Calviniſtarum*, *alius Catholicorum Deus?*

*De Juſtificatione Calviniſtarum & Catholicorum.*

*De Merito ac Juſtitia Bonorum Operum, ſecundùm Calviniſtas & Catholicos.*

*De auxiliis Gratiæ Chriſti*, *ſecundùm eoſdem.*

*De Circulo Calviniſtico*, adverſus *Davidem Paræum.*

*Quæſtiones Calviniſticæ*, contra eumdem.

*Aphoriſmi Doctrinæ Calviniſtarum.*

*De differentia inter Pelagianos*, *Calviniſtas*, *& Catholicos in negotio Prædeſtinationis.*

*De officiis Angelorum circa homines.*

*Refutatio brevis quarumdam Propoſitionum Philippi Pleſſæi Calviniſtæ*, *de Euchariſtia.*

Tomo II. *Diſputatio de fide Hæreticis ſervanda.*

*Quæſtiones Miſcellaneæ de eadem materia*, contra Calviniſtam Batavum.

*De Antichriſto reformato*, Tractatus, unà cum ſequente inſertus Bibliothecæ Pontificiæ Thomæ Roccaberti, Tom. XVI. pag. 430. & 464.

*An Eccleſia Romana defecerit a Fide.*

*De Triplici Cœna*, *Calviniſtarum*, *Lutheranorum & Catholicorum.*

*De Communione ſub utraque ſpecie*, *contra Huſſitas*, *Lutheranos & Calviniſtas.*

*Epiſtola ad Frider. Balduinum de eadem materia.*

*Refutatio Apologiæ Regis Angliæ*, *de Primatu Eccleſiæ.*

*Refutatio Torturæ Torti*, ſeu *In Sacellanum Regis Angliæ*, *quòd cauſam Regis ſui negligenter egerit.*

*De Purgatorio Calviniſtarum.*

*De Triplici Sacrificio*, *Naturæ*, *Legis & Gratiæ.*

Tomo III. *Examen Plagæ Regiæ.*

*De fide Deo ſervanda.*

*Privilegia Calviniſtarum.*

*Quæſtiones Batavicæ.*

*Diſſidium Anglicanum.*

*Duellum.*

Denique *de Pontifice Veteris Teſtamenti.*

Tomo IV. *Tituli Calviniſtarum.*

*De Primatu Eccleſiæ Regio*, ſive *Examen Concordiæ Anglicanæ.*

*Epiſtola*, ad Joannem Sartorium, *de inſtitutione & uſu SS. Euchariſtiæ.*

*Epiſtola*, ad Gregorium N. ex Calviniano factum Catholicum, *de comparatione Eccleſiæ & Synagogæ.*

*Epiſtola*, ad Virum illuſtrem, *de oratione pro defunctis.*

Tomo V. *De Invocatione Sanctorum.*

*Aſſertiones Miniſtrorum Eccleſiæ Vete-*

*ris & Novi Testamenti, de Judice Controversiarum.* Item in Biblioth. Pontif. Tom. XVI.

*Epistola*, ad Davidem Paræum, *de Actis Colloquiorum Swalbacensium, & de Fide hæreticis servanda.*

*De Ecclesia Christi*, &

*De Republica Ecclesiastica*, libri IV. qui extant iterum in Bibliotheca Pontificia Thomæ Roccaberti. Tom. XVI. pag. 463. & 541.

*Manuale Controversiarum hujus temporis.* libris V.

Ediderat etiam Becanus hunc librum, cui titulus :

*Controversia Anglicana de potestate Regis & Pontificis, contra Lancelottum Andream Sacellanum Regis Angliæ ; qui se Episcopum Elienſem vocat, pro defensione Illustriss. Cardinalis Bellarmini.* Moguntiæ apud Joannem Albinum anno 1612. Sed Liber hic anno sequente Romæ sub Paulo V. Pont. prohibitus fuit, ita etiam judicante ipso Cardinale Bellarmino, uno è Deputatis Congregationis Indicis. *Vide Decretum Pauli V. apud Claudium Argentré in Collectione Judiciorum &c. Tom. II. pag. 72. partis IV.*

His demùm accessit *Analogia Veteris ac Novi Testamenti.* Moguntiæ, 1620. 4. & Duaci, 1641. 12. Lov. & alibi sæpius ; liber omnibus utilissimus.

Obiit Viennæ Austriæ, acutissimis colicæ doloribus intra paucos dies confectus, IX. Kal. Februarii anno salutis 1624. ætatis LXIII. Religionis XLI.

## MARTINUS BORCKENS,

Tungrensis, Poëta, claruit anno 1500. lusitque Carmina pleraque

*Chronographica de Memorabilibus sui temporis.*

*Epigrammata varia*, in laudem Episcoporum Tungrensium ac Leodiensium, & Sanctorum diversorum, omnia ferè acrosticha.

## MARTINUS BRESSERUS,

Boxtellanus, Brabantus, Societatis Jesu, Theologiam Scholasticam Lovanii annis aliquot professus, non unius deinde Collegii Rector fuit. Scripsit

*De Conscientia* libros VI. à morte editos, Antver. 1638. 4.

Obiit autem Brugis anno 1635. XVIII. Kal. Decembris, annos natus quinquaginta.

## MARTINUS LE BRUN,

Ex Roisin in Hannonia, S. Th. Licentiatus Academiæ Duacenæ, primò ad S. Gudilam Bruxellis Canonicus, pòst Raulicuriæ in Hannonia Rector, demùm Gerardi-Montibus ad S. Adrianum, instituti Benedictini per annos XXXI. Abbas ; vir exactæ eruditionis obiit anno 1656. Evulgavit

*Vitam S. Adriani* Martyris ; cujus ibidem reliquiæ adservantur.

## MARTINUS DE BUSSCHERE,

Conventûs Augustinianorum Gandavensium Religiosus, Scholarum Rector & elegans Poëta, edidit

*Indicem divinorum operum, ex SS. Eucharistiæ Sacramento, erga populum Christianum, symbolis latinis ac vernaculis quintupliciter partitum.* 8. Brugis apud Laur. Doppes, 1686.

## MARTINUS DU CIGNE,

Audomarensis, è Societate Jesu, Orator ac Poëta facundus, per annos plures Rhetoricam magna laude professus est. E vitâ migravit Audomari anno 1669. die 29. Martii. Dedit

*Artem Rhetorices* 12. Audomaropoli, Antverpiæ & alibi sæpius excusam.

*Analysin Rhetoricam omnium Orationum Ciceronis.* 1661. & iterum Parisiis 1704.

*Artem Poëticam.* 1664.

*Artem Historicam.* 1669.

## MARTINUS CONSTANTINI,

Juriſconſultorum Leodienſium doctiſſimus & diſertiſſimus, plurima ſcripſit Conſilia, ſed inedita. Emiſit vero, ſubticito nomine,

*Apologiam pro Concilio Ordinario* Sereniſſimi Principis & Electoris Ferdinandi Bavari in civitate & Principatu Leodienſi conſtituto.

Item aliam *Contra Monitorium quoddam, ſub nomine Hieronymi Saraceni*, Nuntii Apoſtolici, tum Coloniæ reſidentis, quâ tuetur jura & privilegia à Cæſaribus Maxæmiliano I. & Carolo V. Principatui Leodienſi data; in 4.

## MARTINUS COUVREUR,

Audomarenſis, Arteſius, Societatis Jeſu, Philoſophiam Duaci docuit, Rectorque Collegia Duacenſe, Cameracenſe & Audomarenſe moderatus eſt. Scripſit gallicè

*De VII. ſignis Prædeſtinationis.* Leodii.

*Catechiſmum*, ſeu *Summarium Doctrinæ Chriſtianæ*; & latinè

*Inſtructionem pro catechizandis rudibus.* Audomari. 1639. 8.

*Hiſtoriam B. Mariæ de Miraculis Audomaropoli.* gallicè. 8. ibidem 1647.

Varia item *Exercitia pietatis*, juſſu Audomarenſis Epiſcopi edita.

Obiit Audomaropoli Kalendis Novembris 1648.

## MARTINUS DORPIUS,

Naeldwicenus, Batavus, quintus Lovanii in Scholis Artium anno 1504. annos plures Eloquentiam ac Philoſophiam in Lilienſi Gymnaſio cum laude docuit. Interea Theologiæ etiam animum adjecit, hortante Joanne Briardo Doctore Theologo; ac ſumpto pariter Doctorali titulo anno 1515. Sacras litteras, litteris ipſe politioribus cùm græcis tum latinis probè imbutus, ſermone puro ac caſto profiteri cœpit. Solus enim tunc manſuetioribus ac melioribus favebat ſtudiis: ut ad Barlandum lib. XIX. Epiſt. LXXXIII. ſcribit Eraſmus, magnus futurus, ſi vixiſſet.

Verùm egregias ingenii dotes, ſpes ampliſſimas mors præpropera incidit, anno 1525. pridie Kalendas Junias, poſteaquam annis aliquot Collegio S. Spiritûs Theologico præfuiſſet. Mortem amici deplorat Adrianus Barlandus, in Chronicis Ducum Brabantiæ, ubi inter alia: *Plus*, inquit, *in uno hoc Viro amiſit Schola Lovanienſis, quàm aut dici, aut æſtimari poteſt. Mirè Poëtarum omnium fabulas tenebat: Oratorum & Hiſtoricorum libros omnes excuſſerat: Dialecticorum argutias callebat: Phyſices arcana perveſtigaverat. In ſacris litteris nihil tam arduum & difficile, de quo non ſubtiliter & accuratè diſputarit. Quàm Latinus & elegans, planeque Romanus illi ſermo! quanta divinorum eruditio, &c.*

Mortui corpus cœnobio Cartuſianorum illatum, & in porticu ſepultum, cum hoc elogio, cujus ipſe Deſid. Eraſmus author fuit.

MARTINUS *ubi terras reliquit* DORPIUS,
*Suum orba partum flet parens Holandia,*
*Theologus ordo luget extinctum decus:*
*Triſtes Camænæ, candidis cum Gratiis*
*Tantum Patronum lacrimis deſiderant.*
*Lovanienſis omnis opplorans Schola*
*Sidus ſuum requirit. O mors! inquiens,*
*Crudelis, atrox, ſæva, iniqua & invida,*
*Itan, ante tempus floridam arborem ſecans,*
*Tot dotibus, tot ſpebus orbas omnium*
*Suſpenſa vota? Premite luctus impios;*
*Non periit ille; vivit, ac dotes ſuas.*
*Nunc tuto habet, ſubductus ævo peſſimo.*
*Sors noſtra flenda eſt, gratulandum eſt.*
DORPIO.
*Hæc terra ſervat mentis hoſpitium piæ,*

MARTINVS DVNCANVS QVEMPENAS
THEOLOGVS LOVANIENSIS.

*Signasti calamo, quæ dira aconita propinet*
*Caluinus foedis ex Acherontis aquis:*
*Quæue atrâ mentem tinctus fuligine Menno*
*Somnia deliro parturijt cerebro.*
*Vnus et emotos poteras componere fluctus,*
*Haga pijs monitis si foret æqua tuis.*



*Corpuſculum, quod ad canoræ buccinæ Vocem, refundens optimâ reddet fide.* Scripſit Dorpius

*Dialogum Veneris & Cupidinis, Herculem animi ancipitem in ſuam militiam, invitâ Virtute, propellentium.*

*Complementum Aulariæ Plautinæ, & Prologum in Militem ejuſdem.*

*Epiſtolam de Hollandorum moribus*, ad Epiſt. Chryſoſtomi Neapolitani. Lovanii, apud Theod. Martinum Aloſtenſem. 4.

Orationem *de Laudibus Ariſtotelis*, adverſus Laurentium Vallam, habitam anno 1510. ibid. 1514. 4.

Orationem *de Laudibus omnium diſciplinarum & Academiæ Lovanienſis*, Kal. Octobris 1513. in Lectionum renovatione habitam, typis ejuſdem eod. anno in 4.

*Orationem de Aſſumptione Virginis Deiparæ.* Ibid. 4. 1514. cum illa, de Ariſtot. laudibus.

*Orationem de Laudibus D. Pauli, de litteris ſacris* &c. habitam in Prælectionum Paulinarum initio. Baſil. 1520. apud Frobenium.

Scripſit etiam Epiſtolam ad Eraſmum, de *Encomio Moriæ* parum feliciter edito, hortaturque ut eidem *Apologiam Sapientiæ* reponat.

## MARTINUS DUNCANUS,

Quempenas, ſive Kempenſis, ditionis & Diœceſis Colonienſis, natus eſt anno 1505. pridie S. Martini, parentibus Catholicis & honeſtis, tenuioribus tamen, & quibus res anguſta domi. Noviomagi apud Fratres vitæ communis rei litterariæ familiam duxit. Lovanii, Collegii Standonici alumnus anno 1531. ſecundus in Scholis Artium, Magiſterii titulum promeruit.

Poſtea Domûs Standonicæ, quæ Mechliniæ erat (hodie Seminarium eſt Archiepiſcopale) aliquantiſper præfectus, inde anno 1539. ad Domus Standonicæ Lovanii regimen aſſumptus, ſeriò Theologiæ animum adjeci., & ſimul hiſtorias cùm ſacras tum profanas volvit, Concilia & SS. Patrum exegeſes trivit, græcas adhæc atque hebraïcas litteras didicit.

Anno 1541. ætatis XXXVI. Guormianæ apud Batavos Eccleſiæ Paſtor, & Scholæ Rector conſtitutus, multos ab Anabaptiſtico errore revocavit, multos ad eruditionis faſtigium perduxit, & ad pietatem ſimul informavit. Hinc Delphenſibus, Regis juſſu, Paſtor datus, anno 1558. III. Nonas Auguſti gravem illam provinciam ſuſcepit, & grande cum Lutheri, Calvini, Swinglii, & Davidis Georgii aſſeclis certamen illi fuit. Poſtremò Hagæ-Comitis, Guilielmo Lindano ad Ruremundenſes Inſulas aſſumpto in Decanatûs ac Senatoriæ dignitatis munere ſuffectus eſt; & quia Decanus, multorum Paſtorum inſpector fuit.

Verùm captâ à rebellibus Brilâ, Hollandiæ opido, ſecedere coactus fuit. Hæſit tum dies XII Roterodami, LX. Ultrajecti, annos VI. Amſtelodami, X. Amersforti, quæ vitæ illius ſtatio fuit ultima. Ubique verbis, orationibus, ſcriptis contra hæreticos certavit, & animas Chriſto lucrifecit; ubique à perduellibus & ſectariis multa paſſus, & perduellionis etiam reus ab iiſdem factus ac falsò accuſatus fuit.

Obiit Amersforti, anno 1590. ætatis LXXXV. XVI. Kal. Maii, ſepultus in D. Agathæ, quod Monialium S. Auguſtini eſt cœnobium. Exſtat Vita ejus Teutonicè ſcripta à *Joanne Hezio*, excuſa ab Hieron. Verduſſio, Antver. 1594. 8. Reliquit *Duncanus* plurima ingenii ſui monumenta, cùm latino, tùm patrio ſermone, ut ſunt

*Prætextatæ Latinè loquendi Formulæ*, in ſcholarum uſum. Antver. apud Joan. Latium, 8.

Digitized by Google

*Confutatio Anabaptiſticæ hereſios*, ſive verè Chriſtiani Baptiſmi ac pædo-baptiſmatis aſſertio, adverſus Mennonis Simonis Friſii virulentas de Baptiſmo blaſphemias. Ibid. 1549. 8. apud Joan. Gravium.

Populari ſermone ſcripta, leguntur pleraque Antverpiæ edita, typis Verduſſii.

*Confutatio* ſcripti peſtilentis, cui titulus: *Alvearium Romanæ Eccleſiæ, ſive Apiarium Philippi Marnixii Aldegundi*, 1578. 8.

*De vera Chriſti in terris Eccleſia.*

*De piarum & impiarum Imaginum differentia & cultu*; deque Sanctis in cœlo, id eſt, vivis Imaginibus Dei, 1579. in 8.

*De Sacrificio Miſſæ.*

*De vera Cœna Domini*, contra blaſphemias libelli Mennonis Simonis, cui titulus, *Ruina Eccleſiæ Romanæ* &c.

*De Angliæ Rege, Eccleſia Capite.*

*De Origine condemnationis & juſtificationis.*

*Catechiſmus Catholicus, oppoſitus Catechiſmo Reformatorum, ſeu Heidelbergenſi*, 8. Antv. 1594.

## MARTINUS FRANCUS,

Vulgò LE FRANCQ, Atrebatenſis, Protonotarius Apoſtolicus, Præpoſitus & Canonicus Eccleſiæ Lutoſanæ ſive Leuzenſis, Amadeo ejus nominis primo Sabaudiæ Duci & Nicolao V. Pont. à ſecretis, ſcripſit gallicè

*De Virtute & Fortuna* libros III. excuſos Pariſ. 1505.

Alibi legi, eundem FRANCUM fuiſſe natum in Comitatu Albæ-malenſi (Aumale) in Normannia, Præpoſitumque fuiſſe Eccleſiæ Cathedralis Lauſanenſis, nec non Felicis V. Antipapæ Secretarium. Scripſit hic Rithmo gallico ac Philippo Bono Burgundiæ Duci dicavit libellum cui titulus: *le Champion des Dames*, contra alium famoſum hujus tituli: *le Roman de la Roſe.* Prodiit Pariſiis anno 1530.

## MARTINUS EVERAERTS,

Brugenſis, Medicus & Mathematicus, evulgavit

*Ephemeridas Meteorologicas anni* 1583. Antver. 1582. 16.

Eaſdem *Ephemeridas poſtea ad an.* 1615. produxit, apud Comelinum 1600. 4. Heidelbergæ.

## MARTINUS FORTIUS,

Vulgò LE FORT, Hanno, J.U.L. Eccleſiæ Collegiatæ S. Vincentii Sonegienſis Canonicus, redegit in ordinem atque evulgavit denuo libros ſequentes.

*Chartes nouvelles du Pais & Comté de Hainaut.* 8. Montibus Hann. 1669. & & 1674.

*Loix, Chartes, & Couſtumes du Chef-lieu de la Ville de Mons, & des Villes & Villages y reſſortiſſans; ſi comme les Chartes des Villes de Binche, Nivelles, Landrecies* &c. 4. Montibus Hann. 1663.

*L'Hiſtoire de S. Vincent Comte de Haynau Patron de Soignies, avec les Miracles anciens & nouvaux &c.* 8. Montibus 1654.

## MARTINUS GERARDI VISCHERUS,

Schoonhovianus Batavus, Canonicus Regularis, Ordinis S. Auguſtini, in Monaſterio Henrici-Ruris prope Schoonhoviam, circa annum 1570. floruit, ſcripſitque

*Hiſtoriam Originis ac progreſſus, & devaſtationis ejuſdem Monaſterii.* Extabat illa MS. apud Marcum Zuerium Boxhornium Prof. Hiſtor. Lugduni Batavorum.

## MARXINUS GROENESCHILT,

Lintrenſis Brabantus, Canonicus Norbertinus Tongerloenſis, & Præpoſitus Sanctimonialium ejuſdem inſtituti in opido Herendalio totis annis XLIII. veræ pietatis ac ſolitudinis verus & perpetuus cultor. Obiit plenus dierum anno 1629; edito

*Paradiſo ſacrarum Meditationum de myſteriis Vitæ & Paſſionis Chriſti & Deiparæ: De* IV. *Noviſſimis, de Votis Monaſticis* &c. Ant. typis Verduſſii 1622.

## MARTINUS HAMCONIUS,

Vulgariter HAMKEMA, Folleganus, Friſius, vir ſingulari ingenio & eruditione præditus, ob fidei Catholicæ profeſſionem tertiò in exilium ejectus; induſtriâ ſuâ ex neceſſitate (ut in Vita ejus ait Suffr. Petri) virtutem fecit & præmii loco ampliora quam amiſerat conſecutus eſt. Primò enim Pro-Prætor in Lemmaria & Quæſtor in Follega: dein Septem-ſilvarum Dyckgravius; demum Prætor in Donievarſtal conſtitutus fuit.

E conjuge *Bennâ ab Holckema* filios tres, filiam unicam habuit; è quibus *Joachimus Hamcomius*, ſummæ expectationis Vir, anno 1596 primus in Scholis Artium Lovanii, dein Phil. Profeſſor in Porcenſi Gymnaſio, S. T. L. ac tandem Paſtor & Archipresbyter Lingæ: nec non Archiep. Sasboldi Vicarius per Friſiam ex peſte obiit 2. Sept. 1607. æt. ſuæ 31.

Ipſe autem *Martinus Hamcomius*, editis vincto præſertim orationis genere ſcriptis famam adeptus eſt: in Anagrammatibus, Chronologicis, Acroſtichicis, ceteriſque id genus verſibus condendis feſtivus & elegans, & quod mireris, ferè αὐτοδίδακτος. Conſcripſit *Certamen Catholicorum cum Calviniſtis*, continuo charactere C. Monaſterii 1607. & Lovanii 1612. 4. typis Dormalii. Adjecta ſunt *Anagrammata*, *Chronologica*, & quædam alia.

*Friſiam*, ſeu *De Viris rebuſque Friſiæ illuſtribus* libros II. quâ proſâ, quâ verſu. Franekeræ, 1620. 4. item

*Theatrum Regum, Pontificum & Principum Friſiæ*; primùm Lovanii, typis Rivii, in folio patente; dein ſimul cum præcedenti libro Amſtel. 1623. cum fig. in 4. apud Jo. Janſonium. Orditur autem à *Friſone* primo Principe, quem 313. annis ante Chriſti natalem rexiſſe aſſerit.

Deceſſit venerandus ſenex ac ſeptuagenario major, paulò ante annum 1620. Vitæ ſuæ periodum ipſe his verſibus complexus eſt.

*Me genuit Friſiæ piſcoſus* Follega *pagus*,
Hamkema *ſtirps patris*, Boelema *matris erat.*
*Ad ſtudium miſſus, revocor mox funere patris*,
*Apta toro* Benna *eſt* Holckema *viſa meo.*
*Rus colo, tres nati, mihi filia naſcitur una*,
*Mœſtaque cum lætis Regis amore fero.*
*Ter premor exilio, ter rurſus honoribus ornor:*
*Curam* Præturæ Lemmera *prendo tuæ*;
*In Pago ut* Quæſtor, Præfectus *ita* Aggeris *exſto*,
*Kliſſo Veenhuſas uſque tuentis agros.*
*Nec* Donielverſtal *me non* Prætore *potitur*,
*Exul ubi pars ſum de* Patriæ Ordinibus.
*Vincor pugna unâ, ſuperor quater obſidione*,
*Mœnibus è captis nans ſemel effugio.*
*Sed forti uſque animo patrum cæno geſta, fidemque*,
*Altior eſt virtus omnibus una malis.*

## MARTINUS HENRIQUEZ A STREVESDORPFF,

Colonienſis, Comes Palatinus, Cæſareuſque Capitaneus, ac dein Archidiœceſis Colonienſis Receptor Generalis, vitâ functus anno 1680. Patruum habuit Reverendiſſ. Patrem Wolthe-rum à Streveſdorpff Suffraganeum Moguntinum. (de quo item inferius) Evulgavit hiſtorico-poeticè

*Deſcriptionem Archidiœceſis Co'onienſis*, 8. cum fig. anno 1670. Coloniæ Agripp. eamque dicto Patruo ſuo Aſcalonitano Epiſcopo dicavit.

## MARTINUS L'HERMITE,

Armenterienſis, è Flandria Gallicana, Societati Jeſu Romæ anno 1615. adſcriptus, Philoſophiam Duaci per quadriennium, & Matheſin per plures annos profeſſus eſt. Fuit quoque in ſacrâ Æde B. M. V. Lauretana poſtmodum Pœnitentiarius; obiit Duaci anno 1652. die 6. Octobris.

Ediderat Gallico idiomate

*Hiſtoriam Sanctorum Gallo-Flandriæ, cum ortu & progreſſu Chriſtianæ Religionis in eadem Provincia.* Duaci, 1638. in 4.

*Hiſtoriam Ducum ac Duciſſarum Duacenſium.* gallicè 4. Ibid. 1638.

Huic Authori etiam adſcribitur libellus gallicus, hoc titulo: *Catechiſme ou Abregé de Doctrine touchant la Grace divine, ſelon la Bulle de Pie V. Gregoire XIII. Urbain VIII. Antidote contes erreurs du tems: par un Docteur de la S. Theologie de Douai.* Duaci apud Viduam Marci Wion 1650. Oppoſitus hic fuit alteri libello anonymo paulò ante Pariſiis edito, ſub eodem titulo: *Catechiſme de la Grace:* cujus author dicebatur Doctor Sorbonicus & Paſtor Eccleſiæ S. Mederici Pariſiis, quem & Samuel Mareſius Profeſſor Calvinianus Groningæ Latinum reddidit, Notiſque ac Præfatione virulenta auxit.

Porro Innocentius X. Pont. die 6. Octobris ejuſdem anni 1650. utrumque libellum proſcripſit: poſtremum quidem ſpecialiùs *quia in eo continentur plures ſententiæ per ante-dictos Pontifices damnatæ. Ambos vero, quia ex profeſſo tractant Materiam de Auxiliis; quam non licuit imprimere, niſi prius obtentâ à Sede Apoſtolicâ licentiâ: juxta Decreta Pauli V. & Urbani VIII.* Ita habent verba Decreti S. Inquiſitionis, die ut ſupra.

## MARTINUS HORTENSIUS,

Delfenſis, Batavus, Mathematum in Gymnaſio Amſtelodamenſi Profeſſor, vertit è belgico ſermone in latinum

*Philippi Lansbergii Commentationes in motum terræ diurnum & annuum*: præmiſſâ Præfatione ſuâ, quâ Aſtronomiæ Brahæanę fundamenta examinantur, & cum Lansbergianæ Aſtronomiæ reſtitutione conferuntur. Middelburgi, 1630. 4.

Moritur die 17. Augnſti 1639. lentâ tabe in flore ætatis conſumptus, & *Pleiadographiam* ſuam, ſive Pleiadum deſcriptionem, amicis edendam mandavit.

## MARTINUS ILSTANUS,

Friſius, Religioſus Ordinis D. Virginis in Monte Carmelo, ſcripſiſſe fertur

*Elogia Nobilium in Friſia.*

*Hiſtoriam factionum ſub Anarchia.*

Hiſtoriæ meminit And. Cornelius, ad annum 1499. Ex Suffrido Petro.

## MARTINUS LIPSIUS,

Bruxellenſis, *Juſti Lipſii* patruus major, Canonicus Regularis S. Auguſtini ad S. Martinum Lovanii, præfuit

fuit Crucelenſico, agri Leodienſis, apud Hujenſe opidum, Virginum Cœnobio, ibidemque è vita exceſſit, anno 1555. IX. Kal. Apriles. Vir fuit (ut in ejus elogio ſepulcrali referunt Sodales Martiniani) egregiè doctus, & qui perpetuò ſtudiis, quibus & immortuus eſt, incubuit, in caſtigandis veteribus Auctoribus uſque ad extremum ſpiritum inſudans.

Teſtantur id Opera *SS. Hilarii*, *Auguſtini*, & aliorum multorum, ex ejus recognitione edita. Teſtis eſt & *Macrobius*, cum *Symmacho*, ab illo caſtigatus. Fuit præterea vir iſte Eraſmi Roterodami amicitiâ & ſcriptis Epiſtolis clarus.

*Symmachi Epiſtolæ*, Baſileæ excuſæ ſunt 1549. 8. apud Frobenium. Edidit quoque *Chromatii Homilias*. Lovanii, 8.

Et *Joannis Cuſtodis Grammaticam* retexuit, typis Plant. 8.

MARTINUS LIPSIUS, Bruxellenſis,
Vir egregiè doctus,
Et qui perpetuo ſtudiis,
Quibus & immortuus eſt, incubuit;
In caſtigandis Veteribus Auctoribus
Uſque ad extremum ſpiritum inſudans.
Teſtantur id Opera Hilarii, Auguſtini,
Et aliorum multorum,
Ex ipſius recognitione edita.
Teſtis eſt & Macrobius,
Cum Symmacho, ab illo caſtigatus.
Fuit præterea vir iſte Eraſmi Roterod.
Amicitiâ & ſcriptis Epiſtolis
Satis clarus:
Præfuit Monaſterio Crucelenſico,
Cum multo ipſius Cœnobii fructu.
Moritur anno M. D. LV.
Martii XXIV. ibi honeſtè ſepultus.

## MARTINUS LYDIUS,

Primus in Academia Franekerana apud Friſios Theologiæ Calvinianæ Doctor & Profeſſor, ab ipſa ejus inſtitutione anno 1585. primuſque illius Rector, edidit

*Apologiam pro Deſid. Eraſmo*, à filio *Joanne Lydio* editam, ac Tomo X. Operum Eraſmi, Lugdæ 1703. inſertam.

## MARTINUS MICRONIUS,

Dictus *de Cleyne*, Gandavenſis, Medicus, ſcripſit

In pleroſque *Anamatomicos Galeni libros*.

In libros *De Placitis Hippocratis*.

Et *Platonis argumenta* conſcripſit, quæ cum latinis Galeni Operibus excuſa, Baſil. typis Frobenianis, 1549.

## MARTINUS PETRIMANNUS,

Lovanienſis, Canonicus Regularis inſtituti Norbertini in Cœnobio Parcenſi, prope Lovanium, ac pauperum eleëmoſynarius, reliquit

*Commentarium in Regulam S. Auguſtini*.

*Commentarium de Virtutibus*; atque alia, quæ inibi legi ſolent.

## MARTINUS PILIUS,

Septimontius, ſeu, ut nos Belgæ dicimus, Sevenbergenſis, Batavus, naſcitur anno 1570. die X. Novembris. Juvenis Lugduni Batavorum ſtudiis humanioribus ac Philoſophiæ operam dedit, carmenque jam tum pangebat & facile & lepidum: unde *de Ambitione* liber, typis Raphelengii editus anno 1593. 8. magno omnium applauſu exceptus fuit. Doctor J. U. anno 1593. ad V. Kal. Novemb. renuntiatus, non multò pòſtin floreſcente adhuc ætate, anno 1595. Hagæ-Comitum vivere deſiit. Cætera ejus Poëmata collegit & publici juris fecit *Jacobus Pilius*, è fratre nepos, Scabinus Dordracenus.

## MARTINUS A SANCTO TRUDONE,

Vulgo VAN-SINT-TRUYEN, Mechlinienſis, Canonicus Regularis Ordinis S. Aug. ad S. Martinum Lovanii, ibique Supprior, dein Confeſſarius ac Rector Monialium de Bethania Mechliniæ; Poëta fuit & Theologus, nec non græcè ac hebraïcè peritus. Obiit 23. Januarii 1656. Fratrem habuit *Petrum*, in eâdem Canonicâ Martiniana Priorem ac Congregationis Windeſemenſis Generalem. Scripſit vernaculè pro Monialibus,

*De cœlo in terris inchoato. De introverſione Animæ devotæ &c.*

Item latinè, Volumina III. in folio, *Emblematum*, *Carmine Leonino*, *de Morte naturali & morali*, additis SS. PP. Sententiis, & iconibus, & alia MS. apud Martinianos.

## MARTINUS DE SCHIEDAM,

Batavus, Cartuſianus Domus S. Salvatoris extra muros urbis Ultrajectinæ, ſcripſit

*Tractatum* pium *de ſpiritualibus Aſcenſionibus*. MS. Ultrajecti in Bibliotheca publica. Incipit *Beatus vir, cujus eſt auxilium abs te.*

Obiit anno circiter 1400. Kal. Martiis.

## MARTINUS SCHOOCKIUS,

Natus eſt Ultrajecti anno 1614. Kalendis Aprilis, patre *Gisberto Schoock*, filio *Arnoldi* Conſulis Bommeliani, matre *Joannâ à Voorſt*. Prima litterarum fundamenta poſuit domi, ſub avo materno *Antonio à Voorſt*, viro docto, ac memoriæ portentoſæ: qui iſto ſubſidio, cum luminibus captus eſſet, totum Novum Teſtamentum & Pſalterium, melioremque Virgilii partem, identidem nepotibus inculcabat.

Poſtea frequentavit Gymnaſium Hieronymianum Ultrajecti; indeque annos natus XV. ad capiendum uberiorem ingenii cultum in Academiam Friſio-Franekeranam ablegatus fuit. In ea audivit imprimis Adrianum Metium Mathematicum celeberrimum; ac prima quoque Theologiæ fundamenta poſuit.

Cum vero aëra illum valetudini ſuæ minus ſecundum eſſe crederet, anno 1632. Leidam abiit, adhæſitque Franconi Burgerſdicio magni nominis Philoſopho, ac Theologica ſimul proſecutus eſt ſtudia.

Oblatâ dein commodâ in patria occaſione, ad eam rediit, inſtitutiſque Philoſophicis & Theologicis collegiis, varios nobiles & egregios adoleſcentes in diſciplinam accepit: qui dum in Conſiſtorio quoque menſe declamarent, viſus eſt *Schoockius* præludere celebri Gymnaſio, quod anno 1634. ibi erectum eſt; cujus membrum, Extraordinaria Profeſſione Latinæ & Græcæ Linguæ admiſſâ, cæpit eſſe ſub finem anni 1635. Gymnaſio autem Ultrajectino Academiæ titulo inſignito, ipſe primus in Philoſophia lauream accepit.

A Magiſtratu Daventrienſi accitus ad docendas Hiſtorias Eloquentiam & Geographiam in præclaro ſuo Gymnaſio, diſceſſit anno 1638. Ultrajecto Daventriam, indeque poſt biennium ad Academiam Groninganam, ubi & Logicam Phyſicamque profeſſus eſt. Novam Renati Cartheſii Philoſophiam hîc mirè impugnavit; ſed ad querelas Cartheſii, jubente ipſâ Univerſitate Groningana, anno 1645. acrimoniæ ſuæ palinodiam canere coactus fuit.

Porrò in elucidandis tum rebus uſualibus, ut caſeo lacte butyro &c. tum etiam exoticis, proceſſit feliciter ac jucundè: & quidquid edi curavit, ab eruditis etiamnum ſtudioſè colligitur. Uxorem duxerat anno 1639. *Angelam*

*Van Merck*, Ultrajectinam, quæ ei filios ſeptem, ac filiam unicam genuit. Demum relictâ Academiâ Groninganâ, poſtremos vitæ annos tranſegit Hiſtoriarum Profeſſor in Academia Francofurtenſi ad Oderam; ibique deceſſit anno 1665. ætatis 51. Scriptorum ejus hæc ſeries.

*Vorſtius redivivus, ſeu Examen Vindiciarum Caſparis Barlæi, quas Analyſi Epigrammatis ſui, in R. Manaſſis Ben-Iſraël Librum de creatione oppoſuit.* 4. Harlemi. 1636. Latêre hic voluit Schoockius ſub nomine *Philippi Fabri*: quia liber totus erat ſatyricus.

*Deſperatiſſima Cauſa Papatûs*, Amſtelod. 1638. in 4. cum *Auctario* Ultraj. 1645: contra *Libertum Fromondum* S. T. D. Lov. qui Cauſam deſperatam *Gisberti Voetii*, Corn. Janſenium Epiſcopum Iprenſem oppugnantis, jam ante demonſtraverat.

*Diſſertatio de natura ſoni & Echus.* Ult. 1638. inter Opera Theodori Douſæ.

*Diſſertatio de ovo & pullo.* Ibid. 1643. in 12.

*Philoſophia Carthefiana*, ſive admiranda Methodus novæ Philoſophiæ Renati Deſcartes. Ibid. 1643. in 12. Acriter hîc invehebatur author contra Carthefium.

*De Helleniſtis & Lingua Helleniſticâ Diſſertatio*, Ultrajecti 1641. in 8. Pro *Daniele Heinſio*, contra *Claudium Salmaſium.*

*De bonis vulgo Eccleſiaſticis dictis.* 4. Ultrajecti 1650. contra *Gisbertum Voetium*, qui Capitula Canonicorum Acatholicorum Ultrajectenſium omnia ſupprimi oportêre contendebat.

*Diſſertatio de Harengis*, aliàs Halecibus dictis. 8. Groningæ. 1649.

*Tractatus de Pace, ſpeciatim de pace perpetua, quæ Fœderatis Belgis contigit.* Amſtelod. 1650. in 12. item Groningæ 1651. in 4. Prohibitus Romæ die 13. Novembris 1662.

*Orationum Tomus unus.* 8. Davent. 1650.

*Status Reipublicæ Fœderati Belgii, IX. Diſſertationibus excuſſus.* 8. Groningæ 1651. Item Amſtelod. 1665. ſub tit. *Belgii Fœderati.*

*Exercitationes Sacræ XIX.* Groningę 1651. in 8.

*De Scepticiſmo Libri IV.* quibus quà antiquorum, quà recentiorum ſceptiſcorum deliria ex ſuis principiis diſcutiuntur. 12. Groningæ 1652.

*Tractatus de Inundationibus*, iis maximè quæ Belgium concernunt. 8. Gronongæ 1652.

*Oratio in obitum Joannis Borgheſii.* Groningæ 1652. in 4.

*Belgium Fœderatum.* Amſtel. 1652. in 16.

*Diſſertatio de juſtitia Belli Belgici contra Hiſpanos*, Amſtel. 1652. in 12.

*Imperium maritimum* ita explicatum, ut non ſolum ejus oſtendantur prærogativæ, verum etiam cuique Genti, maximè Belgis Fœderatis, ſuus vindicetur honos. 12. Amſtel. 1654.

*Collegium Logicum.* 8. Groningæ 1658.

*De Anima belluarum*, adverſus Carthefium, eaſdem ad mera automata relegantem. 4. Ibid. 1658.

*Tractatus de Turffis*; ſeu de ceſpitibus bituminoſis, quorum uſus in Hollandia. 12. Groningæ 1658.

*Tractatus de Butyro, cum Diatriba de averſatione Caſei.* 12. Groningæ 1658. & rurſum 1664.

*De præciſione vera.* 4. Ibid. 1658.

*Diſquiſitio phyſica de Signaturis fœtûs*, in qua rari caſus & proponuntur & examinantur. 8. Gron. 1659.

*Diatriba de Jure Naturali, item de libero Arbitrio.* 4. Gron. 1659.

*Diſſertatio ſingularis de Majeſtate*, &c. Groningæ in 4. 1659. Prohibita Romæ 4. Martii 1709.

*Phyſica generalis.* 8. Gron. 1660.

*Tractatus de Ciconiis.* Gron. 1660. & & Amſtelod. auctior 1661 in 2.

*Diſquiſitio circa Decalogum, ſpeciatim quartum præceptum de Sabbato, ejuſque moralitate.* 12. Gron. 1660.

*De Exſtaſi.* Gron. 1661. in 4.

*De figmento Legis Regiæ, Epiſtola.* 12. Gron. 1661.

*De Cereviſia liber.* 12. ibid. 1661.

*Tractatus Philoſophicus, de Nihilo*; cum libello *Caroli Bovilli*, & Poëmate *Jo. Paſſeratii* de eodem argumento. 8. ibid. eodem anno.

*Reſponſio adverſus geminam ἀντιζητήσιν Jani Friderici Gronovii, de fœnore unciario.* Groningæ 1661. in 12.

*Fabula Hamelenſis*, ſive Diſquiſitio hiſtorica, quâ (præmiſſâ generali Diſſertatione de hiſtoriæ veritate) oſtenditur commenti rationem habere, quæ vulgo circumferuntur de infauſto exitu (anno 1284) puerorum Hamelenſium: ſimulque examinantur contrariæ *Samuëlis Erichii* rationes; 1649. item auctior & emendatior Groningæ 1662. 12. *Schoockium* refutavit quoque *Franc. Wörgerus*, Hamburgi.

*Diluvium Noachi univerſale*, ſive Vindiciæ communis ſententiæ, quod Diluvium Noachicum univerſæ terræ incubuerit: adverſus Iſaacum Voſſium. Gron. 1662. 12.

*Phyſica cæleſtis.* Amſtelod. 1663. 8.

*De fermento & fermentatione*, complectens multa ſingularia, ſpeciatim coctionis cibi in ventriculo. Gron. 1663. 12.

*Exercitationes variæ de diverſis materiis*; nempe de adiaphoris, de ſcandalis, quandonam incipiat ſanctificatio diei Dominicæ; à quibus operibus ſit abſtinendum; item an liceat eo die vacare honeſtis recreationibus, ſpeciatim etiam intereſſe convivio; an die Dominico omnes cauponæ claudi debeant; an liceat Martinalibus anſerem comedere; an Miniſtri Eccleſiæ (ſalvo munere) vacare queant aut exercitio artis mechanicæ, aut agriculturæ, aut Medicinæ; an Paſtor poſſit intereſſe conviviis; de muſica organicâ in templis; de poculis votivis, vulgò *Santé*. &c. 4. Ultraject. 1663. Prodierunt iterum Amſtelod. 1688. ſub nomine *Martinii Themidis.*

*De Sternutatione*, *Tractatus.* Amſt. 1664. in 12. & 1666. auctior. in 8.

*De ſeditionibus ſeu diſcordiis domeſticis*, libri tres. Gron. 1664. in 8.

*Reſpublica Achæorum & Vejenſium*, in uſum præſentis ſæculi delineata; deſignatâque imprimis Republicâ Ordinum Fœderatorum. Ultraject. 1664. in 16. Extat etiam in Theſauro Antiquitt. Græcarum Gronovii Tomo V. pag. 2142.

*Stillicidium ſacri fontis, ſeu Obſervationes practicæ de SS. Scripturis.* Amſtel. 1664. in 12.

*De Lino*, Diſſertatio. Gron. 1664. in 12.

*Politicus pius.* Gron. 1664. 4.

*Tractatus de quadruplici Lege Regia:* primò de eâ, quam Apoſt. Jacobus cap. 2. v. 8. exhibet: II. de Lege Regia tum à Moïſe Deut. 17. tum à Samuele 1. Reg. 8. propoſita: III. de Lege Regia Romana. IV. de eâ quæ in Imperiis Monarchicis occurrit: Editio II. Francof. ad Oderam 1668. in 8.

*Exercitationes XII quibus Severini de Monzambano Tractatus de Statu Imperii Germanici ad modum promulſidis diſcutitur, & quædam chrefimo, plura obelo notantur. Cis Veronam, apud Severum Miſo-ſycophantam.* 1668. 12. Nomen ſuum & locum editionis hîc occultavit *Schoockius.* Is autem *Monzambanus*, contra quem egit, fuit *Samuel Puffendorfius, de Statu Imperii Germanici* ſcribens, Genevæ 1667. teſte Placcio de Pſeudonymis.

*Sophiſtica Zuickero-Sociniana:* ſive ignorantia *Danielis Zuickeri*, Sociniani

Martinus Steyaert, Somerghemius
S.T.D. Lovan. Eccl. D. Petri Decanus,
Vicar. Apost. Sylvæducensis &c. Obiit
Lovanii die 17 Aprilis 1701. ætat. an-
no LV
Krafft sc. 1702.

Digitized by Google

detecta, circa irritam oppugnationem æternæ ac veræ Deitatis D. N. Jesu-Christi. 8. Gron. 1668.

*Imperium Maritimum.* Extat etiam inter Dissertationes Hagemejeri, de Imperio Maris.

*Encomium surditatis.* &

*Encomium Fumi.* Extant inter *Admiranda rerum mirabilium encomia.* 1677. in 12.

Præter hæc, adscribuntur *Mart. Schoockio*,

*Historiæ naturalis vestibulum reseratum.*

*Historia novorum & antiquorum Enthusiastarum.*

*De Tulippis*, Tractatus.

*Remonstrantico-libertinus.*

Plura vide de his libris digna notatu, in Notitia Virorum Litteratorum, auth. P. Niceron Tom. XII. pag. 364. Ast simul observa, omnia Opera *Martini Schoockii* fuisse Romæ prohibita Decreto S. Congreg. Indicis 22. Decembris 1700.

## MARTINUS SMETIUS,

Westwinkelius, ex agri Brugensis pago oriundus, per totum sexennium Italiam pervagando, Romanæ in primis urbis, qualis ea sub Cæsaribus fuit rudera, & pleraque alia ditionis Italicæ loca lustravit, ingentemque collegit *Inscriptionum Antiquarum* farraginem, quam domum reversus, ope & operâ usus Nobilis Viri Marci Laurini, in ordinem aliquem redegit. Ejus autographum, unâ cum aliis Antiquitatis reliquiis, à milite Ordinum rebellium in itinere Ostendano interceptum, & à Curatoribus Academiæ Leydensis, in Anglia (quò Centurio, qui habuit, thesaurum illum venalem detulerat) coëmptum, nactus *Justus Lipsius*, anno 1588. typis edidit Plantinianis, addito *Auctario Inscriptionum aliquot*, quas *Smetius* aut non viderat aut omiserat. Vide eundem Lipsium Cent. II. Miscell. Epist. XXIV. ad Carolum Clusium, & Frid. Hermanni Flayderi Orationem, de Vita, morte & Scriptis Jani Gruteri.

Periit verò & auctor ipse misero fato in tumultu hoc Belgico: deprehensus enim in itinere Teneræmondano, & abreptus à militibus Hispanis, qui deformatæ Religionis Ministrum esse putabant, laqueo vitam finiit.

## MARTINUS STEYAERT,

Academiæ Lovanienſis gloria & ornamentum immortale, Theologorum sui seculi Phenix, & nulli præstantium virorum, qui ab incunabulis Facultatis Theologicæ ad hæc usque tempora Lovanii floruêre, virtute, ingenio & eruditione secundus. Natus est anno 1647. die 16. Aprilis, in *Somerghem*, Diœcesis Gandavensis vico non ignobili, quà Gandâ Brugas itur. Litteris humanioribus Gandavi in Gymnasio Augustiniano imbutus, ad altiora progressurus venit Lovanium; expletoque biennali Philosophiæ curriculo in Pædagogio Castri, anno 1665. ætatis suæ XVIII. inter Magistros Artium Primus renunciatur. Post jacta Theologiæ fundamenta in Collegio Majori, primò Subregens, dein Philosophiæ Professor in suo illo Castrensi Pædagogio eligitur anno 1670: sed nondum elapso triennio, Ipras ab Episcopo *Henr. Halmalio* evocatus, ut ab epistolis ei esset, Lovanium deserit, atque anno 1674. Canonicatu Theologali Cathedralis Ecclesiæ Iprensis condecoratur.

Anno 1675. die x. Novembris, ætatis XXVIII, Lovanii S. Th. Doctor renunciatur; biennio post., ab Universitate Collega datur *Francisco Vianæo* & *Christiano Lupo* S. T. DD. in celebri Deputatione ad Sedem Apo-

ſtolicam : quam ſpartam adeo præclarè exornavit, ut Innocentio XI. & purparatis Patribus admirationi fuerit, & ſerio inter eos quandoque actum, de tali tantoque Viro Romæ retinendo. (Res notis probè notas eloquimur.) Proſperrimo exitu, eo imprimis allaborante, imo ferè ſolo totam ſpinoſi negotii molem ſuſtinente, relata fuit Cenſura Pontificia in LXV. Propoſitiones Ethicę laxioris ; ſimulque probata Scholæ Theologicæ Lovanienſis doctrina. Poſtmodum de his quę Romæ geſta fuerant, Orationem habuit Lovanii, in actu ſolemni *Quotlibeticorum*, ut vocant, anno 1682. hoc themate : *Cui bono nupera legatio Lovanienſium Romæ...* ? in qua ſenſa ſua ſuper Collegarum adverſum ſe querelis palam fecit.

Dum Ipris reſidet, excipiendis fidelium confeſſionibus, aliiſque muniis ſacris intentus unicè, luculenta vaſtæ ſanæque eruditionis ſpecimina edidit, *Theoriam* à *Janſenianis* & *Bajanis* erroribus, juxta ac *Moralem* ab exceſſibus expurgans. Vacavit inter hæc inſignis Theologicæ Profeſſionis Cathedra in Univerſitate Duacena, ad quam ſe obtulit *Steyartius*. Ceterum paratis ad eum admittendum illis, ad quos talis cura ſpectabat, juramentum proponitur de ſectandis tradendiſque *famoſis quatuor Cleri Gallicani Propoſitionibus* : quod ipſe, cum eas cane pejus & angue odiſſet, utpote Sedi Apoſtolicæ graviter injurioſas, & ab *antiquæ Sorbonæ* doctrina prorſus alienas, conſtanter recuſavit.

Anno 1685. velut poſtliminio reverſus Lovanium, Collegio Baiorum Præſes datur, ac inter S. Theol. Facultatis Octo-viros Regentes aſſumitur. Anno 1689. tranſit ad regimen Majoris Theologorum Collegii, fit Diſputationum Sabbatinalium Præſes, Librorum Cenſor Apoſtolicus ac Regius, in Æde D. Petri Canonicus, S. Th. Profeſſor Regius, a cujus ore pendebant avidè quotquot ſchola vaſtiſſima capere poterat diſcipulos. Anno 1691. præter omnem expectationem imo & cogitationem ſuam, ab Innocentio XII. Pont. ad dignitatem Vicarii generalis Apoſtolici Diœceſis Silvæducenſis evehitur. Anno 1696. Decanus Eccleſiæ Collegiatæ D. Petri, annoque ſequente Conſervator Privilegiorum Academiæ Lovanienſis eligitur, unus omnibus hiſce muniis non impar ; nempe qui tam ſedulo ac feliciter omnia adminiſtravit & executus eſt, ac ſi ſingula tantum curanda haberet. Fama erat, primum in Belgio vacaturum Epiſcopatum illi deſtinari ; uti jam de Ruremundenſi inter primarios utriuſque aulæ miniſtros agi cœperat ; inſcio penitus *Steyartio*.

Sed qui totam in ſtudiis laboribuſque ſacris vitam conſumpſerat, iiſdem ante tempus, ſcorbuticâ diatheſi interveniente, immortuus eſt Lovanii anno 1701. ætatis LV. vixdum inchoato, maximo ſui orthodoxis omnibus relicto deſiderio ; Vir profecto immortali vitâ dignus. Staturâ procerus erat, aſpectu gravis ac venerabilis ; oculi ſiniſtri palpebrâ ob fibrillarum debilitatem continuo demiſſâ, ita ut digito palpebram hanc attollere cogeretur, quotieſcumque eo oculo utendum eſſet. Eloquio potens erat ; ingenio perſpicaciſſimo ; diffuſiſſimæ lectionis nulla faciebat adverſaria ; prodigioſæ & nunquam fallenti confiſus memoriæ. Hæc ei ſola, certè potiſſima Bibliotheca fuit. Non alios libros pervolvere amabat, nec alios moriens poſſidebat, quam *Biblia Sacra*, *Summam S. Thomæ*, ac binos ejus Interpretes *Sylvium* & *Wiggerum*, Romanumque Breviarium ; qui tamen in publicis Orationibus, dictatis & ſcriptis, omnium nationum & ſæculorum monumenta ſic in promptu habebat, ac ſi præ manibus & ocu-

lis essent. Ad hæc, tantâ semper fuit erga Romanos Pontifices eorumque Apostolicas Constitutiones observantiâ, ut ne vel ad latum unguem ab eadem recedi unquam passus fuerit. Sedis Apostolicæ Jura & prærogativas adversus *A. Arnaldum*, *P. Quesnellum*, *G. Gerberonium*, *J. Opstratium*, *Æ. De Witte*, aliosque Baii & Jansenii discipulos indefessè propugnavit; à quibus tandem, indecoro pulvere sordidis, integris, pro more omnium veterum hæreticorum, convitiorum, calumniarum, aliorumque hujusmodi atræ bilis sputamentorum plaustris obrutus fuit.

Sepultus est in Ecclesia sua D. Petri, ante chori ingressum, sub lapide funerali à se vivente posito, simul cum hoc Epitaphio.

D. O. M.
MARTINUS STEYAERT
Somerghemius,
S. Th. Doctor & Professor,
Collegii Majoris Præses,
Vicarius generalis & Apostolicus
Diœcesis Sylvæducensis,
Hujus Ecclesiæ Canonicus & Decanus,
Privileg. Acad. Conservator,
Hunc lapidem
Renovati pavimenti primum,
sibi supremum, posuit
Anno Domini M.D.C.XCIX. æt. LIII.
Obiit XVII. Aprilis M.D.CCI.
Requiescat in pace.

Elucubrationes *Steyartianæ* seorsim primùm, dein simul collectæ prodierunt Lovanii, apud Ægidium Denique, per Tomos VI. in 8. distributæ, anno 1703.

TOMO I. continentur, *Annotationes omnes in Propositiones à summis Pontificibus damnatas, cum earum Assertionibus.*

*Manifestum priori in Urbem Legationi præmissum, unà cum Articulis Facultatis Theol. Lovan. Innocentio Papæ XI. anno 1677. oblatis.*

*Assertio Censuræ Lovanienſis ac Duacensis, adversus quorumdam Objectiones.*

*Positiones de Pontifice ejusque authoritate, Apologeticæ pro Facultate S. Theologiæ Lovanienſi, contra Obtrectatorem Gallum.* Is autem erat *Antonius Arnaldus*, Doctor Sorbonicus, è Regno Galliarum, ob doctrinam damnatam, in Belgium profugus. Qui & contra *Steyartium* scripsit libellos IX.; quibus titulus: *Difficultez proposées à Monſ. Steyaert*, prohibitos Romæ 5. Martii 1705.

*Decreta, tùm Rectoris & Universitatis, tùm etiam Episcoporum Belgii, pro executione Brevis Apostolici dati anno 1696. circa usum Formularii Alexandri VII. in Belgio.* Auctor etiam fuit saluberrimi Decreti, quod sub nominibus Illustrissimorum & Reverendissimorum Belgii Episcoporum Bruxellis editum fuit anno 1697. circa administrationem Sacramentorum, lectionem Scripturæ sacræ in lingua vulgari, nec non librorum prohibitorum.

TOMO II. continentur *Polemica varia & Orationes:* in quibus etiam *Epistolæ* ac *Decreta* quædam, quæ ut Vicarius Apostolicus Sylvæducensis evulgavit.

Item *Obligatio audiendi Verbum Dei in Parochiis, authoritate Constitutionum ac Declarationum Pontificiarum, Conciliorum Generalium, Synodorum Provincialium & Diœcesanarum &c. clarè demonstrata*; unà cum *Responsione* ampliori; adversus Christianum Lupum, Ord. S. Augustini S. T. D. Lovan.

TOMO III. *Theses Sabbatinæ*, seu *Quæstiones Theologicæ hebdomadatim ad disputandum propositæ in Scholis Theologorum Lovanii*, ab anno 1689. ad 1701.

*Ecclesiastes, sive de ratione concionandi Instructio triplex:* S. Francisci Borgiæ, S. Francisci Salesii, & Jacobi Jansonii S. T. D. Lov. *cum Annotatione pro tyronibus in Collegiis.*

*De ratione disputandi in S. Theologia,*

*aliisque superioribus scientiis, brevia quædam monita.*

*D. Prosperi Aquitanici Peri-Acharistion; hoc est, de Ingratis Carmen*, accuratum & Notis miscellaneis à Steyartio illustratum.

Tomo IV. *Theologiæ Practicæ Aphorismi* (id est, selectæ veritates) quorum Pars I. correspondet Primæ secundæ D. Thomæ. II. est de Virtutibus Theologicis. III. de Jure & Justitia, unà cum binis *Appendicibus ad Commentaria Joannis Wiggers S. T. D.* in Partes ante-dictas Doctoris Angelici.

Tomo V. *Aphorismorum* Pars IV. de Sacramentis; unà cum *Supplemento* ad §. 17. ubi de Impedimentis Matrimonii agitur: cujus author fuit *Franciscus Martin* S. T. D.

Accedunt *Conclusiones Theologico-Practicæ de Sacramentorum administratione, ex Rituali Romano, Manualibus, & Pastoralibus Ecclesiarum Belgicarum desumptæ*, Pastoribus omnibus perquam utiles & necessarię.

Item *Appendix ad Commentaria Jo. Wiggers de Sacramentis.*

In hisce Aphorismis ea est styli elegantia & energia, is rerum delectus; ut in tantillo compendio Medulla totius Theologiæ Practicæ contineatur. Porro stylum hunc tersum, gravem, inimitabilem, hausisse se ex Barclaiorum operibus, sæpe palamque professus est. Ut autem discipulorum votis, pluriumque eruditorum Virorum consiliis obsequeretur, proposuit sibi *Aphorismos* suos *Theologicos* auctiores reddere, ducto initio *De Religione & ejus Actibus.* Verùm primo folio vix in lucem emisso, lethali morbo correptus est, ac tertio sub prelo sudante, mors præmatura laboribus ejus finem imposuit.

Tomo VI. Continentur *Regulæ legendi & intelligendi S. Scripturam, nunc secundum Textum recognitionis Clementis VIII. magis dispositæ.*

Antiaogiai, seu *Contradictiones apparentes S. Scripturæ*; authore Dominico Magrio, Italo Melitensi, Congreg. Oratorii.

Accedunt *Synodi II. Diœcesanæ Sylvæducenses*; prior anno 1571. per Laurentium Metsium, posterior 1612. per Gisbertum Masium, habitæ, *denuo in lucem editæ jussu & curâ* Mart. Steyartii *ejusdem Diœcesis Vicarii generalis Apostolici, qui & addidit Directorium, Epistolam Exegeticam, Institutiones Confessariorum ac Concionatorum, & alia.*

Anno 1734. curis Petri Ludov. Danes S. T. D. Lovan. evulgata sunt *Fragmenta Steyartiana necdum collecta*; in quibus quædam *Resolutiones* ejus *Theologicæ, Fragmenta Aphorismorum ampliatorum, Theses pro suscipiendo S. T. Magisterio; Oratio in funere Steyartii* habita Lovanii per Martinum Harney S. T. D. Ordinis Prædicatorum, & alia.

Edidit quoque Steyartius junior, ac tunc Philos. Professor *Grammaticam Linguæ flandricæ*, cujus varias Dialectos exactè repræsentavit.

## MARTINUS A TURNHOUT,

Cognomento VANDER KEELE, Ordinis Minorum Theologus & Professor in Conventu Lovanienſi, atque Ecclesiastes zelo Dei fervens, auditores suos verbo & exemplo bonæ conversationis ad vitam meliorem traduxit. Moritur Lovanii anno 1540. die 13. Martii. Reliquit

*Commentarios in Libros IV. Sententiarum.*

*Expositionem Itinerarii mentis in Deum D. Bonaventuræ*, per Sermones distributam.

*Sermones de tempore & Sanctis.*

*De VII. Donis Spiritus sancti.*

*Arithmeticam divinam*, sive *de Numeris mysticis S. Scripturæ.*

*Comment. in Isaiam Prophetam.* MSS. Antverpiæ.

MAT-

MATTHÆVS GALENVS, VVESTCAPELLIVS, ZELANDVS,
DOCTOR TH. ET CANCELLARIVS DVACENSIS.

*Tu de tenebris eruisti plurima*
*Confecta longo iam situ volumina*
*Prioris ævi, et reddidisti pristinum*
*Illis nitorem, et gloriæ verum decus.*

## MATTHÆUS,

Archidiaconus Morinenſis ſeu Teruanenſis, conſcripſit *Antiquitates Eccleſiæ Morinenſis*, ex Archivis ejuſdem, legunturque MSS. Atrebati.

## MATTHÆUS ADRIANUS,

Genere Judæus, natione Hiſpanus, Religione Chriſtianus, profeſſione Medicus, primus Lovanii in Collegio Trilingui, ex ultima voluntate *Hieronymi Buſlidii* Fundatoris, anno 1518. Linguæ Hebraïcæ Profeſſionem auſpicatus eſt, ſcripſitque, teſte Val. Andrea in Appendice ſuæ Bibliothecæ,

*Introductionem* brevem *in Linguam Hebraïcam*; & Oratiunculas III. *Dominicam*, *Salutationem Angelicam*, *& Salve Regina*, hebraïcè redditas. Lugduni, typis Gryphii.

## MATTHÆUS VAN BALEN,

Joannis filius, Dordracenus Batavus, natus Kal. Octobris 1611. Poëta & Hiſtoriographus patriæ, edidit vernaculè

*Deſcriptionem Civitatis Dordracenæ* 4. Ibid. 1677. Tom. II. opus hiſtoricum ſimul ac genealogicum.

## MATTHÆUS A CASTRO,

Inſulenſis, Religioſus Falempinienſis, Ordinis Canon. Regularium, & poſtea ejuſdem Cœnobii Abbas, redegit

*Epitomen Commentariorum Cornelii Janſenii* (Epiſcopi Gandavenſis) *in Concordiam Evangelicam*. 8. Antv. 1593. item Lugd. 1595. in 4. ac rurſus ibidem 1684.

Idem reliquit *Noctes Hyemales & Æſtivales*.

*Commentarium in Pſalmos*. Aliaque, MSS. in dicto Cœnobio. Obiit anno 1597.

## MATTHÆUS DORDRACENSIS,

Batavus, Ord. Minorum Guardianus Antverpiæ &c. is ipſe eſt (ut credo) quem alibi Valerius Andreas *Matthiam à Weenſen* appellavit: aſſerens eum fuiſſe etiam Miniſtrum Provincialem, vitâque functum Dordraci anno 1547. edidit ſermone vernaculo

*Faſciculum Myrrhæ*, 1540. poſtea latinè redditum.

## MATTHÆUS GALENUS,

Weſtcappellius, in Walachria Zelandiæ honeſtâ familiâ natus, primis illis Grammatices, Rhetorices, ac Poëſios diſciplinis hauſtis Gandavi, eos in gravioribus ſtudiis progreſſus fecit, ut Philoſophos inter primos honores tulerit: ac deinde primâ Theologicâ laureâ donatus (Baccalaureum vocant) quæ pęnè ſummi alicujus Theologi eſſent exercuit, artemque oratoriè & facundè res ſacras pro concione & ad populum tractandi privatim docuit.

Licentiæ titulo inſignitus, *Ruardo Tappero* agente & Otthone Cardinale Truchſeſio, Epiſcopo Auguſtano invitante, in Dilingana Suevorum Academia ſufficitur *Guilielmo Lindano* ad altiora deſtinato.

Triennio hîc exacto, Duacum evocatus, ſupremum Doctoris Theologi titulum anno 1564 accepit, primâ quæ hîc celebrata fuit Promotione, totoque decenio, quo ibidem vixit, feliciſſima Facultatis Theologicæ fundamenta poſuit; non ſingulis tantùm diebus, ex muneris incumbentis ratione, profitendo, ſed præterea per quinquennium totum diebus feſtis catechiſando, idque gratis & abſque honorario; atque in ipſis Academiæ initiis unà cum Profeſſione ſacra Linguam

ſanctam ſeorſim publicè docendo.

Quo factum, ut S. P. Q. Duacenſi inſtante, Rex Catholicus eum primò ad S. Petrum anno 1563. deinde ad S. Amatum anno 1571. Præpoſitum, eoque nomine Cancellarium eſſe juſſerit. Scripſit

*Commentarium de Chriſtiano & Catholico Sacerdote.* Dilingæ, 1563. 4. typis Sebaldi Mayeri.

*De Originibus Monaſticis*, ſeu de prima Chriſtianæ Monaſtices origine Commentarium, ibid. 1563. 4.

*De SS. Miſſæ Sacrificio.* Antverp. 1574. 8. typis Steelſii.

*De Sæculi noſtri Choræis.* Duaci, apud Lud. de Winde.

*De Votis Monaſticis.*

*Orationes funebres tres:* è quibus unam Lovanii in obitum Ruardi Tapperi habuit.

Aliam item ad PP. Concilii Cameracenſis anno 1565. quæ ad calcem ejus extat.

*Preces & Meditationes Liturgicas*, flandricè & gallicè.

*Vitam S. Willebrordi*, Friſiorum Apoſtoli, libris III.

*Homilias Catecheticas*, ex quibus *Catecheſes* ſuas *Chriſtianas Andreas Crocquetius* S. T. D. Duac. edidit, 1575. Prodierunt iterum Lugduni in Gallia, 4. 1600. hoc tit.

*Promptuarium Theologicum; in quo quæcumque ad Symbolum Apoſtolicum; peccatorum ſummam, Dei legem, Sacramenta, claves, ritus, Hierarchiam pertinent, accuratiſſimè diſcutiuntur, ex Latinorum, Græcorum & Hebræorum fontibus deprompta*, operâ & induſtria M. Galeni, Theologi eruditiſſimi; editio nova. Ibid. apud Thom. Soubron.

*Alcuini Rhetoricam*, ad Carolum Magnum, eruit ediditque Duaci, 8. apud Boſcardum.

Item *Hilduinum Abbatem de Vita Dionyſii Areopagitæ*, Coloniæ, 1563. 8. typis Cholini. Additæ *Homiliæ* duæ. I. *de Periculis, in quibus verſantur Clerus & Senatus. II. de Hæreſibus.*

Animam Creatori ſuo reddidit anno 1573. ætat. XLV. die XV. Septembris, pro funere à *Thoma Stapletono* collega laudatus, cujus Oratio extat inter ejuſdem Stapletoni Opera Tomo II.

PETRUS COLPINIUS, S. T. Doctor Duacenſis, hoc Epitaphium ſcripſit, grati in Magiſtrum animi teſtimonium.

*Forte ſub umbroſo reſidebat pallida cippo*
*Invida naturæ mors, inimica Deo.*
*Huc caro corruptrix morum ſcelerata, odioque*
*Fervens, & furiis exagitata venit,*
*Ac, inquit: periit virtutis gloria noſtræ,*
*Filia, ni matri fers properanter opem.*
*Eſt Sophiæ Antiſtes ſacræ, quâ parte Duacum*
*Inſluit, & nigris Scarpus inundat aquis.*
*Protulit hunc dives quondam Zelandia natum,*
*Nomine* MATTHÆUM, *genſque* GALENA *vocat.*
*Grammaticæ placitis rudibus formavit ab annis*
*Gandavum doctis urbs habitata viris.*
*Grandior aſt ætas Muſarum caſtra Lovani*
*Tentare, & Sophiæ tecta ſubire jubet.*
*Accepit primos Sophiæ altercantis honores,*
*Excolit & meritum laurea ſacra caput.*
*Abdita linguarum myſteria doctus, Hebræis*
*Conſociat Græcos, parte in utraque potens.*
*Excepit primos Germania magna* GALENI
*Fetus, in ſtudiis docta Dilinga tuis.*
*Germanis tantum ſed Belga invidit alumnum,*
*Atque Duacenæ traxit ad arva ſcholæ.*
*Præſidet hîc, doctos doctiſſimus expolit, atque*
*Doctoris ſacri ſtemmata clara tenet.*
*Nec tamen eximio geſtit petulanter honore,*
*Nec titulo clarus corda ſuperba gerit.*
*Corporeos premit affectus, jejunia durè*

*Exerce, ſtudiis immoriturque ſacris.*
*Hunc pietas, hunc priſca Fides, Aſtræa reviſens*
*Terras hunc ornat, puraque Relligio.*
*Nulla ſuperſtitio, nulla hæreſis occupat urbem,*
*Quam colit: has vitâ proterit, ore, fide.*
*Quoque magis nobis noceat, juvenilia format*
*Ingenia, atque meos prævenit arte dolos.*
*Non patitur juvenes choreas ductare: ſed odit*
*Queis furit exiliens ſtulta puella, modos.*
*Quid multis? niſi me vindex tua dextera ſervet,*
*Filia, ſpes vitæ nulla relicta mihi.*
*Dixerat, & lacrymis faciem ſuffuderat; audax*
*Protinus aggreditur mors truculenta nefas.*
*Luſtra novem ætatis nondum compleverat, ecce,*
*Lurida terribilis mors aconita parat.*
*Viribus extinctis in toto corpore, membra*
*Senſerunt properam debilitata necem.*
*Septembris tulit hunc ubi lux quindena, receptus*
*Spiritus excelſis, venerat unde, polis.*

## MATTHÆUS HERBENUS,

Moſæ-Trajectinus, Servatianæ in patria Scholæ Præfectus, floruit anno 1495. quo Abbatem *Joannem Trithemium* Spanhemii viſitavit, & cum eodem de re litteraria contulit. Fuit Theologus & Poëta inſignis, ſcripſitque

*De Origine Rebuſque geſtis Trajectenſium ad Moſam.* MSS. Trajecti.

*De Miraculis S. Servatii*, carmine, teſte Joanne Placentio.

Addidit Bibliotheca Tigurina, ſcripſiſſe *de Natura Vocis*, ac *Præceptis Muſicæ.*

*De Conceptione Virginis Dei-paræ.*

*De Inſtauratione natalis ſoli Trajectenſis opidi.* Et alia, mihi non lecta aut viſa.

## MATTHÆUS HOEN,

Noveſienſis, S. Th. Doctor ac Profeſſor publicus in Academia Colonienſi, edidit

*Litteralem Pſalmorum Davidis explicationem* 8. Colon. 1630. & 1641.

## MATTHÆUS DE S. JOANNE,

Tungrenſis, Canonicus Regularis in patria, vitâ defungitur anno 1466. die XXVI. Maii. Reliquit

*Manuale Devotorum*, in Partes II. diviſum.

Item *Verſus* à ſe compoſitos *in Laudem* D. V. MARIÆ, *per octo figuras Scripturæ ſacræ Virginitatem ejuſdem denotantes.* MSS. ibid.

## MATTHÆUS KELLISONIUS,

Natione Anglus, patriâ Northamptonienſis, ex Anglia, Catholicæ Religionis cauſa fugit in Galliam ad Anglorum Remenſe Collegium, recens à *Guilielmo Alano* S. R. E. Cardinale inſtitutum. Inde Romam miſſus, ſtudia tum philoſophica, tum theologica in ſuæ gentis Collegio abſolvit. Sacerdotio ſuſcepto, in Galliam rediit, & partim Remis, (ubi S. Th. Doctor creatus eſt) partim Duaci in Anglorum Collegio Theologiam Scholaſticam per annos multos docuit. In Univerſitate Remenſi publicam dein Theologiæ Cathedram aſcendit Profeſſor Regius, atque anno 1606. Rector Academicus præſedit.

Poſtremos vitæ annos tranſegit in Univerſitate Duacena, conſtitutus illic Collegii Anglici Præſes IV. ab anno 1613, uſque ad 1641. quo deceſſit. Scripſit interea ad Jacobum I. Regem Angliæ

*De nova Anglorum Religione*, libros

VIII. anglicè, Duaci 1605.

*Reſponſionem ad Replicam Sutcleſi*, libros VIII. Rhemis 1608.

*Examen novæ Reformationis, præſertim Calviniar.* Duaci 1616. apud Petr. Avroy. Probat Author, veros Epiſcopos inter Anglos deſiiſſe.

*De Hierarchia Eccleſiæ.* Duaci. 1629.

*Commentarios ac Diſputationes in tertiam Partem D. Thomæ*, II. Tomis fol. quorum prior de Myſteriis Incarnationis, ac Vitæ Chriſti & B. V. M. poſterior de Sacramentis eſt. Duaci apud Balth. Bèllerum 1633.

## MATTHÆUS MARTINUS,

Ord. Minorum Theologus, & Provinciæ Definitor, edidit gallicè Tractatum hoc titulo: *Les appanages d'un Chevalier Chretien* &c. quo Virum nobilem format, in favorem illuſtriſſ. *D. Hermanni à Merode*, Marchionis de Treſlon. Montibus. 1528. 4.

## MATTHÆUS MOULLARTIUS,

Ex pago S. Martini juxta Aëriam oriundus, S. T. L. in Academia Lovanienſi, atque ex Abbate S. Giſleni Ord. S. Bened. prope Montes Hannoniæ, conſecratus anno 1577. Epiſcopus Atrebatenſis; vitâ functus Bruxellæ xi. Julii 1600. prope octogenarius, dum generalibus Ordinum Eccleſiaſticorum Comitiis intereſſet.

*Statuta Synodi Diœceſanæ*, quam habuit Atrebati anno 1584., edita fuerunt in 4 Atrebati apud du Buyen 1585.

*Breviarium ad uſum Atrebatenſis Eccleſiæ*, Atrebati typis Riverianis.

Ejus corpus Atrebatum dein elatum, conditum fuit in medio chori, ſub inſigni mauſolæo, cum hoc Epitaphio:

„ Ad Reverendiſſimi in Chriſto Patris ac D. MATTHÆI MOULART, „ quondam Atrebatenſis Epiſcopi memoriam, ob ſedulam Eccleſiarum „ adminiſtrationem, & præclara illius in Rempublicam Chriſtianam „ merita, prudentiæ, pietatis, juſtitiæ, Charitatis & zeli incomparabilis dotes; hoc præſens grati animi Monumentum heredes poſuere. „ Obiit undecimâ Julii, anno M.D.C.

## MATTHÆUS PILLART,

Warneſtonienſis Flander, Dunenſis Cœnobii Monachus Ciſtercienſis, S. T. D. primùm Belli-prati in Lotharingia Abbas, ac dein Mortui Maris in Normannia, uti & Procurator Ordinis in Curia Romana: tandem anno 1405, authoritate Summi Pontificis, Claravallenſis Abbas XXXVI. Anno 1416. nomine Cleri Gallicani ad Concilium generale Conſtantienſe Ambaſiator (ut loquitur Chronicon) deputatus eſt. Obiit anno 1428. die v. Auguſti, ſepultus in clauſtro Claravallis, ante Capitulum.

Scripſit *Speculum Exaltationis & depreſſionis Ordinis Ciſtercienſis*, qui liber varia ſubiit judicia.

In illum acriter inſurrexit Author libri *de proſpero & adverſo Statu Ordinis.* Extat MS. in Abbatiis Veteris-Montis, Claræ-vallis, Dunenſi & aliis; uti & alter ejuſdem *Pillardi* liber, cui titulus:

*Redditus omnes à diverſis Regibus & Principibus aſſignati, pro ferendis oneribus & expenſis neceſſariis, tempore Capituli generalis:* cum adjunctis ſingularum Donationum Inſtrumentis. Vide etiam Oudinum de Scriptor. Eccleſiaſt. Tomo III. pag. 2299.

## MATTHÆUS SCORNAJUS,

Natus in *Schooriſſe*, Comitatûs Aloſtani municipio, è Canonico Regulari Abbatiæ Montis S. Martini in Cameracenſio, Ordinis Præmonſtratenſis, quin-

MATTHÆVS · WESENBECIVS. IVRECONSVLTVS



Digitized by Google

tus Abbas apud Niniven, Flandriæ opidum, floruit circa annum 1156, & cum ſummâ ſanctitatis famâ deceſſit, relinquens, *Commentarios in Pſalmos Davidis*, item *in Eſaïæ Prophetiam.* Et *Sermones* varios qui apud Ninivenſes MSS. exſtare ſolent, ſed turbatis temporibus perierunt. Ex Joanne Bunderio.

## MATTHÆUS VOSSIUS,

Dordracenus, *Gerardi Joannis*, filius, juvenis apprimè hiſtoriarum peritus, ſcripſit

*Annales Hollandiæ* & *Zelandiæ*, ab anno 859. uſque ad 1432. Amſtel. 4. 1642. Pars I. & II. & 1646. Pars III. & IV. item Middelburgi 1664. & rurſum Amſtel. 1680. in 4. cum Auctario *Antonii Borremans.* Iidem *Annales* tranſlati in linguam Flandricam à *Nicolao Doremans*, denuò prodiere Middelburgi 1677.

## MATTHÆUS WESENBECIUS,

Natus eſt Antverpiæ, anno 1531. VIII. Kalend. Novembris, Petro à Weſenbeeck & Barbarâ Cilia parentibus, Senatoriæ dignitatis; ſororum ſex, & fratrum totidem, natu ferè minimus. Perceptis in patria litterarum rudimentis, ſub quartum ac decimum ætatis annum Lovanium cum fratre *Andrea* natu grandiore, miſſus, & *Gabrieli Mudæo* J. U. D. in diſciplinam datus, anno 1550. ætatis XIX. XIV. Kal. Julias, Juris titulum cum fratre cepit. Galliam deinde adiit, bello flagrantem.

In patriam redux, mox in Germaniam, mutatâ ſimul Religione, conceſſit, ac Jenam venit, ubi annos XIII. Juriſprudentiæ cathedram ſuſtinuit. Ad Academiam Witembergamam inde evocatus, quod reliquum fuit vitæ tranſegit; cùm de Jure reſpondendo, tum ea quoque, quæ quotidie è cathedra ſuis prælegebat, litterarum monumentis conſignando. Scripſit verò,

*Prolegomena Juriſprudentiæ*: de finibus & ratione ſtudiorum, libriſque Juris. Lipſiæ, 1584. & alibi.

*Iſagogen in Libros IV. Inſtitutionum Juris Civilis; & Commentarium in eoſdem.* Baſil. 1572. fol. Witebergæ, 1595. & 1609. 4. & alibi.

*Oeconomiam Inſtitutionum*, *Digeſtorum*, *Codicis*, *Authenticarum*, *Decretorum & Decretalium* &c. Baſil. 1574. 4. & Hanoviæ, 1604. & 1615. 12.

*Commentarios in Pandectas Juris Civilis*, olim *Paratitla* dictos, & *in libros III. priores Codicis.* Baſil. 1582. fol. Coloniæ, 1606. 1640. 4. cum Notis *Reinhardi Bachovii*; iis quoque expunctis, quæ offendere Catholicum Lectorem poterant. Iidem Commentarii ſæpius poſtea recuſi ſunt, puta Coloniæ, Amſtelodami, Francofurti & alibi, cum Notis *Arnoldi Vinnii*, *J. R. Malcomeſii*, & aliorum.

*Prælectiones in tertium ac IV. Codicis.* Witeber. 1616. 4. à morte editas.

*Tractatum de Feudis.* Coloniæ, 1583. & Witeber. 1616. 8. Lov. 1647. in 4.

*Tractatus & Reſponſa, quæ vulgò Conſilia dicuntur.* Baſil. typis Epiſcopii, 1575. & Pars II. 1577. fol. Pars III. à morte acceſſit, edita Witebergæ 1611. fol. apud Clementem Bergerum.

*Exempla Juriſprudentiæ*, Lipſiæ, 1584. 8. Sunt *Orationes* aliquot, à *Weſenbecio* habitæ: veluti *de Papiniano* Juriſconſulto, in Prælectionum ingreſſu Wittebergæ dicta, & excuſa ſeorſim, 1570. 8. Item altera *de Gabrielis Mudæi J. U. D. Lovan. Vita*, ibidem habita & vulgata, 1572. 8. quâ *Mudæum* præceptorem & hoſpitem ſuum impiè traducit, & Sectæ ſuæ facit aut aſſeclam aut fautorem.

Item juſſu *Auguſti* Electoris, allaboravit *Weſenbecius* unà cum *Schnedewino*

*& Thomingio* J. U. Doctoribus Witeberg. concinnando *Juri novo Electorali Saxonico*, indeque ortæ sunt *Consultationes Constitutionum Saxonicarum: &c.*

Obiit Witenbergæ, anno 1586. ætatis LV. Nonis Junii. De Vita & obitu *Wesenbecii* legitur *Andreæ Rauchbari* J. C. Oratio: atque hoc ejus Epitaphium.

MATTHÆUS *placidâ sopitus pace quiesco,*
*Justitiæ & Juris præco* WESENBECIUS.
*Vita mihi studium fuit, impensique labores,*
*Et dolor & gemitus assiduæque preces.*
*Jova pater miserere mei, miserere meorum;*
*Nam prima in Christi sanguine nostra salus.*

WESENBECIUS paulò ante mortem hos versus effudit:

*In Belgis natus, Germanis hospes in oris,*
*Conficio spatium peregrinæ flebile vitæ:*
*Dum veram vocor in patriam, quæ sanguine parta est*
*Christe tuo: tu me post funera, magne Sacerdos,*
*Suscipe, & extremæ subduc discrimine luctæ.*
*Mors tua vita mea est: tu debita lytra parenti*
*Solvisti moriens, ut per te vivere possim.*
*Hac ergo fretus spe non dubitante recondar*
*In mortem, dux Christe, tuam, qua janua vitæ est:*
*Ut tecum moriens, tecum, ô mea vita! resurgam.*

Symbolum: PIE' ET LÆTE'.

## MATTHIAS AQUENSIS,

Sive Aquisgranensis, Gymnasii Montani Coloniæ in Ubiis Professor, edidit

*Assertionem Catholicæ Religionis*, contra Lutherum. Coloniæ, 1542. 4. typis Melch. Novesiani.

*Assertionem* alteram contra Bucerum. Ibid. 1556. 8. apud Cholinum.

## MATTHIAS BONERUS,

Venlonianus, Gelder, J. C. titulum Lovanii cepit, juvenis rarâ eruditione, ingenio eleganti; magnus futurus, nisi ad magna properantis cursum mors præpropera in Ubiis intercepisset, anno 1614. Legitur illius

*Declamatio pro Sclopo*, oppositа *Vituperio Sclopi Ericii Puteani.* Utraque Oratio Lovanii in Auditorio Trilingui publicè habita, & Rivii typis edita.

## MATTHIAS BOSSEMIUS,

Amstelodami anno 1527. piis ac Catholicis natus parentibus, *Cornelium Crocum* primæ ætatis institutorem, morumque formatorem nactus, ac politioribus litteris probè instructus, Lovanium missus est: ubi in Standonico Gymnasio Philosophiæ stadium emensus, sacris studiis animum mox applicuit. Licentiæ, ut vocant, Laureâ donatus, in Heverleensi Cœlestinorum cœnobio annos aliquot Theologiam explanavit.

Duacum evocatus, ob eximiam suam in sacris Litteris cognitionem, Doctorque Theologus, cum *Joanne Rubo*, Hannonio, *Guil. Alano* pòst Cardinale, *Thoma Stapletono*, Anglis, anno 1566. renuntiatus, annos XXXIII. cathedram cum laude tenuit.

A morte *Matthæi Galeni Westcappellii* ad D. Amatum Præpositus, Academiæ Cancellarius, & Professor Theologiæ primarius est constitutus. Vir tantæ humilitatis, ut famulorum operâ in corporis cura, etiam postremis vitæ annis, vix uteretur, ut cubiculum ipse suum scopis mundaret, lectum sterneret, lances & scutellas seriâ sextâ lavaret, & id genus alia humilitatis officia obiret. Tam severus in Clerum censor, tantæque castitatis, ut extraneam in ædibus fœminam ver-

ſari paſſus non ſit, nec unquam ſolus cum ſola, niſi in publico, fuerit locutus: quotidie ad B. Virginem ter hanc emittere ſolitus oratiunculam;

*Virgo ſingularis inter omnes mitis,*
*Nos culpis ſolutos, mites fac & caſtos.*

Tantæ pietatis, ut de rebus divinis diſſerenti, & in tremendo Miſſæ ſacrificio lacrymæ ſubinde excuterentur. Mortis memor, amici demortui cranium ante oculos in muſêo ponebat, & viginti ferè ante obitum annos loculum ſibi, in quo ſepeliretur, fieri curaverat.

Obiit anno 1599. ætatis LXXII. pridie Nonas Februarii, in choro ſuo conditus, legatis teſtamento facultatibus omnibus Collegio ſub tutela Divæ Virginis, inſtituendo. Scripſit

*De Clericorum cum fœminis cohabitatione, licitane ea ſit?*

*De ſtupidiſſimæ & veræ Idololatria, quæ quondam apud Ethnicos fuit, hypocritica interpretatione*, contra Joan. Calvinum.

*De ſpeciali Dei auxilio.*

*Orationem parænetícam, ad novitios Theologiæ ſtudioſos.* Omnia Duaci excuſa, 1586. 8. apud Joann. Bogardum.

Hoc Monumentum
Reverc. Domino MATTHIÆ BOSSEMIO,
Amſtelodamenſi, Presbytero,
Inſignis hujus Eccleſiæ Prçpoſito,
S. Theologiæ Doctori
Et primario in Univerſitate Duacena
Profeſſori,
Ejuſdemque Univerſitatis Cancellario
Ampliſſimo,
Ad Dei gloriam poſitum,
Obiit anno Domini M. D. XCIX.
Menſis Febr. die IV.
Orate pro eo.

## MATTHIAS BREDENBACHIUS,

Kerpenſis (qui vicus eſt Comitatus Montenſis, Diœceſis Colonienſis) ſcholæ Embricenſis in Clivia Gymnaſiarcha, multa adverſus hæreticos doctiſſimè & ſtilo eleganti ſcripſit:

*De diſſidiis Eccleſiæ componendis*; ejuſdemque libri *Apologiam*, quòd quibuſdam viſus eſſet acerbiùs in Lutherum ſcripſiſſe. Antver. 1576. 8. apud Ant. Tilenium.

*Hyperaſpiſten, pro vera componendorum diſſidiorum ratione*, adverſus Jac. Andream. Coloniæ, 1568. apud Quentelios.

*Epiſtolas II. De negotio Religionis.* Ibid. 1567.

*Commentarium in Pſalmos LXIX. priores:* &

*Commentarium in Euangelium Matthæi.* Ibid. 1560. fol.

*Monodiam heroïcam in obitum Archiepiſc. Treverenſis.* Et

*Elegias in obitum Georgii à Petra, Decani Confluentini.* Ibid. 1567. 8.

*Scholia in Feneſtellam de Sacerdotiis & Magiſtratibus Rom.* Ibid. 1539. 8. apud Euchar. Cervicornum.

Obiit Embricæ, anno 1559. ætatis ſuæ LXX. menſe Junio, relictis filiis *Theoderico* & *Tilmanno*, doctrinâ excellentibus.

## MATTHIAS CASTELLANUS,

Vulgò DE CASTELEYN, Aldenardenſis, Poëta vernaculus, vel ideò hîc memorandus venit, quòd primus inter ſuos docuerit Flandricam Poëſin ſuis incedere modulis ac menſuris, eo libro, quem *Artem Rhetoricæ*, vulgari linguâ *de Conſte van Rhetoryke*, inſcripſit.

## MATTHIAS CATZ,

A Brouwershaven, è nobili *Catziorum* in Zelandia ſtirpe, Ordinis Minorum in Belgio Theologus atque Provincialis, celeberrimi Poëtæ *Jacobi Catzii*. Reip. Bat. Advocati propatruus, edidit

*Catholicam Elucidationem Decalogi*, Antver. 1573. 8. apud Plant. Pariſ. 1576. & iterum 1604.

*Catholicam Elucidationem Inſtitutionis Chriſtianæ*, ſecundùm methodum à Magiſtro Sentent. in II. obſervatam. Antver. 1575. 8. apud eundem.

Deceſſit Lovanii, anno 1576. III. Non. Martii, apud ſuos depoſitus, hoc Epitaphio.

Conditur ſub hoc ſarcophago
Vir eximiæ pietatis & eruditionis,
R.P.F. Matthias Cats
A Brouwershaven,
Hujus Conventûs quondam Lector,
Deinde Guardianus,
Ac tandem Provinciæ noſtræ Miniſter,
Qui tempore Miniſterii ſui
Nondum exacto,
Diem clauſit extremum
Anno M. D. LXXVI. die VI. Martii.

## MATTHIAS CHEFNEUX,

Leodius, Ordinem FF. Eremitarum S. Auguſtini profeſſus in patria, ibique ſæpius Prior, S. Th. Profeſſor, Concionator facundus, aliiſque muniis dignus, quæ ex humilitate recuſavit; neque Vir licet doctiſſimus ullos unquam Academicos gradus ſuſcipere voluit. Illius ſunt:

*Explanatio in Pſalmos.*

*Speculum Chronographicum Eccleſiæ Catholicæ ab origine mundi ad Chriſtum uſque.* fol. Leodii 1662.

*Speculum à Chriſto ad nos uſque.* fol. Pars I. ibid. 1666. Pars II. 1670.

Concinnavit etiam *Seriem Chronologicam Virorum Sanctorum, quos Chriſtus omni tempore ſuſcitavit, quo nova aliqua ſurrexit hæreſis.*

Item *Chronicon Gentium Infidelium ad fidem adductarum, quando aliæ ab Eccleſia Catholica defecerunt.* 1649. utrumque hactenus MS. Ita P. Tombeur in Synopſi Chronol. Ordinis S. Aug. in Belgio pag. 166.

## MATTHIAS A CORONA,

Leodienſis, Ord. FF. B. M. de Monte Carmelo, S. Th. Doctor in Academia Pariſienſi, Conventûs Leodienſis Prior, & magni nominis concionator, è vivis abiit anno 1676. Author magni operis, cui titulus,

*Sanctitas Eccleſiæ Romanæ, in S. Elia Propheta, Carmelitarum Proto-parente figurata; ſive Expoſitio litteralis, myſtica & moralis, ſparſim à Cap. XVII. Libri III. Regum, uſque ad Caput XIII. Libri IV. Regum:* per Tomos XII. fol. Leodii apud Guilielmum Henr. Streel Leodienſis, Epiſcopi typographum, 1663. & ſequentibns annis.

Tomus I. agit *de exiſtentia, ſignis, origine, propagatione & maternitate Eccleſiæ Romanæ.*

II. *De Eccleſia Romana, & ejus Primatu ubique recepto.*

III. *De S. Petri & ſucceſſorum ejus Romanorum Pontificum Poteſtate ſpirituali & infallibili in rebus fidei, morum & regimine Eccleſiæ.*

IV. *De dignitate & poteſtate ſpirituali Epiſcoporum.*

V. *De poteſtate judiciali Epiſcoporum, & jure militari Præſulum juriſdictionem temporalem habentium.*

VI. *De Miſſionibus Apoſtolicis, ſeu de utilitate ſacrarum Miſſionum, virtutibus, privilegiis, officio & poteſtate Miſſionariorum.*

VII. *De dignitate Cardinalium, Legatorum, Nunciorum & Inquiſitorum Fidei; cum Auctario, ad Eccleſiæ Sanctitatem confirmandam.* Et alia plura quinque Tomis ſequentibus, è prioribus legitimè deducta.

## MATTHIAS A CROONENBORG,

Gelder, in Ordine FF. Minorum Recollectorum variis perfunctus muniis,

niis, varia quoque ſcripſit aſcetica idiomate ſuo vernaculo; nimirum

*Vitam Ven. Sororis Agnetis Huyn*, quæ Venlonæ in Monaſterio Annunciatarum ſanctè obiit anno 1641.

*Trooſt in den noot en in de doot.* Amſtel. 1682.

*De twee geeſtelycke colomnen van de H. Kercke, te weten de HH. Sacramenten des Autaers en van de Bichte.* Amſtel. 1682.

*Chriſtelyck onderwys, om eenen zaligen ſtaet te verkieſen* Brux. 1673.

*Trooſtelyck onderwys, tegens den doornachtighen weg der bekoringen.* 1685. *&c.*

Obiit Ruremondæ anno 1684.

## MATTHIAS DOGEN,

Munimentorum Batavicorum director non incelebris, anno 1658, quo claruit, evulgavit Amſtelodami Volumen in fol. cum fig. hoc titulo: *l'Art des Fortifications.*

## MATTHIAS GERTMAN,

Turnhautanus Brabantus, Univerſitatis Duacenę à juventute alumnus, ibidemque renunciatus anno 1640. S. Th. Doctor, per annos plures ſummo auditorum concurſu docuit Profeſſor Regius & primarius, ac Seminarii Regii per XL. annos Præſes: Academiæ Duacenæ Cancellarius, primò tanquam Præpoſitus Eccl. D. Petri, dein ſimili functus munere in æde primaria D. Amati. Vir infulis dignus: quas etiam oblatas (utique Audomarenſes) fertur modeſtè recuſaſſe. Munificus tum Academiæ, tum ſuorum Turnhautanorum concivium, tum imprimis pauperum, in vita & morte benefactor: in quorum uſus libros omnes (quos regii Seminarii Bibliotheca conſervat) univerſamque ſubſtantiam impendit.

Eruditè ſcripſit *Jeſu-Chriſti Monita maximè ſalutaria, de cultu dilectiſſimæ Matri Mariæ exhibendo.* Duaci 1674. adverſus libellum Janſenianum, *Monitorum Deiparæ Virginis ad cultores ſuos indiſcretos.* Pluraque alia Theologica, quæ latent Duaci MSS.

Vitâ functus ibidem eſt anno 1683. ſepulturæ mandatus in æde Colleg. S. Amati, ſub hoc Epitaphio, quo viri eximii dotes amplius enarrantur.

D. O. M.
Hîc ſitus eſt
Exim. & Ampl. Dominus
MATTHIAS GERTMAN,
S. Th. Doctor & Profeſſor primarius,
Pridem Eccleſiæ D. Petri,
Dein hujus inſignis Eccleſiæ Colleg.
Prępoſitus & Canonicus,
Eoque titulo natus Academiæ
Duacenæ Cancellarius,
Seminarii Regii Præſes;
Qui dum vixit, acerrimi fuit ingenii,
Indefeſſi laboris & integerrimæ vitæ,
Divini officii aſſiduus cultor,
Doctrinâ & pietate
Vix alteri ex coævis ſuis
Suppar aut ſecundus,
Pauperum amantiſſimus,
Quos, cùm Seminario Regio,
Relictâ ei ampliſſimâ Bibliothecâ,
Bonorum ſuorum heredes fecit.
Obiit die XXIX. Novembris
M. D. C. LXXXIII.

## MATTHIAS DE GRATY,

Leodius, antiquâ apud Moſætrajectinos familiâ oriundus, patre Franciſco, Trajecti quondam Conſule, matre Annâ Van Aken: fuit ipſe Toparcha d'Aigremont, des Awirs, Fexhe, Steel &c.; Supremus Hasbaniæ Advocatus, Conſul Civitatis Leodienſis ann. 1665. 1672. 1684. nec non ſummi nominis Juriſconſultus; matrimonio junctus Mariæ de Saive. Scripſit gallicè *Diſcours de Droit, Morale & Politi-*

*que.* fol Leodii 1676. 3. Vol. Tom. I. apud Joan. Matth. Hovium.

## MATTHIAS GRENET,

Prior Cœnobii Martiniani, Ord. S. Benedicti, in urbe Tornacensi, migravit ex hac vita anno 1502. XIV. Kal. Martii. Scripsit Tractatulum hoc titulo: *Epilogus super quibusdam punctis principalibus, in Regula S. Benedicti contentis.* Legitur ibidem scriptus in membrana, hoc initio: *Cùm Philosophia sit divinarum humanarumque cognitio rerum &c.*

## MATTHIAS HAUZEUR,

Herviensis è Ducatu Limburgensi, natus anno salutis 1594. dein Religiosus Ord. Minorum Conventûs Leodiensis, S. Theol. Lector emeritus; Guardianus, Definitor, ac Minister Provincialis per Flandriam; primus post occupatum à rebellibus Regiæ Catholicæ Majestatis Mosæ-Trajectum, hæreticorum furori sese opposuit, solemni disputatione, coram arbitris & notariis utrimque adsumptis, susceptâ cum *Godefrido de Hotton*, quondam veteramentario cerdone, tunc Limburgensium Pseudo-Ministro, succenturiante huic *Jacobo du Bois*, similis furfuris Ministerculo.

Fuit autem Professione Theologicâ bis Lector emeritus, Officio quintùm Provinciæ Flandriæ Rector; aliarum Apostolicus Visitator; cum hæreseos Ministris perduellibus, publicâ Collatione congressus, eorumdem debellator ac victor etiam publicus. *B. Augustini* studiosissimus cultor, *Anatomista* Commentator. Primariorum Ordinis Seraphici Doctorum, *Alensis*, *Bonaventuræ*, *Scoti*, subtilissimus & profundissimus Conciliator; *Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ* devotissimus & piissimus defensor; Religiosi Sanctimonialium Ordinis sub hoc nomine & titulo (quem in Provinciam Flandriæ invexit, erexit & evexit) præcipuus Fundator, strenuissimus propagator; Reformationis ubique assertor, promotor, fautor; ab unâ ex nequaquam minimis Belgii Provinciis & ditionibus ad Insulam expetitus & postulatus, quia meritus. *Tale ei Encomium cum Icone exhibebat Provincia Recollectorum Flandro-Belgica, dum anno 1674. octogenario major eandem administraret, & actu visitaret.*

Edidit *Disputationem* ante citatam gallicè & latinè. Leodii, anno 1633. & 1634. 4. & 12.

*Manuductionem peremptoriam*, adversus fautores & coadjutores Hottoni.

*Exorcismum Catholicum maligni spiritus hæretici*, adversus Hottoni Replicam, 1634. 8.

*Equuleum Ecclesiasticum*, contra Sam. Maresii Trajectensis Ministri *Monacho-machiam sive Vindicias pro Veritate Religionis Reformatæ.* Leodii, 1635.

*Collationem totius Theologiæ inter Alexandrum Halensem, S. Bonavent. & Joannem Duns Scotum, traditæ.* fol. Leodii 1652. 2. Vol.

*Anatomiam Doctrinæ S. Augustini, circa difficultates Philosophicas, Scholasticas, Biblicas, mysticas, dogmaticas ac morales.* fol Parisiis 1646. 2. Vol.

## MATTHIAS HOVIUS,

Mechliniæ natus est anno 1542. parentibus non tam opulentis, quam integri nominis & famæ. (frater ejus *Joannes Van den Hove*, civis ac mercator Mechlinien sis, avitam religionem ac patriam adversus ingruentes sectarios fortiter propugnans, ab iis cum quamplurimis concivibus suis trucidatus fuit v. Idus Apriles 1580.)

Matthias, studiorum altiorum fundamenta jecit Lovanii in Domo Standonicâ, promotus quidem in Artibus anno 1561. loco tantùm XLVI; sed

in Theologicis altiores fecit progreſſus, Collegii Pontificii alumnus, ſub diſciplina *Michaëlis Baii*, Doctoris Theologi, ubi & S. T. Licentiâ donatus eſt. Fuit primùm Vice-paſtor Eccleſiæ SS. Petri & Pauli Mechliniæ, ac paulò poſt Paſtor, ſermonis gratiâ inprimis placens, cùm ad populum de divinis verba faceret.

Eccleſiæ Metropolitanæ D. Rumoldi electus anno 1577. Canonicus Graduatus Theologus, Maxim. Morillono ad Tornacenſes infulas evecto ſucceſſit in dignitate Archidiaconali anno 1582. Dein etiam Sedis vacantis poſt Archiepiſc. *Joannem Hauchinum* Vicarius generalis, ac tandem tertius Mechlinienſium Archiepiſcopus conſecratus anno 1596. totos XXIV. annos feliciter præfuit; Principibus Alberto & Iſabellæ gratus (quibus & à Conſiliis Statûs fuit) Reipublicæ utilis, Eccleſiæ verus Paſtor, Seminarii Archiepiſcopalis fundator, qui rudi indigeſtæque hactenus Diœceſi Mechlinienſi, primus formam dedit.

Anno 1607. *Concilium* alterum, ſive *Synodum Provincialem* Mechliniæ celebravit; in cujus auſpiciis elegantem & doctam *Orationem* habuit, *de cauſis Synodi, deque abuſibus Cleri & Eccleſiæ tollendis.* Edita eſt Antverp. 1608. item 1633. 8. typis Plantinianis: dein etiam Mechliniæ.

Item *Decreta & Statuta Synodi Diœceſanæ Mechlinienſis*, quam habuit anno 1609. edita ut ſupra.

Auctor quoque *Brevis ac dilucidæ Inſtructionis minus exercitatorum Paſtorum ac Confeſſariorum, quorum opera in hac Sacerdotum raritate eſt neceſſaria Eccleſiæ Belgicæ.* 4. & 12. per XXXV. Canones ſæpiùs editæ, iterumque Lov. 1626. & Coloniæ 1676.

*Statuta omnium Curiarum Eccleſiaſticarum Provinciæ Mechlinienſis*, primùm edita 1617.

*Paſtorale Mechlinienſe*, Antver. apud Joann. Moretum 1607.

Obiit autem in Abbatia ſua Affligemienſi, anno 1620. III. Kal. Julii, Sacerdotio & Archiepiſcopatu jubilarius. Pro funere laudatus Mechliniæ à *Jacobo Janſonio* S. T. D. Lov. Affligemii vero à *Laurentio Beyerlinck*, Canonico Antverp. Jacet in ſua Metropoli, ad cornu euangelii; addito ad mauſolæum hoc Epitaphio.

*En primus ille Belgii hîc ſplendor jacet:*
*Quem ſacra Martis inter & mortis metus,*
*Variis probatum muniis Pietas, huic*
*(Auſpice Philippo) tertium Archiepiſcopum*
*Dedit eſſe Cathedræ, deputante Belgicas*
*Pontifice turmas regere, Conſilio intimo*
*Alberto adeſſe Principe,* MATHIAS HOVIUS
*Suo hîc relicto herede Seminario:*
*VIrtUte fULgens, DesIt affLIgeMII,*
III. Kal. Julii, Anno ſalutis
M. D. C. XX.
Ætatis LXXVIII. Sacerdotii LIV.
Archiepiſcopatus XXV.

MATTHIAS VAN DER HOEVE,

Hagæ-Comitanus, Eques, Toparcha de Campen, natus anno 1577. edidit vernaculo ſermone excellens *Chronicon Veteris Bataviæ*, quod exorditur ab anno ante Chriſtum 99. & Comitatûs Hollandici originem conſtituit anno 863. à donatione *Caroli Calvi* Regis erga *Theodericum Aquitanium.* Titulus Operis hic eſt.

*Handveſt, oft Charte-Chronyck van oudt Batavien, oud-Frieſland, out Frankenland, nu Holland, Seland, Weſt-Frieſland, ende andere Vrieſland, Gelderland, Utregt en Overyſſel: makende het Vrye Herſſende Verenigde Nederland* &c. Libris VIII. Tom. II. fol. Leidæ 1636. atque iterum Hagæ-Com. 1645. Tomus I. & Leidæ 1646. Tomus II.

## MATTHIAS LAMBRECHT,

Franco-Brugenſis, S. T. L. in pago S. Laurentii, altero à Brugis lapide, humili loco natus, per varios doctrinæ ac pietatis gradus ad Epiſcopatum aſcendit. Lovanienſis Academiæ alumnus, Philoſophiam in Pœdagogio Caſtri addidicit, anno 1561. inter Magiſtros Artium tertio loco promotus. Theologiam in Abbatia Parcenſi ad muros Lovanienſes aliquantiſper profeſſus, anno 1569. in Cathedrali Brugenſi Canonicus Graduatus Theologus aſſumitur, cujus & primus ab Erectione Sedis Epiſcopalis Pœnitentiarius fuit.

Epiſcopi ſui Remigii Driutii, ab hæreticis rebellibuſque Gandavi in carcerem conjecti, fortunam ſecutus, per Magiſtratum Acatholicum anno 1578. Brugis expellitur. In eo exilio primò quidem moratus Duaci, Lectionem Catecheticam in Scholis Theologicis regiis auſpiciis aliquantiſper habuit; dein hæſit Audomaropoli unà cum potiori con-Canonicorum Brugenſium parte, quibus reſidentiæ locum in ipſa ſua Cathedrali conceſſerant Audomarenſes.

Tandem rebus pacatis, Brugiſque in Fidei Regiæque Majeſtatis Catholicæ obſequium reſtitutis, ad reſidentiam unà cum Epiſcopo ſuo rediit anno 1584, ubi & paulò poſt Archidiaconus, ac tandem Druitii in Epiſcopatu ſucceſſor, anno 1596. die XXVIII. Junii, ſacris infulis, unà cum Henrico Cuyckio Ruremundenſi Antiſtite, inauguratus fuit in Æde D. Petri Lovanii, per Archiepiſcopum Mechlinienſem Matthiam Hovium. Vir fuit & ingenio doctrinâque & pietate cum quibuſvis ſui temporis Doctoribus merito comparandus. Scripſit lingua vernacula,

*Hiſtoriam Eccleſiaſticam*, à Chriſto nato ad ſua uſque tempora, item

*De Vita, Morte & Paſſione Sanctorum.* Utrumque opus editum eſt Lovanii 1610. & Antverpiæ in fol.

*Tractatum brevem de Antichriſto*, eodem idiomate 1602. 8.

Obiit Brugis, ipſis Kalendis Junii anno 1602, ætatis 63. ſepultus in choro Cathedralis, ad ſiniſtram Mauſolæi Ludovici Nivernenſis Flandriæ Comitis; tali Epitaphio.

Æternæ memoriæ
Reverendiſſimi Domini
D. MATTHIÆ LAMBRECHT
Franconatis, Theologi,
Qui poſt functionem, primum
Pœnitentiarii,
Deinde Archipresb. & Archidiaconi,
Tandem III. factus eſt
Brugarum Epiſcopus,
Flandriæ Cancellarius perpetuus.
Sedit annos V. menſ. IX. dies XVII.
Obiit vero I. Junii,
M. D. C. II. æt. LXIII.
Orate pro refrigerio animæ ipſius.
Executores teſtamenti
Opt. Præſuli mæſtiſſ. poſſ.

## MATTHIAS LAMBERTI,

Thudinienſis, è patriâ Leodienſi, Ord. Ciſtercienſis S. Bernardi Religioſus, atque Alnenſis Cœnobii Prior. Obiit anno 1595. ætatis LIII. Profeſſionis XXXXII. cum ſcripſiſſet gallicè

*Commentarium brevem in Regulam S. Benedicti*, 12. Leodii apud H. Hovium, 1596.

Item *Tractatum de periculo converſationis virorum cum mulieribus.* Ibid.

## MATTHIAS LOBELIUS,

Vulgò DE L'OBEL, Joannis J. C. filius, Inſulanus, Medicus, naſcitur anno 1538. Medendi ſcientiam Monſpelii hauſit, in celebri Galliarum Academia, uſus præceptore *Guil. Rondeletio*; eamdemque poſtea, Medicus domeſticus Guilielmi Principis Auria-

ci, Antverpiæ & Delphis Batavorum exercuit : potiſſimam tamen operam in Botanicis poſuit, eo titulo accerſitus in Angliam à Jacobo VI. Rege Magnæ Britanniæ. Scripſit

*Animadverſiones in Officinam Pharmaceuticam Guil. Rondeletii*, unà cum *Auctarium in Antidotaria vulgata Cenſuræ benevolæ* &c. Londini, typis Thomæ Purfoortii, 1605. fol. & Francof.

*Balſami, Opobalſami, Carpobalſami & Xylobalſami Explanationem.* Ibid. apud Arn. Hatfield, 1598. 4.

*Plantarum* ſeu *Stirpium Hiſtoriam*, cum *Adverſariorum* volumine. Ibid. 1572. & Antver. 1576. fol. typis Plant. & Lond. 1655. 4.

*Diarium Pharmacorum parandorum* &c. Leidæ 1627. & 1652. in 12.

Obiit Londini, anno 1616. VI. Nonas Maii, in D. Dionyſii conditus.

*Matthias Boucheus*, amoris & officii ergo, hoc avo ſuo longè chariſſimo Epitaphium poſuit.

*Chare ſenex, arcto dum conſummare ſepulchro,*
*Quid precer, ut ſit humus non oneroſa tibi ?*
*Antiquæ tantum eſt tellus tua reddita matri,*
*Aſt levis Elyſiis ambulat umbra locis.*
*Molliter oſſa cubent tumulo, ſat ſit tibi ſcriptis*
*Impleviſſe tuis ſolis utramque domum.*
*Æternum ſalvêre nepos te exoptat in ævum,*
*Mæſtitiâ voces impediente ſuas.*

Chronographicum

*tertIa LUX MaII, VernUsqUe InflabaT apoLLo,*
*Ut noVUs In CœLIs InCoLa faCtUs aVUs.*

## MATTHIAS MARTINIUS DE WAUCQUIER,

Middelburgius, vir probè catholicus, latinè græcèque non vulgariter eruditus, è gallico latinitate donavit

*Petri Beſſei Doctoris Theologi Conciones, ſive Conceptus Theologicos in omnia Quadrageſimæ Euangelia.* Coloniæ, 1610. 8. apud Kinckium.

Ejuſdem *Conceptus Theologicos de quatuor hominum Noviſſimis.* Ibid. 1611. 8.

Item *Conciones & Meditationes Petri Cottoni* Societ. Jeſu. Ibid. 1617. 4. apud Joan. Crithium.

*Theſaurum Rerum Indicarum* Tomis III. *Petro Jarrico* S. J. auctore. Ibid. apud Pet. Henningium, 1615. 8.

Ex hiſpanico verò *S. Matris Teresiæ de Jeſu Opera.* Ibid. 1626. 4.

*Exercitium Perfectionis & Virtutum Chriſtianarum*, auctore P. *Alphonſo Roderico* S. J. Duaci, 1625. 8. typis Belleri.

Edidit præterea *Tretraglotton*, ſive *Dictionarium Latino-Græco-Gallico-Flandricum* auctius & emendatius. Antver. 1632. 8. Nutii typis, & aliàs ſæpius.

Egit Antverpiæ διορθωτὴν ſive Correctorem librorum in typographeio Plantiniano, ſanè quàm diligentem atque accuratum, & vivere anno 1642. deſiit.

## MATTHIAS NAVÆUS,

Hasbanus, Eburo, Doctor Theol. in Academia Duacenſi, ad D. Petrum ibidem Parochus & Canonicus Seclinienſis, poſt etiam in Tornacenſi Cathedrali Canonicus, Librorum Cenſor accuratus, ſolidi ſolertiſque vir judicii atque ingenii, cultûſque *D. Joſephi*, Virg. Dei-paræ ſponſi, aſſertor, editâ primùm *Oratione Encomiaſticâ*, Duaci, 1627. 8. Cui poſtea plures alias adjecit & ſimul edidit, hoc titulo :

*Sponſus Virginis decoratus coronâ, XXX. gemmarum ſplendoribus coruſcante, ſive Encomium S. Joſephi.* 4. Ibid. 1630.

*Orationes III. De ſigni Crucis & Orationis efficacia, & D. Thomæ Aquinatis*

*Laudibus.* Ibid. typis Belleri, 1630. in 4.

Ejuſdem *Catecheſis*, ſive *de Sacramentorum inſtitutione, Confeſſione ſacramentali, Extrema Unctione, & Matrimonio, Conciones XVI.* Ibid. 1633. 8.

*Prælibatio Theologica in Feſta Sanctorum*, ſive Sermones de quibuſdam Sanctis. Tornaci, 1635. 8.

*Annotationes in Summæ Theologicæ & S. Scripturæ præcipuas difficultates:* item *Sermones duo de SS. Piato & Eleutherio*, Tornacenſium Patronis. Ibid. 1640. 4.

*Tri-Octava Sermonum de Venerabili Sacramento & Sacrificio.* in 8. 1645.

## MATTHIAS NETHENUS,

Rezæ apud Clivios natus 27. Octobris 1618, ætate provectior Theologiæ Calvinianæ Doctor in Academia Ultrajectina renunciatus fuit, atque ad publicam Profeſſionem inauguratus anno 1654.

Fervebant tum temporis diſputationes inter Miniſtros, ſuper recto uſu bonorum Eccleſiaſticorum, quibus Canonici (titulares) Ultrajectini potiuntur. Contendebat *Gisb. Voetius*, *Nethenus*, aliique quidam, aliam oportere de his bonis eſſe diſpoſitionem: imo & ſupprimenda eſſe Capitula, fructuſque applicandos ad uſum Miniſtrorum Calvinianorum, aliarumque, (ut aiebant) *piarum cauſarum.* Dogmati huic oppoſuit ſe Magiſtratus Ultrajectinus, & pro Canonicis illis ſcripſit *Samuel Mareſius* contra *Nethenum*, ſtylo per-quam vehementi. Qui non minus mordaciter oppoſuit ſequentia.

*Concordia vel ſymphonia univerſorum Miniſtrorum Verbi divini in Eccleſia Jeſu-Chriſti Ultrajectina, in judicando de uſu bonorum Eccleſiaſticorum.* Belgicè, cum adjunctis teſtimoniis Doctorum tam Catholicorum quam Reformatorum, item neutralium authorum.

*Neceſſaria defenſio Concordiæ Paſtorum Ultrajectinorum & conceptûs reformandi Capitula Ultrajectina*; contra Epiſtolam & Reflexiones *Samuelis Mareſii.* 4. Amſtelod. apud Joannem à Waesberghe 1661.

*Inſtructio Hiſtorica de Canonicis tripartita:* videlicet de Canonicorum & bonorum quæ poſſident, 1. Ortu & incremento. 2. Deformatione. Et 3. Reformatione. 4. Amſtelod. apud Waesbergios, 1661. Accedunt

*Collectanea Anglicana*, de Primatu Regum Angliæ Eccleſiaſtico; unde apparet, quomodo Primatus ille fuerit à Scriptoribus Anglo-Papiſtis exagitatus, & ab Anglo-Reformatis propugnatus. 4. Amſtel. 1661.

Tandem Magiſtratus Ultrajectinus, ut diſputationibus hiſce finem imponeret, *Nethenum* à Theologica profeſſione amovit, Decreto dato 14. Aprilis 1662, eò quod calamum nimium mordacem & in publicam authoritatem injurioſum ſtrinxiſſet. Ille autem ad Herbornenſem Academiam, ſub ditione Naſſovica migravit, ibique Theologiæ Profeſſor ac Miniſter deceſſit 9. Octobris 1686.

Scripſerat inſuper *Tractatum de Interpretatione Scripturæ*; contra Jo. Lud. Wolzogium, Socinianum. 4. Herbornæ 1675.

Item *de Tranſſubſtantiatione*, contra Joannem Sybenium, Abbatem Gladbacenſem; latinè ac germanicè. 12. Amſt. 1666.

*Diſputationem in Epiſtolas ad Timotheum.* 4. Ultraj. 1655.

## MATTHIAS PAULI,

Patriâ Haſſeletenſis, Eburo, voto & vitâ Auguſtinianus, quatuor fratrum ejuſdem Inſtituti natu maximus, Brugis Flandrorum annis XII, Trajecti

ad Mosam, Teneramundæ Lovaniique Prior fuit, Ordinisque in Belgio Definitor. Vir pius atque totus ascēticus, Tractatus aliquot idiomate populari conscripsit, summâ gratiâ, summoque legentium fructu; quorum sequentes potissimùm tituli:

*Fasciculus Devotionis, ac soliloquium animæ ad sponsum.* Gand. 1615.

*Cingulum Militare*, sive de Institutione Confraternitatis Ordinum Mendicantium. Gandavi 1619.

*Arbor Vitæ XII. fructus Eucharisticos egerminans*; seu Meditationes de Venerabili Eucharistia. Antver. 1612 & 1631. in 8.

*Speculum Perfectionis*, ad instructionem nobilissimæ cujusdam filiæ, mundo valedicentis. Antv. 1623.

*Vita S. Nicolai Tolentinatis.*

*Historia Venerab. Sacramenti Miraculosi, Herkenrodiani, Bruxellensis, Lovanienſis & Gandensis apud Augustinianos.* Antv. 1620.

*Expostulatio Christi super ingratitudine Judæorum*, ad Christianos hujus temporis accommodata. Tomis II. Lovanii, apud Hastenium, 1623. 8.

*Officium* sive *Horæ de S. Josepho*, Sponso Deip. Virginis. Gand. 1621. & Leodii 1646.

*Epithalamium Jesu & Mariæ*, ex Canticis. Lovanii 1630. 8.

*Index Solaris*, sive Exercitium hominis Christiani. Ibid. 1631. 12.

*Vita S. Rochi.* Leodii, 1635. 12. apud Leon. Streel.

Tractatus *De duobus maximis & maximè periculosis malis, quæ homini in hac vita secundùm corpus & animam obvenire possunt, eorumque remediis.* Ibid. 1636. in 12.

*Dialogi de ritu sepeliendi Catholicorum, de Purgatorio, de Sacrificio Missæ &c.* Ibid. 1637. 12.

*Assertio Purgatorii*, Gallicè. Ibid. 1640. 12.

*Septem parvæ horæ Nominis* JESU *& S.* ANNÆ, *cum Meditationibus Vitæ & mortis Christi.* 1614.

*Parvæ Horæ VII. Dolorum B. M. V.* Leodii.

*Threni seu lamentationes Christi.* Tom. II. Lov. 1624.

*Porta cœli, seu Maria XII. coronis ornata.* Antv. 1634.

*Tractatus de præsentia Dei.* Gand. 1633.

*Libellus supplex Animarum fidelium in Purgatorio.* Leod. 1637.

*Tractatus de septem doloribus.* Leodii 1639.

*Jubilus Devotionis*, in suo Jubilæo Professionis. Leodii 1645.

*Scala Cœli*, in duas partes divisa. Leodii 1650.

Morti propinquus, quam Trajecti ad Mosam oppetiit, non aliam sibi schedam obituariam epitaphiumve fieri voluit, præter hoc à se humiliter conscriptum.

„ Ego Frater MATTHIAS PAULLI, „ Religiosus & Sacerdos Ordinis Ere„ mit. D. Augustini, vixi ab anno „ 1580. vivere desii anno 1651. men„ se Januario die 14. Professionis meæ „ anno 56. Abii, lectores, quò vos „ properatis. Miseremini quæso ani„ mæ meæ, juvate me precibus & „ Sacrificiis vestris, ut eripiar ab „ igne devorante, liberer ab exilio, „ & requies mihi detur æterna.

## MATTHIAS PUTZIUS,

Marcoduranus, *Henrici* frater germanus, & in Societate Jesu collega,

*Vincentii Bruni librum de D. Virgine*, & *Meditationes ejusdem de Passione Domini*, ex italico latinè interpretatus est.

Item Carmine descripsit *Altare Templi Moguntini*; ubi & vivendi finem fecit anno 1595. die XXII. Februarii.

## MATTHIAS QUADUS,

Kinkelbacenſis, Juliacus, è ſtirpe Dominorum Wichradenſium,

*Faſciculum Geographicum Univerſi* edidit Coloniæ, 1608. fol.

## MATTHIAS THEODORUS MELANELIUS,

Perperam quidam *Melaneſium* ſcribunt, fortè quia Mediolanenſem putant) Reipublicæ Antverpianæ Medicus, è græco latinè loquentem fecit

*De Melancholia* Auctoris anonimi libellum, ex Galeni, Rufi, & Aëtii Sicanii libris collectum.

Item *Galeni* libellum, *Utrum fœtus in utero ſit animalis.*

*Stephani Magiſtri Medici Collyrium Oculare* latinè primus edidit. Antverpiæ 1540. 4. typis Dumęi.

## MATTHIAS VORNIUS,

Silvę-ducenſis, græcè & latinè doctiſſimus, primùm Scholę Gravienſis moderator, quamdiu civitas illa Regi & Principi ſuo paruit. Ubi verò in poteſtatem venit Ordinum rebellium, Ruræmondenſi Gymnaſio cum laude præfuit. Inde ad Scholam patriam moderandam accitus, *Lamberto Berchemo* datus eſt ſucceſſor. Scripſit

*Poëmation de pugna civili Silvæ-ducenſium*, excuſum anno 1606. 4. typis Schefferi.

## MATTHIAS WEENSSEN,

Dordracenſis, Batavus, Ordinis Minorum per Germaniam inferiorem Miniſter Provincialis, atque Antverpiæ & alibi Guardianus, obiit Dordraci anno 1547. Scripſit vernaculo ſermone pium libellum, legi à pluribus ſolitum, quem inſcripſit

*Faſciculum myrrhæ*; etiam latinè poſtea editum.

Inſigni & meritiſſimâ panegyri eum proſequitur *Joannes Mabuſius*, ejuſdem Seraphici Ordinis Religioſus, poſtea deſignatus primus Epiſc. Daventrienſis, præfixâ Commentariis D. Bonaventuræ in Lucam, Antver. 1539. editis.

## MATTHIAS ZELHORST,

Geldrienſis, per annos 31. in vico de Hengelo Comitatûs Zutphaniæ ſectæ Calvinianæ Miniſter, ſingulari Dei miſericordiâ depulſis erroribus ad ſinum Eccleſiæ Romano-Catholicæ rediit die 6 Julii 1645. ætatis anno 59. vixitque dein piiſſimè in civitate Duſeldorpienſi, Ducatûs Montani metropoli. Cauſſas converſionis ſuæ prodidit in hoc libro vernaculo:

*Den Catholycken Gereformeerden Predicant, ofte den onverwachten Weghweyſer tot de Catholycke waerheydt* &c. 8. Antverpiæ apud G. Verhulſt 1649. & 1658.

## MATTHIAS ZITTARDUS,

Natus Aquiſ-Grani, ſed oriundus ex opido ditionis Juliacenſis cognomine, Ord. S. Dominici Theologus, claruit in aula Caroli V. Cæſaris Verbi divini facundus pręco. Scripſit

*Aſſertionem Catholicæ Religionis*, adverſus Lutherum, Colon. 1542. in 4.

*Homilias* ſeu *Conciones XXVII. in Epiſtolam I. Divi Joannis.* fol. Coloniæ 1571. germanicè.

*Preces Catholicas accommodatas ad Euangelia totius anni.* Germanicè. Ibid. 1569.

Addit *P. Echard*, in Bibliotheca Prædic. Tom. II. pag. 216. *Duas Conciones* ejuſdem *funebres in exequiis Ferdinandi I. Cæſ. anno 1564. pronunciatas*; germa-

germanicè: eumque asserit huic Cæsari ejusque Filio Maximiliano II. fuisse à concionibus & à moderandis conscientiis: ac tandem circa annum 1570. in fata concessisse. Sed eum confundit cum *Matthæa Aquensi*, de quo supra: minus rectè, uti apparet.

Fuit & *Leonardus Zittardus*, ex eodem Prædicatorio Ordine assumptus Episcopus Mysiensis ac Suffraganeus Moguntinus, Matthiæ Frater; ut habent Annales Mogunt. Tom. II. Plura vide in præfata Bibliotheca Prædic.

## MAURITIUS PHILIPPY,

- - - - - - - Ordinis FF. Minorum Recollectorum Provinciæ Flandriæ S. Theol. Lector, edidit

*Directorium Conscientiæ circa difficiliores Casus.* 8. Antverpiæ 1667, item Bruxellis 1674. apud Franc. Foppens.

## MAXIMILIANUS A BERGIS,

E Baronibus Grimberganis, primus Archiepiscopus Cameracensis (antea Decanus S. Gummari Liræ, Canonicus Mechliniæ, Bruxellis &c.) post peractum Concilium Tridentinum, primus in Belgio, magno sumptu & reformationis zelo, *Synodum Provincialem* anno 1565. celebravit, editam Antver. 1566. typis Silvii. Biennio pòst, anno 1567. mense Octobri, *Synodum Diœcesanam* celebravit: cujus Acta Bruxellę excusa apud Mich. Hamontanum.

Extat hoc ejus Epitaphium Cameraci in Æde Metropolitana.

D. O. M. S.

„ Maximiliano a Bergis, primo Archiepiscopo, Duci Cameracensi, Comiti Cameracesii, Sacri „ Imperii Principi, qui anno M. D. „ LXV. Synodo Provinciali habita, „ Concilii Tridentini Decreta primus in Belgio promulgavit, deinde à Comitiis Imperii Augustæ Vindelicorum reversus, alteram Synodum Diœcesanam habuit, Fidem „ Catholicam adversus nascentes hæreses non minus feliciter quam strenuè tutatus est, seditiosorum hominum motibus, summa prudentia „ in limine compressis. Tandem cum „ ex celebri comitatu Annæ Austriacæ Philippi II. futuræ conjugis in „ Hispaniam proficiscentis, ipse Bergis ad Zomam secessisset, apoplexia „ correptus IV. Kalendas Septembris „ Anno M. D. LXX. Archiepiscopatus sui XIV. subito occubuit, relato huc defuncti corpore.

„ Ludovicus de Berlaymont „ ejus successor F. C.

„ Tu animæ, ô lector, bene precare.

## MAXIMILIANUS LE DENT,

Bergis Sti. Winoci, in Flandria occiduâ natus anno 1619, Societati Jesu adscriptus, magni postmodum nominis Theologus evasit, eamque inter suos Lovanii annos plures professus est, studiorum quoque Præfectus & Collegii Lovaniensis Rector. Concertationes plures ibidem habuit, præsertim contra Doctores Theologos Augustinianos. Demum Bruxellis Confessarius Comitis de Monterey Gubernatoris Belgii: vivere ibidem desiit die 30. Martii 1688. ætatis anno 69. Scripsit

*De Attritione ex metu gehennæ, ejusque cum Sacramento Pœnitentiæ sufficientia*; contra Christianum Lupum & Franciscum Farvacques S. T. DD. 4. Mechliniæ apud Gisbertum Lintsium. 1667.

*Responsionem ad Epistolam Ex. P. Christiani Lupi, pro sufficientia Attritionis cum Sacramento.* 4. Ibid. 1668.

*Reſponſionem ad Apologiam Ex. P. Farvacques, de eodem Sacramento.* 4. Mechliniæ 1669.

## MAXIMILIANUS AB EYNATTEN,

Arſchotanus, Vir nobilis, Sacræ Theologiæ Licentiatus, Scholaſticus & Canonicus Eccleſiæ Cathedralis Antverpienſis totis annis XXIX. vir vitâ & moribus elegans, collegit ex variis

*Manuale Exorciſmorum*, Antverpiæ 1619. 8. & aliàs ſæpius.

Obiit anno à parta ſalute 1631. ætatis LVII. III. Kal. Julii. Ita Valerius Andreas: ſed Epitaphium ejus, quod eſt in prefatâ Cathedrali, ſic notat.

D. O. M. S.
Et Memoriæ
N. & R. D. MAXIMILIANI AB EYNATEN S. T. L.
Hujus Cathedralis Eccleſiæ Canonici
Per annos XXIV. Scholaſtici XXII.
Epiſcopatûs Sigilliferi XV.
Obiit M. D. C. XXXI.
Die XXIX. Junii ætatis LI.

## MAXIMILIANUS HABBEQUIUS,

Bruxellenſis, Societatis Jeſu, in Poëſi præſertim Lyrica excelluit, & celeberrimi nominis fuit Eccleſiaſtes. Edidit, non appoſito nomine ſuo, libellum, cui titulus,

*Væ Victis*, onneſque in eo libello *Odas Horatianas.*

*Triumphum SS. Patribus Ignatio & Franciſco, cùm in Sanctorum album adſcripti eſſent, ab Urbe Bruxellenſi celebratum*, ſub nomine alieno. Bruxellæ, typis Joan. Pepermanni, 1622. 8.

*Odæ* præterea *omnes Lyricæ*, quæ leguntur in prima editione *Amphitheatri Honoris Clari Bonarſcii* (id eſt: *Car. Scribanii*) ſunt à manu & ſtilo Habbequii.

Reliquit & Animadverſiones in Martyrologia Novatorum, ſub titulo, *De finibus Hæreticorum & Catholicorum*, ſeu *Deſcenſus Averni & Deſcenſus Olympi.*

Item *Hiſtoriam Deiparæ Wavrianæ.*

Obiit Antverpiæ, die VIII. Febr. anno Chriſti 1637. ætatis LVIII. Religionis XLI.

## MAXIMILIANUS LENGLEZ,

Nivellenſis Brabantus, Ordinis Minorum S. Franciſci, Guardianus Conventuum Sambrenſis & Barbanſonii, edidit gallicè librum, quem inſcripſit *Scholam B.* MARIÆ *Virginis.* Montibus, 1636.

## MAXIMILIANUS SANDÆUS,

Batavus, naſcitur Amſtelodami anno 1578. XVIII. Aprilis. Juvenis, poſitis primùm feliciter litterarum humaniorum fundamentis, ſtudia tractavit Philoſophiæ, Juriſprudentiæque partim Coloniæ, partim Muſſiponti; Theologiam verò Romæ didicit, ingreſſuſque Societatem Jeſu anno 1597. totam ferè ſtudiorum encyclopædiam docendo abſolvit: Doctorque Theologus & Profeſſor Herbipoli in Franconatu, hæreſin præſertim Calvinianam aggreſſus eſt, uſus ſtilo familiari, & & ſcribendi genere atque ordine Lectori grato. Cujuſmodi ſunt,

*De omnipræſentia eſſentiali Dei, facta hoc tempore litigioſa inter Calviniſtas Hollandiæ.* Herbipoli, 1616. 8.

*De Libro Vitæ, Mortis, Monumenti.* Ibid. eodem anno.

*Epiſtola*, ad amicum Italum, *De diſſidio Proteſtantium Hollandorum in negotio Religionis.* Ibid. 1627.

*Caſtigatio Conſcientiæ* JESUITICÆ *cauteriatæ, confictæ in Hollandia* Ibid. 1617.

*Admonitio de cauteriata Jeſuitarum Conſcientia*, ad Jac. Laurentium, *Caſtiga-*

*tienis Sandæanæ Examinatorem.* Ibid. 1619.

*Hyperbole & Castigatio prodigæ Jesuitarum Liberalitatis, in Hollandia confictæ.* Moguntiæ, 1619. typis Joan. Albini.

*Demonstratio, Quod in fide Protestantium Hollandorum non sit salus.* Herbipoli, 1618.

*Hydrus Hollandicus*, id est *Controversiarum Hollandicarum*, libri IV. Ibid. 1618. & 1619.

*Anacephalæosis doctrinæ de Prædestinatione: de convenientia ac differentia Catholicorum, Gomaristarum & Arminianorum seu Calvinistarum Hollandiæ.* Ibid. 1619.

*Considerationes XXII. de Synodi Dordrechtanæ in Hollandiæ celebratæ emolumentis.* Ibid. 1620.

*Commentatio Academica, de Denario Cordis Episcopi Herbipolensis* Julii, *Franciæ Orientalis Ducis.* Ibid. 1618.

*Disceptatio Theologico-politica de Rege Romanorum.* Ibid. 1616.

*Thema sæculare de Jubilæo Lutherano ac Synagoga Protestantica.* Moguntiæ, 1618.

*De Jubilæo Clericali Canonicorum.* Bambergæ, 1624.

*Grammaticus profanus*; in quo ostenditur, quantum obfuerit sinceritati fidei, Litteratorum superbè sapientium profanitas in omnibus pœnè Religionis Controversiis, contra *Erasmum*, *Scaligerum*, *Drusium*, *Casaubonum* &c. Herbipoli, 1621. 8.

*Plato Christianus*, sive *de Morte* libri IV. in quibus Symbola Mortis CXLV. Moguntiæ, 1624.

*Theologiæ variæ* libri IV. de Theologiæ tum profanæ, tum sacræ ortu, progressu, & utriusque arcanis &c. Ibid. 1614.

*Theologiæ Symbolicæ* libri IV. Ibid. 1626.

*Theologiæ Mysticæ* libri III. Ibid. 1627.

*Theologia Juridica*; sive *Jurisconsultus Christianus*, libris VI. in quibus materia omnis de contractibus humanis ex utroque Jure Euangeliis Dominicalibus accommodatur. Ibid. 1629.

*Theologia Medica*, sive *Medicus Christianus*, libris III. in quibus Principis quà Ecclesiastici quà Politici officia, exemplo Medici, declarantur &c. Coloniæ, 1635.

*Elogium Constantiæ Colonienſis in asserenda Religione Catholica.* Ibid. 1645.

*Symbola Vitæ humanæ CXXVII. notulis Theologicis explicata.* Francof. 1627.

*Mundus Fallax.* Moguntiæ, 1631.

*Aviarium Marianum:* Orationes VII. ad Sodales B. Virg. habitæ, desumptâ materiâ ab Avibus. Francof. 1627.

Maria *Flos-mysticus*: Orationes VI. desumptâ materia à Floribus. Moguntiæ, 1629.

Maria *Patrona:* Orationes VI. de Patrocinio. Ibid. 1630.

Maria *Gemma-mystica*: Orationes VI. sumptâ materiâ à Gemmis. Ibid. 1631.

Maria *Luna-mystica*: Orationes VI. desumptâ materiâ à Luna. Coloniæ, 1634. typis Joann. Kinckii.

Mariæ *Creaturarum Dominæ Mancipium*: de modo dedicandi se Deiparæ in mancipium. Ibid. 1634.

*Oratio Dominica multiplici Meditationum ferto coronata.* Ibid. 1634.

*Salutatio Angelica*, *multiplici Precularum*, *Hymnorum*, *Endologiarum ferto coronata.* Ibid. 1637.

Maria *Sol-mysticus*: Orationes VI. desumptâ materiâ à Sole. Ibid. 1636.

Maria *Mundus-mysticus*: Sermones VIII. desumptâ materiâ à Mundo. Ibid. 1639.

Maria *Pacificatrix Mundi.* Ibid. 1639.

*Pædia Academici Christiani*, *Palestra Pietatis eruditæ.* Ibid. 1638.

*Clavis Theologiæ mysticæ*, sive *Onomasticum vocabulorum & Elucidarium locu-*

*tionum obſcurarum, quibus Doctores Myſtici utuntur.* Ibid. 1640.

*Artifex Euangelicus:* Symbola ab artificibus omnis generis deſumpta &c. Item *Jubilum Societatis Jeſu ſæculare.* Ibid. 1640.

*Admiranda Purgatorii, Sermonibus ſacris delineata.* Ibid. 1643. 12.

*Chriſtus crucifixus, honoratus.* Coloniæ 12. 1644.

*Palæſtra amantium, colentium, imitantium Chriſtum.* 12. Col. 1647.

*Societas Jeſu amatrix, cultrix, imitatrix Chriſti crucifixi, occupatio Amatoris Crucifixi.* 12. Antv. 1647.

*Hiſtoriæ ſtaurophylorum Libri* 50 *Chriſtum crucifixum amantium, colentium & imitantium, ac Cruce Domini piè utentium.* 4. Col. Agrip. 1653.

*De gemitu animarum Purgatorii.* 1644. &c.

Demum exaratis 78. Opuſculis, partim Controverſias, partim Theologiam Moralem ac ſpiritualem ſpectantibus, ſcribendi ac vivendi finem habuit die 2. Novembris 1656. ætatis anno LXXVIII.

## MAXÆMILIANUS THIEULAINE,

Atrebas, Religioſus Vedaſtinus, Ordinis S. Benedicti, edidit

*Manipulum Exemplorum*, auctore *Joanne du Fay*, indicatis ex fide ſingulorum Auctoribus.

## MAXÆMILIANUS VIGNACOURT,

Patricius Atrebatenſis, & Palatinus Regius, dedit

*Διήνεκη in res Belgicas anni M. D. XCVIII.* Antverpiæ, 1598. 4.

*De Cauſis, Calamitatibus & Remediis Tumultuum Belgicorum.* Atrebati, 1593. apud Guil. Rivium, 8. gallicè.

*Juſta* quoque *Juſti Lipſii Manibus* perſolvit, Threnodiâ, Næniâ, Paracleſi. Lovanii, 1606. 4. apud Joan. Maſium. Varia præterea Carmina luſit, σποραδὴν ſparſimque edita.

Obiit Lovanii, anno 1620. die XXI. Novembris, ſepultus in D. Petri, ante Altare Virgini Deiparæ ſacrum.

## MAXÆMILIANUS VILLANI A GANDAVO,

Illuſtris natalibus, virtute illuſtrior, Tornacenſibus Præſul datur anno 1614. ac poſt biennium inauguratur.

*Orationes funebres* duas Tornaci habuit in exequiis Principum noſtrorum Alberti & Iſabellæ.

Verſibus gallicis ſcripſit in Pſalmum CXXXVI. *Super flumina Babylonis.*

Inſtructionem vulgavit: *contra diabolicas ſuperſtitiones.*

*Synodi Diœceſanæ* novies congregatæ *Statuta*, in unum volumen collecta, iterum publicavit anno 1643. unà cum *Statutis* Prædeceſſorum ann. 1254. & 1317. ac *Rituali* Epiſcopi Vendevillii. Extant reimpreſſa in Summâ Statutorum Synodalium Tornacenſium, anno 1726. Inſulis, in 8.

*Brevem Commentarium in VII. Epiſtolas Chriſti ad ſeptem Angelos, id eſt, Epiſcopos Eccleſiarum Aſiæ*; in gratiam Parochorum omniumque ſuæ Diœceſis fidelium, collegit, in 12. Tornaci apud Quinque 1641. *Glaphyram* a *Guilielmo Lindano*, quondam Ruremundenſi Epiſcopo editam, imitari voluit Præſul *Villanus.*

*Speculum Sacerdotum.* 12. Tornaci 1634.

Demum Tornaci, urinæ difficultate & calculo extinguitur optimus Antiſtes, die 29. Novembris 1644. annos natus 74. Jacet retro altare majus, hac inſcriptione donatus.

Digitized by Google

D. O. M.
Illuſtriſſ. ac Reverendiſſ. Dominus
MAXIMILIANUS VILLANI
A GANDAVO,
Tornacenſis Epiſcopus.
Hic ſitus eſt.
Qui ſingulari in Deum pietate,
In patriam affectu,
In egenos & fidei cauſâ
Extorres, munificentiâ,
Huic Eccleſiæ per annos XXX.
Præfuit.
Hoc, ex adverſo,
Piandis animabus propitiatorium,
Corpori ſuo conditorium,
Vivens poſuit.
Cujus virtutes
Noſtra vidit & laudavit ætas,
Poſtera in exemplum ſumet.
Deceſſit III. Kal. Decembris
Anno M. D. C. XLIV. ætat. LXXIV.
Viatores, ex defuncti ſcito,
VIGILATE ET ORATE.

## MAXÆMILIANUS VRIENTIUS,

Natus eſt anno 1559. Kalend. Februarii, Zandenburgi in aula Verani Principis: S. P. Q. Gandenſi à Secretis, Poëta inter Belgarum primos, in Epigrammatis lepidus & feſtivus, in Anagrammatiſmis felix & ſubtilis, in Elegiis facilis & ſibi ſemper æqualis, in Heroïcis ſerius & verè heroïcus. Varia luſit, quorum pars typis edita, pars videre lucem geſticbat; ſi per acutiſſimos dolores podagricos ad amatas redire Muſas licuiſſet: qui *Vrientio* vitam, ſcriptis lucem inviderunt, anno 1614. vr. Kal. Januarii.

Gandavi ſepultus eſt apud Dominicanos, hoc Epitaphio, humi in parvo quadrato ſaxo albo.

MAXÆMILIANI VRIENTII.
Quod condi poterat,
Spe reſurrectionis hîc jacet.
Obiit XXVII. Decembris.
M. D. C. XIV.

JACOBUS ZEVECOTIUS, concivi ſuo ſequens luſit:

*Quem Charites, viduæque gemunt cum Pallade Muſæ,*
VRIENTIUS *hoc ſurdo conditur in tumulo.*

Extant hæ lucubrationes Vrientii.

*Deſcriptio Pompæ & Gratulationis publicæ Alberti & Iſabellæ Belg. Principum, ad inaugurationem à S. P. Q. Gandavenſi decretam.* Antver. typis Plantin. 1602. fol.

*Epigrammatum & Anagrammatum* libri IX. Antver. typis Trognæſii, 1603. & Ingolſtadii, 1607. 8.

*Flandriæ Comitatus, & Brabantiæ Ducatus Urbes.* Lovanii, 1614. 8. apud Rivium.

*Carminum Sacrorum* libri II.

*Elegiarum* liber ſingularis. Ibid. 1614. 8. apud Chriſtoph. Flavium.

Natalem diem, & Vitæ ſuæ curſum ipſe *Vrientius* Elegiâ quadam decurrit, è qua hanc ſeriem propono.

*Chriſte, meus Natalis adeſt, tibi gratia, Chriſte,*
*Cujus ab auſpicio lux redit iſta mihi:*
*Ultima lux* JANI, *geniali luce fruendum*
*Jam decimum luſtrum quæ mihi læta vehit.*
*Naſcentem excepit* Verani Principis *Aula,*
*Nomine dignatus me fuit ille ſuo,*
*Ille potens Veræ & Fliſſingæ Marchio, Cattus.*
*Cuius in imperio Mattiacuſque fuit.*
*Flandria mox natum, proavitaque* Ganda *recepit,*
*Illa mihi nutrix, & ſchola prima fuit.*
*Intendit digitum* Kerckhovi *cura Magiſtri*
*Aonas ad fontes, Pieridumque nemus.*
Lovanium *Sophiâ, leviterque* Lutetia *Jure*
*Tinxit, in Italiam dum vagus error agit.*

*Hic ego* Parthenopen Romanaque *mœnia vidi*,
*Et* Venetûm *fines*, Euganeoſque *ſinus.*
*Inde iterum dulci me* Ganda *reſorbuit æſtu*,
*Multa ſolo paſſum tœdia, multa mari.*
*Accipit incolumem genitrix gratantibus ulnis*,
*Patre pio erepto menſibus ante tribus.*
*Defuncti officium, Dominâ invitante, reſumo*,
*Hic ſtetit, hei, ſtudiis ultima meta meis.*
Harduina *inde ſuis juvenem me cepit ocellis*,
*Intactum cunctis antè cupidinibus.*
*Concordem thalamum diſcordia publica læſit*
*Immerito exſilio, carcere, & obſidio.*
*Omnia conſtanti quæ mente tenellula conjux*
*Paſſa diu, puerum dum parit, ipſa perit.*
*Felix illa, polo cum prole recepta, ſepulta*
*Corde meo, & ſemper carmine viva meo.*
Vytia *poſt viduum me torruit igne ſecundo*,
*Signantem patrii publica ſcita fori.*
*Illa mihi jam nunc luſtris propè quinque cohæret*;
*Dî tribuant, oculos claudat ut illa ſeni.*
*Aut ſoror, aut cari patris unica filia, nuptam*
Cruyckenburgiacus *quam ſibi duxit herus.*

## MAXÆMILIANUS WITTEBORT,

Montenſis, vir ingenio moribuſque elegantibus, Doctoralem in utroque Jure titulum Lovanii, anno 1616. accepit: indeque ad Concilium Hannoniæ ordinarium (Audientiam vocant) accitus eſt, moriturque nondum quadriennio in ea functione exacto, anno 1624. Legitur illius

*Oratio Panegyrica de Aſſumptione Virginis-Matris*, Lovanii habita, 1619. typis Dormalii, 4.

Item altera, in funere *Petri Gudelini* J. U. D. & Prof. dicta.

## MELCHIOR BARLÆUS,

Antverpianus, *Gaſparis* frater, Poëta egregius, edidit

*Brabantiados* libros V. & *Antverpiæ Encomium.*

*De Diis Gentium* libros II. verſu Elegiaco. Antverp. 1562. typis Ægidii Coppenii.

*Bucolica*; *& Raptum Ganymedis.* Ibid. 1572. 8.

*Orationem de Vitæ humanæ felicitate:* cum adjuncto Carmine *de rerum humanarum viciſſitudine*, ad Gaſparem fratrem. Ibid. typis Plantin. 1566. 8.

Extitit ejuſdem *Trajectum captum*, ad Nicolaum Schetum, Gaſparis filium, manuſc. Antver. apud Gaſp. Gevartium.

## MELCHIOR DAELHEMIUS,

Haſſeletenſis, Eburo, Ord. Eremit. S. Auguſtini, Bruxellis & Lovanii annos plures juventutem inſtituit. Carmen pangebat non infeliciter, amœnum & venâ facili; nec proſâ oratione inamœnus erat, aut difficilis. Vivere deſiit anno 1636. die 13. Februarii, ætatis 56. Edidit

*Panegyrin duplicem, I. Pro Gymnaſio Bruxellenſi*, ad Senatum Bruxellenſem.: alteram ad *Folcardum van Achelen*, Concilii ſanctioris Aſſeſſorem.

*Epicedium in obitum Mariæ Deckheriæ, Joannis van Pede*, in Brabantico Senatu Conſiliarii, ex filia neptis. Lovanii, typis Haſtenii, 1624. 4.

*Comœdias* ac *Tragœdias* plures apud ſuos cum applauſu exhibuit; aliaque *Carmina* amicis ſine numero ſcripſit:

quorum nulla editio prodiit, auctore præmaturè Haſſeleti vivis exempto.

Denique *Georgii Maigretii* libellum De Inſtitutione ac dignitate Confraternitatis Cincturatorum S. Auguſtini, gallicè ſcriptum, latinè interpretatus eſt, hoc titulo: *Arca honoraria Chriſti ac Sanctorum, ortum auctumque Zonigeræ Sodalitatis S. Auguſtini continens* Ibid. typis Haſtenii, 1618. 8.

## MELCHIOR FOKKENS,

Amſtelodamenſis Batavus, idiomate ſuo evulgavit

*Hiſtoriam Urbis Amſtelodamenſis.* 12. ibid. 1662.

## MELCHIOR NEIPIUS,

Ex Bredene, (qui pagus eſt in Franconatu Brugenſi apud Flandros) Preſbyter & Paſtor in patria, ac Pauli Leopardi diſcipulus, ut ipſe innuit Adagio XLIX. Collegit *Adagia* aliquot, poſt Eraſmum, Junium, & alios. Pariſ. 1571. fol. cum Eraſmi Chiliadibus; & Antverpiæ cum Giſelinianis.

## MELIOR STOCKIUS,

Batavus. Vide ſupra AMILIUM STOKE.

## B. MENKO,

Friſius, Præmonſtratenſis Inſtituti Religioſus in Abbatia Werumenſi ſive Horti Floridi apud Ommelandios in Provincia ac Diœceſi Groningenſi. Anno 1242. è Priore Abbas electus, rexit ad 1288. quo mortuus eſt.

Cum literis excultus eſſet *Menko*, ſcripſit *Chronicon ſui temporis* ab anno 1237. ad 1273. quod è MS. Codice erutum luci dedit *Antonius Matthæus* J. U. D. Lugd. Batav. 1699. in 8. Tomo III. à pag. 162. ad 275. Cui Appendix ab Anonymo uſque ad annum 1297. adjecta, ad pag. 309.

Eſt autem *Continuatio Chronici B. Emonis*, primi Abbatis Horti Floridi; de quo, ut & de utriuſque Chronici editione novâ, curis Abbatis *Car. Ludov. Hugonis*, vide ſupra pag. 261.

## MENELAUS WINSEMIUS,

Leovardienſis Friſius, Pierii Winſemii celeberrimi Hiſtoriarum & Eloquentiæ Profeſſoris in Academia Franekerana frater, & ipſe in eadem per annos 23. Medicinæ, Anatomiæ Botanicesque Doctor ac Profeſſor, claruit anno 1600; ediditque

*Compendium Anatomiæ*, Diſputationibus XXX. ſub ejus præſidio in Academia Friſiorum propoſitum. Franekeræ apud Ægidium Radæum 1605. in 4.

In templo primario Franekerano extat hoc ejus Epitaphium.

Vita circenſe curriculum.
D. S.
Æternæ memoriæ
CL. V. MENELAI WINSEMII
Med. Anat. Botan.
Per annos XXIII. Profeſſ. celeb.
Fratris unici & deſider. mœſt. P.C.

*Jactet Apollineos ſubtilis Græcia Myſtas,*
*Extollat Coos Pergameoſque ſenes.*
*Roma ſuum Graiis componat libera Celſum,*
*Et ſibi bis natum vendicet Hyppocratem;*
*Hic tibi Pergameum donavit Græcia civem,*
*Hic dedit & Cois te quoque poſſe loqui.*
*Hic tibi Romani detexit dogmata Celſi,*
*Nomen ut è Graiis duceret & Latio.*

Pierus Winſemius,
Illuſtr. Ordinum Hiſtoriogr. Eloqu. & Hiſtor. Profeſſor.

## MICHAEL ANGLICUS,

Belli-Montanus, Hanno, J. U. Profeſſor, & Poëta, ſcripſit

*Eclogarum* libros IV. ad Epiſc. Pariſienſem.

*Eclogarum* libros II. ad Lud. Villerium.

*De mutatione ſtudiorum* lib. I.

*Elegiam deprecatoriam*. Et alia, quæ Pariſiis ſunt typis edita. Hujus eruditionem & Poëmata Baptiſta Mantuanus, & Joannes Raviſius Textor epigrammate commendarunt: hic etiam in Epithetis ſuis *Anglici* auctoritatem non ſemel adducit.

## MICHAEL BAIUS,

Melini in territorio Athenſi, anno 1513. natus, cùm primùm per ætatem licuit litteris & ſtudiis melioribus ſe dedit, & puer admodum Lovanium veniens, in Porcenſi ibidem Gymnaſio biennali curſu decurſo, inter Philoſophiæ candidatos anno 1535. tertium locum obtinuit. Hinc Collegii Pontificii alumnus, câ modeſtiâ, morumque gravitate inter contubernales ſuos per totum quinquennium vixit, ut qui Standonicæ Domui præeſſet dignior inventus ſit nemo. Hìc triennio rexit; ſolidoque inde ſexennio Philoſophiam in Porcenſi Pœdagogio docuit, pari fructu & laude.

Anno 1545. Licentiæ Theologicæ laureâ inſignitum, Pontificium Adriani VI. Collegium Præſidem accepit; Carolus V. Cæſar ſacrarum Litterarum Profeſſorem conſtituit; Academia Doctorali purpurâ anno 1550. v. Kal. Julias donavit; Philippus Rex Catholicus, Tridentum, unà cum *Cornelio Janſenio* & *Joanne Heſſelio*, anno 1563. miſit. Hìc ad illum velut ad oraculum itum eſt, quâ erat ingenii celebritate, judicii profunditate, doctrinæ excellentiâ. Lovanium abſoluto Concilio reverſus, tandem anno 1575. *Joanne Molinæo* vitâ functo, in D. Petri Decanus, & triennio pòſt Privilegiorum Academicorum Conſervator eligitur.

Quâ in dignitate conſtituto, de morum modeſtia, puero ingenita; de victus temperantia, quæ in eo ſemper viguit; de pietate, quæ pia meditanti, & ſacris quotidiè operanti lacrymas frequenter excuſſit; nihil deceſſit. Sibi ſemper ſimilis, vultu gravitatem, ſed urbanitati mixtam, præferebat; in colloquiis lepidus & facetus; in facetiis gravis & eruditus: omnibus affabilis, benignè audiebat omnes, comiter reſpondebat omnibus. In ſacrarum litterarum Profeſſione Patrumque lectione aſſiduus erat; è quibus cùm clariſſimum illud Eccleſiæ ſidus D. Auguſtinum nonies totum attentè legiſſet, invenit tamen ſemper, quod ruminaretur. *Hactenus Valerius Andreas.* Qui cum de condemnatione Propoſitionum Baianarum nullam fecerit mentionem, addi hîc debent ſequentia.

Itaque dum Baius, ex Auguſtino multum lecto, ſed parum feliciter intellecto, nova quædam lectionibus Tractatibuſque Theologicis dogmata interſperſit, â mente Eccleſiæ aliena, exortæ ſunt in Belgio contentiones graviſſimæ. Hinc anno 1567 Kalendis Octobris Pius V. Pont. Bullam edidit, quâ LXXIX Propoſitiones, pleræque ex Operibus Baii excerptæ, *quamquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent* (Verba ſunt Bullæ) *in rigore & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento, hæreticæ, erroneæ, ſuſpectæ, temerariæ, ſcandaloſæ & in pias aures offenſionem immittentes, reſpectivè damnantur.* Publicata fuit Bulla Lovanii anno 1570. die 16 Novembris.

Id-ipſum Gregorius XIII. Pont. Pii V. Succeſſor, anno 1579 die 29 Januarii, per novam Bullam confirmavit. Hanc Lovanium attulit, rituque ſolemni publicandam curavit *Franciſcus Toletus*

*Michael Bayus, ab Atho,*
*S.T.D. Lov. Eccl. D. Petri Decanus,*
*Obiit XVI. Decembr. 1589. Et. Ao. 77.*

Digitized by Google

*Toletus*, Soc. Jesu Theologus, Pontifici tunc à concionibus, postea S. R. E. Cardinalis. Ipse Baius, unà cum reliquis S. Th. Magistris, acquievit, Bullam reverenter suscepit, agnovitque ex rejectis Articulis multos à se traditos eo sensu quo damnabantur, omnesque jure fuisse damnatos. Fertur proinde *Toletus* palam dixisse, *nihil se vidisse Baio doctius, nihil Baio humilius.*

Attamen non defuerunt è discipulis Baii, qui præfatas Bullas Pontificias siniströ interpretarentur : indeque natum effugium *famosi commatis* ; quo omisso, dicebant aliqui, *nonnullas ex damnatis Baii Propositionibus posse sustineri in rigore & proprio verborum sensu.* Sed & hęc interpretatio S. Sedi semper displicuit. Porrò è Bajanismo pullulavit Jansenismus, indeque velut coluber tortuosus prognatus serpsit Quesnellismus.

Opera *Michaelis Baii*, hæc sunt.

*De meritis Operum*, libri II.

*De Prima hominis Justitia, & Virtutibus impiorum*, libri II.

*De Sacramentis in genere* ; contra Calvinum.

*De forma Baptismi.* Lovanii simul edita. 1565. 8. apud Joan. Bogardum.

*De libero hominis arbitrio*, liber I.

*De Charitate, Justitia, & Justificatione*, libri III.

*De Sacrificio*, liber I.

*De Peccato Originis*, liber I.

*De Indulgentiis*, liber I.

*De Oratione pro defunctis*, liber I. Omnia ibid. 1566. Atque hæc Lovanii excusa, recudi auctor postea noluit, postquam intellexit in iis quædam à Pio V. Pont. Max. damnata fuisse.

*Responsio ad Quæstiones* Philippi Marnixii, *de Ecclesia Christi, & Sacramento Altaris.* Ibid. typis Pet. Zangrii, 1579. 8.

*Apologia pro Responsione, contra Objectiones ejusdem, de veritate Corporis Christi in Eucharistia.* Ibid. 1581. 8. & cum aliis pro eadem Responss. Apologiis. Coloniæ 1583. 8. Lovan. 1590. 4.

Epistola, ad Ambrosium Lootsium Abbatem Parcensem, *de Statuum Inferioris Germaniæ unione cum iis, qui se Desertores Romanæ Ecclesiæ vocant : & de Juramento, quod eorum jussu à Clero & Monachis exigitur.* Lovanii & Coloniæ, 1579. 8.

*Epistola*, ad Doctorem Petrum Castillo, *de Juramento, jussu Ducis Alenzonii, Antverpiæ in Prætorio concepto & comprobato.*

In celebri quoque *Censura Lovaniensi*, quæ anno 1585. contra Articulos *Lessii & Hamelii* prodiit, magnam partem habuit Baius, licet tunc prope decrepitus.

Anno 1696. prodiit in Hollandia, mentitis typis Coloniæ Agrippinæ, nova Editio Operum omnium Michaelis Baii, curis & auspiciis P. *Paschasii Quenelli* è Congregatione Oratorii Gallicani & *Gabrielis Gerberonii* Monachi Benedictini è Congregatione S. Mauri, hoc titulo.

„ Michaelis Baii in Lovaniensi Academia Theologi Opera ; cum „ Bullis Pontificum & aliis ipsius Causam spectantibus, jam primùm „ ad Romanam Ecclesiam ab conviciis Protestantium, simul ac ab Arminianorum cæterorumque hujusce „ temporis Pelagianorum impostoris „ vindicandam collecta, expurgata, „ & plurimis quæ hactenus delituerant Opusculis aucta : studio A. P. „ Theologi. 4. Coloniæ Agrippinæ „ 1696.

Verum paulò postquam prodierat hæc nova Editio, Romæ fuit prohibita die 8. Maii 1697. Decreto S. Congregationis Indicis Tridentini.

Obiit *Michael Baius* Lovanii anno 1589. XVI. Kal. Octobris, annos natus LXXVII. Defunctum pro funere laudarunt *Joannes Bernartius* J. C. & *Jaco-*

*bus Baius*, Doctor Theologus, patruum nepos: qui eidem patruo suo in Sacello Collegii Pontificii, ubi sepulturam elegerat, monumentum sepulcrale posuit, ut sequitur.

Hic jacet sepultus
Egregius Vir, D. ac M. N.
MICHAEL DU BAY, Athensis,
Ecclesiæ Collegiatæ D. Petri Lovanii
Decanus,
Universitatis Cancellarius
Et Conservator,
Generalis per Belgium Inquisitor,
Regius S. Theologiæ Professor,
Et Collegii Pontificii Præses.
Decessit XVI. Decembris
Anno M. D. LXXXIX.
Decanatûs anno XIV.
Professionis XL.
Animæ quietem, Lector, precare.

❖ ❖ ❖

Historiam Bajanismi gallicè edidit, Notisque historicis, chronologicis, ac criticis illustravit *Joan. Bapt. Du Chesne*, Gallus, S. J. Theol. 4. Duaci 1731.

## MICHAEL BOUDEWYNS,

Antverpiensis, Medicinæ & Philosophiæ Doctor, Urbis suæ & Nosocomii Pensionarius, Anatomiæ & Chirurgiæ Prælector, & Collegii Medici ibidem Præses, novâ sed doctâ methodo Theologiam medicè, seu Medicinam theologicè pertractavit, edito ad normam Summæ D. Thomæ Aquinatis Opere, cùm Theologis & Confessariis, tùm maximè Medicis per-quam necessario; cui titulus,

*Ventilabrum Medico-Theologicum, quo omnes casus, tum Medicos, cùm ægros alioſque consternentes eventilantur, & quod SS. PP. conformius, Scholasticis probabilius, & in conscientia tutius est, secernitur.* 4. Antverpiæ apud Corn. Woons 1666.

Fuit quoque Author principalis *Pharmaciæ Galeno-Chymicæ Antverpiensis, jussu & sub auspiciis Magistratus editæ*; 4. Antver. anno 1661.

Item libelli vernaculi, hoc titulo: *Oblectamentum fugatorium temporis pro infirmis.*

*Orationem* quoque *de S. Luca Medicorum patrono*, enunciavit, ac typis edidit

Apoplexiâ correptus interiit Antverpiæ die 29. Octobris 1681. terræ mandatus in Abbatiali Ecclesia D. Michaelis, in sepultura *Luca Heuvickx* avi conjugis suæ.

## MICHAEL COIGNET,

Antverpianus, Sereniss. Belgii Principum Alberti & Isabellæ Mathematicus, è Theatro Orteliano *Epitomen* concinnavit. Antver. in 4. formâ oblonga.

Scripsit & *Institutionem de Arte navigandi*, gallicè. Antver. 1581. 4. apud Jac. Henrici.

Item *de Cambiis*. Ibid. 1573. 8.

Laudat verò *Coignetum*, ut in universa Matheſi exercitatissimum, Adr. Romanus Præfat. Ideæ suæ Mathematicæ; itemque *Organa Mathematica* atque *Horologia* ab eodem constructa, & justo volumine conscripta. Adhæc *Arithmetica*, *Geometrica*, *Stereometrica*, *Geodetica* & *Astronomica* variis linguis conscripta, & singulari doctrinâ referta; è quibus pleraque nunquam edita Mæcenatem exspectarunt, qui in lucem produceret.

Obiit auctor anno 1623. die XXIV. Decembris, in D. Jacobi depositus, hoc Epitaphio.

D. O. M.
Et memoriæ Doctissimi Viri
MICHAELIS COIGNET Antverpiensis,
Mathematici Sereniſſimor. Principum
ALBERTI ET ISABELLÆ
Archiducum Austriæ Ducum Brabātiæ
Obiit XXIV. Decembris
M. D. C. XXIII. Ætatis LXXIV.



# MICHAËL WYNS

PATRIÆ SVÆ CELEBERRIMÆ VENSIS MEDIC. ET PHILOSOPH.
DOCTOR PENSIONARIVS, ANATRVRGIÆ PRÆLECTOR,
HOSPITALIS S.^TA ELYSABETHÆ NARIVS ET COLL. MED. PRÆSES.

*Abrahm a Diepenbeeck delineavit excudi mandavit.* *Petrus Clouwet sculpsit.*

Digitized by Google



Digitized by Google

Et MAGDALENÆ MARINUS,
Ejus ſecundæ Conjugis,
Quæ obiit IX. Julii M. D. C. LXIII.

## MICHAEL CUVELIER,

Sonegienſis Hanno, Societati Jeſu adſcriptus Mechliniæ anno 1618, dein docuit in Germania Matheſim, Ethicam, Philoſophiam, & adjunctus Philippo Wilhelmo Principi Neoburgico, primum à diſciplinis Mathematicis, dein à ſacris Confeſſionibus, ſecutus illum eſt ad Cæſarem, ad Regem Poloniæ, & in Belgium. Demum vitâ functus eſt Coloniæ 10. Decembris 1651. ætatis 51. Scripſit

*Annonam ſpiritualem, ſeu Meditationes ſuccinctas per anni curſum.* Coloniæ 1646. Antv. 1666. & alibi

*Ideam Viri Apoſtolici Avilæ.* Colon. 1650. aliaque aſcetica.

## MICHAEL FLORENTIUS A LANGEREN,

Coſmographus ac Mathematicus Regius, primùm Bruxellis, dein Matriti in aula Philippi IV. Hiſp. Regis vixit, ediditque hiſpanico idiomate

*La verdadera longitud por mar y tierra demonſtrada y dedicada à ſu Mageſtad Catholica Philippo IV.* 1644. in 12. Eundem librum Author exiſtens in Belgio, prius obtulerat Sereniſſ. Infanti Iſabellæ.

*Tormentum bellicum triſphærium, quo tres ordine globi ex eodem tubo explodunter* primus adinvenit *Langrenus*, ediditque *Ericius Puteanus* in ſua *Munitionum Symmetria*, fol. Brux. 1640.

Edidit quoque Langrenus folio magno *Planis-Sphærium Lunæ*, à ſe mediantibus telescopiis obſervatum, ibique diverſas quaſi regiones, ſylvas, lacus &c. ſpeculatus, Icones obtulit Archiduci *Leopoldo* Belgium moderanti. Narrant autem, Principem hunc *Langreno* lepidè reſpondiſſe: ſe pro mercede eum conſtituere Gubernatorem terrarum omnium, quas in Lunâ detexerat. Ille autem non minùs feſtivè repoſuit, ſeſe acceptare officium, ſi modo Princeps ineundo itineri *viaticum* ſuppeditaret.

## MICHAEL FRANCISCI,

Inſulenſis dictus, quia in vico de Templemart illius Caſtellaniæ natus erat anno 1435. Ordinem S. Dominici profeſſus eſt in Conventu S. Jacobi olim juxta muros Inſulenſes ſito. Theologiam audivit Pariſiis, ubi arctiſſimam cum celebri *Alano de Rupe*, tum ibidem Sententias prælegente, junxit amicitiam. Erectâ autem anno 1464, à Magiſtro Ordinis Generali, Congregatione Hollandiæ, huic ſe totum deinceps addixit, fautor ejuſdem inter primores ſtudioſiſſimus.

In Academia Colonienſi S. Th. Doctor renunciatus, Biblia ac Sententias ibidem prælegit, Scholæ Prædicatoriæ Regens: hinc Prior Valencenenſis & Inſulenſis, Congregationis Hollandicæ anno 1483. Vicarius Generalis, & anno 1493. à Magiſtro Ordinis ſui inſtitutus Fidei Inquiſitor generalis per omnes Provincias Belgicas.

Interea Maximilianus Auſtriacus Imp. *Michaelem* Philippi Principis unigeniti ſui Pœdagogum delegit anno 1490. cui jam adulto factus eſt ab eleemoſynis, à conſiliis atque à Confeſſionibus ſacris. Utque munia hæc majori cum authoritate adimpleret, ab Alexandro VI. Pont. creatus eſt anno 1496. Epiſcopus titularis Salubrienſis, ad ſacras aulæ Burgundicæ functiones deputatus, non autem ad Suffraganei Atrebatenſis munia, ut quidam autumant.

Ad regnum Hiſpaniæ tranſeunte anno 1500. Philippo Auſtriaco Belgarum Principe, alium ei *Michael Franciſci* ex eodem Prædicatorio Ordine obtulit Confeſſarium Fr. *Joannem Lampier*, Epiſcopum pariter Salubrienſem. Ipſe autem propter ingraveſcentem ætatem infirmamque valetudinem ab eo itinere excuſatus, receſſit Mechliniam ad Margaretam Caroli Audacis Burgundiæ Ducis Viduam, ſub cujus curis nepotes ſui Carolus ac Ferdinandus, Philippi I. nati Principes educabantur. Paulò poſt ibidem in fata conceſſit die 2 Junii 1502. laudatus Præſul, religione, pietate, doctrinâque variâ inſignis, ſummus ſuo tempore Theologus, magnoque tum apud Principes, tum apud omnes Belgii Burgundiæque proceres loco & honore habitus.

Cor ejus cum inteſtinis reconditum fuit Mechliniæ in templo PP. Carmelitarum: cadaver vero ad Inſulenſem profeſſionis ſuæ Conventum tranſlatum: ubi & olim, (priuſquam idem Conventus extra portas tunc ſitus ſolo æquaretur) lectum fuit hoc Præſulis Epitaphium.

Inſignis divino munere
Salubrienſis Epiſcopus,
D. F. Michael Frangisci,
Illuſtriſſ. Philippi Auſtriæ Archiducis
Ac Hiſpaniarum Principis
Digniſſimus Confeſſor & Conſul,
De Ordine Prædicatorum
Ex iſto Conventu Inſul. aſſumptus,
Deque S. Theol. Doctorum numero,
Nunc hîc in terra ſepultus,
Cœlorum regna contingat amœna.
Obiit anno M. D. II. die 11. Junii.

Plura de ejus muniis, virtutibus ac ſcriptis lege in Bibliotheca Scriptorum Ord. Præd. authore P. Echard, Tomo II. pag. 8. ubi hæc recenſentur.

*Quodlibetum de veritate Fraternitatis Roſarii ſeu Pſalterii B. Mariæ Virg. Conventûs Colonienſis, Ord. Prædic. pronunciatum Coloniæ in Scholis Artium tempore Quodlibetorum anno* 1476. *per* F. Michaelem de Inſulis S. T. P. *ejuſdem Ordinis, renovatumque poſtea per eundem anno* 1479. *ſequenti, propter certas cauſas in Prologo contentas.*

*Determinatio de tempore adventus Antichriſti ac de ejus ingreſſu in mundum, progreſſu & egreſſu: atque de novitatibus quæ de eo currunt:* quam habuit Author & pronunciavit in Aula F. Matthæi de Aquis, Coloniæ anno 1478.

*Deciſio Quodlibetica ſuper VII. principalibus B. M. V. doloribus, quos in hoc mundo de ſuo unigenito habuit; unà cum Officio de doloribus, ſeu Compaſſione B. V. Mariæ*, ab ipſo compoſito. Antv. apud Theodericum Martini. 1494. in 4.

*De Abuſibus Aulicorum*, ad Philippum Archiducem, Belgii & Hiſpaniæ ex uxore Joanna Principem. MS. extare dicitur in Bibliotheca Prædicat. Inſulis.

*Quadrageſimale & Adventuale, de Arte Moriendi*, quod *Mortis Cellarium aureum* nuncupatur: editum primò Antv. apud Gerardum Leeuw. 1488. in 4. dein rurſus, curante P. *Guilielmo Oonſelio*, Antv. apud Bellerum 1616, & Gandavi apud Kerchovium 1627. in 8. De quo vide Cenſuram P. Echard. in Bibliotheca Prædicat.

Dubito, num etiam illius ſit hic libellus: *Franciſci Ars Epiſtolandi.* Antverp. per Ger. Leeuw 1489. in 8.

Adſcribit quoque Simlerus in Biblioth. Geſneri aucta: *Commentarium ſuper Salve Regina*; ac Præſulem hunc traducit, *Roſarii B. M. cultorum, ſi quis alius, ſuperſtitioſiſſimum, quique B. M. V. majeſtatem ſupra jus faſque extulerit.* Contumeliam retuliſſe, refutaſſe eſt.

## MICHAEL VANDER HAGHEN,

Antverpiensis, Vir Nobilis, vixit in otio litterato, versus ut faciles ita & doctos ludere solitus, sparsim editos. *Poëmata* ejus omnia ad editionem parata adservarunt hæredes. Obiit dierum plenus in patria, anno 1617. die XXVII. die Augusti.

Ex ungue disce leonem; ex uno Epigrammate disce Poëtam: (ait de illo Swertius in Athenis Belgicis.) Sic aliquando in Gallos & Flandros lusit.

*Gallica gens nuper scenalibus edere ludis*
*Ausa fuit Flandros cordis habere nihil;*
*Et fit ob id Flandri chirurgica sectio, nec cor*
*Repperit, hinc Flander fabula totus erat.*
*Commota his Nemesis, quid Galli plauditis? inquit,*
*Restat adhuc Flandro fabula agenda sua.*
*Parva mora est: sine corde viri, quingenta animosæ*
*Corpora Gallorum & mille dedere neci.*
*Europæ emporium æterno id testabitur ævo.*
*I Galle, & Flandros nunc cor habere nega.*

Lipsium coluit, & ab eo quoque cultus non vulgariter. Amicitiæ mutuæ Symbolum ab eo scriptum, apponere visum est:

Amicus animo possidendus est;
Ait olim Seneca:
Ego apud te idem,
Mi VANDER-HAGHI,
Et testor, fide advocatâ,
Te huic animo infixum hærere,
Hæsurumque porro,
Donec in me ipsa anima.
Ita junxerunt nos Virtus
Et Doctrina melior, quam amamus,
Heu, quam inter æmulos paucos
Et rivales!
Sed tandem ex nostro scito
Moribus antiquis res stat Romana virisq.
J. Lipsius hæc scripsi
Ex animi mei sententia, Bruxellæ
II. Idus Octob. M. D. XCIII.

## MICHAEL VAN HECKE,

Gandavensis, Ord. Erem. S. August. S. Theol. Doctor creatus in Academia Duacena anno 1662. per Belgium sui ævi Ecclesiastes facundissimus, à Clemente IX. Pont. ad primam in Collegio Romano *Sapientiæ* Cathedram assumptus, ab Innocentio XI. in Congregationem de Propaganda Fide adlectus, & in gravissimis Ecclesiæ caussis sæpiùs Consultor. Romæ die 25. Septembris 1687. ætatis 69. diem clausit extremum. Varia reliquit, quæ vel MSS. Romæ latent, vel ibidem typis edita, huc usque non innotuerunt.

## MICHAEL HERBRANT,

Marcoduranus, Juliacus, Ord. Fratrum B. M. Virg. de Monte Carmeli, ac Cœnobii Crucenacensis in Diœcesi Moguntina Prior, vir, Eisengreinio teste, omni litteraturâ doctissimus vivebat anno 1440. scripsitque.

*Sermones de Tempore & Sanctis.*
*Collationes Synodales.*

## MICHAEL HILLENIUS,

Hooghstratanus, Antverpiæ sedem fixit, sub insignio Rapi, artemque typographicam ibidem post. *Adrianum à Liesvelt*, primus exercuit circa annum 1524. latinè græceque doctissimus; in libris edendis, notandis, præfatione illustrandis nulli suo ævo secundus.

## MICHAEL HOYERUS,

Ordinis Eremit. S. Augustini, na-

tus Heſdini in Arteſia anno 1593. ante ſuſceptum habitum Religionis Sacerdos ſæcularis, docuit annos aliquot Inſulis in Collegio S. Petri litteras humaniores; in Ordine verò functus eſt officio Præfecti Studiorum, docuitque Poëſin ac Rhetoricen in variis ſui Ordinis Collegiis; vir totus candidus, aliiſque virtutibus conſpicuus.

Obiit Inſulis apud ſuos die 14. Junii 1650. Edidit

*Flammulas amoris S. P. Auguſtini*, verſibus & iconibus exornatas. Antver. 1629. & auctiores, 1639. 12. apud Henr. Aertſium.

*Theatrum Caſtitatis*, ſive *Suſannam & Gammam Tragœdias*, aliaque *Poëmata*. Tornaci, apud Adr. Quinqué, 1631. in 8.

*Vitam S. P Ephraem Syri*, Scriptoris Eccleſiæ antiquiſſimi. Duaci, 1640. 12. apud viduam Marci Wyon.

*Orationem enconiaſticam de Sanctitate vitæ & divina ſapientia Joannis Duns-Scoti*; Doctoris Mariani & Subtilis. Ibid. typis Auroii, 1640. 4.

*Ideam Vitæ Religioſæ*. 4. Duaci 1640.

*Epicedion in obitum Ex. P. Henrici Lancelotti S. T. Doct.* Lov. Antverpiæ 1641.

*Tragœdiam, ſive S. Theodoram Virg. & Mart. Antiochenam*, cum aliis Poëmatibus. Antv. 1641.

*Hiſtoriæ Tragicæ ſacræ & prophanæ Decades X.* Coloniæ Agripp. 1647. & Brux. 1650.

## MICHAEL AB ISSELT,

Amersfortius, vix ex ephebis exceſſerat, & ſeverioribus ſtudiis aptus viſus eſt: miſſuſque Lovanium, Philoſophicis in Gymnaſio Porcenſi operam dedit. Pòſt ad Theologiam animum applicuit, & aliquamdiu ſeriò illi ſe ſtudio impendit: donec turbatâ patriâ domum reverſus, vicariam Paſtoribus operam in concionando aliiſque muniis ſæpè præſtitit.

Increſcente fanaticorum hominum rabie, viciniſque urbibus Ultrajecto & Amſtelodamo in Geuſiorum poteſtatem redactis, etiam Amersfortium communi procellâ involutum eſt. *Michael* itaque in exſilium ire juſſus, Coloniam Ubiorum ſe contulit. Hîc annos complures vixit, eâ comitate ac morum facilitate, ut multorum etiam Senatorii ordinis virorum amicitiam meruerit. Coloniâ Noviomagum; Noviomago pòſt à Geuſiis occupato Hamburgum conceſſit: ubi Italis quibuſdam mercatoribus concionando & Sacramenta Eccleſiæ adminiſtrando operam dedit.

Diem vitæ ibidem clauſit extremum, anno 1597. die XVII. Octob. in Monaſterio Veteri, juxta Hamburgum, quod eſt Monialium, conditus. Scripſit

*Hiſtoriam Belli Colonienſis* libris IV. Coloniæ, 1584. 8.

*Hiſtoriam Rerum memorabilium in Belgio, ſub Philippo II. Hiſpan. Rege, ab anno 1566. uſque ad annum* 1697. Ibid. 8. Quod opus Commentarii rerum toto orbe geſtarum *Laur. Surii* Appendix eſt, ad captam uſque Antverpiam: à capta Antverpia deinde deduxit, & *Mercurium Gallo-Belgicum* inſcripſit, fictitio nomine *Jacobi Doccomenſis*.

*Paradiſum Precum*, ex *Ludovici Granatenſis*, Ord. Prædicat. Opuſculis ſpiritualibus, aliorumque SS. Patrum, concinnatum. Ibid. 1589. 12.

Ejuſdem *Lud. Granatenſis*, Opuſcula ſequentia ex hiſpanico ſermone latinè reddidit,

*Exercitia in VII. Meditationes matutinas, & totidem veſpertinas.* Ibid. 1586. & 1591. 12.

*Ducem Peccatorum.* Ibid. 1587. & 1590. 12.

*De frequenti Communione* libellum

Ibid. 1586. & 1591. 12.

*De Vita* CHRISTI. Ibid. 1591. 12.

*De Devotione, Excellentia, Utilitate & Neceſſitate Orationis.*

Item *de Euchariſtia libros III.* Ibid. 1592. 12.

*De Oratione & Meditatione* libros IV.

Denique *Cornelii Muſſi*, Epiſc. Bitontini, *Conciones* ex Italico; quibus præmiſit ejuſdem *Muſſi* Vitam. Ibid. 1603.

## MICHAEL MALCORPS,

Foſſianus, Heliſſemienſis, Ord. D. Norberti, in Brabantia Religioſus, eleganti carmine Elegiaco conſcripſit

*Vitam S. Norberti*, Magdeburgenſium Archiepiſc. Leodici, 1599.

## MICHAEL NAVÆUS,

Vernaculè DE NAVE, Leodienſis, J. U. L. olim Lovanii quintus in Scholis Artium anno 1559. è Pœdagogio Porci, in quo & Philoſophiam publicè profeſſus eſt.

Hinc ſub Franciſco Richardoto Præſule Canonicus & Officialis Eccleſiæ cathedralis Atrebatenſis, ac tandem per annos multos Canonicus, Archidiaconus & Vicarius in ſpiritualibus Generalis Tornacenſis, octuagenario major obiit anno 1620. Scripſit

*Chronicon Apparitionum & geſtorum S. Michaelis Archangeli*, à morte auctoris editum Duaci per nepotem Mathiam Navæum S. T. D. ibidem, dein etiam Canonicum Tornacenſem.

Sepultus eſt in Æde Cathedrali Tornacenſi, hoc Epitaphio.

Hic jacet Venerabilis Vir,
D. MICHAEL DE NAVE,
Dictus NAVÆUS, J. U. Licent.
Eccleſiæ hujus Cathedralis
Archidiaconus & Canonicus,
Studiorum, aliarumque pietatum
Multarum amplis ex Fundationibus
Patronus; qui obiit Anno M.D.C.XX.
XX. Nov. ætatis ſuæ LXXXII.

✣ ✣ ✣

Ad memoriam patrui alluſit etiam nepos ejus *Matthias Navæus*, Toparcha de Conſtantin, hiſce verſibus.

*Fauſtè adprecare, ô Nervia,* NAVÆO
*In te tot annos Archidiacono.*
*Is namque Muſarum Patronus*
*Pro ſtudiis ſua quæque legat.*
*Poſtquam tuus per luſtra decem fuit,*
*Tandem beatam cœlo animam dedit.*
*Hoc corpus in templo eſt humatum:*
*Templa ſcholæque opibus fruuntur.*

## MICHAEL PALUDANUS,

Gandavenſis, natus anno 1593. die XXIII. Septembris, litteris politioribus in patria imbutus, Religionem Eremiticam Ordinis S. Auguſtini profeſſus eſt, in eaque, poſt abſolutum curſum Philoſophiam apud ſuos docuit. Doctor S. Theol. anno 1622. renuntiatus, Regens fuit Studii Provincialis, totiuſque Ordinis per provinciam Belgicam anno 1634. in Comitiis Tornacenſibus electus Rector, ac demùm Facultatis Theologicæ in Academia Lovanienſi Legens & Regens, ut recepto ibi vocabulo loquuntur, ordinarius: Vir (ut hoc unum dicam) à primis ætatis pubeſcentis annis, adulti ac maturi ingenii judiciique, voce ſtiloque elegans; ſive Philoſophiæ ac Theologiæ arcana è ſuperiori loco aperiret, ſive etiam ad populum de Verbo Dei verba faceret. Dedit

*Iſagogen* ſive *Introductionem Dialecticam*, Scholis Auguſtinianorum ſcriptam. Antver. typis Verduſſi, 1621. 8.

*Sacram & Theologicam Chronologiam, & Concordantiam temporum Regum Juda & Iſrael, à primo Iſraelitici populi Rege Saule uſque ad primum Perſarum Regem Cyrum.* Lovanii, typis Haſtenii, 1628. in 4.

*Commentaria ac Diſputationes in Primam Secundæ S. Thomæ Aquinatis, de Beatitudine, uſque ad Quæſt.* VI. Ibid. apud Cœneſtenium, fol.

S. AUGUSTINI *contra ſecundam Juliani Reſponſionem Operis imperfecti libros II. priores*, poſt primam anni 1617. editionem, dedit emendatiores. Ibid. 1642. 4.

*Veritas Bullæ Urbanianæ, demonſtrata in eo quod aſſerit in Auguſtino Janſenii multas è Propoſitionibus à Pio V. & Gregorio XIII. damnatis contineri.* 4. Namurci apud Jo. Godefrin. 1650.

*Appendix ad veritatem Bullæ Urbanianæ demonſtratam, ſeu Notæ ad Aurelii Aviti Molinomachiam, veriùs Urbanomachiam.* Eſt contra *Joann. Sinnichium* S. T. Doct. Lovan.

*Apologia pro Bulla Urbani VIII. Pont.* IN EMINENTI. *datâ Romæ anno* 1641 *contra Janſenium*: 4. Lovanii 1651.

*Tractatus de Fine & Beatitudine ex prima ſecundæ*, opus poſthumum, primùm editum Lovanii 1664. in fol.

*Poëmata varia* &c.

Obiit Lovanii die 17. Aprilis 1652, ætatis anno 59. profeſſionis 43. Sacerdotii 35. Doctoratus 30.

## MICHAEL ROUTART,

Atrebas, J. C. Regi Catholico in ſanctiori apud Belgas Concilio à Secretis, edidit Lovanii, 1628. 4. typis Phil. Dormalii librum, hoc titulo: *Oculus Hiſtoriæ*, ſive *Rerum, Temporum, Scriptorumque ab orbe condito ad noſtra tempora deſignatio.* Prodiit item Lovanii 1649. & Bruxellis 1659.

## MICHAEL A S. AUGUSTINO,

Aliàs dictus BALLAERT, Bruxellis natus 15. April. 1622. Ord. FF. B. M. V. de Monte Carmelo S. Theol. Profeſſor, Provinciæ Flandro-Belgicæ tertiò Provincialis, Gandavi, Bruxellis & alibi Prior, Definitor, Commiſſarius generalis &c. Edidit,

*Inſtitutionum myſticarum Libros IV.* 1. de pia vita in Chriſto pro incipientibus, proficientibus & perfectis. 2. de tentationibus eorumdem. 3. de Introductione ad vitam myſticam, & fruitiva praxi ejuſdem. 4. de totali abnegatione ſui, & de vita divina & Mariana, ac de adoratione Dei in ſpiritu. in 4. Antverpiæ 1671.

*Introductionem in terram Carmeli.* Bruxellis 1659.

*Exercitia decem dierum.* Ibid. 1677. in 12.

*Vitam Angelicam.* Ipris. 1681. in 12.

*Vitam Venerabilis Matris Mariæ Petit*, flandricè, II. Tomis in 4. Gandavi 1683.

Deceſſit in Conventu Bruxellenſi die 2. Februarii 1684. Religioſis omnibus, quos ſummâ dexteritate rexerat, relinquens ingens ſui deſiderium nec non ſanctitatis odorem, ac regularis præſertim obſervantiæ exemplum: quippe qui diu noctuque divina Officia frequentaverit, poſthabitis etiam graviſſimis occupationibus. *Ita habet Necrologium Carmelit.*

## MICHAEL SENESCHAL,

Bapalmenſis Artheſius, Societatis Jeſu Sacerdos, Concionator atque Theologus, ac Linguę Hebraïcæ & SS. Litterarum per annos plures Profeſſor apud ſuos in Academia Duacena; vitâ functus ibidem anno 1673, die 27. Februarii. Illius ſunt hæc:

*Trias Euangelica*, ſeu quæſtio triplex, de anno, menſe, die, Chriſti nati, baptizati, mortui. 4. Leodii 1669.

*Nobilis agon S. Florentii Martyris Peruſini.* 8. Duaci 1652.

*Epiſtola prolixa de vero anno & die expugnatæ Conſtantinopoleos à Turcis.* Præfixa eſt Kalendario Joannis Deſpierres S. T. D. Duaci 1657.

*Reſolutio*

*Resolutio Theologica de non fraudandis vectigalibus, quæ ab Ecclesiasticis exiguntur.*

*De Devotione erga D. Virginem dolorosam.* gallicè. Duaci 1663.

## MICHAEL VOSMERUS,

Delphius, *Adami Sasboldi* è sorore nepos, ac frater germanus *Sasboldi Vosmeri*, Archiepiscopi Philippensis, primique per Fœderatum Belgium Vicarii Apostolici; scripsit

*Vitam Adami Sasboldi*, Ord. Minorum Theologi.

*Responsionem adversus calumniam cujusdam de Sasboldi Scriptis.* Coloniæ, 1613. 4. cum *Sasboldi Homiliis*, & *Vosmeri* in eas Argumentis.

*De Diva Virgine & Cruce Salutari Delfica.* Coloniæ, 1629. à morte auctoris.

Obiit Vir pius & Catholicus, in patria anno Domini 1616. Kal. Octobribus.

## MICHAEL ZACHMOORTER,

Gandensis, S. Th. Licentiatus Duaci, & ad S. Martinum in Eckergemio Gandavi Pastor, illiusque districtus Archipresbyter, Vir pius, eruditus & pro domo Dei zelosus, scripsit flandrico idiomate libellum, quem *Thalamum Sponsi* indigetat. Antver. sæpiùs recusum: & alterum *Sponsum Sanguinum*, sive *Meditationes XX. in Passionem Domini.* ibid. identidem editum.

Obiit Decanus Ecclesiæ Collegiatæ S. Pharaildis Gandavi, anno 1660.

## MILO,

Elnonensis Monachus ad S. Amandum in Pabula, Ord. S. Benedicti, avunculus & magister *Hucbaldi* Elnonensis; vir eruditissimus & scientiâ litterarum clarus, docuit in Corbejensi Benedictinorum Cœnobio, & Carolo Calvo, Regi Francorum, in primis carus fuit. Scripsit, vel potiùs libro uno supplevit

*Vitam S. Amandi*, Episcopi Trajectensis, & Fundatoris Cœnobii Elnonensis, auctore *Baudemundo*, tertio Abbate Blandinienſi. Edidit eam Surius VI. Febr. uti & Hagiographi S. J. Tomo I. ejusdem Februarii.

Idem *Milo*, ad *Haiminum* Sacerdotem, eandem Vitam metricè descripsit libris IV. hoc initio:

*Festa propinquabant nostri veneranda patroni.*

Scripsit item *de Arte Metrica* librum.

*De Sobrietate* libros II. metricè, quos inscripsit *Utilia tela sacræ parcitatis ad Coquum Babilonis; de divinæ Scripturæ pharetris edicta.*

*De S. Cruce* Carmen hexametron duplex, in modum Sphæræ ingeniosissimè compositum.

*De Conflictu Veris & Hiemis*, Carmen item hexametron. Omnia MSS. Elnone ad S. Amandum. Vide etiam Oudinum de Scriptor. Eccles. Tomo II. pag. 325.

Obiit anno Dom. 871. in Cœnobio suo conditus, hoc epitaphio:

✣ ✣ ✣

MILO *Poëta, sophus cubat, hoc sub marmore clausus,*
*Carmine dulciloquus, qui librum* Sobrietatis
*Edidit, & sanctum pulcrè depinxit* Amandum,
*Floribus exornans, metro prosaque venustans,*
*Tanti Pontificis palmam capit atque coronam.*

# N

## NANNIUS FORESTUS,

VUlgo NANNING VAN FOREEST, Alcmarianus, Ordini Senatorum Supremi Conſilii Hollandiæ, quod Hagę-Comitum reſidet, adſcriptus anno 1582. poſt decennium vitâ functus eſt. Scripſit *Narrationem brevem Obſidionis Alcmariæ*, editam Delfis, 1574.

## NANNO,

Staurienſis, Friſo, Philoſophus, in ſeptem artibus excellenter imbutus, (ut verbis utar Joannis de Beka in Chronico Epiſcoporum Ultraject.) Floruit circa annum 880, & Præceptor fuit Radbodi XIV. Epiſc. Ultrajectini. Scripſit

*Commentarios in Ariſtotelem de Cœlo*, & *de Mundo.*

*In Ethicam univerſam.*

*In Platonem de Legibus*, & *de Republica.* Quæ aliquando in Bibliothecis Hollandicis ac Friſicis lecta fucrunt.

## NEBELUNGUS,

*Childebrandi* filius, *Pipini Herſtallii* ex Alpaide pellice nepos, ſcripſit

*Chronicon*, nondum typis editum, atteſtante Andrea Quercetano in ſua Burgundiæ Hiſtoria libro II. cap. I.

## NICASIUS BAXIUS,

Antverpianus, *Joannis* Senatoris filius, Ordinem Eremitarum S. Auguſtini amplexus, litteras politiores græcaſque apud ſuos Bruxellæ atque Antverpiæ annos multos tradidit: Vir accuratæ diligentiæ, conſtantis laboris, ſtudii indefeſſi. In Verſibus pangendis facilis, probus, & probatus; in Orationibus purus, & velut mediâ incedens viâ, nec nimium Laconicus aut adſtrictus, nec Aſiaticus nimis. Ejus hæc ſunt, omnia Antver. Verduſſii typis vulgata:

*Cornelii Valerii Rhetorica*, Verſibus, & Exemplis illuſtrata.

*Phraſes*, ſive *Loquendi modi ſelectiores* è variis concinnati.

*Grammatica*, *Syntaxis* & *Proſodia græca*, è *Varennio*, aliiſque adornata.

*Poëmatum* libelli, ſive *Muſæ IX.* in queis Elegiæ, Odæ, & quædam è Græcis expreſſa: 1614. 8.

*Orationes* & *Logidia pathetica*, 1618. 8. item Orationes ſacræ. 1638.

*Synopſis Vitæ* & *Miraculorum B. Thomæ Villanovani*, Archiepiſc. Valentini, Ord. S. Auguſtini, 1622.

*Vita B. Joannis Sahaguntini*, ejuſdem Ordinis ex gallico *Geor. Maigretii*, 1625. 8.

Vivere vir optimus deſiit Antverpiæ anno 1640. die 22. Octobris, pharmaco cujuſdam Medici Judæi Luſitani ſublatus, quod (ut ipſe-met poſtea faſſus eſt) ſibi videretur vir iſte rebus Chriſti longiori vitâ plurimum profuturus.

## NICASIUS ELLEBODIUS,

Caſletanus, Flander, Philoſophus & Medicus Patavinus, Græcarum litterarum peritiſſimus, vixit primùm in contubernio *Antonii Cardinalis Granvellani*, inde aditâ Italiâ *Vincentio Pinello* adhæſit, famaque nominis creſcente paſſim per Europam viris eruditis innoteſcere cœpit, & probari. Primus eruit, & latinè convertit, falsò antea *Gregorio Niſſeno* inſcriptum,

*Nemeſium Emeſenum Epiſcopum* & *Philoſophum*, *de Natura Hominis*, typis Plantin. 1565. 8. Opus inſertum Bibliothecæ PP. Lugdunenſi Tomo VIII.

Ejuſdem leguntur *Epiſtolæ* aliquot eruditæ, inter Epiſtolas illuſtrium Belgarum (non à Dan. Heinſio, ſed à Petro Bertio Leidæ anno 1617.) editis: item *Carmina* quædam in Tomis Belgicorum Poëtarum, Francof. anno 1617. à Renutio Chero, id eſt, Jano Grutero, editis. Obiit *Poſſonii* in Hungaria, ibidem Canonicus.

*Joannes Poſthius*, hoc illi Epitaphium ſcripſit.

*Iſta* NICASIUS *Medicus requieſcit in urna,*
*Cui genus & cunas Belgica terra dedit,*
*Ingenium Pallas rarum, Cyllenius artes*
*Ingenuas: juvenem Pannonia, heu, rapuit.*
*Extincti Charites, & Muſæ, & Phœbus alumni*
*Manſuro famam carmine ad aſtra vehunt.*

## NICASIUS A S. THERESIA,

Tornacenſis, Carmelita Diſcalceatus, dictus in ſæculo *Nicaſius de la Foſſe*; obiit in patria, die 5. Auguſti 1642. Ediderat gallicè

*Epitomen Quæſtionum curioſarum Theologicarum & Moralium.* Torn. 1642. 8.

## NICASIUS A WOERDA,

Machlinienſis, ab anno ætatis tertio oculis captus, & ob id elementorum omnium penitus ignarus, variarum tamen ſcientiarum (rem ſtupendam narro) gnarus fuit, & alterum ſæculo noſtro Didymum exhibuit Alexandrinum. Nam & Artium liberalium, & S. Theologiæ lauream Lovanii eſt adeptus; & auctoritate atque indulgentiâ Pontificis Rom. Sacerdotio initiatus, publicè ad populum de Verbo Dei verba fecit, (ut æqualis ejus ſcribit Abbas Trithemius) confeſſiones excepit, ceteraque Sacerdotis munia dextrè obivit.

Amplius: Leges omnes, divinas, humanas, per immenſa Pandectarum, ceteraque Juris volumina ſparſas, quas numquam legerat, ſolo auditu percepit; perceptas publicè in Ubiis tradidit: ubi & Doctor Juris omnium calculis, ſtupore omnium, renuntiatus, diem vitæ clauſit extremum, anno 1492. pridie Kalendas Septembres; Coloniæ in Æde S. Columbæ cum magna funeris pompâ conditus. Reliquit

*Enarrationes in libros IV. Inſtitutionum Juris Civilis.* Coloniæ, 1493. fol. Lipſiæ, 1541. Lugd. 1566. in 8.

*Lecturam trium Arborum, Conſanguinitatis, Affinitatis & Cognationis*, cum Apoſtillationibus, ut titulus habet, à *Mag. Joanne Stebelin*, Paſtore in Oberſſdorf, collectis. Coloniæ, 1508. 4.

Scriptum fuit hoc illi Elogium.

*Cæcus eram; quid tum? Verbo duce, lumine Jovâ,*
*Jura Dei atque hominum, Lynx novus, aure lego.*

## NICOLAUS VAN AELST,

Bruxellenſis, *Inſigniores Statuarum* Urbis Romanæ *Icones* Antiquitatis ſtudioſis & virtutis amantibus dedicavit, Romæ in parvo folio, anno non expreſſo.

## NICOLAUS AMAMA,

Franekeranus Friſius, *Sixtini* in eâ Academia Friſiorum celeberrimi SS. Literarum Profeſſoris filius, & ipſe ibidem Jurium Profeſſor, evulgavit

*Diſſertationum Marinarum Decadem.* 12. Franek. 1651.

## NICOLAUS BASELIUS,

Medicus ac Chirurgus Reip. Winocibergenſis in Flandria, dedit gallicè

*Deſcriptionem Cometæ, qui apparuit anno 1577. XIV. Novemb.* unà cum Prognoſticis novis anni calamitoſiſſimi 1578. Excudit Antv. Henr. Henricius, eodem anno 1578. 4.

## NICOLAUS BIESIUS,

Poëta, Philoſophus, Medicus, Gandavi natus anno 1516. VI Kalendas Aprileſ, poſt facta in patria litterarum tirocinia, & libata Lovanii Medicæ artis principia, in Hiſpanias conceſſit, & Valentiæ Edetanorum pleniùs Philoſophicis ſtudiis Eloquentiæque operam dedit.

Inde Italiam adiit, obtentaque Senis ſupremâ Medicinæ Laureâ, Lovanium redux, anno 1558. inſtitutâ iſtic novâ in Artem parvam Galeni Profeſſione, primus ipſe Regiis auſpiciis eam per annos aliquot ſuſtinuit; & in turbis iſtis Belgicis ad Albanum Ducem Oratoris Academici munus obivit. Pòſt à Maxæmiliano II. Cæſare Viennam ad valetudinis ſuæ curam accitus, ibidem anno vixdum vertente vivere deſiit, anno 1572. IV. Idus Apriles. Scripſit pleraque ſtilo caſto latinoque:

*Orationem de Laudibus Litterarum.*

*De Arte Dicendi*, ſeu Rhetorica. Antver. 1577. 8. typis Nutii.

*De Republica* ſive de univerſa Morum Philoſophia, libros IV. ibidem: 1556. 8.

*De Varietate Opinionum*, libellum. Lovanii, 1567.

*De Univerſitate*, ſive de Phyſica atque univerſa Naturæ Philoſophia libros III. proſa & carmine. Antver. 1556. 4.

*De Methodo Medicinæ*. 1564. 8.

*Theoreticæ Medicinæ* libros II. 1558. in 4.

*Commentarios in Artem Medicam Galeni*, 1560. 8. De quo opere hoc Joannis Argenterii Comment. in eamdem Galeni Artem ad cap. XI. judicium eſt, an ex ſano cerebro neſcio: *In eadem*, inquit, *eſt opinione Bieſius ille Gandenſis, qui recentes ſed fœtidos edidit in hoc Opus Commentarios.*

## NICOLAUS BOONAERT,

Bruxellenſis, Societ. Jeſu, Philoſophiam Duaci, Theologiam Lovanii docuit, acumine, judicio, memoriâ pari, quæ in tanta ingenii ſublimitate rara dos eſt; ut neſciam, inquit Auctor Catalogi Scriptorum ejuſdem Societatis, an ulli ætate ſuâ ceſſerit. Habuit Bruxellis,

*Orationem pro funere Gregoriæ Maximilianæ*, Caroli Archiducis Auſtriæ filiæ, Philippo III. Hiſpan. Regi deſponſæ, dum ei Sereniſſ. Belgarum Principes Albertus & Iſabella juſta facerent; quam deinde edi permiſit.

Ut & *Apologiam* brevem, gallicè ac flandricè, *pro B. Virgine Aſpricollis*; preſſo tamen utrobique nomine.

Addit idem Auctor, *Boonartium*, dum in Hiſpaniis verſaretur, ſcripſiſſe doctum & elegans opus, *Mare non liberum, de jure Luſitanico ad Oceanum & commercium Indicum, adverſus Batavicam H. Grotii Aſſertionem*; quod tamen hactenus typis traditum non eſt.

Moritur Pinciæ anno 1610. dum in Belgium reditum parat.

## NICOLAUS LE BORGNE,

Aliàs STRABO., Atrebas, familiâ patriciâ & antiquâ ortus, Aurei-montis & Blarvillæ Dominus, atque Electus Arteſienſis, ut in ſuo Scriptorum Arteſienſium Catalogo ſcribit *Ferreolus Locrius*, Hiſtoricus ac Poëta elegantis eruditionis, Atrebati in D. Gaugerici ſepulturam habet.

Scripſit, eodem *Locrio* teſte, *Tractatum de duplici Nobilitate, Sagata & Togata*, ſive *Generis & Virtutis*. MSS. Atrebati.

*Hiſtoriam Rerum ſuo tempore geſtarum*; auſpicatus ubi *Paulus Jovius* deſinit, uſque ad tempora *Ferdinandi* Ducis Albani.

*Epicedium in obitum Caroli Comitis Lalani, Præfecti Hannoniæ.*

## NICOLAUS DE BORRE,

Parochialis Ecclesiæ B. M. *de Luminibus*, in Glano, Leodiensis Urbis suburbio, Pastor, exorcista celebris, nec indoctus, evulgavit

*Apologiam pro Exorcistis, Energumenis, maleficiatis, & ab incubis dæmonibus molestiatis*; in qua demonstratur fuisse omni ævo, & ubique, modoque esse apud nos, plurimos omnis ætatis & conditionis energumenos, maleficiatos & à dæmonibus molestatos: contra quosdam incredulos, obtrectatores & temerarios Exorcistarum censores, qui assertam veritatem pertinaciter inficiari non verentur. Item signa & argumenta, è quibus certo cognosci possit, an quis verè sit energumenus vel maleficiatus: unà cum modis seu remediis à dæmonum potestate eos liberandi &c. & cum Instructione ad Exorcistas. Ita prolixus titulus libri, editi in 4. 1660. Lovanii apud Georg. Lipsium.

Accedit, *Examen profani Exorcismi contra dæmonem mendacii, sub emendito Lamberti Dicæi Theologi Medici nomine* in lucem nuper *emissi*. Ibid. 1660.

## NICOLAUS DE BOUSSUIT,

Artium & Medicinæ Doctor Lovanii, edidit anno 1528. 4. apud Gilb. Masium

*Orationes Quodlibeticas:* quarum I. *An habitabilis sit Plaga*, quæ dicitur *Zona torrida?* quâ breviter descriptionem orbis terrarum velut in tabula proponit. II. *Quomodo apud Scythas Neuri in Lupos mutentur.* III. *Quomodo Turbith complexione calidum & siccum attrahat & educat phlegma.*

## NICOLAUS BRONTIUS,

Duacenus, J. C. Poëta & Philologus, scripsit

*De Utilitate & Harmonia Artium*, libellum, tum futuro Jurisconsulto, tum liberalium artium politioriſve litteraturæ studiosis utilissimum. Ant. apud Sim. Cocum, 1541. 8.

Item *Compendiariam adipiscendæ Virtutis & parandarum Litterarum rationem*, sive Ἀσκητὴς ὁδὸν. Ibid. cum fig.

*De Bello in Turcas suscipiendo*, Poëma ad Carolum V Imp. Item alia Poëmatia tria: quorum postremum *de Laudibus Hannoniæ*, Antverpiæ Ant. Goïus 1541. excudit.

## NICOLAUS BULIUS,

Vernaculè Boelensz, Hornanus Batavus, & ibidem Prætor & Medicus, edidit, teste Swertio in Athenis Belgicis,

*Epigrammata* aliquot egregia & lepida.

Sepultus est in Ecclesia Hornanæ civitatis primariâ, ibique legitur hocce ejus Epitaphium, sumptu publico exaratum.

D. O. M.
NICOLAO BULIO,
Alardi filio,
Medico & Poëtæ eximio,
In Hollandiæ Westfrisiæque Ordinum
Collegio olim Assessori,
Reip. Hornanæ per annos XXXIV,
Et quod excurrit, Prætori,
Rerum Maritimarum in Westfrisia
Consiliario & Fisci Advocato,
Singulari in rebus agundis
Prudentiâ, strenuitate, fide,
Græcæ, Latinæ,
Aliarumque Linguarum peritiâ,
Tum & memoriâ stupendâ prædito,
Summo Patriæ ornamento,
Deque ea & de se optimè merito.
S. P. Q. H.
Gratitudinis & pietatis ergo,
Sumptu publ. P. J.

Natus Hornæ anno M. D. L.
Januarii die 17.
Denatus ibidem anno M.D.C. XV.
Febr. die 26.
Quum vixiſſet annos LXV. Menſ. I.

ΕΙΣ ΤΑΦΟΣ ΙΑΤΗΡΑΣΟΦΩΝ, ΚΑΙ ΘΕΙΟΝ ΑΟΙΔΟΝ,
ΑΡΡΗΚΤΟΝ ΤΕ ΝΟΜΩΝ ΕΡΚΟΣ, Ο ΜΟΥ ΧΑΤΕΧΕΙ.
ΕΙΣ ΓΑΡ ΑΝΗΡ ΟΥΔ' ΟΥ ΠΑΕΟΝΩΝ ΧΡΕΩ ΕΠΛΕΤΟ ΤΥΜΒΩΝ,
ΑΛΛΑ ΒΙΟΥΣ ΖΩΕΙΝ ΑΞΙΟΣ ΗΝ ΠΑΕΟΝΑΣ.

*Et Medicâ felix & Carminis inclytus arte,*
*Et Patriæ illuſtris Prætor honore ſuæ,*
BULIUS *hîc recubat; tumulum venerare Viator;*
*Non aliàs tanti ſtabis ad oſſa Viri.*

## NICOLAUS BURGUNDIUS,

Angiâ, Hannoniæ opido oriundus, dum pater iſtic, nomine *Henrici Borbonii*, tunc Domini Angiani & primi ex ea familia Galliarum Regis, Quæſturam gereret, naſcitur anno 1586. III. Kal. Octobris.

Jactis feliciter Gandavi litterariis fundamentis, emenſoque Lovanii Philoſophiæ ſtadio, mox pleriſque ob ingenii excellentiam ac judicii maturitatem, melioriſque literaturæ cultum, conſpicuus eſſe cœpit, & facilè ſeſe in interiorem doctiſſimorum virorum *Gerardi Corſelii*, tum Legum Anteceſſoris, *Erycii Puteani*, aliorumque amicitiam inſinuavit, quibus peræquè carus vixit. Rude donatus, atque è ſcholaſtico pulvere ad forenſes velitationes tranſlatus, ipſa quoque arcana fori non difficulter penetravit.

Eoque factum eſt, ut, dum anno 1627. auſpiciis Sereniſſ. Ducis Bavariæ *Maximiliani*, è Belgio peteretur aliquis, primariæ Legum cathedræ in Academia Ingolſtadiana admovendus, dicto *Corſelio* potiſſimùm agente, idem Dux hunc *Burgundium*, Gandavo evocandum cenſuerit, titulo deinde & honore Conſiliarii atque Hiſtoriographi Domus Electoralis Bavariæ ac Cæſareæ Majeſtatis, Comitiſque Palatini ornatum. Unde duodecimum poſt annum in Belgium revocatus, anno 1639. Senatoriâ in ſupremo Brabantiæ Concilio dignitate donatur.

Scripta ab eo, Poëtam, Oratorem, Hiſtoricum, Juriſconſultum produnt, in ſingulis eximium.

*Poëmata*; *Heroicorum* lib. I. *Elegiarum* V. *Silvarum* II. Antver. 1621. 12.

*Oratio de gradibus ad Eloquentiam*, Lovanii dicta & edita in Bonæ mentis Palæſtra Puteanâ.

Tractatus XIV. *Controverſiarum ad Conſuetudines Flandriæ*. Antver. 1621. 8. item Arnhemii, 1670.

*Hiſtoria Belgica*, ab anno 1558. uſque ad annum 1567. Ingolſtadii, 1629. 4. Dein rurſus Halæ Suevorum anno 1708, cum Præfatione *Nicolai Hieron. Gundling* ibidem J. U. D.

In quâ Hiſtoria ſic præfatus eſt Burgundius. „ MSS. fideliſſimis uſus „ ſum. Quidquid in Belgicis Conciliis „ actum, ex ſchedis Viglii accepi; quid- „ quid in Hiſpaniis, ex Commentariis „ Tiſnacquii. Viri illi falli non potuê- „ re: uterque enim rebus interfuit. „ Litteras denique omnes percurri, „ quas & Rex ad Gubernatricem, & „ ad Regem tranſcripſit Gubernatrix, „ ex quibus multa hauſi, quæ tem- „ porum ratio abſcondit. &c.

*Apologia de Electoratu Palatino*, pro *Chriſtophoro Gewoldo*, & contra *Marquardum Freberum*. 4. Ingolſt. 1634.

Item *Hiſtoria Bavarica*, ſeu Ludovicus IV. Imp. ac ejus Vita & res geſtæ ab anno 1313. ad annum 1347. 4. Ingolſtadii 1636, item Amſtel. 1645. atque iterum Helmſtadii apud Salom. Schnorr. 1705. 4. Oppoſuit eis *Carolus Ludovicus Blaarer à Geyersberg*, Cauſam

NICOLAVS CLENARDVS DISTEMIVS BRABANTVS.

*Monſtrat iter Solymum Campenſis; Graius Apollo eſt*
*Rescius; elabi Ciceronis ab ore videtur*
*Linguæ Suada tuæ Nanni, blandique lepores.*
*Clenardus variare vices, triplicique ſonare*
*Ore docet, grataque leuat nouitate laborem.*

38. *Aub. Mireus.*

Caroli Ludovici Palatini &c. anno 1643.

*Commentarius de Periculis & Culpis in Contractibus* 8. Lovanii 1662. Colon. 1646. 1658. & alibi.

*De Evictionibus*, liber practicus & theoreticus.

*De duobus reis, sive obligatis in solidum.* 8. Ibid. 1657. Porro quæcumque Burgundus scripsit Juridica, rursum prodiêre Bruxellis apud Martin. Bossuyt 1674. in 4. & 1700. apud P. Dobbeleer.

## NICOLAUS BUSIUS,

Gertrudimontanus, Hilvarenbecani Canonicorum Collegii in Campinia Brabantica circa annum 1560. Decanus, & nobilium puerorum formator, vir eruditissimus, *Joanne Langecrucio ac Simone Verepæo* testibus, scripsit

*Selectiores sermonis Latini Phrases*, typis Plantinianis, 1597. 8. edente Christophoro Vladeracco.

*Dialogum de sacro Baptismo*; cum Precationibus Schol. ejusdem *Verepæi*.

## NICOLAUS,

Canonicus & Scholasticus Cathedralis Ecclesiæ Leodiensis, ad Wedericum, Lætiensem in Hannonia Abbatem, circa annum 1148. primus veram martyrii *S. Lamberti* causam ex professo evulgavit, & egregiè vereque descripsit

*Vitam, Miracula, & Translationem S. Lamberti.* Item

*Victoriam ac Triumphum S. Lamberti in expeditione Bullonienſi*, anno 1141. contra Rainaldum I. Barensem Comitem. Edidit Vir verè Eximius *Joannes Chapeavillius*, cum cæteris Rerum Leodiensium Scriptoribus, Tomo II.

## NICOLAUS CANNIUS,

Amstelodamensis, Presbyter, ac Virginum Ursulensium in patria Præfectus, exinde Pastor in Spaarwoude, primis vitæ suæ annis domesticus atque à manibus fuit *Desiderii Erasmi* Roterodami: cujus etiam *Colloquia*, resectis iis, quæ offendere poterant, eum retexuisse atque interpolasse, legisse se meminit Valerius Andreas; quæ tamen injuria temporum lucem hactenus non viderunt. Nec putantur ab his diversa esse, quæ in tyronum gratiam ab ipso *Cannio* conscripta fuisse memorat Marcus Zuerius in suo Urbium Hollandiæ Theatro.

Scribit verò in Opere suo Chronographico ad annum 1520. *Petrus Opmeerus*, ipsum quoque *Erasmum* à Joanne Oecolampadio, cum is Basileæ rebus inciperet studere novis, dissidentem, sub *Cannii*, ejusque contubernalis Polyphemi Borussi nominibus, conscripto *Euangeliophoro* Colloquio, astutiam Joannis & Cyclopicos mores sectatorum illius delineasse. Verùm neque illud visum hactenus.

*Vitam* quoque *Cornelii Crocii*, Amstelodamensis, insignis Presbyteri, consignaverat scripto Cannius, teste Opmero: sed hęc hæredum incuriâ intercidit.

Vitâ functus est anno 1555. & in antiquâ apud Amstelodamenses Ecclesia conditus.

## NICOLAUS CLENARDUS,

Vulgò Cleynarts, Diestemius, Linguarum latinæ, græcæ atque hebraïcæ peritissimus fuit; quas etiam cum laude singulas Lovanii tradidit: quibus ut arabicæ Linguæ Professionem adjungeret, decennium ferè totum, terrâ marique variè jactatus, pe-

regrinatus eſt ; nactus comitem peregrinationis *Joannem Vaſæum*, Brugenſem.

Lovanio diſcedens, circa annum 1535 Pariſiis *Guilielmum Budæum* de via ſalutavit. Inde per Aquitaniam in Cantabriam venit : hinc Burgos, Burgis Pintiam, ubi dies decem ſubſtitit. Methymnæ deinde in aula Iſabellæ Auguſtæ, Indiarum Vice-Reginæ, docendum ſuſcepit filium fratris Pro-Regis Neapolitani. Mox, relicto in aula *Vaſæo*, Salmanticam conceſſit. Hic ſuſceptâ Linguarum græcæ atque hebraïcę Profeſſione, ſ. lò pòſt Eboram à Joanne III. Lutaniæ Rege evocatus eſt, ut fratri Regis à ſtudiis eſſet. Abeuntem Academia Salmanticena viatico & honorario honeſto proſecuta eſt.

Rex etiam, *Clenardo*, hortante, Bracaræ in Regno ſuo Scholam publicam inſtituit, eique *Vaſæum*, trecentorum ducatorum ſalario, præfecit. Anno 1540. addiſcendæ arabicæ Linguæ ſtudio in Africam trajecit, Feſſamque ingreſſus, IV. Nonas Maii, Regem loci Arabicè ſalutavit, & cauſam profectionis aperuit, nimirum ut librorum Arabicorum copiâ conquiſitâ, Bibliothecas Europæas illuſtraret. Interim ſacra Biblia in linguam arabicam transferens, gentem illam, Mahumetanâ inquinatam perfidiâ, Chriſtianæ fidei rudimentis imbuere ſatagebat. Sed vel ideo apud Regem Tingitanum traductus, libris omnibus ſpoliatus eſt, & inter multiplices inſidias vitâ ægre ſervatâ, ex Africa in Europam tranſmiſit.

Granatam adveniens, hoſpitio à Ludovico Mendoza, Marchione Mondegari, Pro-Rege Granatenſis Regni benignè excipitur : moriturque ibidem anno 1542. ætatis ſuæ 46. aut potiùs 49. & conditur in Alhambra, loco editiore, ubi pòſt urbi defendendæ arx eſt conſtituta. Diſcipulum itinerumque comitem reliquit *Joannem Latinum*, Æthiopem, & (quod prodigio ſimile eſt) dein Rhetorem Scholæ Granatenſis. Scripta porro ſunt à Nic. Clenardo,

*Inſtitutiones Linguæ Græcæ*, variis in locis editæ : cum Scholiis & Praxi *Petri Anteſignani*, Pariſ. 1563. 4. & 8. cum Notis *Friderici Sylburgii*, Francof. 1562. & 1602. 4. cum Annotationibus *Renati Guillonii*; Heidelbergę, 1607. 8. Item Leydæ 1642, ſtudio *Ger. Joh. Voſſii*, & alibi ſæpiùs.

*Meditationes Græcanicæ in artem Grammaticam*; in gratiam eorum, qui Litteras Græcas ſuo ipſi ductu diſcere coguntur. 8. Pariſ. 1536. apud Mich. Vaſcoſanum.

*Tabula in Grammaticen Hebræam.* Lovanii, 1529. 4. cum Notis *Joannis Iſaaci* & *Joannis Quinquarborei*, Pariſ. 4. & Coloniæ, 8. cum Notis *Joannis Druſii*, Lugd. Bat. 1589. 8.

*Epiſtolarum* de peregrinatione ſua & de rebus Machometicis libri II. Lovanii, 1561. 8. apud Willæum, Antver. 1566. 8. apud Plantinum.

Edita etiam eſt *Clenardi methodus docendi pueros analphabetuos*, typis Nicolai Baſſei, Francof. 1576. 8. ex Epiſtolis deſumpta.

*Grammatica Arabica*, item & *Tabulæ* ejuſdem *in Linguam Arabicam*, lectæ fuerunt MSS. in Hiſpania apud Joannem Pereſium, Valentinum, virum doctiſſimum.

## NICOLAUS CLERICUS,

S. P. Q. Antverpienſi à Secretis, ſcripſit richmis vernaculis

*Chronicon Brabantiæ.* Meminit illius PetrusDivæus Rer. Brabant. lib. 1. cap. 2. legebaturque in Bibliotheca *Gaſparis Gevartii* Antverpiæ. Verum fabulas obtrudit hic auctor, quando Brabantiæ

*Temporibus nostris verè admirabilis* **ESCHII**;
*Sal terræ cœli volucris, fax aurea mundi*;
*Belgarum columen, Begginarumque Sequester*;
*Cujus vita velut fulgur resplenduit orbi*.

*I Bertcrham fec Brux*

tiæ originem ab ovo Trojano, nimirum ex arca Noë, tædiosâ deductione repetit.

## NICOLAUS CRISPINIENSIS,

Memoratur à Joanne Molano in Natalibus SS. Belgii 8. Novembris scripsisse *De Vita S. Godefridi*, Episc. Ambianensis, libros III. Sed alibi lego, *Nicolaum* hunc Monachum S. Crispini Suessionensis, Ord. S. Ben. *Godefrido* Episcopo coætaneum, circa annum 1118.

## NICOLAUS CRUSENIUS,

Mosæ Trajectensis, Eremita Augustinianus, S. Theol. Doctor Academiæ Papiensis, patruus Illust. Domini Andreæ Cruesen V. Mechliniensium Archiepiscopi, fuit Bruxellis, Antverpiæ atque alibi Prior, Ordinisque sui per Bohemiam, Austriam utramque, Carinthiam ac Stiriam Visitator atque Vicarius Generalis, & Ferdinando II. Imper. à Consiliis, Historiisque; Vir magnæ eloquentiæ, atque in negotiis publicè privatimque obeundis summè dexter, formâ, ore, linguâ majestatem quandam præ se ferens. Obiit Viennæ, anno 1629. IV. Idus Novembris.

Edidit *Monasticon Augustinianum, in quo omnium Ordinum sub Regula S. Augustini militantium, præcipuè tamen Eremitarum, Canonicorum Regularium, Præmonstratensium, Dominicanorum, Servorum B. M. Hieronymitanorum, Ambrosianorum, Crucigerorum, Guilielmitarum, Trinitariorum, Brigittanorum, aliorumque fere 50. Origines explicantur.* fol. Monachii 1623.

## NICOLAUS CURTIUS,

Vulgò DE CORT, Poëta, vixit Lovanii, lusitque versibus Elegiacis *Encomium Urbis & Universitatis Lovaniensis*, Viglio Zuichemio inscriptum, editumque Lovanii, in 8.

## NICOLAUS AB ELCHERAIDT,

Qui ditionis Luxemburgensis pagus est, non longè ab Arluno dissitus, aliis dictus ELGARD, S.T. Doctor, insignis Verbi divini præco, Ecclesiæ Collegiatæ S. Mauritii Augustæ Vindelicorum Canonicus: hinc creatus circa annum 1570. Episcopus Ascalonitanus, ac per Hassiam Thuringiamque Suffraganeus pro Archiepiscopo Electore Moguntino, Erfordii residens: morte præventus immaturâ, circa annum ætatis quadragesimum obiit.

Scripsit inter alia ingenii sui monumenta germanicè librum *de Laude Virginitatis*: quem à morte auctoris alius sub nomine proprio in lucem edidit, teste *Joanne Bertelio* in Historia sua Luxemburgensi.

## NICOLAUS ESSCHIUS,

In municipio Oosterwicano, secus Silvam-ducis natus anno 1507. Sacerdotio initiatus Coloniam profectus est: ubi cum, ut Pœdagogus fieret junioris Ducis Juliacensis, rogaretur, propter dissolutam aulicorum vitam non acquievit. Scholam tamen privatam erexit, è qua imprimis duo, magni dein nominis & exempli viri prodiêre, *Petrus Canisius* S. J. & *Laurentius Surius* Carthusianus.

Coloniæ amicitiam familiaritatemque iniit cum religiosissimis Patribus Carthusiæ illius, *Justo Joanne Lanspergio*, *Petro Leidensi*, ac *Gerardo ab Hamont*: unde, cum summè contemplativus esset ac spiritualis, ad vitam solitariam atque asceticam Instituti Carthusiani propensum habuit animum: sed de corporis sui viribus diffisus ab ea

abſtinuit. Cellam tamen apud eoſdem Carthuſianos habuit, vixitque ſubinde inter illos, cum opinione ſanctitatis, & omnibus venerabilis.

Anno 1538. ad Curam Begginagii S. Catharinæ Dieſthemienſis evocatus, tanto zelo pietateque præluxit, ut non modo Reformator illius Begginagii, (quod hodiedum diſciplinæ obſervantiâ inter cætera Belgica eminet) ſed & verus Pater atque Fundator habeatur. In Statutis conſcribendis, ſanctiſque legibus condendis noctes atque dies inſumebat ſine tædio. Diverſis in locis inſtituit Seminaria virtutum: Ooſterwici primùm, ubi Conventum piarum virginum fundavit. In ſuo quoque Begginagio Conventus duos; item Collegium S. Salvatoris Dieſtemii, in gratiam ſtudioſæ juventutis, juxta Decretum Concilii Tridentini. Monaſterium inſuper Vallis S. Annæ, Sororum Griſearum, ibidem ſub Regulo S. Franciſci reſtauravit.

Vulgatâ eruditionis pietatiſque ejus famâ, à *Maxæmil. Morillono*, Diœceſis Mechlinienſis Vicario Generali, per diſtrictum Dieſthemienſem conſtituitur Archipresbyter: ſed in eo officio ob defectum valetudinis & ætatis diu perſeverare non potuit. Tandem 19. Junii 1578. jam ſeptuagenarius Dieſthemii feliciter obdormivit in Domino: ſepultus in choro Eccleſiæ Begginagii Dieſtenſis, ad pedem aræ primariæ, hac Inſcriptione.

Hic requieſcit Venerabilis Dominus
NICOLAUS ESSCHIUS,
Ooſterwicanus,
Hujus loci Reformator
Et Paſtor annis quadraginta,
Qui obiit anno M. D. LXXVIII.
Die XIX. Julii.

Vitam ejus virtuteſque latinè expreſſit *Arnoldus Joannis*, Dieſtenſis, ſucceſſor *Eſſchii* in ejuſdem Begginagii regimine. Extat ibidem MS. cum approbatione *Laurentii Metſii*, Silvæducenſis Epiſcopi, & *Joannis Molani* S. T. Doct Lovanii, qui *Eſſchium* familiariter noverant, imò & Præſul *Metſius*, cum pridie mortis viſitarat. Vita hæc dein tranſlata in Flandricum, curâ G.G. Canonici Tungerloenſis, edita fuit Lovanii 1713. apud Ægid. Denique, in 8.

*Exercitia pia*, authore *Eſſchio*, prodierunt latinè Antverpiæ typis Nutii. 1563. in 8. & Plantini 1569. 16. in Flandricum tranſlata 1713. ut ſupra, ad uſum Begginarum Dieſtenſium.

Edidit quoque *Iſagogen*, ſive *Introductionem ad vitam introverſam capeſſendam*, præfixam libro, cui titulus; *de Templo animæ* compoſito ab Authore *Margaretæ Euangelicæ*, & ab *Eſſchio* primùm vulgato. Antv. typis Coccii. 1563. 8.

Sed & prædictæ *Margaretæ Euangelicæ* libros IV. aſceticos, à ſancta quadam Virgine anonyma dudum ante compoſitos, quos anno 1535. *Theodoricus Loërius*, Carthuſianus, mutilos ediderat, ipſe *Eſchius* completos dedit, Antv. 1539. atque è vernaculis latinos fecit Coloniæ 1545. typis Melch. Noveſiani. Mutavit tamen aliquantiſper ordinem librorum; qui in aliis editionibus, gallica, germanicâ &c. ſubinde diverſus eſt. Prodiit iterum belgicè Antv. 1629.

## NICOLAUS VAN ESTVELDT,

Amersfortius in Ditione Ultrajectina, Religioſus Ord. FF. Minorum Capucinorum, Sacerdos, Prædicator ac Confeſſarius.

Obiit in ſua Religione Jubilarius, Mechliniæ 28. Januarii 1656.

Evulgavit flandrico idiomate.

*Chronicon ac Genealogiam Seraphici Patris S. Franciſci, continens ejus Vitam nec non XII. Sociorum ejus, ac LXXI*

NICOLAVS GRVDIVS BRABANTVS
I. C. ET POËTA.

*Quæ cecini, raris olim tentata poëtis,*
*Dum cythara Aönidas sub pia templa voco;*
*Illa pio placuisse Vidæ, non infima laus est:*
*Stare illa æternùm, gloria maior erit.*

Iob. Sinerus.

*Discipulorum*, & *Originem atque Progressum Ordinis S. Francisci.* Fol. Bruxellis apud Joann. Mommaert anno 1655.

## NICOLAUS EVERHARDI,

Amstelodami apud Batavos natus, Jurisconsultus celeberrimus, totam ferè ætatem in Germania atque apud Bavaros transegit, Assessor Cameræ Imperialis ex parte Ducis Bavariæ, anno 1535. constitutus, indeque anno 1542. in Ingolstadiensi Bavarorum Academia Antecessor, ibidem summâ constantiâ per annos quinque & xxx. Jura publicè fuit interpretatus.

*Tractatum* amplissimum reliquit *de Testibus & fide Instrumentorum, eorumque productione*; quæ Repetitio est Cap. *Quoniam contra falsam* ✠ de Probationibus. Francof. 1618. fol. item 1688. ibid.

Filios item reliquit *Nicolaum*, *Gasparem*, & *Georgium Everhardi*, omnes Jurisconsultos: è quibus Nicolaus, paternis insistens vestigiis, Jus Pontificium Ingolstadii annos octo & viginti explanavit, obiitque anno 1585. relictis filiis quatuor, *Guilielmo*, *Alberto*, *Nicolao* & *Ferdinando*, omnibus Jurisconsultis.

## NICOLAUS EVERARDI,

Gripskercæ in Walachria Zelandiæ natus, Lovanii Doctoribus & præceptoribus usus Arnoldo de Beka & Petro de Thenis, *Viris*, ut in Topicis editionis anni 1516. scribit, *peritissimis, consummatissimis & profundissimis monarchis*, Juris & ipse Laurcam supremam merito suo tulit, anno 1493. III. Idus Junii. Vir Reipublicæ natus, si quis alius, uti ad Bernardum Buchonem Viglii Zuichemii patruum libro XVII. Epist. XII. scribit Erasmus; & cui memoriæ eruditionisque palmam etiam illi tribuebant, qui tanto viro volebant malè. Claudius certè Cantiuncula, Lovanii disciplinæ civili dans operam, hoc ipsum in eo expertus fuit, virumque vocat, de Topicis scribens Legalibus, egregiè doctum & memoriæ (si ulli unquam contigit) fidelis.

Fuit primò *Henrici à Bergis*, Cameracensium Antistitis & Principis, in causis Ecclesiasticis Judex, Bruxellis residens; deinde (quamvis nullo esset sacro Ordine insignitus) Decanus Ecclesiæ collegiatæ D. Petri Anderlechtensis, in suburbanis ejusdem opidi. Vocatus hinc anno 1505. Mechliniam ad magni Senatus Belgici Adsessuram, atque inde ad Præfecturam supremi Concilii Hollandiæ Zelandiæque, ibidem totos XVIII. annos præsedit, eâ fide ac vigilantiâ, ut anno 1528. Mechliniam, eodem ibi munere functurus, à Carolo V. Cæs. fuerit revocatus.

De eo testimonium verissimum, licet domesticum & à liberis profectum, nihil umquam ad quæstum, nihil ad gloriam, nihil ad amicorum quantumvis potentium gratiam respondisse: nullius neque Legis neque Interpretis verba ad suam sententiam, obtinendæ causæ studio, detorsisse: nihil etiam citasse, quod non penitissimè excussisset.

Liberos autem ex *Elissa Bladella*, Machlinienſi, reliquit octo; filias tres, interque eas Isabellam Virginem sanctimonialem, latinè doctam; filios verò quinque, raræ omnes & eminentis doctrinæ viros: *Petrum Hieronimum Nicolaium*, Ordinis Præmonstratensis Religiosum, J. U. Doctorem Lovaniensem, dein Abbatem B. M. Middelburgi; *Everardum Nicolaum*, primùm supremi Senatûs Frisici apud Leovardienses, ac dein magni Concilii Belgici apud Mechlinienses Præsidem; *Nicolaum Grudium*, Illustrissimo

Equitum aurei Velleris Ordini ab Actis, *Hadrianum Marium*, Geldriæ Zutphaniæque Cancellarium; & *Joannem Secundum* Paullo IV. Pont. Maximo, aliisque ab Epistolis Latinis.

E libris legimus, eximiè laudata & probata doctis omnibus;

*Topica Juris*, sive *Locos Argumentorum Legales*. Edidit primò Centuriam unam Lovanii, 1516. fol. Recognitam auctamque à morte patris ediderunt filii, ibid. 1552. typis Sassæni, Lugd. 1568. & 1579. Francof. 1591. 8.

*Epitomen locorum Everardi* dedit *Abrahamus Marconet*, Montisbelgardensis, J.C. Magdeburgi 1655. in 12.

*Consilia* sive *Responsa Juris* Lovanii 1554. fol. & auctiora emendatioraque studio *Jacobi Molengravii* J. C. 1577. apud Hieron. Wellæum Antver. dein apud Verduss. 1643. & alibi.

Obiit Mechliniæ anno ætatis LXX. salutis 1532. die 9. Augusti, in D. Virginis depositus, hac Epigraphe.

D. O. M. S.
Clarissimo D. Nicolao Everardo, Middelburgensi,
Summi Concilii Præsidi,
Marito carissimo Patrique pientiss.
Uxor liberique cum lacrymis posuerunt.
Vixit anno LXX.
Obiit anno à salute restituta
M. D. XXXII. v. Idus Aug.

*Parte sui meliore, ævi fatur, astra petivit:*
*Deterior quadro hoc marmore pressa latet.*

Aliud Epitaphium patri, vitæque seriem Nicolaus filius his versibus expressit.

Everardo *patre*, *de* Glycera *genitrice creatum*,
Walchria Nicoleon *me tulit inter aquas.*
*Docta rudimentum dederat* Lovania *Legum*,
*Quæ mihi, mox à me, quas docuit, dedicit.*
*Juverunt justos oracula nostra clientes*,
*Inflexere animum munera nulla meum.*
*Integer hâc æquum colui prius urbe Senator*;
*Post Batavis Præses jura sacrata dedi:*
*Magnatum rigiditque minis, precibusque potentum*
*Infractus, senas penè trieterides.*
*Cùm vocat huc iterum Cæsar me* Carolus *ultrò*,
*Præses & ensigeræ Virginis arce locor.*
*Nostro nec sat habens seclo prodesse, reliqui,*
*Quæ, bona posteritas, te quoque lecta juvent:*
*Natorum licuit viventi cernere honores,*
*Quos mihi* Bladellæ *stirpis* Elissa *dedit:*
*Qui tumulum & titulos aptò posuere parenti,*
*Astreæ, & Clario turba probata choro.*
*Parte mei meliore ævi fatur, astra petivi:*
*Deterior quadro hoc marmore pressa latet.*

## NICOLAUS du FIEF,

Tornaci natus fatali anno 1578, quo cuncta erant in Belgio turbatissima; imbutus in patria litteris humanioribus, atque in Academia Duacenâ Juris utriusque laurcâ decoratus, anno 1611. à Capitulo Cathedrali Tornacensi electus est Canonicus Hospitalarius.

Paulò post, promoto ad Episcopatum *Nicolao Zoesio*, anteà ejusdem Tornacensis Ecclesiæ Canonico, nec non in suprema Mechlinienſi Curia Consiliario Ecclesiastico, ob singularem juris peritiam in hoc munere successit per litteras Regias datas anno 1615.

Accessit dein Præpositura dignitas in Ecclesia Collegiata Malbodiensi, tum ab anno 1635. munus Consiliarii in Senatu Regio sanctiore Bruxellis.

Demum anno 1637. 11. Martii, à Philippo IV. Hispan. Rege nominatur ad Episcopatum Atrebatensem. Sed dum Confirmationis Apostolicæ litteras Româ expectat, Atrebatum

anno 1640. à Ludovico XIII. Galliarum Rege obsidione cingitur, ac intercipitur. Hinc maluit effectu Nominationis suæ carêre, quam Regi non suo parêre.

Obiit Bruxellis, Vir eruditione, dignitate ac pietate conspicuus, die 20. Octobris 1651. ætatis 73. unde translatum est ejus corpus sepeliendum Tornaci sub tumba marmoreâ atque sequenti Epitaphio. Scripsit

*Observationes ad Duarenum.* MS.

*Observationes & Notas in Chassanæum ad Consuetudines Burgundiæ.* MS.

*Remarques de Pratique des Echevinages & Baillages de Tournai & Tournesis.* fol. MS.

*Volumen IV. Centuriarum, continens Arresta supremæ Curiæ Mechlinienſis*: dein auctum & editum fol. Bruxellis 1717. curis DD. *Remigii Alberti du Laury*, & *Petri Claudii de saint Vaast*, in suprema Mechlinienſi Curia Consiliariorum.

*Volumen alterum Edictorum Consilii Sanctioris.* MS.

*Variæ Lectiones.* fol. 2. Vol. MS.

*Seriem Episcoporum Tornacensium.* MS.

*Bibliothecam Tornacenam*, sive Elogia Scriptorum Tornacensium. MS.

*Quædam ad res Tornacensium spectantia.* fol. MS.

*Notæ ad Dictata.* 4. Vol. IV. MS. &c. Pleraque adservantur in Bibliotheca Capituli Cath. Tornac.

D. O. M.
Æternæ Memoriæ.
Reverendissimi Domini
Nicolai du Fief
Hujus Ecclesiæ Canonici,
Malbodiensis Præpositi,
Atrebatensis Episcopi designati,
Ut integritate, sic dignitate
Per omnia magni:
Qui in supremam Mechliniæ Curiam
Adlectus,
Regi, Patriæ, per annos XX.
Pari prudentiâ & laude,
Ut sidus illuxit.
Ad Consilium inde Flandricum
In Hispaniam evocatus,
Huic Ecclesiæ reddi præoptavit.
Ad Sanctioris tamen Consilii
Senatum evectus,
Tamquam Regi ac Reip.
Non sibi natus,
Labores arduos suscepit,
Susceptos explanavit;
Ingenio summa,
Sagacitate difficilia explicuit.
Vixit annos LXXII. Menses VIII.
Dies XVIII.
Obiit XII. Kal. Novemb.
Anno M. D. C. LI.
Adprecare viator.

## NICOLAUS FONTANUS,

Amstelodamensis Batavus, Medicinæ Doctor in patria, græcè latineque eruditus, edidit

*Institutiones Pharmaceuticas.* Amstelodami, apud Jac. Carpentiers 1633. in 12.

*Aphorismos Hippocratis methodicè dispositos.* Quibus accedit *Tract. De extractione fœtus mortui per uncum.* Ibid. eod. anno, in 12.

*Florilegium Medicum.* Ibid. apud Henr. Bernardi 1637. 12.

*Commentarium in Sebastianum Austrium de Morbis puerorum.* Ibid. 1642. in 12.

*Observationum rariorum Analecta.* Ibid. 1641. 4.

*Responsionum & Curationum Medicinalium libr. I.* Ibid. apud Jo. Jansonium 1639. 12.

*Syntagma Medicum de Morbis mulierum.* Tom. IV. Amst. 1645. 12. & alia quædam, quæ Lindenius de Scriptor. Medicis prosequitur.

## NICOLAUS DE FORMANOIR,

Presbyter, Dominus temporalis in Merlino-Nerviorum,

*Catholicæ Fidei Confessionem*, sive Catechismi Romani Compendium, adinstar Psalmorum contexuit, Belgii Principibus dicatum. Antver. 1608. 8. apud Joann. Keerbergium.

## NICOLAUS GAZÆUS,

Atrebas, *Alardi & Angelini* frater, Ord. Fratrum Minorum de Observantia Ecclesiastes, & S. Theologiæ Lector, apud suos Leodii & alibi præclarus, scriptisque latinè & gallicè in lucem editis clarus. Latinè extat

*Oratio de electione Ministri Provincialis*, Leodii anno 1598. coram sui Ordinis Patribus habita, & ibidem edita, typis Arn. à Coerswaremia, 1604. 4.

*Elogium Henrici Willot*, ejusdem Ord. in Athenis Franciscanorum, *Willotio* auctore.

Gallicè verò sequentia: *Speculum Viduarum*, seu Vitæ & Mortis Sereniss. *Ludovicæ à Lotharingia*, Reginæ Franciæ & Poloniæ. Paris. 1601. 12. apud Georg. Lombardum.

*Palatium Misericordiæ*. Duaci, 1606. 8. typis Balth. Belleri; & latinè Coloniæ apud Joan. Kinckium, 1625. 8.

*Turibulum Animæ piæ & devotæ*, vulgò *l'Encensoir de l'Ame devote*, sive Orationes de Vita, Verbis & Operibus Christi Domini, Virg. Mariæ, & Sanctorum. Atreb. 1612. 12. apud Rob. Mandhuy.

*Historia sacra de felicitate & infelicitate Adam & Evæ*, pro Concionibus explicata. Ibid. 1616. 8. Tomis II.

*Chronica Ordinis Virginum Annuntiatarum*. Ibid. typis Guil. Riverii, 1607. in 8.

## NICOLAUS GEORGIUS,

Natione Lotharingus, sed Sylvæducis Ordinem FF. Prædicatorum professus; cum anno 1629. urbs illa à Batavis expugnaretur, exire cum aliis Religiosis compulsus, Bruxellis deinceps stetit, ibique grandævus decessit 23. Julii 1655. Scripsit idiomate vernaculo pium libellum,

*De Imitatione mortis Christi*. Antv. apud Henr. Aertsium, 1622. 8. ac rursum Bruxellis anno 1650. apud Jo. Mommaert.

## NICOLAUS GODIN,

Medicus Atrebatensis, scripsit gallico idiomate *Tractatum de Chirurgia Militari*.

## NICOLAUS GORRANUS,

Qui & NICOLAUS TORNACENSIS & NICOLAUS GALLUS, Ord. Prædicat. Theologus, Philippo Regi Galliæ à Confessionibus, claruit anno 1304. teste Sixto Senensi Bibliothecæ sanctæ libro IV. qui duos fecit *Nicolaum Gallum* & *Gorran*: verum in eo refellitur à Joanne Cognato, vulgò Cousin, Historiæ Tornacensis libro IV. Cap. XLV. Agit de eodem latè Sixtus Senensis in sua Ord. Prædicatorum Bibliotheca. Reliquit

*Scholasticam Apostillam in Epistolas D. Pauli*.

*Commentarium in Pentateuchum*, *Psalterium*, *Threnos*, *Cantica*, & IV. *Evangelistas*. Commentarius in *Genesin*, *Parabolas & Judith*; item in *Exodum* & *Lucam*; & *in Psalterium*; Item *Sermo de Annuntiatione Dominica*, leguntur Tornaci in Bibliotheca Abbatiæ S. Martini.

Ejusdem *Sermones & Distinctiones*, secundùm ordinem Alphabeticum, extant Brugis apud Dunenses Cœnobitas, & apud Villarienses in Brabantia; ubi & *Themata* ejusdem leguntur.

Plura de *Nicolao Gorrano* habet Bibliotheca Ordinis Præd. authore P. Echard, Tomo I. pag. 437. ubi Cenomanenſis Gallus nominatur.

## NICOLAUS GOSSON,

Atrebas, J. C. & in Conſilio Artheſiæ Cauſſarum Patronus, reliquit *Commentarios* ad XXV. priores Articulos *Conſuetudinum Atrebatenſium.* Edita pars illa Antver. 1582. 4.

Eoſdem denuò edidit Pariſiis, Notiſque ulterioribus illuſtravit *Adrianus Maillard*, Ambianenſis, J. C. & in ſupremâ Curia Pariſienſi Cauſſarum Patronus celeberrimus, in Tractatu ſuo ad Conſuetudines Artheſię, Pariſiis edito anno 1704.

Fuit *Goſſonus* & majorum ſanguine & doctrinâ nobilis, atque Urbi Atrebatenſi à Conſiliis: attamen infelicem vitæ exitum habuit, in primis illis à Rege ſucceſſionibus captus, mortique adjudicatus, anno 1578. die XII. Octob. ætatis agens annum LXXII.

## NICOLAUS DE GUISE,

Montenſis, Hanno, Juriſconſultus & Canonicus Metropolitanus Cameraci, deſcripſit illius cui à ſecretis Epiſtolis & conſiliis fuerat,

*Vitam & Panegyrin Franciſci Buiſſereti*, Archiepiſc. & Ducis Cameraci, 1616. 4. typis Joan. Riverii.

Patriæ verò ſuæ dedit *Montes* Hannoniæ metropolim, cum *Chronologia* brevi atque hiſtorica deſcriptione *Comitum Hannoniæ.* Ibid. 1621. 4. Qui liber denuò editus fuit anno 1708. Lovanii, unà cum Antiquitatibus Belgicis J. B. Grammaye.

Obiit Author die 17. Junii 1621.

## NICOLAUS HARLEMENSIS,

Batavus, vir ſuo tempore clarus, ſcripſit *Cronicon temporum*, teſte Catalogo Scriptorum Britanniæ.

*Vitam B. Simonis Stockii*, Carmelitæ, teſte Molano ad Uſuardum 16. Maii; ex eodem Catalogo.

## NICOLAUS DU HAUPAS,

Atrebas, Medicus, vertit è græco, & Annotationibus luculentis illuſtravit *Aphoriſmos Hippocratis.* Duaci, 1563. 4.

## NICOLAUS HEEMS, DE CAPELLA,

Dictus etiam DE BRUXELLA, ab urbe natali, inter Magiſtros Artium Lovanii anno 1488. ſecundo loco promotus, dein Philoſophiæ Profeſſor in Caſtro, recipitur ad Conſilium Univerſitatis ex eadem Artium Facultate anno 1502, ac ſequentis anni die 7. Februarii, Jurium Doctor renunciatur. Inſtituta profeſſus eſt ab anno 1506. ad 1520. quo ad primariam Juris Civilis Cathedram evectus eſt. Vivere deſiit Lovanii anno 1532 die 22 Junii; depoſitus in Æde ſacra Auguſtinianorum.

Scripſit *Compendium in Libros IV. Inſtitutionum Imperialium:* editum Lovanii typis Mart. Aloſtenſis 1513. & iterum 1552. 8. apud Saſſenum.

## NICOLAUS HEINSIUS,

Lugduno-Batavus, Danielis ex Ermengarde Rutgerſia filius, quem Academia Lugdunenſis patronum optimum uſque hodie commemorat, paternam eruditionem famamque ſuis quoque ſcriptis illuſtriorem reddidit. Vir ingenii politi, humani & officioſi; erga omnes eruditionis famâ florentes, ſed imprimis erga uſu & amicitia conjunctos fidelis & comes: cui ardor erat & ſtudium indefeſſum, adjuvandi

aliorum conatus, & Rempublicam litterariam novis quotidie libris & divitiis exornandi.

Simul-atque doctiſſimæ *Chriſtinæ* Suecorum Reginæ innotuit, illa *Heinſium* non modo in aulam & comitatum ſuum intimamque amicititiam advocavit, ſed & in Galliam Italiamque, ad conquirendam librariam & antiquariam ſupellectilem, ablegavit, condictis pecuniis eum in finem neceſſariis. Et quamvis Regina promiſſis ſubinde non ſtaret, *Heinſius* tamen fidem & ſedulitatem ſuam, ſine exemplo ſummam, cum maxima etiam rei familiaris jactura, præſtitit.

Deceſſit anno 1681. die 7. Novembris, inter Latios ævi ſui Poëtas facilè Princeps. De varia Heinſii fortuna, deque infauſto ejus matrimonio pluribus agit *Petrus Burmannus*, in præfatione ad Syllogen Epiſtolarum Virorum illuſtrium.

In ipſo adoleſcentiæ flore varia *Poëmata* luſit, edita Leidæ 1653. in 12. item Amſtelod. 1669. unâ cum Poëmatibus *Jani Rutgerſii*, cujus ex ſorore nepos erat Heinſius.

*Claudianum* etiam recenſuit, qui cum Notis variorum, curante *Corn. Schrevelio* prodiit Leidæ 1666. 8.

Prodierunt curis Petri Burmanni J. U. D. ac Profeſſoris Hiſtor. Leidæ, in 4. 1727. Tomo III. Nicolai Heinſii, cum Joanne Friderico Gronovio, Numero 452. & cum Iſaaco Voſſio 109. Epiſtolæ mutuæ. Plures quoque ejuſdem Heinſii cum aliis communicatæ.

Tomo IV. Epiſtolæ mutuæ *Nicolai Heinſii* & Joannis Georgii Grævii Nro. 699. Item Heinſii & Jacobi Perizonii 50.

Demum Tomo V. Epiſtolæ plures Nicol. Heinſii ad diverſos, ac ſpecialiter, ipſius ad Chriſtianam Succiæ Reginam, prope Nro. 70.

## NICOLAUS VANDER HOOGH,

ſive *ab Alto*, Albinus ſive Harlemenſis, Batavus, Jura Lovanii didicit, Doctorque I. U. in Andegavenſi Gallorum Academia creatus eſt. Poſtea cauſarum patronum Machliniæ in magno Concilio Belgico egit. Vir fuit ingenio ſingulari; ediditque *Singularia Juris*, ſeu Doctorum dicta memorabilia, Antver. 1620. 8. typis Guil. à Tongris.

Collegerat & *Flores Poëtarum Belgicorum*, quos morte præventus proferre in lucem nequiit. Moritur autem Harlemi, anno 1624. pridie Kal. Novembris.

## NICOLAUS HOOGHELANDIUS,

Abbas B. M. V. Middelburgi in Zelandia, Ordinis Præmonſtratenſis, floruit ab anno 1394. uſque ad 1430. deſcripſit

*Chronicon Beatorum Canonicorum Regularium, ſub S. Præmonſtratenſium Obſervantia degentium.* MS. Extabat Antverpiæ in Bibliotheca Eruditiſſ. Viri Chriſtophori Butkens, quondam ad S. Salvatorem Prælati; ex quo deſumptus fuit libellus editus Antverpiæ per Anonymum in 8. anno 1682. apud Joannem Slegers.

## NICOLAUS JANSSENIUS,

Vernaculè JANSSEN-ZOON, Ziriczæus, Zelandus, S. Theol. Licentiatus, cum tribus fratribus ſuis, *Leonardo*, *Cornelio* & *Dominico*, Religionem Inſtituti Dominicani profeſſus, Theologus & Eccleſiaſtes Antverpiæ celebris, voce & ſtilo inclaruit, Sediſque Apoſtolicæ Miſſionarius, ut vocant, ad Daniæ Regnum, dum illud perpurgare à Lutherano fermento nititur

ritur, in medio certamine de ſtatione vitæ hujus dejicitur Fredericopoli die 21. Novemb. anni 1634. Scripſit

*Vitam* S. Dominici, Ord. Prædicatorum Fundatoris. Antver. 1622. 8. apud Henr. Aertſium.

*Scholia & Animadverſiones in Apologiam de Vita & Morte Joannis Duns*, Scoti, Ord. S. Franciſci, adverſus Abr. Bzovium, pro Bzovio. Coloniæ, 1622. 8. Extat etiam Tomo XV. Annalium Eccleſiaſticorum Bzovii.

*Defenſionem Fidei Catholicæ & Apoſtolicæ Romanæ*, oppoſitam Appoſitioni neceſſariæ *Joannis Mulleri, Lutherani*, Prædicantis Hamburgenſis. Antver. apud Guil. à Tongris, 1631. 8. Pro hac Defenſione ſcripſerat Replicam *Cornelius Janſſenius*, *Nicolai* frater, ejuſdem Ordinis S. Theologiæ Lector Bononienſis, quæ cum ipſo auctore periit in mari, dum Romam è Batavis contendit, anno 1636.

*Beneficia FF. Prædicatoribus à D. Virgine collata.* Ibid. 1632. 12.

Præterea *Inſtructionem Sacerdotum*, ex SS. Patribus & Eccleſiæ Doctoribus, auctore *Antonio de Molina*, Carthuſiano, poſt ſeptimam in Hiſpaniis editionem, latinitate donavit. Ibid. typis Nutii, 1618. 8. & iterum Antver. 1644.

Plura de eodem Authore habet P. Echard in Biblioth. Ord. Præd. Tomo II.

## NICOLAUS JACQUERIUS,

Vernaculè Jacquier, gente Burgundus, patriâ Divionenſis, profeſſione Dominicanus, apud Valerium Andream Inſulis vixiſſe memoratur anno 1442. Philippo Bono Belgarum Principi carus fuit, & ad ſummi momenti negotia accerſitus. Scripſit

*Contra Waldenſes.*

Item in Concilio Conſtantienſi *Diſputationem* publicam habuiſſe creditur *contra Joannem Hus*, ſub nominibus N. & J. Sed negat hoc P. Echard in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Prædic. Tomo I. pag. 847. qui quoſdam alios Tractatus MSS. eidem *Jacquerio* attribuit.

Ad annum 1472. mortem ejus referunt Tabulæ Conventûs Gandenſis, ubi tumulum habuit.

## NICOLAUS KINSCHOT,

Delphius, Caſparis filius, dedit annorum XVI. adoleſcens, *Orationem Panegyricam, de Rebus à Mauritio, Principe Auriaco, fortiter geſtis*, editam Hagæ-Comitis, in 4. 1600.

## NICOLAUS KOLYN,

Monachus Benedictinus Cœnobii Egmondani apud Harlemum, inter primos optimoſque Rerum Hollandicarum Scriptores jure merito annumerandus, claruit anno 1170, ſcripſitque *Vetus Chronicon Rythmicum* belgico ſermone compoſitum, hocce titulo:

*Rym-Kronyk, van oudts genaemt, het geſchichte Hiſtoriael-Rym, der eerſte Graaven van Holland; van Broeder Klaas Kolyn, Monnink van Egmond*, uſque ad annum 1156. Publicavit Vir Clariſſ. *Gerhardus Dumbar* Reipublicæ Daventrienſi ab Actis, Tomo I. Analectorum ſuorum pag 247. Daventriæ 1719. in 8.

## NICOLAUS de LAINE,

Abbas S. Gerardi, Ord. Benedictini, in Bronio, tertio à Namurco miliari, obiit anno 1448. Scripſit

*De Tranſlatione ſalutiferæ Crucis.*

## NICOLAUS LAMPSONIUS,

Brugenſis, *Dominici* frater, S. R.

E. Protonotarius, Eccleſię Collegiatæ S. Dionyſii apud Leodienſes Canonicus & Decanus, & Principi à Conſiliis, fratris exemplo Poëſin adamavit, & verſus aliquot luſit, fratris Poëmatiis inſertos. Leodii, 1626. Deceſſit ex hoc vitæ ſtadio ſenex & plenus dierum, anno 1635. v. Kal. Aprilis, Canonicatûs LXVII. Decanatûs XL.

*Franco Berdenne* J. C. Leodienſis, ductâ in uxorem *Dominici* ex filia nepte, piis Manibus avi ac propatrui ita applanxit, alludendo ad cognomen:

*Partem aliam longas hominum mors mittit ad umbras,*
*Et jubet inviſæ noctis ïnire vias,*
*Non in* Lampſonios *fas hoc habet invida fratres;*
*Lampadas & Soles umbraque moxque fugit.*

## NICOLAUS MAMERANUS,

Luxemburgius, Poëta & Hiſtoricus, melioribus litteris operam dedit Embricæ Cliviorum apud Fratres Hieronymianos, ac deinde bonam vitæ partem trivit in palatiis Principum, & Caroli V. Cæſaris aula; vir facetus & & jocoſus. Scripſit

*Gratulatorium Carmen in Philippi Regis Hiſpan. in Belgium anno 1555. adventum.*

*Epithalamium in Nuptias ejuſdem cum Maria Regina Angliæ.*

*In Nuptias Alexandri Farneſii*, Parmę Principis &c. typis Plantini, 4.

*De Venatione*, Carmen heroïcum: in quo dictiones ſingulæ à littera C. incipiunt, exemplo Calvi Poëtæ de Calvitio, hoc initio:

*Cum caperem certas circum cava cornua curas &c.*

*Carmen de Bezo-las-manos*, Coloniæ, typis Henr. Artopæi, 1550.

*Strenam anno 1560. de Aſino S. Maximini Archiepiſc. Trevirenſis, cum S. Martino Archiep. Turonenſi Romam euntis, ab urſo devorato.* Antverpiæ, 4.

*Deſcriptionem metricam Aquæ-ductus ſeu Navigationis Bruxellenſis* abſoluti anno 1561. editam rurſum Brux. 1681.

Hiſtoriam *de Electione* Caroli V. Imp.

*De Bello Saxonico.*

*Cæſaris iter ſexennale per Germaniam.*

*Catalogum Nobilium Aulicorum, ac Ducum exercitus Caroli V.* Coloniæ, apud Henr. Mameranum, Nicolai fratrem, 1550. 8.

*Catalogum Expeditionis Rebellium Principum & Civitatum Germaniæ.*

*De Peregrinatione Jeroſolymitana Joannis Hezii.* Antver. 1565.

*De Hieme anni* 1564.

*Epiſtolam, de eo, Quod B. Petrus Romæ fuerit.*

*De Confeſſione tutis Sacerdotis auribus committenda*, 1546.

*Formulam auſpicandi finiendique diem certis Precatiunculis.* Antver. 1553. apud Joan. Latium.

Præterea *Paſchaſium de Sacramentis* emendatiorem edidit.

Senex, læſo cerebro, delirare cœpit, ùt nobilium ludus & eſſet & diceretur. Sine laurea in publicum numquam prodibat; quòd Poëta eſſet Laureatus; ſeque mammam Maronis vocabat. Oravit in Quodlibeticis, ut nominant, Queſtionibus aliquando Lovanii, devinctus tempora lauru, magno hominum concurſu ad rei novitatem evocatorum, *de Memoria*; adverſus eos, qui de ſcripto recitant leguntque Orationes. Extat Oratio, Bruxellæ typis edita, in 4. 1561. ſed memoriam infidelem expertus, ſe ipſe auctor refellebat.

## NICOLAUS A MONTIGNY,

E Canonico Viconienſi electus anno 1308. Abbas Caſtelli S. Martini, ad Scarpum fluvium apud Mor-

taneam ; Ord. Præmonſtratenſis , *Annales Cœnobii Viconienſis* continuavit : quos priùs ediderat alter, *Nicolaus* nomine , ejuſdem Viconienſis Abbatiæ Prior , qui vixit anno 1203. Porrò utramque hanc Hiſtoriam è Manuſcriptis ibidem , ediderunt in lucem PP. Benedictini Pariſiis anno 1729. in Collectione ampliſſ. Veterum Monumentorum Tomo VI. p. 281.

*Hiſtoriam Martyrii & Tranſlationis undecim millium Virginum.*

*De Miraculis S. Blaſii* , lib. I.

*Memoriale Reliquiarum Eccleſiæ Viconienſis.* Et alia, quæ Viconiæ manuſcr. aſſervantur.

## NICOLAUS A MONTMORENCY,

Comes Stegriæ ( vulgò Eſtaires) in Flandria , Baro Haveskercæ , Toparcha Vendegii , Pamcliæ , &c. Sereniſſ. Belgii Principum Ærario ſeu Finantiis ſupremus Præfectus ; edidit librum, cui titulus:

*Flos Campi* ; in quo Exercitia & Meditationes quotidianæ &c. Lovanii, typis Rivii , 8.

*Manna abſconditum* , in quo ſimiliter Precationes & Meditationes variæ. Ibid. 8. Tomis II. & Coloniæ, 1617.

*Diurnale Pietatis.* Antver. apud Gaſp. Bellerum , 1616. 8.

*Solemne Convivium biparitum de præcipuis Solemnitatibus* D. N. Jesu *Chriſti*, *B. Mariæ & Sanctorum.* Ibid. 1617. 8.

*Manuale Principis.* Duaci , apud Balth. Bellerum, 1597. 8.

*Corona Spiritualis*, gallicè. Bruxellis.

*Fons Amoris :* & alia ejuſdem ferè generis.

Naturæ debitum perſolvit Gandavi anno 1617. XVII. Kalen. Junii.

## NICOLAUS MULIERIUS,

Vulgo Muliers , Brugenſis, Calviniſta , Medicinæ Doctor renunciatus anno 1589. Lugduni Batavorum , inde Medicus Harlingæ ac Leovardiæ, ac demum anno 1614. Medicinæ atque Mathematum Profeſſor in Academia Groningana , ibique Bibliothecarius. Deceſſit Nonis Septembr. 1630. ætatis anno LXVI. Plura de eo Paulus Freherus in Theatro Virorum Eruditorum uti & de filio ejus *Petro Mulierio*, Harlingenſi , Medico item, ac Phyſices & Botanices Profeſſore Groningæ. Edidit autem Nic. Mulierius

*Inſtitutionum Aſtronomicarum* libros II. in queſis Geographiæ principia, & pleraque ad artem nauticam facientia. Amſtelodami , 1616. 8.

Item *Tabulas Friſiæ Lunæ-Solares* , cum *Iſagoge* ad eaſdem.

*Kalendarium Romanum vetus* , formâ Julianâ , cum *Iſagoge* & *Examine temporum.* Alcmariæ, 1612. 4.

Διατριβὴν *de Anno Arabico & Turcico* , inſertam Operi Chronologico *Ubbonis Emmii* , Groningæ , 1619. in fol.

## NICOLAUS NEELSIUS,

A Campenhout , Brabantus, Ord. FF. Prædicatorum , Conventûs Gandavenſis , S. T. Doctor Duaci renunciatus anno 1584. Provinciæ ſuæ , quamtumvis deſolatæ , pluſquam annis XVI. magna cum laude præfuit : hæreticæ quoque pravitatis Inquiſitor. Plura de eo vide in Belgio Dominicano pag. 77. Reliquit

*Commentarios* eruditos , *in Geneſin : in Cantica Canticorum :* in *Epiſtolas* D. *Pauli.* Item *in Apocalipſin S. Joannis.* MSS. Gandavi.

Obiit Gandavi 1601. IV. Kal. Febr. conditus apud ſuos in ambitu , hoc Epitaphio.

D. O. M.

*Morte obitâ , & variis duri languoribus ævi*

*Heic* NICOLAUS NEELSIUS,
*Ordinis Antiſtes hujus, quam Belgica latè*
*De finibus tendit ſuis;*
*Compoſitus placidâ requieſco in pace ſepultus;*
*Votis juvate poſteri,*
*Præcipue Fratres, ut vobiſcum hinc aliquanda*
*Ad cælitem vitam vocer.*

## NICOLAUS NESSELIUS,

Maſcicanus, Eburo, S. Theol. Licentiatus Lovanienſis, & Protonotarius Apoſtolicus, naſcitur anno 1584. XIII. Kal. Januarii, patre *Hermanno*, viro Conſulari. A puero educatus formatuſque Leodii, Philoſophiæ Lovanii in Lilio operam dedit. Hinc in Collegio Adriani VI. decurſo Theologiæ ſeptennio, ad eamdem profitendam ab Abbate Diligemienſi juxta Bruxellas evocatus, ibidem triennium vixit ac docuit; indeque à Reverendiſſ. *Carolo Philippo de Rodoan*, Epiſcopo Brugenſi, ad Sacra & Secreta admotus eſt, ac tandem velut poſtliminio ad ſuos reverſus, primùm Paſtor Mechliniæ ad Moſam per vicennium, pòſt ad S. Paulum Leodii Canonicus, etiam ſcriptioni vacare cœpit, Orator & Poëta, ut corpore, ita & ingenio valens. Edidit

*Tractatum de Avaritia, quæ eſt idolorum ſervitus.* Leodii, apud Joan. Tournay 1636. 8.

*Theatrum Æternitatis*, lib. II. metro redditum. Ibid.

*Theſaurum ſpiritualem de ſacro Capite S. Petronillæ Virg.* (quod in Sacello Caſtri de Reckem magno peregrinorum concurſu colitur) gallico idiomate. Ibid. apud Joan. Ouwerx 1629. 8.

Naturæ debitum perſolvit anno ineunte 1642.

## NICOLAUS NICOLAIUS,

Grudius, ſive Lovanienſis, *Nicolai Everardi* Præſidis filius, Eques, Brabantiæ Ordinibus, Illuſtri Ordini Velleris aurei ab Actis, Carolo V. & Philippo II. Hiſpan. Regi, Brabantiæque Duci à Conſiliis: Vir fuit, Petri Nannii judicio, *& induſtriâ efficaci, & fide ſummâ, & pietate in omnes præſertim doctos incredibili, & ob vitæ ſinceritatem apud omnes gratiſſimus, & potentiſſimæ cujuſdam auctoritatis. Solus me-hercle*, inquit, *videtur virtutem ſine ullo pretio & gratuitò adamare, bonus Orator, melior Poeta* Ita ille in Miſcellaneis ſuis lib. III. cap. 1. Scripſit autem *Grudius*

*Epigrammata Arcuum triumphalium, Valentianis Carolo V. in ejus adventu exhibitorum.* Lovanii, apud Saſſenum, 1540.

*Apotheoſin in obitum Maxæmiliani ab Egmonda*, Comitis Burani &c. Ibid. 1549. typis Ægidii Dieſtemii.

*Poëmatum Piorum* libros II. quos *Negotia* inſcribi volebat. Antver. apud Silvium, 1566. 8. quibus à morte auctoris acceſſerunt *Otia* ſive Poëmata profana, *Elegiarum* libri III. *Epigrammatum* libri III. *Hendecaſyllaborum* liber I. *Funerum* libri II. *Silvæ* & *Epiſtolæ*. Lugd. Batavor. 1612. 8. cum fratrum Poëmatibus.

Obiit Venetiis, anno 1571. eò Reipublicæ cauſâ profectus.

## NICOLAUS A NOVA-TERRA,

Aliàs NIEUWLANDT, Egmondanus, Batavus, quondam Epiſcopus Hebronenſis, ac Georgii Egmondani Ultrajectenſis Epiſcopi Suffraganeus nec non Præpoſitus Eccleſiæ S. Bavonis Harlemi ac Decanus B. M. V. Ultrajecti; anno 1560. à Philippo II. deſignatus eſt primus Epiſcopus Harlemenſis, eoque titulo Abbas Commendatarius Monaſterii Egmondani Ord. S. Ben. eidem Epiſcopatui recens uniti,

NICOLAVS EVERARDVS
PRÆSES MACHLINIENSIS.

*Iura velut tenebris iamdudum offusa iacebant,*
*Pæneq; Lethææ sub pede mortis erant.*
*Astræa ad Grudios rediit te vindice campos,*
*Iuraq; Romani quæ coluêre patres.*

Ad. Mirei.



Digitized by Google

Senectutis & podagræ infirmitatibus attritus, anno 1569. Episcopali oneri renunciavit ; tum reliquos vitæ dies passim exegit in Zelandia , & in Oppido , vulgo S. Martens-dyck , obiit anno 1579 (vel , juxta Valerium Andræam , mense Maio 1580 ) depositus in Ecclesia Abbatiali Monialium S. Servatii Ultrajecti, ante summum Altare. Edidit

*De Ritu celebrandi Missam.*

*Statuta Synodalia Diœcesis Harlemensis*, primum edita in 4. anno 1564. typis Zureni : dein rursus in Batavia Sacra Heussenii parte II. pag. 294.

## NICOLAUS ORANUS,

Leodius, FF. Minorum de Observantia S. Theol. Professor & Ecclesiastes , Conventuum Leodiensis , Namurcensis atque alibi Guardianus seu Præfectus , & per Provinciam Flandriæ secundò Definitor ; Vir cùm pius & prudens , tum doctus & facundus, pro Concionibus explicavit

*Apostasiam Judæ proditoris*, Concionibus XXX. Montibus , 1611. 8.

*Exilium generis humani felicissimum.* XXIV. quibus triumphum misericordiæ Dei circa primos parentes & eorum posteros illustravit. Ibid. 1615. 8.

*Benjamin Euangelicum*, seu *Conversionem S. Pauli*, Concionibus XXXIV. Ibid. 1624.

*Conversionem Cornelii Centurionis* , Ibid. 1632. 8. apud Franc. Waudré.

*Mysteria Passionis Dominicæ*, Concione tri-horariâ.

Postremò dedit *Orationem Moralem & Historicam de S. Alberto*, S. R. E. Cardinale, Episcopo Leodiensi & Martyre.

## NICOLAUS OUDAERT,

Bruxellensis, J. U. D. Canonicus Graduatus & Officialis Metropol. Machlinienſis ; vir de Ecclesia sua optimè meritus. In versibus condendis non infelicem expertus est venam, leguntur-que varia illius ad amicos Carmina, sparsim edita.

*Ephemeridas* ejus *Ecclesiasticas* seu Fastos sacros excudit Antver. Moretus , 1600. 12.

Decessit anno 1608. mense Junio , altero post magnum *Justum Lipsium* anno , quem uti vivum coluerat , ita mortui funus luxit , & Testamenti executor *Lacrymas* suas apud posteros cultûs illius testes esse voluit. Sepultus in Ædc D. Rumoldo sacrâ , sub turri , ubi hi versus sepulcrales leguntur.

*Mole sub excelsa jacet hic tumulatus* ODARDUS ,
*Cui studium sacras condere Ephemeridas.*
*Ex adito templi prudens descendit ad imum,*
*Aptior ex humili quò fit ad astra via.*
*Qui tuæ ut alta videt Machlinia culmina turris ,*
*Aut legit hæc , dicat* , SIT BENE ODARDE , TIBI.

Vivere desiit anno M. D. C. IIX. Mense Junio.

❖ ❖ ❖

Allusio ad Anagramma defuncti ,
JUS LAUDE CORONAT.

*Hic situs Oudartus, nil ultra quære viator,*
*Sit satis hunc titulum significasse tibi.*
*Cætera quis nescit ? Phœbum & Jus laude coronans*
*Hle hominum decus & prima corona fuit.*

Ad nomen & mensem fatalem.

*Oudartum extinxit Junii flagrantior æstus,*
*Sic urgent juvenes ad sua busta senes.*

## NICOLAUS PARENT,

Insulensis , Monachus Cisterciensis & Prior Abbatiæ B. M. V. de Laude prope Insulas , dein Confessarius sanctimonialium de Wevelghem , juxta Cortracum. Obiit die 22. Februarii 1663.

Scripsit gallicè *Apem mysticam, volumen magnum, collectum ex Operibus S. Bernardi, pro institutione Religiosorum in tribus Viis perfectionis, purgativâ, illuminativâ & unitivâ.* Tornaci 1639. in 4. per Adrian. Quinque.

*Calcar divini Amoris*, gallicè. Insulis per Petr. de Rache.

*Pia exercitia usurpanda ante, & post Communionem.* gallicè, ibidem.

## NICOLAUS PETRI,

Sive PEETERSSEN, laudatus *Adriano Romano* ab Arithmeticæ secretioris Algebraïcæ peritiâ. Ejus *Arithmetica*, belgicè conscripta, omnium teritur manibus.

## NICOLAUS PLENEVAULX,

Leodius, Ordinis Eremit. S. Augustini, S. Theol. Doctor, recensuit auxitque ex autographo *Ægidii à Præsentatione* ejusdem Ord. in Academia Conimbricensi primarii Professoris, librum, cui titulus,

*Primas Augustinianeus*, sive *Prærogativa præcellentiæ Ord. Eremit. S. Augustini.* Coloniæ, 1627. 8

Item scripsit *Commentaria in Cantica Canticorum.*

## NICOLAUS A POCULO,

Leodius, Ord. Minorum Theologus, Guardianus Leodiensis, Athensis & alibi, edidit gallicè libellum *De S. Angelo Custode*, hoc titulo, *l'Escusson Angelique.*

## NICOLAUS POTTIER,

Montensis, Hanno, Presbyter, evulgavit patrio affectu,

*La Noblesse Sainte & Roiale de SS. Walbert & Bertille, Ducs de Lorraine & Comtes de Haynaut, parens des SS. Waudru & Aldegonde.* 8. Montibus 1648.

## NICOLAUS REBBIUS,

Athensis, Hanno, S. Theologiæ Doctor, Protonotarius Apostol. & & Canonicus Theologalis ad S. Petrum Insulis, nascitur anno 1565. die x. Octob.

Edidit, Insulis habitas, Orationes Panegyricas binas, *I. de Annuntiatione:* alteram *de Conceptione immaculata Virginis Dei-paræ.* Bruxel. 1598. 4. apud Mommartium.

*De Homicidio* libros II. Ibid. 1612. in 4.

*Tractatum de utilitate Lecturæ Theologiæ in Ecclesiis Metropolitanis, Cathedralibus Collegiatis & Regularibus; & de Præbendæ Theologalis primæva fundatione & origine.* Duaci, typis Belleri, 1611. 4.

*De Residentia Beneficiatorum quorumlibet.* Ibid eodem anno, 4.

*De Dignitatibus & Officiis Ecclesiasticis.* Ibid. 1612. 4.

## NICOLAUS REMOCAMPIUS,

Vulgo DEREMOUCHAMPS, Leodius, patriâ Stabulensis, J. C. & in alma urbe Roma insignis practicus, evulgavit Tractatum

*De Beneficiorum Ecclesiasticorum & officiorum sæcularium Coadjutoriis.* Leodii 1651. 4. ac dein fol. Romæ 1700. Extat simul cum Tractatu *Jo. Chockier de Commutationibus Beneficiorum.*

## NICOLAUS ROMÆUS,

Brugensis, natus anno 1563. die xx. Octobris, studia Humanitatis in patria absolvit: Philosophiam partim Parisiis, partim Herbipoli in Franconia

C·V·NICOLAVS ROMMEL·I·C·
D. de Eede Walle Primarius
Consiliarius et Actuarius
Nobilis. Senatus Franconensis.
MDC LXVI.
C. Von Caukercken fecit

didicit ; Juriſprudentiam Biturigibus ac Pictavii in Gallia , ſeroque Societati Jeſu nomen dedit anno 1594. atque in ea Theologiam Moralem non uno loco per annos XIV. docuit.

Solebat in confutandis Sectariorum dogmatis ferè verſari, præſertim natis aut renatis è Calvini cerebro. Pulcrè ſanè, ut non tam Calvinum ipſe Auctor, quàm ſe Calvinus refutet, propoſitâ *Joannis Calvini Noviodunenſis novâ effigie, centum coloribus ad vivum expreſſâ*, ſive Calvino ἑαυτὸν ξυγγραφουμένῳ, quâ Calvinus Mendax, Blaſphemus, Tortor, Sycophanta, Sophiſta, aliiſque coloribus exprimitur : cum Digreſſione *De Prædeſtinatione* & *Juſtificatione*. Antver. typis Verduſſii, 1622. fol.

Obiit in patria anno 1632. die XX. Decembris.

## NICOLAUS ROMMEL,

Brugenſis, Toparcha de Eedewalle, J. C. præſtantiſſimus, fuit primùm Curiæ Prępoſitalis D. Donatiani (cujus caput Brugenſis Epiſcopus eſt) per annos plures Graphæus, inde etiam Senatûs Franco-brugenſis primarius Conſiliarius, Advocatus, (Penſionarium vulgo dicunt) & Actuarius. Concinnavit opus laudatiſſimum, cui titulus,

*Commentarii in Comitatûs Flandriæ toto orbe celeberrimi Patrias Franconatûs Leges, ſeu Conſuetudines* ; cujus ſolum Schema prodiit Brugis apud Petr. Rooſe 1664. fol. Extat hactenus MS. in variis Bibliothecis, atque imprimis apud D. *Carolum Franc. Cuſtis*, J. L. Scabinum Urbis, uti & Curiæ Præpoſ. Brugenſis.

Meditabatur etiam *Vitas & Elogia Virorum factis vel ſcriptis illuſtrium, qui Brugis, vel in Franconatu nati, vixerunt vel ſepulti ſunt*: Quem in finem jam centum, & ultra *Icones* eorum æri inſculpi curarat : quarum paucæ hodie ſuperſunt. Sed mors ejus conatibus obſtitit.

Obiit autem Brugis die 13. Auguſti 1669. ſepultus in æde Parochiali D. Walburgis. Pater illius *Joannes Rommel*, J. C. primarius quoque Penſionarius ac Graphæus Franconatûs Brugenſis, obierat 25. Maii 1654. Avus *Remigius*, J. C. deceſſit 23. Martii 1641. Proavus *Joannes*, J. C. & Curiæ Præpoſitalis S. Donatiani Graphæus, (quem & ſcriptis clarum ſupra laudavimns) obiit anno 1640.

## NICOLAUS SCHOONHOVIUS,

Natus anno 1495. VI. Idus Septembres, titulum Juriſconſulti anno 1510. Lovanii adeptus fuit. Inde juvenum choralium in Eccleſia Cathedrali Ultrajecti curam ſuſcepit, magno, ut ſcribit, cum cruciatu uſque ad annum 1543. Scripſit autem

*Epitomen Sanctæ Cathedralis Eccleſiæ Ultrajectenſis*, Epiſcoporum ejus loci res geſtas continentem, è vulgari in Romanum eloquium verſam ; non omninò indignam, quæ in lucem edatur.

## NICOLAUS SIMONIS,

Batavus, Carmelita, & ſui Ordinis Provincialis, ſcripſit

*Sermones de Tempore & Sanctis* ; & inſcripſit *Vade mecum*.

*De Poteſtate Papæ, Imperatoris & Concilii* libros IV. in librum II. Decretal. De foro compet. C. *Si quis contra Clericum*. Mediolani, circa annum 1410.

*Repetitiones & Diſputationes*. Venetiis, 1497.

*Vitas Sanctorum Patrum*.

*De ſacris & Mulieribus* lib. I.

*Hiſtoriam Ordinis ſui*. Et alia, recenſente Abbate Trithemio.

Obiit ſenex Harlemi, anno 1511.

## NICOLAUS STOCHIUS,

Lugduni apud Batavos litteras humaniores docuit, *Justo Lypsio* familiaris, è cujus prælaris monumentis collegit *Mellificium duplex*, è media Philosophia petitum, *alterum Similium*, *alterum Aphorismorum seu Sententiarum*: editum ibid. typis Raphelengii, 1591. 12.

Moritur autem anno 1598. VIII. Idus Maii.

## NICOLAUS STOPIUS,

Aloſtanus, Flander, Poëta, vixit, mortuuſque Venetiis, ubi ſedem poſuerat fortunarum ſuarum. Luſit *Panegyricum* elegantem *de Laudibus D. Joannæ Arragoniæ*: & alia *Poemata*, anno 1555. Florentiæ edita.

## NICOLAUS LE SUEUR,

J. C. Atrebas, ſcripſit, Ferreolo Locrio teſte, *Notas ad Leges XII. Tabularum.*

## NICASIUS SUSIUS,

Brugenſis, Societatis Jeſu, bonam vitæ partem bonis litteris ac Poëſi Rhetoricæque tradendis, cùm Duaci tum alibi, dedit: multaque in negotioſo iſto meditatus eſt otio, è quibus lucem vidêre, *Opuſcula* quædam *litteraria*, ut titulus habet: inter quæ ſunt,

*Lima Ciceroniana*, ſive *de Stylo* liber ſingularis. Antv. 1618.

*Diſceptatio Quodlibetica de Pulcritudine B. M. Virginis.* Ibid. 1620.

*Elegiæ Marianæ*: *Luſus Anacreontei.*

*Drama Comicum*, *Pendularia.* Antverpiæ typis Nutii, 1621. 8.

Ab eodem creditur ſcripta *Vita Martini Ant. Del-Rio*, ejuſdem Societ. quę *Gaſp. Hartzeveltii* nomine circumfertur.

Meditabatur plenum *Commentarium in Florum.* Verùm anno 1619. VI. Idus Junii *Suſio* Cortraci moriente, etiam filum operis illius ruptum fuit.

## NICOLAUS DU TOICT,

Inſulenſis Flander, Societati Jeſu adſcriptus anno 1630. ætatis XIX. poſt traditas in Belgio humaniores litteras, Sacerdotio vixdum initiatus, zelo Apoſtolico ad lucrifaciendas Chriſto animas in Indias profectus eſt circa annum 1660, mutatoque nomine *Del-Techo* nuncupari voluit.

Evulgavit *Hiſtoriam Provinciæ Societatis Jeſu in Paraguaria*; quæ tranſmiſſa in Belgium, edita fuit Leodii typis Matthiæ Hovii, fol. 1673.

Præfuit Superior Miſſionibus Apoſtolicis de Parava & Uruguay, ac tandem Rector Collegii Aſſumptionis in Provincia Paraguariæ, Apoſtolicorum laborum coronam (uti confiditur) ibidem obtinuit circa annum 1680.

## NICOLAUS TRIGAULT,

Duacenſis, Societ. Jeſu Presbyter, Rhetoricam Gandavi docuit, Linguaſque peregrinas ac Coſmographiam ſimul addidicit. Impetratâ à Præpoſito Generali in Solis Orientis Indiam profectione, conſcenſaque anno 1607. die v. Febr. Olyſippone navi, eodem anno die x. Octobris Goam appulit; inde Macaum pervenit anno 1610, ipſumque mox Sinenſe Regnum penetravit; primus è Provincia Belgica, & è Societate Jeſu vigeſimus-primus ad Sinas Miſſionarius.

Reverſus in Europam, & ferè terreſtri itinere, peregratâ Perſide, Arabiâ deſertâ, Turcici parte Imperii, etiam in Belgium atque Antverpiam venit, coactiſque undique auxiliaribus copiis, poſt triennium anno 1618. cum quadraginta quatuor variarum nationum Socii

ſociis è Luſitania ſolvit, ac ſeptimo demùm pòſt anno ad Sinenſes ſuos rediit, obiitque apud eoſdem anno 1628. die XIV. Novembris. Scripſit

*Vitam Gaſparis Barzæi*, Belgæ, ex eadem Societ. *S. Franciſci Xaverii* comitis, libris III. Antverp. typis Trognæſii, 1610. 8. & Coloniæ, 1611. 12. apud Bern. Gualterum.

*De Chriſtiana expeditione, apud Sinas ſuſcepta ab PP. Societat. Jeſu* libros V. ex *Matthæi Riccii* Commentariis. Auguſtæ Vindel. 1615. 4. & auctiores Coloniæ, 1617. in 8.

Notatu digna ſunt, quæ de inventione Artis Typographicæ addit *Trigautius* libro I. cap. IV. *Typographiæ* (inquit) *apud Sinas antiquior aliquanto uſus eſt, quam apud Europæos: nam à quinque retro ſæculis certum eſt, ab iis uſu receptam. Neque deſunt, qui aſſerant, priùs eâ Sinas fuiſſe uſos, quam in hanc mortalitatem Immortalis Deus ſeſe abjeciſſet.*

*De Chriſtianis apud Japonios Triumphis*, ſive de Perſecutione ibidem exorta contra Chriſti Fidem ab anno 1612. uſque ad 1620. libros V. Monachii, 1623. 4. cum Auctario Matthæi Raderi S. J. & iconibus Sadelerianis.

*Epiſtolam de ſua in Indiam navigatione*, datam Goæ, 24. Decemb. 1607. quam refert *Petrus Jarricus* in Theſauro Rerum Indicarum Tomo III. libro I. cap. XLI.

*Annuas Litteras è Regno Sinarum annor.* 1610. & XI. Auguſtæ, 1615. 8. Item *annorum* 1620. & 21.

*Rei Chriſtianæ apud Japonios Commentarium, ex Litteris annuis S. J. annorum* 1609. & *trium ſeqq.* Ibid. 1615. 8.

**Vocabularium Sinicum*, Tomis III. excuſum in Regno Sinenſi; in quo libro Sinarum characteres ad noſtrorum elementorum ordinem ita revocat, ut triduo poſſit à Sinis totum artificium intelligi.

*Annales Regni Sinenſis* Tomis IV. in fol. juſtæ magnitudinis parabat, uno jam Tomo confecto.

*De Computu Eccleſiaſtico*, per quem Chriſtiani Sinenſes indagare poſſunt feſta & jejunia Romanæ Eccleſiæ.

*Pentabilion Sinenſe*, quod primæ apud illos auctoritatis eſt, Latinâ Paraphraſi explicuit.

## NICOLAUS TULDENUS,

Silvæducenſis, Nobilis ac patriciæ familiæ *de Tulden*, poſt impleta feliciter Lovanii ſub *Joanne Wameſio* Juriſprudentiæ ſtudia, in patriam reverſus, mox in Senatum conciliumque Judicum allectus eſt, licet nondum ætate juſtâ: quo in munere eâ integritate, diligentiâ & peritiâ ſeſe probavit, ut Silvæducenſium animos ad Juriſprudentiam excitaverit; luctandumque illi fuerit cum multis, qui ſolo uſu & calliditate inſtructi, ſolent arbitratu ſuo cauſas ferè decidere. Scribendi genus amplexus eſt modeſtum, quo publicæ utilitati magis conſuleret, quàm famæ ac gloriæ.

*Locos Communes Parium ac Similium Juris, Jod. Damhouderii Annotationibus*, noviſque Æquiparatorum argumentis, auxit. Antver. 1601. 4. apud Joan. Bellerum.

*Praxin Rerum Civilium ejuſdem Damhouderii* ſimiliter *Annotationibus* perpetuis, quà theoricis quà practicis, illuſtravit. Ibid. apud Gaſp. Bellerum, 1617. 4.

Meditabatur *Commentarium in Methodum Juris Controverſi Nic. Vigelii:* quod opus in foro verſantibus bibliothecæ inſtar eſſe potuiſſet.

Moritur plenus dierum, anno 1609. die VI. Octobris, ſepultus apud Minores. Filios reliquit Viros Ampl. *Joannem Tuldenum*, J. C. ex Syndico Silvæducenſi in ſupremo Brabantiæ Senatu Aſſeſſorem, & *Diodorum*, J. U.

D. & in Academia Lovaniensi Ordinarium ac primarium Legum Antecessorem, dein supremæ apud Machlinienses Curię Senatorem.

## NICOLAUS TURLOT,

S. Th. Lic. ex Pastore, Canonico graduato, Archipresbytero & Archidiacono Cathedralis Ecclesiæ Namurcensis, Præpositus ibidem per annos undecim, atque Vicarius generalis. Vivere desiit 17 Januarii 1651. scripsit gallicè

*Thesaurum Doctrinæ Christianæ.* Leodii 1631. 4. dein latinè translatum; anno 1668 Bruxellis apud Francisc. Foppens, & alibi sæpius editum.

## NICOLAUS VAINCQ,

Presbyter, Ecclesiæ Colleg. S. Hermetis apud Rothnacenses per 46. & ultra annos Canonicus, pro sua in Patronos pietate scripsit gallicè

*Brief recueil des Vies des SS. Hermes, Corneille, Cyprian & Celestin, Patrons de Renaix.* 12. Tornaci 1673.

## NICOLAUS VERLAYE,

Capituli Cathedralis Leodiensis Silentiarius, ut vocant, vir in litteris humanioribus, ut & in officio suo versatissimus, multarumque rerum cognitione præditus, heroico carmine prosecutus est

*Jucundum Ferdinandi Bavari, Principis Leodiensis, in civitatem suam Leod. adventum.* Excudit Leon. Streel, 1613. in 4.

## NICOLAUS VERNULÆUS,

Ex Ducatu Luxemburgensi oriundus, natus est in Robelmontio, vico Vertonensis agri, die 10 Aprilis 1583. patre *Petro de Vernulz*, quondam in exercitu Regio apud Belgas Centurione. Studia humaniorum litterarum & Philosophiæ partim Treveris, partim Coloniæ absolvit; cursum verò S. Theologiæ Lovanii, Licentiæ gradum adeptus XI. Decembris 1618. Docuit ibidem Rhetoricam in Porcensi Gymnasio ab anno 1608. Eloquentiam verò in publica Artium Schola Professor Academicus, ab anno 1611.

Vir in utravis oratione stylo quàm voce promptior, & scribendi quàm dicendi gratiâ præstantior. Ad hæc doctrinâ varius, ingenio politus & elegans, judicio perspicax, eloquio potens, stylo facillimus, Cæsareus Regiusque Historiographus. Anno 1619 primus Moderator Collegii Myliani sive Luxemburgensis, à Comitibus Fuggerianis constitutus, eidem annos XXX. præfuit; per Privilegia etiam Academica Canonicus Ecclesiæ Colleg. S. Hermetis Rothnaci. Varia scripsit, Poëtica, Oratoria, Politica, Historica: quorum hic syllabus est:

*Filii exilium*, Tragœdia, Lovanii exhibita; edita autem Colon. 1610.

*De Arte Dicendi* libri III. unà cum *Praxi Rhetoricæ*, seu Modo utendi arte Rhetoricâ. Lovanii, apud Phil. Dormalium, 1619. 8. Item cum duobus *Topicorum* libris, apud Joan. Vryenborch, 1637. 8.

*Dissertationum Politicarum* Decas una. Ex his seorsim edita sequens *Dissertatio. Quis inter orbis Monarchas potentissimus.* Lovanii, typis Masii, 1613. 4. Item *de Una & varia Religione.* Ibid. typis Rivii, 8. & pleræque aliæ.

*Historia Academiæ Lovaniensis*, libris III. in quibus ejus *Origo, Incrementum, forma, Magistratus, Facultates, Privilegia, Scholæ, Collegia, Viri illustres, res gestæ.* 4. Lovanii 1627. Recognita dein & aucta per *Christianum à Langendonck*, J. C. & Professorem

Hiſtoriarum. 4. Lovanii 1667.

*Inſtitutionum Politicarum* libri IV. Ibid. 1624. & typis Franc. Simonis, 1634. 8. Item Coloniæ in 12.

*Inſtructionum Moralium* libri totidem. Ibid. typis Dormalii, 1625. & Juſti Coppenii, 1637. 8.

*Inſtitutionum Oeconomicarum* libri II. Ibid. 1637. 8.

*Elogia Oratoria*, ALBERTI Pii, ISABELLÆ *Claræ Eugeniæ*, *Ambroſii Spinolæ*, *Caroli Comitis Bucquoy*, *Tilli*; cum aliquot Orationibus miſcellaneis. Ibid. apud Jac. Zegers, 1634. 8.

*Rhetorum Collegii Porcenſis in Academia Lovanienſi Orationes.* Partes III. quibus accedunt *Orationes ſacræ XXX.* 8. Lovanii, 1633. 1640. &c. Editio decima erat Antverpiæ 1683.

*Tragœdiæ X. Conradinus* Dux Sueviæ, *Criſpus* Cæſar; *Theodoricus* Rex Italiæ; *Henricus VIII.* Angliæ Rex; *Joanna Darcia*, vulgò *Puella Aurelianenſis*; *Staniſlaus* Cracovienſis Epiſc. *Ottocarus* Bohemiæ Rex; *Thomas Cantuarienſis* Epiſc. *S. Euſtachius*; *Martyres Gorcomienſes.* Ibid. typis Coneſtenii, 1631. 8.

Item *Maximus* Imp. & *Fritlandus* Dux, *Tragœdiæ.*

*Annus Auſtriacus*, ſeu *Ephemeris Hiſtorica rerum Auſtriacarum per ſingulos anni dies.* Ibid. 8. 1628. typis Dormalii.

*Apologia pro Auguſtiſſ. Gente Auſtriaca.* Ibid. apud Jac. Zegers, 1635. 4.

*De Propagatione Fidei Chriſtianæ in Belgio per Sanctos Hiberniæ viros.* Ibid. 1639. 8

*Certamen Oratorium de Militari Gloria inter VII. Milites, Hiſpanum, Belgam, Germanum, Francum, Italum, Polonum, Hungarum*; typis Dormalii, 1624. 4.

*Diſſertatio Politica de Bello feliciter gerendo.* Ibid. 1630. 4.

*Certamen Oratorium inter Oratorem Francum & Hiſpanum, Utri de Eccleſia Romana melius meriti ſint, Franciæ an Hiſpaniæ Reges.* Ibid. 1633. 4.

*Diſſertatio Oratoria de cauſſa Belli Germanici inter Oratorem Cæſareum & Suecum.* Ibid. 1635. 4.

*Triumphus Lovanienſium ob ſolutam Urbis obſidionem anno* 1635. 4. &

*Oratio ad ſtudioſam Juventutem, cum Kal. Julii poſt ſolutam obſidionem ſtudia reſumerentur.* Ibid. apud Jac. Zegers, 1635. 4.

*Diſſertatio Oratoria de cauſſis occupatæ à Francis Lotharingiæ.* Ibid. 1636. 4.

*De Juſtitia armorum Batavicorum adverſus Regem Catholicum*, Ibid. 1637. 4.

*Triumphus ob cæſos ad Calloam Batavos*, Ibid. 1638. 4.

*Laudatio funebris Auguſtiſſ. Ferdinandi II. Imp.* 1637. 4. typis Coppenii.

*Panegyricus Gratulatorius ad Ferdinandum III. Imp* Ibid.

*Laudatio Funebris Sereniſſ. Ferdinandi Auſtriaci, S. R. E Card. &c.* 1641. 4. typis Jac. Zegers.

*Munus parentale ſacris Manibus ejuſdem Ferdinandi &c.* Ibid.

*Panegyricus æternæ memoriæ ac famæ Joannis Duns, Scoti.* 8. Montibus. 1644.

*Hiſtoria Auſtriaca*, ſeu Virtutes Auguſtiſſ. Gentis Auſtriacæ, libri III. 4. Lov. 1640. & 1651.

*Cauſa belli Sueco-Germanici.* 4. Amſtelod. 1646.

*Epitome Hiſtoriarum, ab Orbe condito per Monarchias IV. deducta*; cum ſupplemento ab anno 1150. per *Bern. Heymbachium*, *Vernulæi* in publica Hiſtoriarum profeſſione ſucceſſorem adjecto. 4. Lov. 1654.

*Oratio in funere Ericii Puteani, Hiſtoriographi ac Profeſſoris Academici*, anno 1646. Huic porro, cum in eodem munere ſucceſſiſſet *Vernulæus*, vix ultra biennium ſupervixit, vitâ functus Lovanii die VI. Januarii 1649. ſepultus

in Sacello S. Caroli Borromæi, in D. Petri, juxta tumulum *Puteani*, cui perquam familiaris vixerat.

Quædam etiam alia editioni parata reliquit, veluti,

*Inſtitutiones politicas, morales & œconomicas exemplis ſententiiſque illuſtratas.*

Item *Commentarium Politicum in Cornelii Taciti Hiſtoriam & Annales &c.*

Gymnaſium Porcenſe his verſibus memoriæ ejus parentavit.

*Hic ſitus eſt, miſeris ſolitus qui ferre levamen,*
*Sat* VERNULÆUS *nomine notus erit.*
*Cui fuit eloquii ſemper flos* VERNUS *in ore,*
*Flos* VERNULÆUS *decidit, ecce jacet.*
*Geſta Ducum cecinit, cecinit qui Cæſaris acta,*
*Funera qui Regum, claraque facta Virûm.*
*Hîc jacet, ille jacet; vivit virtute ſuperſtes,*
*Et quâ vel ſolâ cognitus eſſe poteſt.*
*Credite mortales, mortalia cuncta peribunt:*
*Sic juvat hîc fauſto claudere fine dies.*

## NICOLAUS VEDELIUS,

In Palatinatu Germanico natus, Heidelbergæ Philoſophus, Genevæ Theologus, Baſileæ Doctor renunciatus anno 1630, hinc linguæ Hebraïcæ Interpres Daventriæ, ac demum Theologiæ Calvinianæ Profeſſor in Academia Franekerana apud Friſios ab anno 1639, uſque ad obitum anno 1642.

Multa ſcripſit, imprimis contra Theologos Catholicos, dein etiam contra Jac. Rævium, Simonem Epiſcopium, alioſque quoſdam Calvinianos; quorum ſequens elenchus.

*S. Ignatii Antiocheni omnia quæ extant Opera*, græcè & latinè, cum XII. Exercitationibus, Apologiâ & Notis criticis. 4. Genevæ. 1623.

*Commentarius de tempore utriuſque Epiſcopatûs S. Apoſtoli Petri, Antiocheni & Romani*; quo *ex Chronologia Concilii Hierolymitani Act. V. oſtenditur falſitas commenti Romanenſis circa utrumque Epiſcopatum Petri:* adverſus Baronium & Bellarminum. 4. Genevæ 1624, & Franek. 1640, in 8. Romæ prohibitus.

*Rationale Theologicum*, ſeu de neceſſitate & vero uſu Rationis ac Philoſophiæ in Controverſiis Theologicis. Genevæ 1628. in 8. Librum hunc refutavit *Bartholdus Nihuſius*, è Lutherano Catholicus, ac demum Epiſcopus Myſienſis, Suffraganeus Erfordienſis; ſub tit. *Moroſophus, ſive Vedelius in ſuo Rationali irrationalis*, Colon. 1646. 8.

*Panacæa Apoſtaſiæ.* Genevæ. 1628. 12. idem gallicè.

*S. Hilarius, ſeu Antidotum contra triſtitiam, pro ſancta hilaritate.* Lugd. Bat. 1632. in 16. & antea gallicè Genevæ 1630.

*De Arcanis Arminianiſmi, libri II. ſeu Quæſtio: Quænam ſit Religio & fides Theologorum Remonſtrantium, ex eorum Confeſſione & Apologia.* Lugd. 1631. in 8. &c. Arminianos Atheiſmi redarguit: pro quibus reſpondit *Simon Epiſcopius.*

*De Prudentia veteris Eccleſiæ*, libri III., *ex antiquitate Eccleſiaſtica, ſecundum S. Scripturas.* Amſt. 1633. 8.

*De Deo Synagogæ*, libri II. contra Caſp. Barlæum & ejus Vindicias per Mart. Schoockium. Harderov. 1637. 8.

*Diſputatio Theologica, de Magiſtratu*, adverſus Cardinalis Bellarmini Librum de Laïcis. Daventr. 1638.

*De Epiſcopatu Conſtantini Magni, ſeu de poteſtate Magiſtratuum Reformatorum circa res Eccleſiaſticas, Diſputatio repetita*: cum Reſponſione ad interrogata quædam. Franek. 1642. in 12. item Delphis. 1661. Qui liber, defuncto authore, plures habuit oppugnatores,

*Jac. Revium*, *Jac. Triglandium*, *Guil. Apollonium* &c. quoſdam etiam defenſores.

*Opera Theologica nova Nic. Vedelii*, prodierunt Franek. 1641 in 12.

Plura de his apud P. Niceron in Notitia Scriptorum illuſtrium, Tomo XXXIII.

## NICOLAUS DE LE VILLE,

Atrebas, Cæleſtinorum Inſtitutum profeſſus anno 1624. in Monaſterio Ambianenſi apud Gallos, à ſuperioribus miſſus in Belgium anno 1638. Prior datus eſt Heverleæ juxta Lovanium, unico ſcilicet hujus Ordinis apud Belgas Cœnobio. Hinc anno 1649. revocatus in Galliam, ſucceſſivè Monaſteriis Montis-Caſtrorum, Scnonenſi & Eſclimontano præfuit; tum 1657. in Heverlæam Prior ſecundò vocatur; demum curis valedictis, Ambiani Conventualis vivere ceſſavit anno 1669. Hiſtoricus ſimul ac Poëta, edidit

*Heverlæam Cæleſtinam*, ſive Deſcriptionem hujus Monaſterii, unà cum Monumentis ſepulcr. Fundatorum, illuſtris nempe & antiquiſſimæ Familiæ Croïacæ & Arſchotanæ. Prodiit primùm Lovanii apud Cœneſtenium 1661. in 8. dein ab *Antonio Sandero* ſuæ Brabantiæ illuſtratæ inſerta.

Extat quoque *Hiſtoria Cæleſtina* ejuſdem MSS. apud Cœleſtinos Heverleenſes & Ambianenſes, uti & *Vitæ Superiorum Gallicæ Cæleſtinorum Congregationis.*

*Poëmata Cæleſtina.* Lovan. 1646. in 8.

*Elegiæ & Commentarii in Myſteria D. N. Jeſu-Chriſti*, ſive ambitûs clauſtralis Heverleenſis (hoc eſt) pictarum ibidem in vitris imaginum præfata Myſteria monſtrantium, deſcriptio. Lov. apud Andr. Bouvet 1667. in 8.

*Hieroglyphica Mariana*, ſive liber de ſacris imaginibus atque ſimilitudinibus, quibus in Canticis Canticorum B. M. V. virtutes depinguntur. Ibid. 1661.

*Hymnus novemdialis in B. Petrum à Luxemburgo, Cardinalem.* Rotomagi. 1663.

*De auſcultatione tranſnaturali, myſtica atque religioſa.* MS. Heverleæ.

## NICOLAUS UTENHOVIUS,

*Caroli Utenhovii*, viri doctiſſimi pater, & ipſe doctiſſimus, Concilii Provincialis in Flandria Præſes. Scripſit varias eaſque elegantes ad Eraſmum Roterodamum, alioſque ſui ævi viros doctrinâ præcellentes *Epiſtolas.* Multæ vicißim ad hunc Eraſmi extant, qui illi hoc Epitaphium ſcripſit:

*Hoc Saxo tegitur celebris Heros*
UTENHOVIUS *ille* NICOLAUS,
*Quo ſub Præſide, Flandriæ Senatus*
*Multos floruit unicè per annos.*
*Hoc patri orphano turba liberorum*
Μνημειον *poſuit, pio quidem illa*
*Sed caſſo officio; quid attinebat*
*Hæc illi monumenta comparare,*
*Cujus ſcilicet adprobata virtus*
*Hæret mentibus omnium, nec ulla*
*Illam vis abolebit aut vetuſtas.*

Obiit anno M. D. XXVII. XI. menſ. Februarii.

## NICOLAUS A WASSENAER,

Heusdanus Brabantus, Doctor Medicus Amſtelodami, græcè doctus, edidit idiomate vernaculo

*Chronicon Turcicum Rerum memorabilium inter Turcas & Chriſtianos Principes in Hungaria geſtarum.* Amſtel. 1629. fol.

*Obſidionem urbis Harlemenſis* græco carmine celebravit.

*Artem medicam ampliatam.* Amſtelod. 1624.

*Annales ſui temporis*, &c.

## NICOLAUS DE WINGHE,

Lovanienſis, Regularis ad S. Martinum in natali ſolo, ſcripſit patrio idiomate

*Tractatum de Dignitate & profunditate S. Scripturæ, & quo modo ea legenda.* Antver. 1593. 8.

Eadem linguâ belgica dedit *Biblia ſacra*, cum ſua Præfatione, fidelis & probatus eorum interpres. Lovanii apud Gravium, 1548. fol. item eodem anno Coloniæ apud Blaeue.

Obiit in Mishagenſi Virginum Cœnobio, quod olim erat juxta Antverpiam, anno 1552.

## NICOLAUS ZOESIUS,

Amersfortius, J. C. primùm domeſticus & à Secretis *Joanni Venduillio*, Tornacenſium Antiſtiti præſtantiſſimo, ejuſdemque beneficio ibidem Canonicus & Officialis; hinc anno 1603. magni Concilii Belgici apud Machlinienſes Senator & libellorum ſupplicum Magiſter, ac demùm anno 1615. inauguratus V. Silvæducenſium Epiſcopus: qua in functione, ſtationibuſque ſuis per Diæceſim univerſam, quà licuit, obeundis, verum ſe Paſtorem atque Epiſcopum exhibuit, pium, zeloſum, amantemque reformationis.

Præter Seminarium Epiſcopale Silvæducis à ſe reſtauratum, Lovanii quoque Collegium erexit ac fundavit in honorem Sanctiſſ. *Trinitatis*, *SS. Willebrordi* & ſociorum, & *S. Caroli Borromæi*; ibidemque inter medias Collegii ſui curas vivere deſiit anno 1625. ætatis LXI. menſis Auguſti die XXII. Scripſit

*De Vita Joannis Venduillii* J. U. Doctoris Lovanienſis, & Epiſcopi Tornacenſis. Duaci, 1598. 8. apud Bogardum.

Sepultus in Cathedrali ſua, hoc Epitaphio.

D. O. M.
D. NICOLAUS ZOES
Epiſcopus Buſcoducenſis,
Magiſter Libellorum ſupplicum
Et Conſiliarius magni Concilii,
Frequentioribus cleri populique
Ac devoti fœminei ſexus precibus
Se commendatum cupiens,
Hoc loco vivens ſibi monument. elegit.
Vixit ann. LXI. & dies XVII.
Præfuit Eccleſiæ Buſcoducenſi
Annos X. menſ. III. & dies XII.
Obiit anno M. D. C. XXV.
Die XXII. Menſ. Aug.

Notet Lector, Epitaphium hoc iiſdem pœne verbis conceptum, quo illud S. Caroli Borromæi Mediolani.

## NIVERIUS LANGIUS,

Ad S. Bavonem Gandavi Monachus & Prior, reliquit

*Sermones* varios *de S. Bavone*, *de Aſſumptione Virginis Dei-paræ.*

Item *Tractatum de vitio Simoniæ.* Quæ omnia manuſc. leguntur in Bibliotheca Cathedralis Eccleſiæ Gandavenſis. Claruit circa annum 1441. Ita ferè Sanderus. Ego eumdem eſſe crediderim cum *Oliverio Longo*, de quo ſuo loco.

## NOLMANNUS CALCKENS,

Canonicus Regularis Cœnobii Tungrenſis, ibidemque Prior ordine IX, ſcripſit

*Tract. de Peccatorum differentia.*

*De Virtutibus & Vitiis.*

*De S. Scripturæ locis difficilioribus*, aliaque, MSS. ibidem.

## S. NORBERTUS,

Candidiſſimi Præmonſtratenſis Or-

dinis Patriarcha & Fundator, vir planè Apoſtolicus, hæreſis Tanchelinianæ apud Antverpienſes expugnator, natus eſt Sanctis in Clivia. Scripſit; teſte Guilielmo Eiſingreinio in Catalogo Teſtium Veritatis,

*De Viſionibus ſuis* libros III.

*Sermones de obitu Sanctorum*, ad populum.

*Sermo S. Norberti, ad Præmonſtratenſes* filios, quondam dictus & ſcriptus, per Nucleos XII. elucidatus, prodiit in fol. Pragæ anno 1676. per *Hieronymum ab Hirnhaim* ejuſdem Ord. Præm. Eccleſiæ B. M. V. Pragæ in Monte Sion (vulgo Strahow) Abbatem; per Bohemiam, Auſtriam, Moraviam & Sileſiam Viſitatorem ac Vicarium generalem, S. T. Doctorem.

Item *Diplomata ejus* quædam edita fuerunt à Joanne Petro à Ludewig, in Reliquiis Manuſcriptorum omnis ævi Diplomatum. Tom. 2. pag. 358. 398. &c.

Obiit Magdeburgi, loci illius Archiepiſcopus & Germaniæ Primas, anno Epiſcopatus VIII. Chriſti 1134. VIII. Idus Junii: à Gregorio XIII. P. M. anno 1582. in Divorum numerum relatus.

Vita ejus legitur apud Surium, ab Anonymo ſcripta, qui *Norberto* coætaneus fuit: ait enim *aut vidiſſe ſe ea, quæ ſcribit, aut audiviſſe à veris relatoribus, qui viderunt & adhuc vivebant.* Non ergò auctor illius *Hugo* Floreffienſis Abbas (cui non-nemo eam adſcribit) qui floruit anno 1229. Plura Aub. Miræus in Chronico Præmonſtratenſi.

Vide hanc, & alias ejus Vitas in Actis SS. ad diem 6 Junii, ubi etiam latè deducitur Hiſtoria Tranſlationis Reliquiarum hujus S. Archi-Præſulis anno 1627. è Civitate Magdeburgenſi Pragam ad Abbatiam Strahovienſem.

*Hiſtoria S. Norberti Archiepiſcopi Magdeburgenſis, Ordinis Præm. Conditoris*, cum variis Diplomatibus prodiit Jenæ in Germania 1683, authore *Gaſparo Sagittario*, Hiſtorico ac Theologo Lutherano, Lunæburgenſi.

## NOTGERUS,

Epiſcopus Leodienſis, cum *Herigero*, Lobienſi Abbate, ſcripſiſſe putatur

*Geſta Epiſcoporum Tongrenſium, Trajectenſium & Leodienſium*, à S. Materni temporibus uſque ad obitum S. Remacli. MSS. Leodici in S. Martini Canonicorum baſilica, cum *Notgeri* Præfatione.

*Plura Notgeri Diplomata* vide in Operibus Diplomatiis Miræi, novæ editionis.

Circumfertur etiam, *Notgeri* nomine, *Hiſtoria Tranſlationis S. Landoaldi*, Archipresbyteri, *& Sociorum*, apud Surium 19. Martii, & Molanum ad Uſuardum. *Herigero* tamen, *Notgeri* præceptori eam adſcribit Chronicon Gandenſe, ut Notgeri juſſu & auctoritate ſcriptam. Vide, quæ ſuo loco de *Herigero* ſcribimus.

Deceſſit *Notgerus* Leodici (cujus urbis alterum velut conditorem nominat in Faſtis Belgicis Aubertus Miræus, quemque ſui etiam Capituli inſtitutorem agnoſcit Mechlinienſis D. Romoldi Eccleſia) anno 1107. v. Idus Aprilis, conditus in S. Joannis baſilica, à ſe erecta.

Diverſus hic eſt à Notgero Monacho San-gallenſi, itidem Scriptore Eccleſiaſtico, qui anno 912. obiit; & in SS. Catalogo ad diem VI. Aprilis ab Hagiographis Bollandinis celebratur. Acta Proceſſus Canonizationis ejus extant in Caniſii Lectionibus antiquis, Tomo IV. pag. 795. editionis Baſnagii.

# O

## OBERTUS GIPHANIUS,

ALiis Hubertus, vulgò *à Giffen*, Buranus, è Ducatu Geldriæ oriundus, juvenis Lovanii & Lutetiæ Parisiorum studiis politioribus operam dedit; hanc discendi rationem secutus, ut cum gravioribus doctrinis cognitionem conjungeret Antiquitatis.

Aurelliis ad Ligerim Bibliothecam publicam Nationis Germanicę primus instituit, Doctorque J. U. ibidem anno 1567. renunciatus, cum Legato Regis Galliarum ad Venetorum Rempublicam in Italiam profectus, eâ lustratâ in Germaniam rediit. Hic cum Civilis scientiæ Professio nominis & famæ celebritate immortalem reddidit: cujus intima mysteria, ut ipse indefesso labore rimari numquàm cessabat, ita legendo pariter ac disputando eadem publicè pandere explanareque, auditorio semper refertissimo, satagebat: primùm Argentorati, ubi & Philosophiam publicè professus est; deinde Altorphii, ac postremò in Ingolstadiana Bavariæ Ducum Academia; ubi annos ferè XV. Jura Legesque è superiori loco interpretatus est, hæresi omni abjuratâ: priùs enim motoriam fabulam egerat, ut vitæ, ita & religionis fixam stabilemque sedem non habens.

Tandem, ubi etiam apud exteros, ob raras ingenii doctrinæque dotes, in admiratione esse cœpit, à *Rudolpho* II. Imp. in Aulam Cæsaream accitus, & Consiliarii ac Referendarii munere honoratus, vivere Pragæ desiit septuagenario major, anno 1604. VI. Kal. Julii: non autem anno 1609. VII. Kal. Augusti, ut Valerius Andreas notârat. Elogium ejus etiam apud Thuanum Libro 131. Historiarum legitur.

Multa scripsit, partim ab ipsomet, partim ab aliis ex ore dictantis excepta atque à morte auctoris vulgata; quorum en syllabus.

*Index* sive *Collectanea in T. Lucretii Cari de Rerum Natura libros VI & Lucretii Vita.* Antver. 1566. typis Plant. & Lugd. Bat. Raphel. 1595. 8.

*Scholia* brevia *in Homeri Opera*, à se emendata. Argentorati, 1572. 8. apud Theodos. Rihelium, Tomis II.

*Commentarios in Politica Aristotelis.* Ibid. 1608. 8. apud Laz. Zeznerum.

*Comment. in Ethica Aristoteliis ad Nicomachum* Ibid. in 8.

*Observationes in Linguam Latinam.* Francof. 1624. 12.

In Jure hæc ferè reliquit: in his multa postuma & per filium ejus à morte auctoris collecta ac vulgata; videlicet sunt

*Commentarius de Imperatore Justiniano*, & simul

*Index Historicus Rerum Romanarum.* Ingolstadii, 1571. 8. Prodiit denuo simul cum *Franc. Guineti* Commentario de eodem Justiniano, Norimbergæ 1665. curis Christoph. Arnoldi.

*Oeconomia Juris.* Francof. 1606. 4. Argent. 1612.

*Commentarius ad Institutiones Juris Civilis.* Ingolst. 1596. 4. Argent. 1611. & 1630.

*Enarrationes & Commentarii in VIII. librorum Codicis Justiniani Leges celebriores ac difficiliores.* 4. Colon. 1614. & Francof. ad Mœnum 1631.

*Antinomiæ Juris Civilis & Feudalis*, sive *Disputationes ad easdem Institutiones* colligente & edente *Conrado Olemanno.* Francof. 1606. 4. item 1666.

*Lecturæ Altorphinæ in aliquot Titulos Digestorum & Codicis* Ibid. 1605. 4.

*Commentarius ad Tit. Digest. de Regulis Juris.* Argent. 1607. 8.

*Dispu-*

*Disputationes difficiliorum materiarum Juris.*

*Et Notæ in Corpus Juris Civilis.* Ingolst. 1595. fol. & 4.

*Tractatus de Remediis Juris & de Renuntiationibus.* Francof. 4. 1608. Norimb. 1654.

*Tractatus de Jure Feudorum.*

*De Ordine Judiciorum*, sive *Processus Judiciarius.* Jenæ 1624. 4.

*Dispositio Methodica librorum ac Titulorum totius Juris Civilis.* 4. Francof. 1606.

Ceterùm *Giphanium* ejusque plagia exagitavit vehementer *Janus Dousa* in Satyris suis, quòd *Lucæ Fruterii*, qui scripta sua edenda ejus curæ commiserat & legaverat, Scrinia compilasset. Sed & vicissim *Giphanius Dousam*, *Lambinum* aliosque injuriarum arcessit, ipse negans se multa *Fruterii* habêre, sed *Dousam* & alios illa furto subduxisse.

## OCCO SCARLENSIS,

Frisiæ Historicus, à pago cognomine sic dictus, vixit scripsitque ante annos plus minùs octingentos, & in vulgarem linguam antiquos *Frisiorum* vertit *Rythmos*, ipsorum olim Germanorumque omnium Annales, auctore Tacito.

Hunc ferè sequuntur, ut & *Cappidum Staurienſem*, atque *Aluinum Snecanum*, qui Frisiæ Principes ab ultima origine, sed in plerisque fabulosa, arcessunt. Laudat eum Martinus Hamconius in Vita Frisonis, quem vulgò Frisiæ conditorem faciunt; item pag. 101. ubi nominatur *Occo Takema Scharlenſis*, Vir nobilis, & Historicus, circa annum 970.

## OCTAVIUS WORST,

Amstelodamensis, Ord. FF. Capucinorum Theologus & Concionator, *Tom. II.* plura edidit Opuscula Ascetica, Concionatoria, ac Theologica, quæ citat Du Pin in Bibliotheca Scriptorum Ecclesiasticorum. Obiit P. Worst Brugis, die 22. Novembris 1671.

## ODO CAMBIER,

Gerardimontensis Flander, Monachus Benedictinus Abbatiæ Affligemiensis in Brabantia, præmaturè ibidem obiit die 18. Maii 1651. annum agens 38. Reliquit

*Tractatum de Veteribus Ordinis Benedictini Scholis.* MS.

*Historiam Capsæ B. Mariæ Wavercnsis*, è MSS. primùm erutam, & Notis illustratam, unà cum descriptione Prioratûs Affligemiensum ibidem: impressit Lovanii Cyprian. Coenesteyn 1657. in 12.

*Antiquum Chronicon Monasterii S. Petri Affligemiensis* (quod Domnus Lucas Dacherius, Monachus Congregat. S. Mauri, dein inseruit Parisiis Tomo X. sui Spicilegii pag. 585.) Odo Cambierus continuavit, doctisque Observationibus ac Notis (hactenus non evulgatis) illustravit. Extat luce publicâ dignum in Bibliotheca Abbatiæ Affligemiensis.

## ODO MALCOTIUS,

Bruxellensis, Societatis Jesu, Mathematices scientiâ in primis excelluit, quam & Romæ cum laude docuit; *Christophoro Clavio* propterea laudatus, qui meminit *Problematis Mathematici*, *à Malcotio* proposiți, libro VII. Geometriæ Practicæ Problemate III. Propos. XX. Edidit, suppresso auctoris nomine,

*Astrolabiorum* seu *Utriusque Planisphærii universalem & particularem Usum.* Romæ. 1610. 4. typis Zanetti.

Desiit in humanis esse Romæ anno 1615. die XIV. Maii.

## ODO,

Patriâ Aurelianenſis, Scholaſticus Tornacenſis, Abbas atque inſtaurator Monaſterii S. Martini in eadem urbe, ac demùm anno 1108. vel juxta alios 1105. ab inſtauratione Monaſterii decimo quarto, Cameracenſis Epiſcopus; ſed quòd *virgam & annulum, quæ conſecratus ab Eccleſia acceperat* (ut ipſemet ſcribit libro de Blaſphemia in Spiritum ſanctum) *ab Imp. Henrico IV. iteratò accipere nollet*, ſede ſuâ pulſus, Aquicincti (quod ejuſdem inſtituti Benedictini Cœnobium eſt, ſecundo lapide à Duaco ſitum) in exilio deceſſit, XIII. Kal. Julii, anno 1119 aut paullò pòſt. Nam eo anno adhuc vixiſſe, conſtat ex veteri quodam Inſtrumento, cujus apographum legitur ad S. Martinum, ab *Odone* Epiſcopo ſubſcriptum, & ſigillo ejuſdem munitum, quo continetur Donatio cujuſdam Altaris, ſiti in Hannonia, ab eodem Epiſc. eo ipſo anno facta. Verùm non diu poſtea ſupervixiſſe colligi poteſt ex Herimanno Abbate, qui in Chronico ſuo ſcribit, *Odonem*, poſt Altaris illius collationem, infirmitate corporis gravatum, relicto Epiſcopatu, Aquicinctum in lectica deportari voluiſſe, ibique infra dies octo, XIII. Kal. Julii, vitâ eſſe functum. De Vita verò ejus obituque Epiſtolam amplam reliquit *Amandus*, Prior Aquicinctinus, quæ ibidem & Tornaci manuſc. legitur, ediditque in Belgica ſua Chriſtiana Arn. Raiſſius. Scripſit verò *Odo*

*De Canone Euangeliorum* libros II. MSS. Tornaci ad S. Martinum.

*Commentarium in Canonem Miſſæ*, editum ſeorſim cum Franciſci Titelmanni ejuſdem argumenti libro, Antv. 1530. poſtea Tomo XXI. Bibliothecæ Patrum poſtremæ editionis.

*De Myſterio Dominicæ Incarnationis* Dialogum, contra Leonem Judæum. Manuſc. ibidem, Leodici apud Dominicanos, Tungris apud Regulares, & in Cœnobio Camberonenſi, apud Hannones.

*De Peccato Originali* libros III. MS. Aquicincti, Tornaci, Leodici.

*De Blaſphemia in Spiritum ſanctum.* MS. Ibid.

*Liber ſeu Homilia de Villico iniquitatis*, ex veteri Codice MS. Cœnobii Pratellenſis primùm editus Pariſiis anno 1717. Tomo V. Theſauri novi Anecdotorum pag. 853. per PP. *Martene & Durand* Benedictinos Congreg. S. Mauri. De eodem Odone extat ibidem inſignis Epiſtola Monachorum Aquicinctinenſium, è MSS. Alnenſi ac Tornacenſi eruta.

*Liber Collationum.* MS. olim Gandavi in Cartuſia.

*Parabolæ* MSS. olim Antverpiæ, ad S. Michaelem, ut notat Bunderius in Indice.

Opuſcula hæc, pleraque ex codice Tornacenſi deſcripta, leguntur Tomo XV. Bibliothecæ Patrum editionis Colonienſis, exceptis duobus poſtremis, quæ neque Tornaci apparent. Addit verò Herimannus Abas, *Odonem* ante converſionem ſuam, cùm omnium liberalium artium eſſet peritus, præcipuè tamen in Dialectica eminuiſſe, ſcripſiſſeque de ea duos libellos, quorum priorem intitulaverit *Sophiſten*: alterum verò appellaverit *Librum Complexionum*, & adjunxiſſet his tertium *De Re & Ente*: ipſumque auctorem, cùm hîc tum alibi, cùm ſeſe opportunitas offerret ſui nominis proferendi, non ſe *Odonem*, ſed ſicut tunc ab omnibus vocabatur, nominaſſe *Odardum.*

## ODOARDUS WESTONUS,

Londinenſis Anglus, S. Th. Doctor, in Collegio Anglorum Duaceno per decennium Theologiæ Profeſſor,

Brugis in Æde Collegiata B. M. V. Canonicus; Vir raræ ſcientiæ ac virtutis, qui ab Ant. Sandero Brugenſibus eruditionis famâ claris accenſetur. Vixit ad annum 1633. ſcripſitque

*De triplici hominis Officio.* 4. Antv. 1602.

*Juris Pontificii Sanctuarium, defenſum contra Rogerii Widdringtoni in Apologia & Reſponſo impietatem.* 8. 1613.

*Probationem, ſeu Examen Veritatis Chriſtianæ.* Duaci. 1614.

*Theatrum Vitæ Civilis ac ſacræ*, ſive de utriuſque principiis dogmaticis, Libros V. ad Carolum Walliæ Principem. fol. Brugis. 1626.

*Coruſcationes Chriſti.* fol. Ant. 1631.

## S. ODULPHUS,

Orſchoti in Brabantia natus, ubi in parentum prædio exſtat Eccleſia honori illius dicata, Canonicus Ultrajecti ad S. Salvatorem à *S. Friderico* Epiſc. Ultrajectino in Friſiam miſſus, populum ferocem prædicatione atque Euangelicâ eruditione ad viam veritatis convertit, converſumque per aliquot annorum curricula erudivit. Obdormivit in Domino circa ann. 830. Vitam ejus ex Surio aliiſque ediderunt PP. Hagiographi S. J. ad diem XII. Junii.

Fertur ſcripſiſſe *Antidotum* ſive *Amuletum adverſus ſtriges incubos, ſuccubos, & ſimiles dæmonum præſtigias.*

## OLBERTUS,

Aliàs Obbertus, quartus Gemblacenſis, ac primus ad S. Jacobum apud Eburones Abbas (*Vir moribus, religione, geminâ ſcientiâ, bonis doctiſque viris aut conferendus aut præferendus*, ut in Chronico ad annum 1012. ait Sigebertus) natus eſt in Lederna villa, Sambrenſis pagi confinio. A puero in Lobienſi monaſterio, Ord. S. Benedicti educatus, ſub diſciplina *Herigeri* Lobienſium Abbatis. Hinc Pariſios ad S. Germani Cœnobium ſe contulit, deditque operam & ſtudio, & ſanctæ, quæ ibi fervebat, religioni. Audivit & *Fulbertum* Carnotenſem Epiſcopum. Demùm *Burchardum*, Wormatienſem dein Epiſcopum, Lobiis ſacris ipſe litteris erudiit, qui Præceptoris ſui *Olberti* ſtudio, ore, & manu (inquit Sigebertus c. 143. de Script. Eccleſiaſt.) ante Ivonem & Gratianum *Decretorum & Canonum* libros XX. edidit. Obiit Leodici, anno 1148. 11. Idus Julii, ſepultus in D. Jacobi:

*Hic jacet Abbatum ſpeculum, decus & Monachorum,*
*Abbas* Olbertus, *flos, paradiſe, tuus,*
*Præfuit Eccleſiis normali tramite binis:*
Legia, *corpus habes*, Gembla *carendo doles.*

Plura Sigebertus libro de Geſtis Abbatum Gemblacenſ. unde iſta hauſimus. Scripſit *Olbertus*, teſte eodem,

*Hiſtoriam Veteris & Novi Teſtamenti.*

*Vitas* aliquot *Sanctorum, & Canticum Eccleſiaſticum de eorumdem rebus geſtis.*

*Vita S. Veroni*, Confeſſoris, rogante Raginero Hannoniæ Comite conſcripta, extat MS. Montibus apud Franciſcanos in Annalibus Jac. Guiſani, & alibi, ediditque, Scholiis illuſtratam, *Georgius Galopinus*, ad S. Giſlenum in Cella Religioſus Benedictinus. Montibus, 1636. typis Joan. Havart.

## OLIVERIUS FLORENTIUS WAETERLOOP,

Congregationis Oratorii Aſpricollenſis Presbyter, ac Poëta, cecinit

*Monita ſpiritualia & moralia*, tetradiſtychis diſtincta. 4. Antver. typis Plant. 1657.

## OLIVERIUS LONGUS,

Prior ad S. Bavonem, Ord. Benedictini, juxta Gandavum, floruit circa annum 1449. Scripsit

*De Reditibus ad vitam.* Manusc. Lovanii in Collegio Theologorum.

*De defectibus circa Missam.* Ibid. ad S. Martinum.

*De vitio Simoniæ in Religione.* Gandavi ad Bavonem.

*De Sacramento Eucharistiæ.* Ibid. & olim in Carthusiis Gandensi ac Zelemensi; item Lovanii ad S. Martinum, *de tenendis ac credendis circa Eucharistiæ Sacramentum.*

*Vitam S. Coletæ*, Virginis Gandavensis. Meminit Molanus in Natalibus SS. Belgii, 6. Martii.

## OLIVERIUS BONARTIUS,

Iprensis, natus anno 1570. dein Societatis Jesu Theologus. Obiit in patria anno 1655. die 23. Octobris. Scripsit

*De Institutione, obligatione & religione Horarum Canonicarum* libros IV. Duaci, 1625. 8. item 1634.

*Commentarium in Ecclesiasticum.* Antver. apud Meursium, 1634. fol.

Item *Commentarium in Esther*, literalem & moralem. fol. Colon. 1647.

*De Horis Canonicis & SS. Missæ Sacrificio Tractatus II.* Antv. 1653. in 4.

*Concordiam scientiæ cum Fide.* 4. Hagæ. 1665.

## OLIVERIUS HATTEMIUS,

Ultrajectinus, bonis litteris in patria & Lugduni apud Batavos operam dedit; laudatque alibi Justum Lipsium Præceptorem. Rediit ad Ecclesiæ Romanæ atque Orthodoxæ castra anno 1607. post XIV. annorum Ministerium, cum uxore & IX. liberis, & Medici titulo Lovanii insignitus est. Scripsit idiomate patrio, inscripsitque S.P.Q. Antverpiæ

*Justificationem, solidam cur à Calvinistis defecerit, deque Notis Catholicorum ac novorum Euangelicorum.* Lovanii apud Masium, 1610. 8.

*Apologiam contra deformatæ Religionis Ministros.*

Moritur Antverpiæ anno 1610. ætatis XXXVIII. conversionis tertio, die XXIII. Decembris; conditus apud Minoritas, apposito sequente Epitaphio. E liberis plerique vitam Religiosam ac Monasticam amplexi & professi sunt.

D. O. M.
Nob. Viro D. OLIVERIO AB HATTEM
Ultrajectensi Medico,
Qui in hæresi Calviniana educatus,
In qua Verbi Minister extitit. anno XIV
Divinâ tandem
Gratiâ præventus mirabili,
Cum tota familia conversus est
Ad fidem Catholicam S. R. Ecclesiæ,
Quam & scriptis illustravit,
Et ob eandem cum uxore
Et cum IX. liberis exul,
Tertio suæ conversionis anno
Hìc quietis locum accepit
Anno M.D.C.X. die 23. Decembris.

## OLIVERIUS MARCANUS,

(Vulgò DE LA MARCHE) è Comitatu Burgundiæ oriundus, nascitur anno 1427. Vir primæ nobilitatis, vixit in familia Philippi Boni, & Caroli Audacis; quo ad Nanceium vivis exempto, ipse quoque *Oliverius* in manus venit hostium. Pòst apud Maximilianum Cæsarem ac Philippum I. Regem Oeconomiæ Præfectus (vulgo *Maitre d'Hotel.*) diem vitæ clausit extremum Bruxellæ, anno 1501. Kal. Februarii; sepultus ad S. Jacobum in Frigido monte, cum uxore, ante altare Virgini Dei-paræ sacrum, cum

OLIVIER, DE, LA, MARCHE.

Tumba & Epitaphio, furore Iconoclaſtarum ſæculo præcedente dirutis. Lemmate utebatur: TANTA MARCANUS TULIT.

Extant ejus Memoriæ ſive Hiſtoriæ, gallicè, hoc titulo. *Memoires d'Olivier de la Marche, depuis l'an 1435. juſques en 1499. mis en lumiere par Denys Sauvage*, fol. Lugduni in Gallia apud Roville 1561, ac deinde Gandavi, 1567. 4. apud Gerardum de Salenſon, additis ad marginem quibuſdam Annotationibus ac Correctionibus à *Joanne Lautens* Gandavenſi. Notat autem præfando Auctor iſte, *Marcanum*, minùs æquum in Flandros, eâ potiſſimùm parte, quâ de diſſentionibus belliſque tractat in Flandria vicinisque locis, obtrectatorem ſeu calumniatorem veriùs, quàm verum agere Hiſtoriographum.

Eædem Memoriæ prodierunt in 4. Bruxellis apud Velpium 1616, & in 8. Lovanii 1645.

*Etats des Maiſons des quatre derniers Ducs de Bourgogne; les trois premiers tirez de la Chambre des Comptes de Dijon, & le quatrieme des Memoires d'Olivier de la Marche.* Extat MS. Divione in Burgundia.

Ejuſdem *Marcani* liber, partim rythmo Gallico, partim proſâ ſcriptus, hoc titulo, *Le parement & triumphe des Dames d'honneur* &c. editus eſt Pariſ. 1520. 8.

*Rationarium Aulæ & Imperii Caroli Audacis Ducis Burgundiæ*, ab eodem Oliverio olim ſcriptum gallicè, ab *Antonio Matthæo* J. U. D. Leidenſi editum fuit cum Notis, Tomo I. Analect. pag. 356.

Alterum *Oliverii Marcani* elogium lege in Theatro Virorum illuſtrium, ſive Academiâ Scientiarum, authore *Iſaaco Bullart*, Tomo I. pag. 133.

## OLIVERIUS VAN NOORT,

Batavus, dedit vernaculè deſcriptionem itinerum ſuorum, toto ferè terrarum orbe peragrato. Tit. hic eſt: *Beſchryvinge van de Voiagie om den geheelen Weirelt-cloot.* 4. Roterod. 1602. in 4.

## OLIVERIUS, SIVE OLIVARIUS VREDIUS,

Vulgò DE VREE, Brugenſis, J. C. Vir Nobilis, olim Societati Jeſu nomen dederat: ſed poſt annos aliquot ad vitam ſæcularem redire, ſibi duxit convenientius. Vir fuit politioris ingenii, Juriſprudentiæ cum primis linguarumque quas in Cruce ſalutifera Chriſtus conſecravit, latinæ, græcæ, hebraïcæ, in paucis peritus, Antiquitatis omnis admirator cultorque, & potiſſimùm rerum Belgicarum ac Flandricarum: quarum cognitionem & veritatem è Principum Diplomatibus, eorumdem ſigillo munitis, & Scriptoribus coætaneis docuit in primis eruendam ac ſtabiliendam eſſe.

Eo ferè ſpectant quæ ſcripſit: ad quæ edenda auctor domi ſuæ typographiam magno labore ac ſumptu inſtituierat. Quorum librorum ea per annos plures ſors fuit, ut non ſolum vili pretio diſtraherentur, ſed & in chartas ſerviles in vilioribus officinis dilacerarentur. Poſtmodum vero attentâ eorum raritate, atque ad cognoſcendam quorumcumque Principum Genealogias utilitate; modo totidem ferme valent florenis, quot antea aſſibus æſtimabantur. Sunt autem hæc.

*De veteri & novo ſignandi & ſigillandi uſu.*

*Sigilla Comitum Flandriæ, cum Expoſitione hiſtorica.* Excuſa in fol. Brugis 1639.

*Genealogia Comitum Flandriæ, à Balduino Ferreo uſque ad Philippum IV.* exhibita. ſigillis, probata. Diplomatibus. &. ſcriptis. coætaneis. Excuſa. fuit

prior pars anno 1642. fol. Pars II. Brugis 1644.

*Sigilla, Characteres & Inscriptiones Diplomatum, quibus usi Impp. Rom. à Carolo Magno usque ad Ferdinandum III.* cum Epitome historica Vitæ uniuscujusque ex *Onuphrio Panvinio.*

*Sigilla, Characteres & Inscriptiones Diplomatum, quibus usi Reges Francorum ab Hugone Capeto usque ad Ludovicum XIII.*

*De primis Francorum sedibus, in ea Flandriæ parte, quæ etiamnum Terra Franca appellatur, cum Serie Scabinorum Franconatensium usque ad annum* 1542. Pluraque alia, quæ latent Brugis MSS. apud hæredes.

*Historia Comitum Flandriæ.* Pars I. Flandria Ethnica, à primo Consulatu Caji Julii Cæsaris usque ad Clodovæum primum Francorum Regem Christianum, per DLIV. annos. Fol. Brugis 1650. Pars II. Flandria Christiana, à Clodovæo primo Francorum Rege Christiano usque ad annum D. CC. LXVII. Pipini Francorum Regis XVI. Quam Historiam Author morte præventus absolvere non potuit.

Edidit item vernaculè *Gesta bellica Caroli de Longueval, Bucquoii Comitis*

Sepultus est Brugis in Ecclesia Collegiatâ B. Mariæ, ubi conspicitur elegans monumentum marmoreum pillari affixum, continens sequens ejus Elogium.

P. M. S.
N. D. Olivarius Wredius,
Brugensis, J. C.
Heic ex adverso situs est:
Quem Urbi suæ clarum
Reddidit
Senatoria Dignitas & Consularis.
Orbi, excellens ingenium,
Rara eruditio, operosæ lucubrationes,
Vita christianè acta,
Viduarum ac pupillorum tutela,
Promptum in omnes obsequium.
Illi viator beatitudinem
Inter immortales adprecare:
Cui inter mortales
Nominis immortalitas
Jam parta est.
Obiit XII. Kal. Apriles
Anno M. D. C. LII. ætatis LV.
Eodem tumulo condita jacet
Conjux Viro digna
Joanna Marissael.
Optimis Parentibus,
Filius Oliverius,
Et Joannes Baptista Bonaert
Gener, mœsti PP.

## ONESIMUS de KIEN,

Iprensis, Ord. FF. Min. Capucinorum Concionator facundus, obiit Antverpiæ 3. Januarii 1654. Evulgaverat cum Annotatis translatas à se ex hispanico in latinum

*Homilias in Euangelia Quadragesimalia* item *Festi Corporis Christi, item Medullam Cedri Libani, super Dominicas & & Festa*, quorum omnium Author erat *Illustr. Hieronymus de Lanuza Ord. FF. Prædic. Episcopus Aibaracinensis*; fol. 4. Vol. Antverpiæ 1649. 1650. & 1653

## ORLANDUS LASSUS,

Montibus Hannoniæ natus anno 1520. sæculi sui musicorum Princeps fuit, hoc versiculo celebratus.

*Hic ille Orlandus, lassum qui recreat orbem.*

Italiam vidit cum *Ferdinando Gonzaga* Pro-Rege Siciliæ; Neapoli tribus circiter annis vixit; deinde Romam venit, & ad S. Joannem Lateranensem universo musico sacello præficitur. Cum nobili viro *Cæsare Brancatio* Neapolitano Angliam & Galliam lustravit, adamatus, honoratusque. Anno 1557. vocatur ab Alberto Duce Bavaro, ut sacello illius musico plus suâ arte or-

ORLANDO:DE:LASSVS
N.L'ermessin. fecit.

Digitized by Google

namenti adferret. Obiit Monachii, anno 1593. Idibus Junii, ante mortem nobilitate donatus à Maxæmiliano II. Imper. Compoſuit

*Theatrum Muſicum.*

*Patrocinium Muſices.*

*Motetarum & Madrigalium*, libros, trium, 4. 5. 6. & 8. vocum, Neapoli, Venetiis, Monachii, Lovanii & Antverpiæ excuſos.

*Librum Miſſarum*, Norimbergæ; & alia multa, è quibus quædam hodieque aſſervari dicuntur Monachii in Bibliotheca Ser. Electoris Bavari.

## ORTUINUS GRATIUS,

Vernaculè A GRAES, Daventrienſis cognominatus, quòd Daventriæ ſub *Alexandro Hegio*, doctiſſimo & celeberrimi nominis Gymnaſiarcha enutritus ſit, altus, & bonis auctus litteris; natus tamen ex antiqua familia, in Holtwick prope Coesfeldiam, Diœceſis Monaſterienſis apud Weſtphalos; ut ipſe teſtatur Præfatione, quam præfixit libello Warneri Rolevinck, de ſitu Weſtphalorum.

Docuit literas latinas ac Philoſophiam Coloniæ in Burſa ſive Gymnaſio Cuyckiano; multaque ſcripſit adverſus *Joannem Reuchlinum* ſeu *Capnionem*, *Ulricum Huttenum*, *Hermannum* Comitem *Nuenarium*, alioſque Novatores, qui Theologos Catholicos, eorumque terminos ſcholaſticos, quaſi minus terſos ac latinos, miris modis exagitabant: edito hunc in finem libello famoſo, cui tit: *Epiſtolæ obſcurorum Virorum, ad Dominum Magiſtrum Ortuinum Gratium*, &c. Librum hunc Leo X. Pont. mox ubi in lucem prodierat, legi aut retineri prohibuit, ſub pœnâ excommunicationis, per Breve datum 15. Martii 1517. Prodiit attamen dein ſæpius, in odium Catholicorum, atque imprimis Religioſorum; ſignanter Londini, 1701. 12.

Oppoſuit autem *Ortuinus Gratius*, *Lamentationes Obſcurorum Virorum, non prohibitas per Sedem Apoſtolicam.* 8. Coloniæ 1518. Quo in libro notabilis eſt ea, quæ ſequitur,

*Epiſtola Apologetica Ort. Gratii, ob primam à parvulo educationem Daventrienſis cognominati, Agrippinenſis quoque Academiæ Philoſophi, Chriſtique Sacerdotis, ad obſcuram Reuchliniſtarum cohortem, citra bonorum indignationem miſſa.*

Edidit quoque *Triumphum B. Job Prophetæ*, verſu elegiaco, Libris III. Colon. 1537. fol. apud Quentelium. Subjungitur Sermonibus *Joannis Fabri*, Viennenſis Epiſcopi.

Illius quoque eſt (ſed ex zelo amaro & indiſcreto, quo contra diſciplinam Eccleſiaſticam ſui temporis invehebatur, editus) *Faſciculus Rerum expetendarum ac fugiendarum; in quo primùm continetur Concilium Baſileenſe; non illud quod in magno Conciliorum volumine vulgo circumfertur, ſed quod Æneas Sylvius (qui poſtea Pius II. eſt appellatus, & eidem Concilio præſens interfuit) fideliter & eleganter conſcripſit. Inſunt præterea eidem Operi ſummorum aliquot Virorum Epiſtolæ, Libelli, Tractatus & Opuſcula, numero LXVI. in quibus & admiranda quædam & obſtupenda invenies. Quæ ſi futurum Concilium celebrari contigerit, ſummopere tanquam cognitu neceſſaria, ab optimis quibuſque expoſtulabuntur.* Iſai. V. cap. *Væ qui dicitis malum bonum &c.* Ita habet titulus prolixus libri editi Coloniæ 1535. fol.

Porrò librum hunc, jam olim notatum ac prohibitum in Indice à PP. Conc. Tridentini confecto, per novam editionem ampliùs deturpavit *Eduardus Broun*, Anglicanæ Eccleſiæ Pſeudo-Miniſter in Sundridge in agro Kentiano, 2. Vol. in fol. Londini anno 1690. hoc titulo.

*Faſciculus Rerum expetendarum ac fugiendarum, prout ab* Ortwino Gratio, *Preſbytero Daventrienſi editus eſt Coloniæ anno* 1535. *in Concilii tunc indicandi uſum & admonitionem, ab innumeris mendis repurgatus, juxta editiones ſingulares & potiores plerorumque Tractatuum, qui in eo continentur.*

Accedit Tomus II. *Scriptorum veterum (quorum pars magna nunc primùm è MSS. Codd. in lucem prodit) qui Eccleſiæ Romanæ errores & abuſus detegunt & damnant, neceſſitatemque Reformationis urgent &c.*

Viſus quoque aliquando liber ejuſdem *Ort. Gratii*, cui titulus: *Critico-maſtix Peregrinationis Petri Ravennatis*, J. U. Coloniæ Doctoris: in quo multa de viri illius & Academiæ laudibus. Lugduni, 1511. 8. cum Alphabeto ejuſdem Ravennatis.

Obiit Coloniæ anno 1542. 11. Kal. Junii; ac paucis pòſt annis Gymnaſium Cucanum, cui præfuerat, Lutherana jam hæreſi infectum, traditum fuit expurgandum PP. Societatis Jeſu, ac modo Tri-coronatum dicitur.

## OTGERUS A VIVARIIS,

Villarii Simonis Dominus, celebri Hasbaniæ, quod in Eburonibus eſt, municipio ortus, Collegii S. Joannis Euangeliſtæ Leodii Sacerdos & Silentiarius, ut vocant, vir antiquæ ſimplicitatis, Mathematicus inſignis, ac græcè latineque inſigniter eruditus, ſcripſit

*De conſtitutione figuræ cœleſtis tempore Inaugurationis* FERDINANDI, *Principis Leodienſis, diei* XXVII. *Januarii anno* 1613. Excudit Leon. Streel in 4.

## OTTO HEURNIUS,

Ultrajectinus, Joannis Filius, naſcitur anno 1577. Prima ſtudiorum fundamenta poſuit Leidæ ſub *Nicolao Stochio*. Anno 1599. Artium Magiſter promotus, altero anno nondum vertente ad Philoſophiæ Profeſſionem admotus eſt, Doctorque Medicinæ anno 1601. Nonis Julii renuntiatus, mortuo patre eodem anno III. Idus Auguſti, illi in Profeſſione ſucceſſit filius.

Vivebat etiamnum anno 1648. Academiæ Lugduno-Batavæ Rector Magnificus, & Med. ac Anatomiæ Doctor emeritus. Edidit

*Antiquitatum Philoſophiæ Barbaricæ* libros II. quorum prior Chaldaïcus, alter Indicus; typis Raphelengii. 1600. 12.

*Babylonica, Ægyptiaca, Indica* &c. *Philoſophiæ primordia.* Ibid. 1619. 12.

## OTHO VÆNIUS,

Vulgo VAN VEEN, Leydenſis, Batavus, naſcitur anno 1556. patre *Cornelio* J. U. Doctore viro Conſulari. Juvenis admodum, ætatis anno XV. patriâ relictâ religionis intuitu, Leodici annos aliquot in familia vixit *Gerardi Groesbequii* Epiſc. Principis & Cardinalis. Romam inde profectus, toto ibi quinquennio moratus eſt apud Cardinalem Madrucium, & artem exercuit pictoriam, *cultiſſimæ mentis & manus adoleſcens*, Juſti Lipſii elogio.

In Belgium reverſus, plures annos vixit Antverpiæ inter primos ævi ſui pictores: fuitque primùm ſub Alexandro Duce Parmenſi caſtrorum exercitûs Regii in Belgio metator; deinde ſub Alberto & Iſabella Principibus Monetæ Præfectus Bruxellis. Edidit ſequentia.

*Emblemata Horatiana*, cum iconibus ingenioſâ manu æri inciſis, gnomis brevibus adornata; apud Verduſſ. 4. reimpreſſa Bruxellis apud Franc. Foppens 1683. fol. cum Notis latinis, italicis, gallicis

OCTAVIO. VÆNIVS.

Gertrudis. filia. eius. pinx.

de. Laarmessin. sculp.

gallicis & flandricis. Hunc vero librum ab anno 1646. tranſcripſit Pariſiis *Tancradus de Gomberville*, Gallus, ſuoque nomine edidit ac inſcripſit Ludovico XIV. Regi, tunc adoleſcenti; mutato hunc in modum titulo: *l'Inſtruction & devoirs d'un jeune Prince.* Pro quo inſigni plagio author Gallus notabile præmium adeptus eſt.

*Emblemata Amoris divini atque humani.*

*Vitam S. Thomæ Aquinatis*, in fol. iconibus XXXII. illuſtratam.

*Bellum Batavorum cum Romanis*, ex Cornelio Tacito lib. IV. & V. cum imaginibus.

*Hiſtoriam Hiſpanicam ſeptem Infantium Laræ*, cum iconibus.

*Emblemata ducenta, Principibus, viris Eccleſiaſticis, Militaribus, aliiſque uſurpanda.* Bruxellæ typis Hub. Antonii. 1624. 4.

*Concluſiones Theologicas & Phyſicas de primariis Fidei capitibus, atque in primis de Prædeſtinatione*, Leidæ inſcio auctore evulgatas.

Bruxellæ vivere deſiit anno 1634. die 6. Maii. provectâ ad annum LXXVIII. ætate: vel hoc uno glorioſus encomio, quod ſæculi præcedentis Apellem, *Petrum Paulum Rubenium*, in ſuo Muſæo pictorio tyronem habuerit. Duas quoque filias ſuas pingendi artem feliciter edocuit, quarum prior *Cornelia* dein nupſit viro honorato N. Malo, civi Antverpienſi, altera *Gertrudis* patris ſui effigiem ad vivum expreſſit; unde & Clariſſ. Vir *Ericius Puteanus* artem ejus jambico carmine celebravit.

## OTHO ZYLIUS,

Vulgò VAN ZYLL, Ultrajecti è familia nobili anno 1588. III. Kal. Auguſti natus, ætatis anno XVIII. Societati Jeſu adſcriptus, Linguarum præſertim græcæ atque hebraïcæ cognitione excellens, Rhetoricam Ruremondæ docuit; Orator ad Sodales Parthenios Lovanii ac Bruxellæ magna cum laude fructuque verba fecit, Rectorque fuit Collegii Silvæducenſis ac Gandavenſis. Scripſit

*Hiſtoriam Miraculorum B.* MARIÆ *Silvæducenſis* (quæ *Dulciſſimæ* appellatione ibidem innotuit) poſt captam urbem ad D. Gaugerici indeque ad Abbatialem Frigidi-Montis, Eccleſias Bruxellam tranſlatę. Antver. typis Plantin. 1632. in 4.

*Ruremondam illuſtratam*, nomine Rhetorum Ruremondenſium. Lovanii, typis Joan. Flavii, 1613. 8.

*Vitam SS. Xenophontis & Mariæ conjugum, filiorumque Joannis atque Arcadii*, è græco latinè reddidit. Edidit Joannes Bollandus 26. Januarii.

Item *Vitam & Miracula SS. Cyri & Joannis Martyrum:* apud Bollandum 31. Januarii.

*Cameracum obſidione liberatum*, carmine epico. 4. Antv. 1650. item 1656.

Parabat editioni *Mardochæum triplicem*, ſeu *de triplici Mardochæi fortuna, media, infima, ſumma*, libros III. Sed morte interveniente non abſolvit, fato functus Mechliniæ 13. Auguſti 1656. ætatis anno LXVIII.

# P.

## PANAGIUS SALIUS,

Udomarensis, Poëta ingenii excellentis, & judicii supra Poëtarum vulgus, edidit

*Vedastiados*, *ad laudem S. Vedasti*, seu *Galliæ Christianæ* libros V. Carmine heroïco. Duaci apud Joan. Bogardum, 1591. 4.

*Telanthropiam*, sive *de fine Hominis* libros II. versu item heroïco.

*Elegiarum* libros IV. *Silvarum* lib. I.

*Parodiam ad Catulli Epithalamium.*

*Nassovium Tragœdiam.*

Item *Orationes* varias.

Obiit anno 1595. die XXVIII. Januarii.

## PANCRATIUS A CASTRICUM,

Alcmarianus, J. C. Urbis Groningensis Syndicus, anno 1614. totius Provinciæ nomine ex cathedra, facundè laudato Academiarum Instituto, atque Ordinum Fœderatorum consilio commemorato & commendato, in ipsis Academiæ Groninganæ natalibus peroravit. Vivere desiit anno 1619.

Hujus *Expositionem appellationum Insularum*, *Rupium*, *Breviorum* &c. quæ passim extare in maritimis locis nosciuntur, laudat in Etymologico suo Cornelius Kilianus.

*Nomenclator Scriptorum latinorum Hollandiæ*, *Zelandiæ* &c. ab eodem Castricomio extat MS.

Extat & *Chronicon Hollandiæ & Westfrisiæ*, vernaculum ac MS. inchoatum ab anno ante Christi natalem 900, protractum ad ann. à Christo nato 1498. in fol.

## PASCHASIUS BALDUINUS,

Falempinienſis, in agro Insulensi, Ordinis S. Augustini Canonicus, vir *præter exactissimam eruditionem*, *trium etiam linguarum cognitione insignis*, *pietati ac studiis rectis promovendis totus natus*, teste Franc. Pietino in ejus loci Chronico; scripsit

*Epistolam de Hebraicis Gemmarum nominibus ac viribus.*

*De Ponderibus & Mensuris.*

*De Calendarii reformatione.* Manusc. in dicto Cœnobio.

## PASCHASIUS BERSELIUS,

à Berseio municipio, civitati Leodiensi vicino, sic dictus, ad S. Laurentium instituti Benedictini Religiosus, vir fuit doctissimus & animi excelsi, coque nomine Erardo à Marca Cardinali Principi Leodiensi doctorum virorum Mæcenati, carissimus, &, cùm res exigeret, ab Epistolis. Admodum familiaris vixit Des. Erasmo, cujus ad *Berselium* plures leguntur Epistolæ, & hujus ad Erasmum. Testaturque Hubertus Thomas, in Eburonibus suis, nihil *Berselio* doctius futurum fuisse, si is constantiâ litteras adornasset. Scripta hujus adservantur apud S. Laurentium.

## PASCHASIUS GARDIER BERTRANDUS,

Vervianus, in Eburonibus, homo laïcus, solis Floræ Deæ Pomonæque sacris initiatus, latinis nullis imbutus litteris, edidit gallico idiomate

*Tabulas Controversiarum præcipuarum inter Orthodoxos & Heterodoxos hujus temporis.* Idque occasione provocationis à quodam *Godefrido Hottono*, deformatæ religionis Ministro, capto à

Batavis Mosæ-Trajecto Limburgoque, *Hottono* hunc antagonistam recusante, quasi congressus is foret impar Achilli: cujus propterea arrogantiam hoc libello egregiè ultus est *Paschasius*.

## PASCHASIUS JUSTUS,

Eeclonienſis, Flander, Philoſophiæ & Medicinæ Doctor, luſtratis Galliâ, Italiâ, Hiſpaniâ, aliiſque Europæ regnis, ob exquiſitam eruditionem, morcſque ad omnem humanitatem compoſitos, doctis omnibus acceptus, viriſque principibus mirè placuit, in quorum ſic aulas facilè penetravit. Archiater Marchionis Bergizomenſis artem illam exercuit adeò feliciter, ut ad Guilielmum Arauſionenſem Principem, Antverpiæ ſclopeto graviter læſum, evocatus, ſanguinem è jugularibus ingenti copiâ fluentem, ceteris Medicis deſperantibus, ſolus ipſe inhiberet ſiſteretque.

Poſtea Alenzonio Duci inter Medicos & à cubiculis adlectus fuit. Aleam verò admodum deperiit; perieruntque plurimæ ſcriptæ preces ejus & vota, quibus illum animi morbum ut Deus tolleret, ſcriò & frequenter optavit. Superſunt tamen ejus

*De Alea*, ſive *de curanda ludendi in pecuniam cupiditate*, libri duo, ſanè elegantes. Baſileæ 1561. 4. Francof. 1616. Amſtel. 1642 edente Marco Zuerio Boxhornio, cum Auctoris Vita.

## PASCHASIUS ZOUTERIUS,

Cynopagita, (fortè Hondiſchotanus) Ludimagiſter Iprenſis, edidit Antver. 1524. 8.

*Miſcellanea Grammatices.*

*Adoleſcentiam*, ſive *de contemnenda voluptate & amplexanda Virtute*, carmine Elegiaco. Ibid. 1521. typis Mich. Hillenii.

## PAULUS VAN DEN BERGHE,

Noviomagenſis Gelder, Societatis Jeſu Sacerdos, per annos plurimos in Hollandia, atque imprimis Leowardiæ Miſſionarius, edidit belgicè

*Catechiſmum Controverſiarum.* Ruræmundæ 1666.

## PAULUS BOUDOT,

Mortuis-Aquis in Comitatu Burgundiæ natus, tenuis fortunæ parentibus, poſt navatam Pariſiis Theologiæ Sorbonicæ operam, ejuſdem Facultatis Doctor renuntiatus anno 1604 die VII. Februarii, ibidem Verbum Dei, magno auditorum confluxu, docuit & prædicavit.

Unde evocatus in Belgium à *Joanne Richardoto*, Epiſcopo Atrebatenſi, non minori & iſtic fructu Eccleſiaſtæ munus obivit, ut & poſtmodum in urbe Cameracenſi, *Richardoto* ad cathedram Metropolitanam adſumpto, in eadem Eccleſia Archidiaconi & Magni Miniſtri officiis decoratus. Gratus acceptuſque fuit ALBERTO Principi, qui eum Concionatorum ſuorum numero adſcripſit, ac tandem Epiſcopum Audomarenſem anno 1618. nominavit. Quam quidem Eccleſiam ille ſollicitè admodum rexit, dicere de ea ſolitus, ne unum quidem noſſe ſe in univerſâ Diœceſi, qui malè de Chriſtianâ atque Orthodoxa religione ſentiret.

Ad Sedem Atrebatenſem anno 1627. tranſlatus, pari ſtudio Dei ac B. M. V. cultum promovit. Ferunt eum auctorem fuiſſe moris inter Gallo-Belgas receptiſſimi, quo mendici, ad copioſiorum oſtia ſtipem efflagitantes, Litanias Lauretanas cantant, aut alios ejuſmodi hymnos. Vir fuit græcè & hebraïcè doctus, ac variis ſcriptis clarus, ex quibus hæc lucem viderunt:

*Summa Theologica D.* THOMÆ *Aquinatis recenſita.* Atrebati apud Guil: Riverium, fol.

*Pythagorica Marci Antonii de Dominis, Archiepiſc. nuper Spalatenſis, nunc demùm in lupum ſub ovina pelle transformati, nova Metempſychoſis.* Antver. typis Ger. Wolſcharti, 8.

*Tract. de Sacramento Pœnitentiæ*, libris III. gallicè. Pariſ. typis Mich. Sonnii, 1601. 8.

*Oratio in Exequiis Rodolphi II Imp.* anno 1612. Bruxellæ coram Sereniſſ. Archiducibus, Belgarum Principibus, totaque Nobilitate habita, gallicè. Atrebati, in 8.

*Formula Viſitationis per totam ſuam Diœceſin faciendæ.* Duaci, 1627. 8.

*Catechiſmus*, ſive *Summa Doctrinæ Chriſtianæ pro Diœceſi Atrebatenſi*, item gallicè. Duaci. 1628. Atreb. 1633.

Obiit anno 1635. die XI. Novembris, ætatis anno LXIV. Tumulum habet in Æde Cathedrali, ante imaginem B. Virginis, quam Florum vocant, miraculis celebrem.

## PAULUS BUSIUS,

*Joannis* filius, Swollanus, Transiſalanus, à prima ætate deditus ſtudiis fuit, atque annos pubertatis vix egreſſus, Juriſprudentiæ propè devotus; & quidem eo proſectu famaque nominis, ut Coloniæ in Ubiis, dum inter Juris candidatos verſatur, Conſultus Juris & eſſet, & conſilia ſive Reſponſa de Jure daret.

Hinc Swollæ, patrio in ſolo, praxin forenſem theoriæ adjecit: paulloque pòſt ab Ordinum Friſiæ Delegatis & Curatoribus Academiæ Friſicæ Franekeram eſt evocatus, ut Juris eſſet Anteceſſor, ac collega *Marci Lycklama à Nieholt.* Scripſit

*Commentarios in Pandectas Juſtiniani*, cum differentiis Juris Canonici, & Conſuetudinum. Swollæ, 1610. & in IV. Partes poſteriores', Franek. 1613. in 4. Daventr. 1647. item 1656.

*Quæſtiones controverſas ad Libros IV. Inſtitut. Juris* Leovardiæ, 1615. 4.

*Subtilitatum Juris*, ſive Diſſertationum Academicarum libros VII. Coloniæ, 1604. 8. Franekeræ', 1612. item Heidelb. 1665. in 4.

*De Annuis Reditibus.* libros II. Coloniæ 1601. 8.

*De Officio Judicis* librum ſingularem. Amſtel. 1603. 4. & Lugd. apud Franc. Fabrum, 1610. 8.

*De Republica*, libros III. unà cum *Diſquiſitionibus* Politicis, publicè propoſitis & diſcuſſis. Franek. 1613. 4.

Porro diſtinguendus hic eſt à *Paulo Buſio* Amersfortio, J. U. D. Ordinum Hollandiæ Conſiliario & Advocato primario, magnæ famæ authoritatiſque Viro, de quo frequens in Annalibus Batavicis mentio. Obiit hic anno 1594. ſucceſſorem nactus *Joannem Olden-Barn-veldium.* Errat Paulus Freherus, libros à Buſio Doctore editos Buſio Penſionario attribuens.

## PAULUS CHIMORRHÆUS,

Beeckenſis, qui eſt pagus Ducatus Juliacenſis, non procul Randelradio, dum Rectorem ageret Scholæ Ruræmondę, Heinsbergæ & Marcoduri, quędam carmine conſcripſit, eoque ut facili, ita nec ineleganti; pleraque etiam minuta, Coloniæ typis Gaſp. Gennepæi in 8. ſimul edita: cujuſmodi ſunt,

*Epiſtolæ Dominicales: Elegia de vera & falſa fide: De degenerante Religione: De Platonis dicto* NOSCE TEIPSUM: *De vitandis falſis Prophetis*; aliaque.

Claruit circa annum 1552. ſub Guilielmo Principe. Elatâ uxore, cujus etiam obitum deplorat, Sacerdotio initiatus, Paſtor fuit Sittardienſis, & Concilii Suſterenſis Decanus.

## PAULUS CHRISTINÆUS,

Machlinienſis, Toparchæ de Buecken, Beyſſem & Aſſent, naſcitur anno 1553. VIII. Kal. Novembres parentibus *Mag. Petro de Chriſtynen* & *Joanna van Candrieſch*. Juvenis ſtudiorum cauſſâ luſtratis pleriſque Italiæ Academiis, multorum hominum mores vidit & urbes, Doctorque J. U. renuntiatus, & ad ſuos reverſus, apud ſupremam Curiam cauſſas agere cæpit.

Anno 1585. S. P. Q. Machlinienſi à Conſiliis eſſe jubetur (vulgus Penſionarium, doctiores Syndicum nuncupant:) quo ſe Magiſtratu anno 1622. atate meritiſque gravis, in favorem *Sebaſtiani* filii, abdicavit, & reliquum vitæ in litterato otio tranſegit, componendo ac recenſendo ea, quæ multorum annorum uſu obſervarat, Arreſta nimirum ſeu Deciſiones rerum in ſupremo Concilio Machlinienſi atque alibi judicatarum.

Vir fuit eruditionis, prudentiæ, & in primis conſtantiæ ſingularis in laboribus, negotiiſque cùm publicis tum privatis obeundis, ſtudii verò indefeſſi. Vivendi ac commentandi finem fecit anno 1631. pridie Nonas Octobris. Ediderat

*Notas* ſeu *Commentationes in Statuta civitatis Machlinienſis*, cum *Conferentiis aliarum Conſuetudinum*. Antver. typis Verduſſii, 1625. 4. & 1642. 4. fol. Item 1657. Ibid.

*Practicarum Quæſtionum, rerumque in ſupremis Belgarum Curiis actarum & obſervatarum Deciſiones*, in ſex volumina diſtributas, quorum Primum promiſcuè Caſus in Jure & foris quotidie occurrentes; quatuor reliqua, Deciſiones ſecundum ordinem univerſi Codicis Juſtinianæi, digeſtas; VI. Conſuetudines Feudorum pertractant. Opus tam in Foris quàm Academiis verſantibus perquam utile & neceſſarium, Antv. typis Verduſſianis 1661. item 1671. fol. IV. vol. Demum recognitum, à mendis purgatum, variiſque Animadverſionibus & præjudiciis celebratiſſimorum Jureconſultorum & Collegiorum Juridicorum locupletatum; operâ & curâ Academiæ Erfordienſis Rectoris *Tobiæ Jacobi Reinhartbi* ſacri Palatii Cæſarei Comitis, Juridicarum Facultatum Aſſeſſoris & Profeſſoris Codicis Ordinarii nec non Civitatis Syndici primarii & Conſulis. fol. Erfordiæ apud Carol. Jungnicolium. 1734.

## PAULUS CRONENDALIUS,

Commiſſarius ſeu Aſſeſſor in Concilio Finantiarum ſive Ærarii Principalis in Belgio, ſcripſit librum

*De Comitibus Namurcenſibus*. Exſtabat apud filium *Henricum*, dein apud nepotem Graphiarium ejuſdem Concilii: & vidit Joannes Baptiſta Gramajus, dum de Namureo ſcriberet.

## PAULUS DUEZIUS,

Leodius, Societatis Jeſu S. Theol. Doctor in Academia Muſſipontanâ, Rectorque Collegii Barroducenſis, ac deinde Muſſipontani, ſimulque Academiæ per quadriennium. Obiit Metis in Lotharingia 14. Aprilis 1644. Scripſit

*Commentarium brevem in ſelectas Tibulli & Propertii Elegias*, & *Auſonii Moſellam*.

Item *in ſelecta Veterum & Recentiorum Epigrammata*. Muſſiponti, 1615. in 8.

*Cantum Muſarum ad Henricum II. Lotharingiæ Ducem*. 8. Muſſiponti 1615.

## PAULUS FERDINANDUS CHIFFLETIUS,

Bruxellenſis, ex nobili & doctâ

Chiffletiorum familiâ oriundus, in Abbatia Villarienſi Ord. Ciſt. in Gallo-Brabantia Religioſus; edidit

*Epiſtolicam Obſervationem de pernobili & militari genere S. Bernardi Abbatis Clarævallenſis.* in 4. 1653. ſuppreſſo loci & typographi nomine.

## PAULUS LEOPARDUS,

Iſemberga territorii Furnenſis pago oriundus, Flander, juvenis Lovanii præceptoribus *Nicolao Clenardo* ac *Rutgero Reſcio* uſus, quantum profecerit, facilè oſtendunt

*Miſcellaneorum* & *Emendationum* libri XX. E quibus decem priores Antver. editi, typis Plant. 1568. 4. reliqui Francof. 1604. 8. Tomo III. Lampadis Criticæ, ex Bibliotheca *Petri Scriverii.*

Latio etiam donavit *Vitas & Chrias Ariſtippi*, *Diogenis*, *Demonactis*, *Stratonis*, *Demoſthenis & Aſpaſiæ.* Antver. 1556. 8. Belleri typis.

Ludum litterarium aperuit Hondiſcotæ primùm, ubi bonam ætatis partem conſumpſit, reliquum vitæ egit Bergis S. Winoci. Lutetiam Pariſiorum ad Profeſſionem Regiam evocatus, quò minùs iret, per uxorem ſtetit, neceſſarium malum, inquit ille, præſertim virorum doctrinâ illuſtrium. Homo alioqui minimè omnium ambitioſus & gloriæ cupidus, quippe qui apud ſuos tranquillè & frugaliter vivere, quàm foris ad dignitates & amplas opes aſpirare maluerit. Familiaris vixit *Guil. Pantino*, *Franc. Nanſio*, *Petro Nannio*, apud quem *Leopardo nemo eruditione major*, *nemo de humanitate candidior* habitus fuit; ut crebris, quæ exſtant, Epiſtolis teſtatur.

Obiit Bergis S. Winoci, anno 1567. ætatis ſuæ LVII. III. Nonas Junii, ſepultus ad S. Martinum. Mortuo oculos clauſit *Joannes Macarius*, Canonicus Aërienſis, præceptori optimo diſcipulus optimus.

## PAULUS MERULA,

Vulgo VAN MERLE, Dordracenſis Batavus, Guilielmi, qui Senatui civico à ſecretis erat, filius, Pauli nepos, J. C. & Hiſtoriographius, naſcitur anno 1558. die XIX. Auguſti. Primam ætatem partim in patria, partim Delphis ſub præceptorum diſciplina egit. Factis deinde majoris eruditionis fundamentis Lugduni Batavorum, luſtratiſque per totum ferè novennium pleriſque Italiæ, Galliæ, Germaniæ & Angliæ Academiis, patriæ poſtliminio redditus, Hagæ Comitis forenſe ſtadium ingreſſus eſt: ductâ interim ab anno 1589. uxore *Juditha Griphia.* Huic per annos XVIII. conjunctus fuit, pluresque ex ea ſuſcepit liberos, ſed omnes præmaturè & annum ætatis 30 è vivis ereptos.

Evocatur inde anno 1592. in Academiam Lugduno-Batavam, ad publicam Hiſtoriarum Profeſſionem, *Juſto Lipſio* in Belgium Catholicum redeunti ſucceſſor datus: quam ſpartam annos ipſos XV. ſuſtinuit. Acceſſerunt & munia, Bibliothecarii Academiæ Lugdunenſis, anno 1598. poſt deceſſum *Jani Douzæ*, & Hiſtoriographi Ordinum Fœderatorum.

Debilitatâ per ſtudium immoderatum valetudine, aëris mutandi gratiâ, ſeceſſit unà cum uxore ac familia Roſtochium anno 1607; ſed dum poſt manſionem bimeſtrem redire in patriam parat, malignâ febre ac ſanguinis vomitu oppreſſus interiit eodem anno 1607. ætat. XLIX. die 20. Julii. *Pro* funere laudatus à *Joanne Kirchmanno*, oratione Roſtochii edita, & à *Bartholomæo Clingio*, illius Academiæ Rectore. Sepulto hæc poſita Inſcriptio.

Tibi
PAULE MARULA,
Qui dum Deus te nobis
Superſtitem volebat,
Ob ſingularem tuam eruditionem
Magnaque & multa in omnes beneficia
Doctiſſimorum audiiſti humaniſſimus,
Humaniſſimorum doctiſſimus,
Hoc qualecunque monumentum
Mærens bene merito
F. P. Q.
P.D. J. F. ex A. A. D. VIII. Kal. Aug.
M. D. C. XIII.
Ave & ſalve Vir paucis comparande.

❖ ❖ ❖

Hæc ab *Paulo Merula* prodierunt.

*Coſmographiæ generalis libri III. item Coſmographiæ particularis libri IV. quibus Europa in genere, ſpeciatim Hiſpania, Gallia, Italia deſcribuntur*, cum Tabulis Geographicis æneis. Amſtelod. 1605. in 4. typis Raphelingii. Item Amſtel. 1621. fol. & 1636. Tom. VI. in 12.

*Quinti Ennii Librorum XVIII. Fragmenta*, collecta & Commentariis illuſtrata. 4. Lugd. 1595.

*Synopſis Praxeos civilis Provincialis Curiæ apud Batavos*; vernaculè. 1592. Leydę in 4. item Hagæ-Com. 1619. &c.

*De Venatione & Piſcatu*, item vernaculè 1605.

*Vita Franciſci Junii, Bituricenſis*, ab ipſo-met *Junio* ſcripta, & edita à P. Merula. Leydæ 1595. in 4.

*Willerami Abbatis Mersburgenſis in Canticum Canticorum Paraphraſis gemina*, prior Rythmis latinis, altera veteri Linguâ Francicâ; additâ explicatione Linguâ Belgicâ, & Notis, quibus veterum Vocum Francicarum ratio redditur; edente P. Merulâ. Leidæ 1598. in 8.

*Eutropii Hiſtoriæ Romanæ libri X. & Pauli Diaconi Libri VIII.* ex editione Merulę. Leidæ 1592. item 1594. 8.

*Urbis Romæ delineatio, & methodica ex variis Authoribus deſcriptio.* Lugd. 1599.

*Vita Deſiderii Eraſmi*, ex ipſius manu fideliter repræſentata. Additi ſunt *Epiſtolarum* ipſius libri duo, collecti & editi à P. Merula Lugd. 1607. 4.

*Hiſtoria Eccleſiaſtica & Politica* 1200. *annorum*; patrio idiomate; quam *Guilielmus Merula*, *Pauli* filius, ad ſua uſque tempora anno 1615. perduxit; Leidæ. Sed liber hic niger eſt, hunc tu, Romane, caveto.

*Fidelis narratio rerum adverſus Angelum Merulam tragicè geſtarum ab Inquiſitoribus*, 4. Lug. 1604. Fuit autem *Angelus Merula*, Pauli propatruus, olim in Eccleſia Romano-Catholica Sacerdos, ac Paſtor Heinvlietanus, apud Brielam: qui ob defertam fidem avitam ductamque uxorem quinquennali carceri mancipatus, tandem in hęreſi pertinax flammis exuſtus fuit Montibus Hannoniæ die 26 Julii 1557. annum agens ætatis 75. Hunc inter Martyres ſuos commemorant Calviniſtæ.

*Diatriba de Statu Reipublicæ Batavæ*, cum libello de Republica & Rebus Hollandiæ. 4 1614. item 1630. Leidæ apud Elzevier, 24. ac rurſum Hagæ-Com. 1650. in 12. unà cum Decreto Ordd. Holl. & Weſtfr. de antiquo Jure Reip. Batavæ.

*De Maribus Diſſertatio.* Lugd. 1633. in 8.

*Opuſcula varia poſthuma*, juxta authographum edita & recenſita cum fig. Lugd. Bat. 1684. in 4. nempe

*De Sacrificiorum Ritibus apud veteres Romanos.*

*De Sacerdotibus Romanorum.*

*De Legibus Romanorum*: quæ multùm variant ab his, quas antea Franc. Balduinus ediderat.

*De Comitiis Romanorum.*

*De Præmiis, quæ Militiam ſequebantur.*

Plura alia ſuperſunt edenda, quorum Catalogum accuratum hîc habes.

*Hiſtoria Belgica.*

*Hiſtoria Gelrica.*

*Synchroniſmus earum rerum, quæ proximè elapſo ſæculo in Orbe Chriſtiano contigerunt.*

*Hiſtoria, ſive Faſti Rerum à Romanis geſtarum.*

*Deſcriptio Dordraci.*

*Deſcriptio Bataviæ*, belgicè.

*Belgica unita*, gallicè.

*Diſcurſus politicus in Donationem ſive Ceſſionem, quâ Philippus II. Rex Hisp. in Infantem Iſabellam Jus tranſſcribit Provinciarum Belgicarum &c. anno* 1593.

*Praxis latina.*

*Praxis criminalis Provincialis Curiæ apud Batavos.*

*Commentarii in IV. Inſtitutionum Juſtiniani libros.*

*Tractatus de Dotibus.*

*Antinomiæ Juris.*

*De linguis variis.*

*Diatriba de Linguæ Gallicæ antiquitate, mutatione & Dialectis.*

*Nomenclator Cygneticus.*

*Fragmenta veterum Poëtarum*, cum annotationibus.

*Tabulæ Antiquitatum Romanarum.*

*Hiſtoria de Diis Veterum.*

*Hiſtoria Magiſtratuum Romanorum.*

*De diebus feſtis apud Romanos.*

*Lectiones in Julium & Auguſtum Suetonii.*

*Lectiones in I. & II. Libros Flori.*

*Lectiones in Taciti Germaniam.*

*Chronologiæ in Lucanum, Cæſarem de bello civili, & Dionyſium Halicarnaſſæum.*

*Orationes quædam ac Poëmata.* Ita refert Theodorus ab Almeloveen, in Bibliotheca ſua promiſſa pag. 34.

## PAULUS MIDDELBURGIUS,

Familiæ nomine carens, à natali ſolo Middelburgo in Zelandia, more gentis, cognomen mutuatus eſt. Lovanii adoleſcens in ſtudiis multos annos verſatus eſt. In Italiam tranſgreſſus, ob eximiam Phyſices reique Medicæ peritiam, magnum auctoritatis & gratiæ locum obtinuit apud Ducem Urbinatium, cujus favore anno 1494. creatus eſt Foro-Sempronienſis Epiſcopus. Cumque Mathematicis etiam artibus excellerit: (nam Julius Cæſar Scaliger *Omnium ſui temporis Mathematicorum, ex nationis prærogativâ, facilè Principem* nuncupat) à Julio II. & Leone X. Pont. Romam evocatus fuit. Scripſit

*Paulina, ſive de recta Paſchæ celebratione, & de die Paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, duabus Partibus; impreſſum per ſpectabilem virum Octavianum Petrucium civem Foro-Sempronienſem, impreſſoriæ artis peritiſſimum.* fol. 1513. Libro huic occaſionem dedit diſputatio Foroſempronienſis Epiſcopi, cum Judæo quodam, Catholicis exprobante, quod à vero computu Paſſchali deviarent; ejuſque rationibus commotus Præſul, tum ſcripto, tum argumentis, primus coram Leone X. Pont. ipſoque Lateranenſi Concilio inſtitit, ut Calendarium Eccleſiaſticum emendaretur. Quod tamen non ante annum 1582. ſub Gregorio XIII. contigiſſe, notorium eſt.

Edidit quoque *Epiſtolam de Paſchate obſervando, & die Paſſionis*, ad Univerſitatem Lovanienſem.

*Prognoſticon ad Maximilianum Auſtriacum*, Lovanii, typis Weſtphali.

*Prognoſtici Defenſionem*, contra Joannem Barbum, Urbini. 1484.

*Invectivam in ſuperſtitioſum vatem.*

Naturæ debitum Romæ ſolvit, & ſepultus ad S. Mariam de Anima Germanorum Eccleſiam, hoc Epitaphio:

✿ ✿ ✿

PAULO Antiſtiti Foro-ſempronenſi,
A Middelburgo
Inſigni inferioris Germaniæ Opido,
Viro

Viro liberalium Artium disciplinis,
Pietate, animique moderatione
Longè omnibus anteferendo,
Ab Julio II. & Leone X. Pont. Max.
Ad præsidendum Lateranensi Concilio
Electo & evocato,
Vitæ suæ curriculo Annor. LXXXIX.
In gloria exacto,
Restitutâque Deo
Romæ inter cœremonias Ecclesiasticas
Divinâ sui parte;
Petrus Vorstius Episcop. Aquensis,
Referendarius & S. Rotæ locum-tenens,
Et Fredericus Calvarius,
Utriusque censuræ
Doctor, & Eques,
Executores posf.
Obiit XIX. Kalend. Januarii,
Anno salutis M. D. XXXIV.

## PAULUS MONTANUS,

Vulgò Van-den-Berghe, natus Ultrajecti anno 1530. IX. Kal. Septembres, prima litterarum rudimenta in patria accepit; Jurisprudentiæ initia Lovanii, Laurcam Juris Andegavi apud Gallos, anno 1550. VII. Idus Julias. In patriam reversus, causarum in utraque Curia Episcopali & & Provinciali patronus fuit, & in illa quoque annos aliquot Assessor.

Anno dein 1561. à Philippo II. Hispaniarum Rege Catholico in Senatum Provinciæ Ultrajectinæ adscitus, annos ferè decem ac novem sententiam dixit, vitæ integer, nullius præter virtutem appetens, comis & humanus, ingenii candidi, & ab ambitione alienus: benè volens omnibus, simulare aut dissimulare nescius: reprehensionis tamen impatientior, & in defendendis iis, quæ semel asseruerat, pertinacior.

Anno 1580. Kalendis Septembris, à juramento, Regi Catholico præstito, cum Collegis ejusdem Curiæ Senatoribus, solutus, Rege ab Ordinibus abjurato, deinceps privatus vixit consulendo scribendoque usque ad annum 1587. ætatis LVII. diem Septembris XXX. Fuit Montanus staturâ mediocri, barbâ prolixâ, decorâ facie. Scripsit

*Tractatum de Jure Tutelarum & Curationum*, à Bartholomæo filio, post mortem patris editum, Lugd. Batavorum 1597. fol. Francofurti 1607. 8. & Hagæ-Comitum 1656. apud Adrian. Vlack.

## PAULUS MONTIUS,

Duacenas, à Secretis patriæ suæ, felicissimus aliarum linguarum, quas varias & præ cæteris hispanicam calluit, in gallicam Interpres, è latino reddidit

*Confessiones D. Augustini.*

*Thomam à Kempis de Imitatione Christi.*

*Dion. Carthusiani Sententiam bene vivendi.* Et alia ejusdem: item *Lud Granatensis*, *Ant. Guevarræ*, *Marci Maruli*, *Dorothei* &c. ex latino, italico, hispanico. Scripsit verò ipse gallicè

*Commentarios in Orationem Dominicam*, è variis Auctoribus.

*Bellum Christianum*, hispanicè & gallicè. Omnia Duaci typis edita.

Vitâ defungitur Duaci, anno 1602. IV. Kal. Novembres, annos natus LXXII.

## PAULUS ROSMER,

Mosæ-trajectinus, è Societate Jesu, celeberrimus quondam in Cæsarea Viennensi, & Archiducali Græcensi Academiis S. Theologiæ Doctor ac Professor Ordinarius, edidit quas dictaverat materias

*De Jure & Justitiâ, ac potissimum de Contractibus.* 12. Græcii 1649. & Salisburgi 1660.

*Conclusiones ex universa Theologia, suis rationibus instructas.* 8. Græcii 1657.

*De Sacramento & Virtute Pœnitentiæ.* Ibid. 1656. & 1662.

*De Actibus humanis.* Ibid. 1659.

*De Deo uno & trino.* Ibid. 1663.

Obiit Græcii in Styria, die 8. Junii 1664. annos natus prope 60.

## PAULUS RYSTIUS,

Antverpianus, Ord. S. Dominici Theologus, ſtudiorum cauſſâ Lovanii vixit, & cum Theologia Linguæ Hebraïcæ cognitionem non vulgarem conjunxit. In Miſſione Batavica bonam frugem fecit, multaque paſſus fuit; Ultrajecti anno 1624. die XXII. Januarii ab altari raptus, vinctuſque, & plateatim per urbem ductus. Neque ideo tamen ſuſceptos pro Fide labores deſeruit: nam lytro perſoluto dimiſſus, Roterodamum ſeceſſit, ibique in eodem Apoſtolico munere vitam finivit, vigente adhuc ætate, die 28. Junii 1636. Edidit

*De Monomachia Serpentis & Hominis* libros III. Antverpiæ, apud Guil. à Tongris, 1619. 8.

## PAULUS VOET,

Heuſdanus, Brabantus aut Batavus (utrumque enim dicitur) natus eſt die 7. Junii 1619. patre Gisberto Voetio, tunc in eodem oppido ſectæ Calvinianæ Miniſtro, dein Uuiverſitatis Ultrajectinæ recens erectæ primo ac celebri Profeſſore Theologo; matre Deliana Van Dieſt. Philoſophiæ ſtudio Ultrajecti feliciter exacto, creatus eſt primùm Profeſſor Extraordinarius Metaphyſices die 24. Maii 1641, dein Ordinarius, 17. Junii 1644. Altioribus porro ſtudiis occupatus, Doctoralem Jurium Lauream in eadem Univerſitate ſuſcepit, ac paulò poſt ob vulgatam eruditionis famam electus eſt Pandectarum Profeſſor, & Anteceſſor primarius die 25. Aprilis 1654, deficiente Antonio Matthæo Juris-conſulto celebri: cujus jacturam in ea Univerſitate abundè ſupplevit Voetius. Uxorem duxit illic N. filiam Pauli Reuffert Territorii Schoterlandiæ Secretarii, è qua reliquit filium *Joannem Voetium*, J. U. D. Leidenſis Academiæ primarium ornamentum. Ipſe vero, cum fuiſſet etiam ſuæ Academiæ Rector, & Cameræ Vianenſis Senator, in fata conceſſit Ultrajecti Kalendis Auguſti 1667, in florida ætate 48. annorum; relictis Tractatibus ſequentibus, qui omnes iteratis typis vulgati.

*De duellis licitis & illicitis.* 12. Ultraj. 1644. & aliàs ſæpius.

*De Statutis, eorumque concurſu.* 8. Ultraj. 1655. &c.

*De Uſu Juris Civilis & Canonici in Belgio unito; deque more promovendi Doctores utriuſque Juris &c. Liber ſingularis.* 12. Ultraj. apud Joh. à Waesberghe 1658. Quæ de Jure Canonico hîc aſſeruntur, Catholicos offendunt.

*De Jure Militari.* 8. Ultraj. 1666. &c.

*Commentarius in Inſtitutiones Imperiales.* Gorichemii per Paulum Vinck. Tom. II. in 4. 1668.

*De Mobilium & Immobilium naturâ*, modo Academico & forenſi Tractatus. 8. Ultraj. 1666.

Item quà Hiſtoricus, vernaculè edidit *Originem ac geſta memoranda DD. Brederodiorum*; quam gallicè traduxit B. Pailhat. 4. Amſtelod. 1663.

## PEREGRINUS, SIVE PELGROMIUS PULLENIUS,

Quem alibi JOANNEM PEREGRINUM vocari invenio, Stralæ in Gelria natus, in incunte ætate ſtudiis deditus, Theologiæ, quam Myſticam vocant, arcana in primis ſcrutari ſtuduit, aſſiduus lector SS. Patrum, præſertim eorum, qui eam Theologiæ partem propiùs attigerunt. Hunc *Guilielmus*

*Lindanus*, Ruræmondenſis Antiſtes, Presbyterum ordinatum in partem ſollicitudinis vocavit, Cathedralis Eccleſiæ ſuæ Scholaſticum ac Seminarii clericorum rectorem conſtituit, ſimulque Beghinis Ruræmondenſibus Paſtorem dedit; & non ſolùm arcana ſui pectoris ei commiſit, ſed & vix quidquam difficile aut arduum ipſo inconſulto inchoavit. *Lindano* ad Eccleſiam Gandavenſem tranſlato, ipſe honorum fugitans, Coloniæ primùm, deinde Leodii, demùm Silvæducis latere voluit, re ac voluntate pauper, virtutibus dives, pietate inſignis, contemplatione præcipuus. Multa ſcripſit, quæ Silvæducis in manibus piorum atque in pretio ſunt, veluti

*In Cantica Canticorum.*

*In Apocalypſin. De Paupertate Apoſtolica.*

*De nuptiis ſpiritualibus.*

*De Via compendioſa ad ſalutem*; aliaque: ſed quæ ob recondita ſenſa, ac divina theoremata, quidam ſatiùs ſupprimi quàm imprimi ſenſerunt.

Inter hæc eſt & *Dialogiſmus*, ſive *Collatio habita cum Recluſa Gandenſi*, cujus fragmentum ex vernaculo latinè redditum Hiſtoriæ ſuæ S. Beggæ inſeruit Joſ. Geldolphus à Ryckel, Abbas ad S. Gertrudem Lovanii, unà cum deſcriptione compendioſa (pag. 651.) Vitæ *Vener. Peregrini Pullenii*, qui cum opinione ſanctitatis obiit Silvæducis anno 1608. die XX. Julii, ſepultus apud Virgines Clariſſas.

## PERSEVALDUS BELLIGEMIUS,

Brugenſis, cœcus natus, Lutetiæ Pariſiorum in Gymnaſio Gervaſiaco docuit, claruitque circa annum 1530. Symbolo uſus ex Pſalmo CXLV. *Dominus illuminat cœcos.*

Scripſit in ſolatium calamitatis ſuæ,

*Notas & Scholia in Quinctiliani Declamationem pro Cœco, contra Novercam.*

## PETREIUS TIARA,

Worcomii in Friſia natus anno 1514. Idibus Julii, dein Medicinæ Doctor, Poëta, Philoſophus, trium Linguarum cognitione probè inſtructus, omnique liberali perpolitus eruditione; adoleſcens Italiam, Germaniam, Galliam, viſit. Græcas litteras Lovanii privatim, dein publicè Duaci, tum Lugduni apud Batavos, in utriuſque illius Academiæ exordio; demum, deſerta jam ante Religionis Catholicæ profeſſione, Franekeræ (ab anno 1585. quo inſtituta fuit hęc Friſiorum Academia) profeſſus eſt; publico quoque ſalario Delphis Medicinam aliquamdiu factitavit.

Fuit ingenio ſagaci & diſciplinæ omnis capaci, judicio acri, ſtaturâ ultra mediocritatem, fronte latâ, barbâ promiſſâ. Vertit feliciter latino carmine,

*Euripidis Medæam.* Ultrajecti, 1543. 8. apud Herm. Borculoum.

*Pythagoræ, Phocylidis, & Theognidis Gnomas.* Franekeræ, 1590. 8. apud Radæum.

*Sophiſten Platonis*, ſive, de eo quod verè eſſe dicitur. Lovanii, 1552. 8. apud Mart. Rotarium.

Extat & Carmen ejuſdem elegiacum, non inelegans,

*De Nobilitate & Diſciplina militari veterum Friſiorum.* Franek. 1597. 8.

*Hymni Homeri, Hippocratis Aphoriſmi & Prognoſtica, Platonis Eutyphro & Alcibiades.* MSS. adſervari ſolent.

Obiit Franekeræ, anno 1586. VI. Eidus Februarii, ſepultus ibidem, cum Epitaphio ſequente, in Templo primario.

*Heus, quicumque teris hæc ſacri limina templi,*
*Suſpice pauliſper, verbaque pauca lege.*
*Sortem diſce tuam, & quæ te quoque fata manebunt,*

*Ocius aut ſero, corde reconde tuo.*
*Hoc ſaxo tegitur* PETREIUS *ille* TIARA,
*Ingens doctorum Pieridumque decus.*
*Waldrichem ei patria eſt, Friſiorum littore clara,*
*Quæque rudimentis nobilitata Viri eſt.*
*Artibus Harlemum poſt pluribus imbuit, atque*
*Linguis ornavit vim facilem ingenii.*
*Inde Machaoniam naturâ ductus ad artem,*
*Lovanium vixdum factus ephebus adit.*
*Tandem Pergameo, Cooque aliiſque Magiſtris,*
*Artis honos ceſſit ſummus in Italia.*
*Hanc deinceps toto coluit feliciter ævo,*
*Muſamque, Graiamque, Auſoniamque ſimul.*
*Scilicet inſignis Medicus, ſummuſque Poëta*
*Audiit, & linguâ Philoſophus geminâ*
*Lovanium expertum eſt Doctorem ipſumque Ducum,*
*Lugdunum in Batavis, Frankera parva ſuum.*
*Hæc poſtquam Civem, quem multos foverat annos*
*Gratè complexa eſt, & Schola docta ſenem,*
*Grandævum & vitæ ſaturum mors abrupit atrox,*
*Aggregat & civem civibus inde ſuis.*
*Diſcite Trigeminas non ulli parcere Parcas,*
*Nec quid in hoc magno ſtare perenne ſolo.*
*Nam pariter doctos rapit, indoctoſque, bonumque.*
*Unâ falce virum mors metit atque malum.*

✣ ✣ ✣

Natus Waldrichemi
Ao. Dni. M. D. XIIII. Julii xv.
Mortuus anno ultimi temporis
M. D. LXXXVI. Feb. IX.
Vixit annos LXXII. menſes VI. D. XXV.
Dominicus Tiara, frater, fratri chariſſ.
Et Joannes Theodoretus Arcerius
Amicus Amico, mæſti,
In memoriam ultimæ Reſurrectionis
Poſuerunt.

## PETRUS ÆGIDIUS,

Sive GILLIUS, J. C. naſcitur Antverpiæ circa annum à nato Chriſto 1486. patre *Nicolao Ægidio*, urbis Queſtore. A teneris annis innutritus liberalium artium ſtudiis, ductorem ac directorem habuit *Deſiderium Eraſmum*, cui familariſſimus vixit, ut & *Thomæ Moro*, *Conrado Goclenio*, aliiſque.

Eraſmus certè eumdem in Adagio *Ibyci grues*, hoſpitem ac Pyladem ſuum appellat; alibi à doctrina & humanitate commendat: & apud Eraſmum Thomas Morus libro II. Epiſt. XVI. *Hominis*, inquit, *tam docti, faceti, modeſti ac verè amici, ut peream, niſi ejus unius convictum libentiùr mihi velim bonâ mearum fortunarum parte redimere.* Idemque Utopiæ initio, PETRUS ÆGIDIUS, inquit, *Antverpiæ natus, magnâ fide, & loco apud ſuos honeſto, dignus honeſtiſſimo, quippe juvenis haud ſcio doctior-ne an moderatior; eſt enim & optimus & litteratiſſimus: adhæc animo in omnes candido, in amicos verò tam propenſo pectore, amore, fide, auſectu tam ſyncero, ut vix unum aut alterum uſquam invenias, quem illi ſentias omnibus amicitiæ numeris anteferendum. Rara illi modeſtia, nemini longius abeſt fucus, nulli ſimplicitas adeſt prudentior. Sermone lepidus, innoxiè facetus.* Hæc Morus, candido in amicum candidiſſimum affectu.

Facilè igitur vel hiſce nominibus, morumque in primis probitate, ſuis ſe civibus ita probavit, ut anno 1510. demortuo *Adriano Blitt*, qui primus fuit S. P. Q. Antverpienſi ab Actis, conſentientibus Senatorum omnium ſuffragiis fuerit ſuffectus. Affectûs porrò Eraſmiani tum alibi non uno loco, tum inter Colloquia familiaria extat monumentum, *Epithalamium Petri Ægidii*, quo Muſas IX. inducit, ſponſo ſponſæque Corneliæ dulci modulamine accinentes.

Moritur *Ægidius* anno 1533. III. Idus Novembris, annos natus plus minùs XLVI. quem etiam-num ſuperſtitem nobis repræſentant libri, ſive ingenii monumenta ab eo relicta.

*Threnodia in Funus Maxæmiliani Cæſaris*, cum *Epitaphiis* aliquot & *Epigrammatum* libello. Antverp. 1519. 4. apud Mich. Hillenium, & Tomo II. Rerum Germanicarum cum Notis Jac. Spiegelii.

*Hypotheſes*, ſive *Spectacula Carolo V. Cæſari ab S. P. Q. Antver.* edita; ibid. in 4.

*Enchiridion Principis ac Magiſtratus Chriſtiani*, ſive *Præceptiones* quædam *ad docendos Principes ac Magiſtratus*, è veterum libris. Coloniæ, 1541. apud Cervicornum. In quo opuſculo concinnando ſubſidiarias operas contulit Corn. Scribonius.

Primus quoque edidit *Titulos Legum ex Codice Theodoſiano*, Lovanii, typis Theodorici Martini, 1517. fol.

## PETRUS DE ALLIACO,

In Galliis quidem, Compendii Picardiæ opido, natus anno 1350, ex parentibus ignobilibus ſed probis, addendus tamen eſt Belgis, apud quos diu in honore vixit, primùm Archidiaconus, deinde Epiſcopus Cameracenſis.

Collegium Navarræum in Academia Pariſienſi anno 1372. ingreſſus eſt, inter ſodales candidatos Theologiæ, quos Burſarios vocant, admiſſus. Nec diu pòſt ibidem Sententias *Mag Petri Lombardi* prælegere, atque ad populum in Eccleſia conciones habere cœpit, magno cum applauſu ac fructu: ad Synodum quoque evocatus Ambianenſem, etſi Diaconus tantùm, Synodalem ad Presbyteros concionem habuit. Lauream Doctoralem in S. Theologia anno 1380. III. Idus Aprilis obtinuit. Anno 1384. præfectus eſt Collegio Navarræo, ubi *Joannem Gerſonem*, *Nicolaum de Clamengis*, alioſque viros doctiſſimos, diſcipulos habuit.

Anno 1389. Academiæ Pariſienſis Cancellarius renunciatus, & Carolo VI. Regi à ſacris eleëmoſynis & Confeſſionibus adhibitus eſt. Anno 1394. Capellæ Regiæ apud Pariſios Theſaurarius conſtituitur: atque à Carolo Rege ad Benedictum XIII. mittitur, conſulturus de mediis tollendi Schiſmatis, quo inconſutilis S. Matris Eccleſiæ tunica tunc dilacerabatur. Anno 1395. Anicienſis Epiſcopus in Gallia, ſequenti Cameracenſis renunciatur: dumque in Belgio reſidet, *Decretum* inſigne *contra Presbyteros fornicarios* promulgavit Cameraci anno 1398. integrè recitatum in Synodo Cameracenſi anni 1550. ſub Epiſc. Roberto de Croy. Antiquum etiam *Cameracenſis Eccleſiæ Breviarium* primus redegit in ordinem.

Anno 1409. Concilio Piſano interfuit, cujus res ab ipſo ingenti ardore ad finem promotæ ſunt. Anno 1411. VII. Idus Junii à Joanne XXIII. Papâ in S. R. E. Cardinalium cœtum, ſub titulo S. Chryſogoni, adlectus eſt. Exeunte anno 1414. ad Conſtancienſe Concilium profectus eſt, cujus Seſſioni tertiæ interfuit; crebras ad Patres conciones habuit & per integrum triennium pars magna fuit. Epiſcopatus quoque Vaurenſem & Arauſionenſem in Gallia adminiſtravit.

Extremum diem clauſit Præſul de Eccleſia optimè meritus, Avenione die 9. Auguſti 1425 ætatis anno LXXV. indeque cadaver ejus ad Cameracenſem Eccleſiam tranſlatum eſt, ſepultum in choro, retro majus altare, hoc Epitaphio.

Hic jacet Reverendus Pater
Dominus PETRUS DE ALLIACO,
Sacræ Theologiæ Doctor,

Quondam Episcopus Cameracensis.
Orate pro eo.
*Mors rapuit Petrum, petram subiit putre corpus :*
*Sed petram Christum spiritus ipse petit.*
*Quisquis ades, precibus fer opem, semperque memento,*
*Quod præter mores, omnia morte cadunt.*
*Nam quid amor Regum, quid opes, quid gloria durent,*
*Aspicis; hæc aderant tunc mihi, nunc abeunt.*

Multa de illo habet *Bellarminus*, libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, ad ann. 1410. Plura longè *Philippus Labbæus*, in eodem opere, Tomo II. *Cæsar Oudinus*, Tomo III. pag. 2293. sed plenissimè omnium *Joannes Launoyus*, in Historia Regii Navarræ Parisiensis Collegii parte 3. lib. I. cap. 4. à pag. 467. ubi omnes Vitæ illius epochas diligentissimè adnotat; omnes libros, tam editos, quam manuscriptos, quos etiam accuratè satis *Labbæus* adnotaverat, accuratiùs adhuc & usque ad scrupulum inquisivit & recensuit, ut eorum diligentiæ nihil addi possit. Visum tamen fuit, eos etiam Libros hîc adjungere, quos Clariss. *Valerius Andreas* in Bibliotheca sua Belgica recensuit, hoc ordine.

*Quæstiones in Sphæram Joannis de Sacrobosco.* Parisiis 1498.

In libros *Meteororum Aristotelis.* Viennæ 1509.

Tractatus *de Imagine Mundi.*

*Epilogus mappæ Mundi.*

*De correctione Calendarii,* sive *Exhortatio ad Concilium generale Constantiense* super Correctione Kalendarii, propter ingentes ejus errores; delineata ante Concilium, sed ibidem publicè pronunciata anno 1417. Ex Codice MS. Vindobonensi eruit *Hermannus Vön der Hardt* Tomo III. Actorum Constanc. pag. 72.

*De vero Ciclo Lunari.*

*Cosmographiæ* Tractatus duo.

*Viginti-loquium de Concordantia Astronomicæ veritatis cum Theologia.*

*De Concordia Astronomicæ veritatis & narrationis Historicæ.*

Tractatus *Elucidatarius Astronomicæ concordiæ cum Theologia & cum Historica narratione.*

*Apologetica defensio Astronomicæ veritatis.*

*Apologetica defensio secunda.*

Tractatus *de concordia discordantium Astronomorum.* Quæ omnia leguntur excusa simul in folio, absque nomine loci, anni ac typographi.

*Commentarii in Libros IV. Sententiarum.* Paris. fol.

*Sacramentale.* Lovanii, 1487. apud Ægid. ab Heerstraten.

*De Emendatione Ecclesiæ.* Coloniæ, cum Concilio Basileensi. Item in Ort. Gratii Fasciculo Rerum expetendarum fol. 204.

*Sermones* varii. Argentinæ, 1490.

Tractatus *de Potestate Ecclesiastica,*

Item *Responsio contra Fr. Matthæi Conclusiones pro Flagellantium Secta,* extant in Operibus *Joannis Gersonis*, cujus etiam ad Card. Cameracensem leguntur Epistolæ.

Item extant sequentia in Operibus præfati Hermanni Vön der Hardt, de Actis Concilii Constantiensis, Tomo I.

*Opusculum de difficultate Reformationis in Concilio universali*, scriptum anno 1410. ad Joannem Gerson Paris. Cancellarium. Ex Codice MS. Academiæ Helmstadiensis.

*Canones Reformationis Ecclesiæ*, scripti in Concilio Oecumenico, & Imperatori Sigismundo ac universo Concilio oblati. Ex Codice MS. Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis.

*Oratio de Officio Imperatoris, Papæ, reliquorumque membrorum Concilii Constantiensis, pro emendatione Ecclesiæ,*

PETRVS BACHERIVS, DOMINICANVS,
DOCTOR THEOLOGVS, POËTA, ET ECCLESIASTES EXIMIVS.

*Hæc ſunt Baccherij, quæ cernitis, ora diſerti,*
*Cuius lingua ſacrum nil niſi manna pluit.*
*Hæreſeωn vixit maſtijx immitis, & idem*
*Mitis amor Charitum, Pïeridumq; fuit.*

Digitized by Google

habita Constantiæ anno 1417. Ex antiquo Codice impresso Argentinæ anno 1490.

Tractatus *de Jure eligendi Papam, & de Jure Concilii in Papam.* Ibid.

Opuscula ejusdem spiritualia XVII. collegit *Leander à S. Martino*, S. Theol. Doctor Duacensis, & Linguę hebraïcæ Professor Academicus, ediditque anno 1634. 12. hoc ordine:

1. *Speculum Considerationis.*
2. *Compendium Contemplationis.*
3. *De Scalæ spiritualis gradibus.*
4. *Epitome Quadruplicis Exercitii spiritualis.*
5. *De Oratione Dominica.*
6. *Orationis Dominicæ Expositio anagogica.*
7. *Salutationis Angelicæ Expositio devota.*
8. *Verbum abbreviatum, super Libro Psalmorum.*
9. *Meditatio in Psalmum XXX.* In te Domine speravi.
10. *Meditatio posterior in eumdem Psalmum.*
11. *Meditatio in Psalm.* Judica me Deus.
12. *Meditationes in VII. Psalmos Pœnitentiales.*
13. *Meditatio in Canticum* Magnificat.
14. *Meditatio in Canticum* Benedictus.
15. *Meditatio in Canticum* Nunc dimittis.
16. *Expositio in Cantica Canticorum Salomonis.*
17. *Duodecim honores S. Joseph sponsi Virginis.*

Tractatus ejusdem *De Anima* legitur MS. Ultrajecti in Biblioth. publica.

Denique *de Vita S. Petri Cœlestini* libros II. auctore *Alliaco*, edidit Surius, die 19. Maii. qui etiam extant in Actis SS. Bollandinis Mense Maio Tomo IV. pag. 484.

Inter Opera *Joannis Gersonis*, anno 1706. curis *Ludovici Ellies Du Pin* edita V. Tomis in fol. Amstelodami apud Lud. De Lorme & socios (tametsi typum præferant Antverpiensem) extant quoque Tractatus quam-plurimi Cardinalis *Petri de Alliaco.* Scilicet placuit *Pinio*, ad elevandam communem DD. Sententiam de Superioritate Rom. Pontificum supra Concilium, hujus Prœsulis authoritate abuti, quædam ejus scripta tempore Schismatis, dum Ecclesia indubitato carebat Pontifice, edita, cum *Gersonis* Operibus, novis typis vulgando.

## PETRUS APHERDIANUS,

Wageningensis, Gelder, Moderator Scholæ Harderovicensis & Amstelodamensis, edidit

*Leges Scholæ Harderwicanæ*, in 8.

*Tyrocinium Linguæ Latinæ*, Coloniæ, 8. apud Gymnicum.

*Methodum discendi formulas Linguæ latinæ.* Ibid. 8.

*Institutionem puerorum.* Ant. 1560. 8.

*Epigrammatum Moralium* libros II. Ibid. 1560.

*Distichа Moralia.* Ibid. 1579. 8.

*Similia Erasmi*, & *Apophthegmata* per locos communes digesta. Daventriæ. 1557. 8.

## PETRUS BACHERIUS,

Vulgò DE BACKERE, Gandavensis, Ord. FF. Prædic. S. Th. Doctor in Academia Lovaniensi renunciatus anno 1568. die 12. Octobris, illiusque Professor eximius, Poëta elegans, per annos XLII. Concionator facundus ac vehemens, & Bacchico hæreticorum furori retundendo natus. Certè id de eo accepimus, numquam suggestum ascendere solitum, de Fidei controversiis verba facturum, quin innumerabilem auditorum turbam cogeret,

& quâ erat dicendi facilitate ac facultate, in admirationem raperet.

Prior ſuis variis in locis præfuit, Hagæ-Comitis apud Batavos, Calcariæ Cliviorum, Gandavi, & alibi, atque anno 1580. à Patribus Germaniæ inferioris deputatus Definitor, Romamque ad Comitia generalia Ordinis ſui profectus, ibidem coram totius orbis Patribus Orationem luculentam habuit, quæ & paulò pòſt Romæ data eſt prelo. Scripſit flandricè,

*Hortulum Precum.* Lovanii apud Joan. Bogardum, & alibi, cùm latinè, interprete *Henrico Bogardo*, tum gallicè, interprete *Ant. Cambier*, utroque Ordinis S. Dominici.

*De tribus partibus Pœnitentiæ, Contritione, Confeſſione & Satisfactione.* Lovanii 1573.

*Tractatum* brevem *ſuper Oratione Dominica.*

Et *Concionem de Oratione.* Gandavi, 1599. apud Manilium.

Latinè verò, *in Miſoliturgos*, ſeu *Miſſæ oſores*, libros II. Gandavi, 1556. 8.

*Apologeticum pro fidelibus defunctis.* Antverpiæ 1586 apud Plant.

*Speculum Militiæ Chriſtianæ.* Lovanii, 1562. & Coloniæ, 1592. 8.

*Jurgium Conjugale*, Dialogis II. comprehenſum. Gandavi. 8.

*Dialogum inter Cenophilum & conjugem Eulaliam*, in quo Calviniſtarum ſecta *Chriſti pellex*, Eccleſia verò Romana *Chriſti ſponſa* appellatur. Ibid. apud Paludanum.

*Spongiam Ebrioſorum*, ſive *Paræneſin ſeriam ad eos, qui liberalioribus poculis addicti ſunt*; Dialogis II. comprehenſam. Embricæ. 1592.

*Tumultum Panicum, ſive Belgicum*, verſu heroïco. Antver. 8. apud. Plant.

*Tabulam ſacrorum Carminum*, & *piarum Precum Enchiridion*, libris III. ex CXX. Poëtis collectum. Duaci, 1579. 8. apud Bogardum.

*Homilias in Epiſtolas Quadrageſimales.* Lovanii, 1572. 8. Bogardi typis.

*Homilias in Euangelia Dominicalia.* per annum. Ibid. 1576. apud Velpium.

*Enchiridion Theologiæ Paſtoralis*, à morte editum. Treveris, 1605.

Scripſit & *Annotata in Opuſculum D. Thomæ de Regimine Principum*; MS. apud Prædicatores Gandenſes

Deceſſit Gandavi, anno partæ ſalutis 1601. ætatis LXXXIV. pridie Idus Februarii: atque hoc ſibi Epitaphium in extremis decantavit.

*Si canitur niveis ſub mortem næuia cygnis,*
*Dum premit innocuum longa ſenecta caput;*
*Cur mihi non liceat, triplices mea fata ſorores*
*Dum truncant, proprias concinere exequias?*
*Intempeſtivis albeſcunt tempora canis,*
*Utraque quin frontem ruga ſenilis arat.*
*Caligant oculi, ſunt hæc præludia mortis:*
*Torpent officio, peſque manuſque ſuo.*
*Ganda vale, Fratreſque valete, valete propinqui,*
*Liber ab exilio regna paterna ſequor.*
*Conſequar hæc meritis Chriſti, rogo: ſublevat ægram*
*Spes mentem, trepidis anchora firma viris.*
*Sæpe per infeſtos ſcopulos & naufraga ſaxa,*
*Noſtra eſt inſanis cymba rotata nothis:*
*Non tamen à vero me devius abſtulit error,*
*Dogmate tentata eſt, non temerata fides.*
*Sæpe (fatebor enim) peccati nectare capius,*
*Neglexi æterni juſſa verenda Dei.*
*Da veniam laſſo, prævideque illabere menti:*
*Vulnera vulneribus dilue, Chriſte, tuis.*
*Diſcute mortales nebulas Dominator Olympi,*
*Migrantemque animam quâ potes arte juva.*
*Lux perit, interea mors urget, corporis hujus*
*Exuvias viridi ſuſcipe terra ſinu.*
*Sic placuit Cyro viridanti in grandine condi;*
*Rex tantus tumuli ſaxa operoſa fugit.*
*Hic locus arridet, majorum hic oſſa quieſcunt;*

*Bun-*

*Bunderii cineres, Gruteriique Patris.*
*Jungo Rigermannum, Sylvanum, Winchufiumque,*
*Ætate & meritis, eloquioque pares.*
*Non ego Cojianum, non te Rufelarde filebo,*
*Olim nam impenſe favit uterque mihi.*

Plura de *Petro Bacherio* ejuſque elucubrationibus lege in Belgio Dominano, authore P. de Jonghe; item apud Sanderum de Scriptor. Gandav.

## PETRUS BARD,

Tornacenſis, Adriani Florentii, qui poſtea fuit ejuſdem nominis Papa VI. in Academia Lovanienſi ſtudiorum condiſcipulus & contubernalis, Lutetiæ Pariſiorum emiſſis votis, Cœleſtinorum Ordini ſe addixit anno 1489. cujus poſtmodum quartò Provincialatûs officium geſſit. Ludovico XII. Francorum Regi adeo gratus fuit, ut ei arcana regni in conclavi & conſcientiæ latebras in confeſſione aperiret: à quo etiam oblatum Archiepiſcopatum, religioſi propoſiti tenax, invictâ humilitate recuſavit. Adrianus item VI. Pont. priſtini memor ſodalitii, *Bardum* Romam, ut Eccleſiaſticis honoribus ipſum adornaret, voluit accerſere; at vir modeſtus & ſui deſpiciens, ne id fieret ſuppliciter exoravit. Obiit Vicarius generalis Ordinis, nec non Prior Pariſienſis Cœnobii, anno 1525, ætatis 82, & in Capitulo tumuatus eſt.

Scripſit doctiſſimam *Regulæ S. Benedicti Expoſitionem*, quâ illam (teſte *Bened. Haefteno* Præpoſito Affligem.) caliginoſis mentibus lucidam apertamque reddidit. Extat MS. Tomis II. fol. in Bibliotheca Cœleſtina Pariſienſi.

Item *Collationum ſeu Concionum ſacrarum Volumina V.* in fol. MSS. ibidem. Elenchum earum exhibet liber, cui tit: *Gallicæ Cœleſtinorum Congregationis, Monaſteriorum fundationes, Virorum illuſtrium Elogia* &c. Pariſiis editus in 4. anno 1719. pag. 135.

## PETRUS DU BAY,

Ex agro Athenſi in Hannonia oriundus, Michaelis Doctoris Theologi apud Lovanienſes frater, & Rotæ Romanæ Advocatus, edidit *Directorium Electionum.*

## PETRUS BEAUSARDUS,

Lovanienſis, Doctor Medicus & Mathematum Profeſſor Regius in patria, vir abſolutæ doctrinæ, nec litterarum Græcarum ignarus; obiit Lovanii anno 1577. pridie Idus Auguſti. Edidit

*Arithmetices Praxin.* Lovanii, 1573. 8. apud Barthol. Gravium.

Item *de Annulo Aſtronomico* librum. Ibid. 8.

## PETRUS BECANUS,

Sive A BEECK, Juliacenſis, Imperialium Eccleſiarum Aquis-Grani, B. Mariæ Canonicus, & ad D. Adalbertum Præpoſitus, dedit

*Aquiſgranum*, ſive *Hiſtoricam narrationem de Civitatis Aquiſgranenſis origine & progreſſu, de rebus Divi Caroli Magni præclarè geſtis, de ritu coronandi Reges Roman.* &c. Aquiſgrani, apud Henr. Hultingium, 1622. 4. Item Coloniæ 1642.

## PETRUS BERTIUS,

Beveris Flandriæ occiduæ pago natus anno 1565. die XIV. Novembris, puer ſeptennis delatus in Angliam prima in ſuburbano Londinenſi litterarum ac linguarum latinæ, græcæ & gallicæ tirocinia poſuit: vix duodecennis nomen Academiæ Lugduno-

Batavæ dedit, & in Hiſtoriis *Juſtum Lipſium*, in Græcis *Bonaventuram Vulcanium* publicè docentes audivit; docuitque & ipſe ibidem juventutem annos aliquot, ſub *Nicolao Stochio* Rectore.

Hinc peregrinationis ſtudio captus cum ſui æqualibus Germaniam petiit, & per Noricos, Bohemiam, Sileſiam, Poloniam, Ruſſiam, ac poſtea prono amni per Moſcoviam ac Boruſſiam Dantiſcum vectus, tandem Lugdunum ad Batavorum rediit Academiam; ubi reliquum ferè vitæ ſuæ tempus, annos totos XXVI. docendo inventutem, tranſegit, inter Pſeudo-Theologos nomen profeſſus, & Regens Collegii ab Ordinibus Hollandiæ inſtituti.

Quædam ſcripſit, quæ ipſe poſtea damnavit & deteſtatus eſt: Vir aliàs variarum ſcientiarum cognitione excellens, & in Geographicis diſciplinis accuratè diligens. Sunt autem hæc:

*Oratio de modeſtia in appetenda gloria.* Argentorati.

*Orationes* variæ, & *Carmina* ſparſim Lugduni edita.

*Oratio in obitum Jacobi Arminii Doctoris Theologi Lugduno Batavi.* Ibidem 1609. Acceſſit anno ſequente vernacula *Compellatio J. Gomari, de illius conſiderationibus in dictam Orationem funebrem.*

*Duæ Diſputationes de Hæreſi Pelagii & Cœleſtii.* Ibid. 1609.

*Hymenæus deſertor*, ſive de Sanctorum perſeverantia & apoſtaſia, Libri II. in 4. Lugduni 1610, ac rurſum 1615, cum additione *Hypaſpiſtes*, & *Theſibus de Perſeverantia SS. ex Epiſtola ad Hebræos.*

*Logicæ Peripateticæ* libri VI. Ibid. in 8.

*Tabularum Geographicarum contractarum* libri VII. Amſtel. fol. 1616.

*Commentarii Rerum Germanicarum* libris III. ibid. 1616. 4.

*Ptolomæi Geographia*, græcè & latinè, cum Tabulis, an. 1620. fol.

*Breviarium totius orbis terrarum.* Pariſ. 1625. & Hanoviæ, 1629. 12.

Denique Raphelengii typis ab anno 1595. dedit *Nomenclationem Bibliothecæ Academiæ Lugduno-Batavæ*; cum Epiſtola, De ordine ejus atque uſu. Nam primus Bibliothecam illam digeſſit *Bertius*, inque eum ordinem redegit, qui hodieque conſpicitur, & quem Curatores Academiæ ſervandum deinceps ſanciverunt.

A Pſeudo-Synodo Dordracenſi damnatus, & à cathedra ſuſpenſus, quòd ſectæ Arminianæ adhæſiſſet, relictâ anno 1620. Batavorum hæreſi Calvinianâ, Lutetiam commigravit, in eadem urbe ad Eccleſiæ Catholicæ communionem receptus & admiſſus, cum biennio antè à Ludovico XIII. Galliarum Rege in Coſmographorum ſuorum numerum coöptatus eſſet. Docuit utramque linguam Becodiano in Gymnaſio: editâ *Oratione*, quâ commigrationis mutatæque Religionis cauſſas reddidit, an. 1620. 4. typis Claudii Morelli; quæ latinè gallicè ac belgicè prodiit. Huic oppoſuit anno 1623. *Joannes Corberus*, Profeſſor Lutheranus, *Anti-Bertium*, Norimbergæ editum.

Edidit quoque Pariſiis *Notitiam chorographicam Epiſcopatuum Galliæ.* fol. 1625.

*De aggeribus & pontibus hactenus ad mare extructis, digeſtum novum.* 8. Pariſiis, per Libert 1629. Prodiit occaſione famoſæ obſidionis Rupellanæ.

*Vitam S. Genovevæ*, Pariſienſium Patronæ, ſcripſit verſibus latinis; cujus interceſſione ac Reliquiarum attactu à gravi oculorum dolore ac proximâ cæcitate liberatus fuerat.

Porro delato apud Batavos converſionis ad Fidem Catholicam nuncio, eum in amentiam incidiſſe ſparſerunt Miniſtri Batavi: quod ex parte cre-

PETRVS BERTIVS
N. D. Lagneau Sculp.

dens uxor ejus *Anna Maria Kukelins*, Joannis Kuchlini pſeudo-Miniſtri filia, unà cum filiis venit Pariſios eodem anno 1620, ac paulò poſt (Deo miſerante) omnes Fidem Catholicam illic profeſſi ſunt inter manus R. P. *Athanaſii de Molè* Capucini.

Obiit Bertius Pariſiis anno 1629. V. Nonas Octobris, ſepultus in Eccleſia PP. Carmelitarum Diſcalceatorum, ſicut & uxor ejus, quæ diem extremum clauſit anno 1647. Tres filii eorum Regularem Obſervantiam apud dictos PP. Carmelitas profeſſi ſunt, ac zelo ſalutis animarum & pietate claruerunt: *Paulus à Jeſu Maria* Miſſionarius Tripoli in Syria obiit anno 1643. *Cæſarius à S. Bonaventura* (de quo ſupra, pag 148.) fundator Miſſionis præfatorum PP. Hagæ-Comitis, deceſſit Prior Conventûs in Inſula Melitenſi anno 1662. & *Petrus à Matre Dei*, (de quo inferiùs) devixit in Miſſione Lugduno-Batava anno 1683.

Plura de Petro Bertio ejuſque varia fortuna ac ſcriptis, lege apud P. Niceron, in Notitiâ Virorum eruditione illuſtrium, Tomo XXXI.

## PETRUS BINSFELDIUS,

Ex Luxemburgenſi Ducatu oriundus, Romæ in Collegio Germanico Philoſophiam Theologiamque avidè ac pertinaci ſtudio amplexus, ibidem Doctoralibus S. Theologiæ inſignibus decorari meruit. Hinc Auguſtam Trevirorum accitus, Eccleſiæ Metropolitanæ Canonicus atque Eccleſiaſtes, ſumma cum laude, famaque nominis munia ſibi credita adminiſtravit, nomenque ſcriptis atque ingenii monumentis illuſtrius fecit.

Fuit etiam Epiſcopus Azotenſis ab anno 1577, duorumque Archiepiſcoporum Electorum Trevirenſium, Jacobi ab Eltz & Joannis à Schonenburg Suffraganeus, nec non Eccleſiæ Collegiatæ S. Simeonis Treviris Præpoſitus. Peſtiferâ lue correptus, reddidit naturæ debitum 24. Novembris 1598. ſepultus, uti modeſtiæ cauſſâ voluerat, juxta limen templi inferioris S. Simeonis, in Ædis veſtibulo. Scripſit vero

*Enchiridion Theologiæ Paſtoralis*. Treviris, 1602. 8. ac deinceps Coloniæ Antv. Pariſiis, aliiſque in locis, etiam Notis auctum *Franciſci Sylvii* S. T. D. Duaceni.

*Commentarium in Tit Decretal de injuriis & damno dato*. Treviris 1597. 8.

*Commentarium ad Tit. de Simonia*. Ibid. 1605.

*Tractatum de Tentationibus, earumque remediis*. Coloniæ 1623. in 8.

*Tractatum de Confeſſionibus Maleficorum & Sagarum*; cui ſubjungitur

*Commentarius in Tit. Codicis de Maleficis & Mathematicis*. Treviris, 1596. & Colon. 1605. 8.

*Tractatum de Uſuris*. Treviris 1611. 8.

*Receptas in Theologia ſententias & Concluſiones*. Trevir. 1595. & 1612.

*Examen Ordinandorum*. Duaci. 1617.

*Opera omnia ejuſdem Theologica & Juridica*, prodierunt Treviris 1612.

## PETRUS BLOMEVENNA,

Leidenſis, Batavus, puericiæ egreſſus annos, ac litteris humanioribus non leviter tinctus, anno ſalutis 1489. ætatis XXII. mundo nuntium remiſit, & Cartuſiæ Colonienſi nomen dedit; in eaque annos ferè quinquaginta vixit, ac vitæ religioſæ, innocentiæque vere Chriſtianæ exemplo omnibus fuit. Præfuit eidem Prior, ac Viſitator Provinciæ Rheni annos novem ac viginti.

Obiit anno 1536. pridie Kalendas Octobris, ætatis anno LXX. Profeſſionis XLIX. Plura de Vita ejus *Theod. Petreius* in Bibliotheca ſua Cartuſiana.

Scripta ejuſdem pleraque Coloniæ ſunt evulgata.

*De Bonitate Divina* libri IV. 1538.

*De Auctoritate Eccleſiæ.*

*De Effuſione cordis.* Antver. 1516. 8. ſine nomine.

*Directorium parvum, contemplari cupientium; ſive Libellus introductorius in vitam contemplativam.* 8. 1527.

*De Invocatione Sanctorum.*

*Enchiridion Sacerdotum, ſive de SS. Euchariſtia ac Sacrificio Miſſæ.* 1532. Coloniæ apud Dorſtium. 8.

*Aſſertio Purgatorii.*

*Contra Anabaptiſtas.*

*Candela Euangelica*, edita abſque auctoris nomine.

*Expoſitio in Pſalmum CXXVI.*

*Vita S. Brunonis*; & *Sermo de eodem.* Et alia.

## PETRUS A BOEXELAER,

Antverpienſis, Religioſus & Supprior S. Salvatoris Ord. Ciſt. in patria, & Confeſſarius Monialium Vallis S. Bernardi Dieſtemii, deſcripſit

*Viam ſalutis, conferentias inter Paſtorem & ovem.* Antverp. apud Viduam Cnobbaert; circa annum 1648.

## PETRUS BOLSWARDIENSIS,

Bolſwardiæ natus patre *Jacobo Naupego*, fuit Regularis Laïcus S. Auguſtini in Thabor Friſiæ Monaſterio juxta Snecam, artium Mathematicarum, ac præſertim Geometriæ peritus, linguâ latinâ leviter tinctus: cujus operâ Carolum V. Cæſarem aliquando uſum fuiſſe refert Suffridus Petrus Decade XI. Scriptorum Friſiæ. Vixit circa annum 1550. Scripſit

*Hiſtoriam Friſiorum*, ab anno 780. uſque ad annum 1550.

## PETRUS BONVOISIN,

Audomarenſis, natus anno 1570 nomen Societati Jeſu dedit, tunc Sacerdos; vitâ dein functus Tornaci 30. Decembris 1626. Edidit

*Veram Effigiem Charitatis Chriſtianæ*, à *S. Paulo* Apoſtolo I. Corinth. XIII. ad vivum expreſſam, Sententiis & Exemplis illuſtratam. Audomari, typis Boſcardi, 1621.

## PETRUS BOR,

Chriſtiani filius, Ultrajecti anno 1559. natus, ab ineunte ætate tantam in pervolvendis libris, præſertim hiſtoricis, oblectationem concepit, ut iis ſatiari vix poſſet. Et quamvis latinæ aliarumque eruditiorum linguarum ignarus eſſet, ſummo tamen ſtudio Bibliothecam ſibi ex omnibus ferme Scriptoribus Belgicis ſelegit, quæcumque Edicta, Diplomata, aliaque Monumenta authentica indefeſſo labore perluſtravit, ac demum & ipſe Hiſtoriographus factus eſt.

Materiam præbebat triſtis illa & poſteris admiranda rerum Belgicarum cataſtrophe, tot urbium clades, mutata Religio, populorum rebelliones, tumultus &c. Favebant & Mœcenates, Status Provinciæ Ultrajectinæ, qui dato edicto 4. Februarii 1602. *Borrio* ad penitiora ſua archiva aditum dederunt; quaſcumque etiam perſonas, ſeu publicas ſeu privatas, rogarunt, ut ſi quæ tenerent Manuſcripta, aliave Hiſtoriæ ejus inſervientia, ea ſubminiſtrare vellent. Sed & Status Hollandiæ Friſiæque occidentalis *Petro Borrio* Diploma Hiſtoriographi Provinciæ ſuæ anno 1615. menſe Septembri, unà cum 600. florenorum ſtipendio, contulêre. Fuit & Nort-Hollandiæ Queſtor, atque anno ætatis ſuæ LXXVI. in fata conceſſit Harlemi die 16. Martii 1635. Scripſit ſermone vernaculo,

*Hiſtoriam*, ſive *originem*, *initium & ſequelam Motuum Belgicorum*, *bellorum*-

que; tres libri priores prodierunt 1595. sequentes tres 1601. quos Author Magistratui Ultrajectino dicavit, iterumque edidit 1621, auctos & ad annum 1584. perductos, Tomis II. fol. Amstelod. apud Mich. Colyn & Govard. Bassonum.

Dein annis 1626. 1630. & 1636. alios Tomos IV. publicavit; ita ut omnes simul in XXXVII. libros divisi integram Belgii Historiam ab anno 1556. usque ad 1600. comprehenderent, quibus Acta, Scripta, Epistolæ, Edicta, atque ejus generis universi utriusque partis Tractatus exhibentur. Altera ejusdem Operis editio IV. Vol. fol. priorem & chartæ & characterum nitore longè superans, prodiit Amstelod. 1679. adjunctis Diplomatibus ac Resolutionibus multis, figuritque elegantibus.

Fecit & *Petrus Borrius* Historiæ suæ *Compendium*, quod per versus Flandricos distributum variisque iconibus illustratum, Lugduni Batt. edidit 1617. 4.

Item *Obsidionem Silvæducensem ac Vesaliensem, & Regiorum panicam ingressionem in Velaviam.* flandricè, Hagæ-Com. apud Arn. Meuris 1630. 4.

Ad hæc *Continuationem Chronicorum Carionis* (nempe ab anno 1576. ad 1619.) publicavit, 1632. & quasi otio adhuc abundasset, *Tragicomœdias* in prosa, alteram de *Apollonio Tyri Principe*, alteram de *eodem & Tarsia filia ejus.*

Laudarunt *Borrium* Janus Dousa, Daniel Heinsius, Theod. Schrevelius, Jac. Catsius, & quotquot alii sunt eruditi Batavi, præsertim à diligenti Monumentorum collectione & ab impartialitate. Reprehendit tamen Joannes Clericus nimiam ejus in Historiis digressionem, ac stylum durum & impolitum &c.

P. Christianus à Rodenburg, J. U. D. hosce in memoriam majoris avunculi sui versus lusit.

*Jactet Roma Titum, Crispum super æthera tollat,*
*Famosumque colat Græcia Thucydidem;*
*Belga dato Docto meritorum præmia*
BORRO:
BORRO, *qui vestra primus in Historia.*

## PETRUS BORT,

Hagæ-Comitanus Batavus, J. U. Doctor & in suprema Hollandiæ Zelandiæ Westfrisiæque Curiâ Caussarum Patronus celeberrimus, floruit circa annum 1650, ac primùm edidit flandrico Idiomate Tractatus sequentes separatim ac successivè.

1. *De Jure feudali Hollandiæ.*
2. *De Processibus Criminalibus.*
3. *De Dominiis Hollandiæ.*
4. *De Dominiis Officiorum*, vulgo *Ambachts-heerlyckheden.*
5. *De Querelis Judicialibus*, vulgo *Complainten.*
6. *De Edictis*, vulgo *Arresten.*

Quorum omnium simul dein facta fuit editio altera in fol. Hagæ-Comitis annis 1681. item 1702.

## PETRUS LE BOUCQ,

Valencenas, Vir nobilis, J. U. L. edidit

*L'Histoire de la Terre & Vicomté de Sebourg, jadis possedée par les Comtes de Flandres & de Hainaut*, unà cum Stemmate Genealogico illustrium Famil. de Witthem & Bergis. 4. Bruxellis, apud Joann. Mommart 1645.

## PETRUS BOUILLE,

Dionantensis, Societ. Jesu, Litteras græcas latinasque cum laude professus, pluribus inde locis Concionatorem egit, rexitque Collegia Leodiense ac Dionantense, ac diem clausit extremum 22. Decemb. 1641. Scripsit

*Hiſtoriam Inventionis & Miraculorum B. Mariæ Virginis Foyenſis* 8. Duaci 1620. quam dein auctiorem evulgavit gallicè, Tulli-Leucorum anno 1628. Hæc autem Imago Deiparæ inventa fuerat in quercu anno 1600. juxta oppidum Dionantenſe.

Item gallicè, ſed non expreſſo nomine, *Divam Bonæ Spei* juxta Valencenas: & *Divam Miſericordiæ*, juxta Marchianas ad Pontem, in ditione & Diœceſi Leodienſi.

Ejuſdem legitur *Ode Pindarica græca & latina*, præfixa Operi *Leonardi Leſſii* de Juſtitia & Jure.

## PETRUS BRUHESIUS,

Rithovius, Brabantus, Eleonoræ, ſororis Caroli V. Imp. & Galliarum Reginæ, pòſt Reip. Brugenſis Medicus, ſcripſit

*Epiſtolas* binas *de Viribus Thermarum Aquiſgranenſium*. Antver. 1555. 8.

Leguntur ejuſdem *Epiſtolæ tres* inter Conſilia variorum de Arthritidis præſervatione & curatione, ab *Henr. Garetio* Franc. 1592. 8. vulgata: duæ *de ratione medendi morbi articularis*; & una *de uſu & ratione cauteriorum*.

Epitaphium amico luſit *Nic. Nicolaius*, Funerum libro II.

## PETRUS BRUNETI,

Cathedralis Eccleſiæ Atrebatenſis Canonicus, claruit circa annum 1431. quo Baſileenſi Concilio interfuit, ejuſque Acta manu propriâ per ſex Volumina deſcripſit. Aſſervabantur MSS. in Bibliotheca Atrebatenſis Capituli, tantique valoris erant Cardinali Richelio, Ludovici XIII. Francorum Regis Miniſtro primario, ut originalia ad Bibliothecam Domûs Sorbonicæ Pariſios transferri curarit, datâ Atrebatenſibus copiâ pulchro caractere deſcriptâ. Ita liber inſcriptus: *Voiage litteraire des Benedictins de la Congregation de S. Maur.* 4. Tomo II. pag. 74.

## PETRUS BRUXELIUS,

Sylvæducenſis, Societatis Jeſu Sacerdos ac Miſſionarius in Ducatu Montenſi, naturæ conceſſit Hildeſii die 7. Maii 1664. Edidit germanicè

*Anaſtaſiam pro Doctore Medico recens converſo, contra Conſiſtorium Duisburgenſe*. 8. Coloniæ 1664.

## PETRUS DE BRUXELLA,

Cognomento CROCARTIUS, Ordinis Prædicatorum Conventus S. Jacobi apud Pariſienſes alumnus, Theologus eruditus, Philoſophus celebris, ſcripſit

*Commentarios in Logicam Ariſtotelis*. Pariſ. 1509. fol.

*Comment & Quæſtiones in Phyſicam ejuſdem*. Ibid. 1521.

*Comment. & Quæſtiones in libros de Anima*. Ibid. 1510. fol.

*In D. Thomam de Ente & Eſſentia*.

*Annotatiunculas in Petrum Hiſpanum*.

Deceſſit Machliniæ, anno 1553. ætatis LXXXIII. juxta Val. Andream.

Plura vide de hoc Scriptore ejuſque pluribus ſcriptis in Bibliotheca Ord. Prædicat. Pariſiis edita per P. Echard, Tomo II. pag. 29. ubi dicitur fuiſſe Doctor Sorbonicus, ac Concionator celeberrimus, qui obiit Pariſiis anno 1514. Proinde hic emendandus Valerius Andreas.

## PETRUS DE BRUXELLIS,

S. Th. Baccalaureus formatus, habuit Orationem in Concilio Conſtantienſi, hoc titulo; *Quod Clerus patietur notabiliter*. Hanc è MS. Codice Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis primus eruit *Henr. Von der Hardt*, Tomo I. Part. XVII. anno 1697.

## PETRUS BURRUS,

Brugenſis ( Guicciardinus *Burgenſem* facit, à Burgo Geldriæ ) natus anno 1430. oriundus tamen Novioduno Galliæ opido, fuit Decretorum Licentiatus, & Canonicus Cathedralis Eccleſiæ Ambianenſis, divinis & humanis litteris clarus.

Vixit Pariſiis eâ nominis celebritate, ut plerique hoc uno pro liberis ſuis inſtituendis uti voluerint præceptore: quippe qui unus inter paucos eloquentiam, Poëſin, cæteraſque artes bonas cum ſapientia jungere doceret, nec artes ſine moribus, nec mores ſine litteris prodeſſe. Obiit Ambiani anno 1507. ætatis LXXVII.

Plura in laudem ejuſdem Auctor appendicis Trithemianæ recitat: ubi & varia ejus ſcripta recenſentur.

*Odarum* libri VI. *Hexametrorum* lib.
*Apologorum* liber.
*Elegiarum* libri II.
*Epigrammatum* liber.
*De Adventu Domini.*
*De Nativitate Domini.*
*De Circumciſione Domini.*
*De Epiphania.*
*De Jejunio.*
*De Confeſſione & Euchariſtia.*
*De Cœna Dominica.*
*De Communione Paſchali.*
*De Inventione Crucis.*
*De Aſcenſione Domini.*
*De Pentecoſte.*
*De Trinitate.*
*De Corpore Domini.*
*De Exaltatione Crucis.*
*De facie Dominica.*
*Hymni de omnibus Sanctis.*
*De Feſtis B. Mariæ.*

Ex his editos dumtaxat credo typis Aſcenſianis, Pariſ. 1508. 4. Pæanas V. *Feſtorum D. Virginis Mariæ:* & *Hymnos* aliquot, cum familiari *Aſcenſii Expoſitione*, & Auctoris vita...

## PETRUS VAN BUSCUM,

Mechlinienſis, S. Th. Licentiatus in Academia Lovanienſi, primùm Gandavi ad S. Salvatorem Paſtor, tum Canonicus Graduatus Cathedr. Eccleſiæ ejuſdemque Pœnitentiarius anno 1668. ab Epiſcopo d'Allamontio conſtitutus. Devixit ibidem die 28. Novembris 1689. Scripſerat

*Inſtructionem ad Tyronem Theologum*, de Methodo Theologica, octo Regulis perſtrictâ, ejuſdemque Inſtructionis Defenſionem & Vindicias. Gandavi item Lovanii prodiit anno 1670. Contra hunc librum ( Romæ paulò poſt damnatum ) ſtylum acuerunt *Ægidius Eſtrix* S. J. & *Franciſcus Bonæ-Spei*, Ord. Carm. Theologi.

## PETRUS BUSÆUS,

Noviomagus, Gelder, *Joannis*, S. J. eximii Theologi frater, Lovanii inter Magiſtros Artium tertio loco promotus anno 1559. è Pœdagogio Porci: Societatem Jeſu amplexus eſt Coloniæ anno 1561. Poſtmodum in Viennenſi Auſtriaca Academia ſacras litteras explicuit, & in Collegio Linguam ſanctam docuit, laureâ quoque Doctorali S. Theologiæ ibidem inſignitus, pietate vero prudentiâ & exemplo eximius. Deceſſit Viennæ die 12. Aprilis 1587.

*Opus Catechiſticum*, ſive *Summam Doctrinæ Chriſtianæ Petri Caniſii*, divinæ Scripturæ teſtimoniis, ac SS. Patrum Sententiis illuſtravit auxitque. Coloniæ, 1569. 4. & 1577. fol.

## PETRUS CABELIAUW,

Amſtelodamenſis, variis in locis Calvinianus Miniſter, ac poſtremò quidem Leovardiæ ac Lugduni-Bat. ubi & Collegium Theologicum à Curatoribus Academiæ inſtitutum pro iis quos

vulgo *Proponentes* dicunt, direxit ab anno 1659. Obiit autem die 20. Martii 1668. ætat. 58. Edidit

*De libertate Ecclesiastica Tractatum.* 12. Amstel. 1642. & alia quædam contra Missionarios Catholicos.

## PETRUS DE CAMBRY,

Tornacensis, Presbyter, J. U. L. Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ S. Hermitis, Rothnaci in Flandria, evulgavit gallicè

*Oeconomiam Principum* 12. Torn. 1656.

*Vitam* (vere mirabilem) *Joannæ de Cambry*, cognatæ suæ germanæ, primùm Religiosæ Ordinis S. Augustini. Tornaci, dein dictæ Sororis *Joannæ à Præsentatione*, Recluſæ juxta Insulas Flandrorum & in opinione sanctitatis defunctæ. 4. Antverpiæ. 1659. Vide supra pag. 559.

Item *Gesta Ferrici de Guyon*, Equitis, avi sui materni, Ballivi generalis Aquicinctini ac Peckencourii, sub Carolo V. Cæsare & Philippo II. Rege militis quondam strenui, ab ipsomet olim exarata, publicæ luci dedit; Tornaci 1664. in 8.

## PETRUS CAMERACENSIS,

Canonicus Regularis in Abbatia S. Auberti Ord. S. Augustini in patria, scripsit

*Vitam & Martyrium S. Dympnæ.* Molanus ad Usuardum XII. Maii; edidit-que Surius. Dein inserta fuit Actis SS. Maii Tomo III. per PP. Hagiographos.

*De querelis Franciæ & Angliæ, & jure successionis utrorumque Regum in Regno* libros II. MSS. Oxoniæ in Bibliotheca Bodleiana. Extant item apud Melchiorem Goldastum, *in Dissertationibus de Sibylla Francica*, Ursellis, 1606.

## VENER. P. PETRUS CANISIUS,

Noviomagi apud Gelros anno 1521. natus, Societatem Jesu tertio à confirmatione illius anno sub P. Petro Fabro primus omnium Germanorum atque Belgarum ingressus, ac sacerdotio insignitus, eandem Societatem exemplo, doctrinâ & præstantis ingenii monumentis mirum in modum illustravit. Germaniam superiorem primus Præpositus Provincialis rexit; concionibus auxit, Hæreticos disputationibus repressit; Catholicos confirmavit. Ex quo Hæretici *Canisium* per ignominiam *Canem Austriacum* appellarunt, quod in Austria plurimùm versaretur: verè haud canem mutum, aut non valentem latrare, sed qui latratu & morsu lupos passim grassantes ab ovili Christi arceret. Rectiùs Catholici illum *Hæreticorum malleum, novum Germaniæ Apostolum, Athletam Fidei, alterum sui sæculi Augustinum, Ecclesiæ per Helvetiam Patriarcham, Theologum incomparabilem, eximium B. M. V. Encomiastem* &c nuncuparunt. Episcopatum Viennensem in Austria, à Ferdinando Imp. instanter oblatum, constanter repudiavit.

Porro de Canisii pietate, puritate, candore animi, humilitate, orandi studio, perfectâ omnium humanorum affectuum mortificatione, ardore fidei, animarum zelo, indefesso labore & perpetuâ contentione, quâ Religionem Catholicam tueri & amplificare non destitit, multa dici possent, quæ. justum volumen desiderant.

In summâ sanctitatis opinione, migravit ad Christum die 21. Decembris 1597. ætatis anno 77. Friburgi apud Helvetos, ubi corpus ejus magno est in honore apud omnes Catholicos: quin & varia etiam miracula per ejus intercessionem patrata referuntur.

Addimus infra Epitaphium sive Elogium, quod Canisii tumulo Friburgi

PETRVS CANISIVS NEOMAGVS SOC. IESV THEOLOGVS.

*Obscuro quæ fama rogo, quæ flamma superstes*
*Corda redaccendit viuidiore face?*
*Nempe nouum cœlo placidumq; CANISIVS Astrum*
*Iam propior CHRISTO fulgurat igne nouo?*
*Sic fundit flammas, cui Sideris auctor IESVS,*
*Ipsa Fides, radius; Spes, iubar; ignis, Amor.*

gi in D. Nicolai impoſitum eſt. Cœnotaphium poſuit Collegium Theologicum Ingolſtadienſe ; referturque â *Valentino Rodmaro*, libro de S. Theologiæ Profeſſoribus Academiæ Ingolſtadienſis.

Vitam *Caniſii* ediderunt, *Matthæus Raderus*, S. J. libris III. Monachii 1623. in 12. item *P. Franciſcus Sacchinus* latinè, P. *Franciſcus de Smidt*, 1651. flandricè, & *P. Joannes d'Origny*, gallicè Pariſiis, 1707. in 12.

Scripſit autem *P. Caniſius*,

*Summam Doctrinæ Chriſtianæ*, idque poſtulante *Ferdinando* Romanorum Rege, & *S. Ignatio* probante. Prodiit hæc primùm anno 1554. tacito Auctoris nomine, ſæpiuſque deinde recuſa eſt, ac demùm ab Auctore recenſita auctaque, Antverp. Plantini typis, 1574. Hanc Summam illuſtravit S. Scripturæ & SS. Patrum teſtimoniis *Petrus Buſæus*, Societ. ejuſdem Theol. Eadem contracta in breviorem formam paſſim in ſcholis ac templis docetur. Notatum autem fuit, primum hunc calami *Caniſiani* laborem, fuiſſe quoque primum ab homine Societatis profectum opus, typis vulgatum. Vide Imaginem primi Sæculi S. J. Libro VI. cap. v.

*Commentarium de Verbi Dei corruptelis*, adverſus Centuriatores Magdeburgenſes, Tomos II. Prior eſt *De Joanne Baptiſta Præcurſore Chriſti Domini*, Dilingæ editus, 1571. 4. Poſterior, *De SS Maria Deipara* libris V. Ingolſtadii, 1577. & conjunctim, 1583. fol.

*Manuale Catholicorum*. Ibid. 1587. Antver. 1599. & alibi.

*Enchiridion Itinerantium*. Antver. 1599. 12.

*Notas in Euangelicas Lectiones, quæ per totum annum Dominicis Feſtiſque diebus in Eccleſia recitantur*, Tomis II. Friburgi, 1591. & 1593. in 4.

Et hæc quidem latinè : germanicè verò ſcripſit

*De Confeſſione & Communione*. Dilingæ, 1567. 12.

*Martyrologium*. *Precationum* librum. *Conciones in Adventum* & *Natalem Domini*. Et alia, quæ latiùs videre eſt recenſita in Bibliotheca Scriptorum Societatis Jeſu.

Evulgavit etiam cum luculenta Præfatione, *D Hieronymi Epiſtolas ſelectas*. & *Leonis Magni Opera*, unà cum hujus Pont. Vitâ, quam Hagiographi Societ Jeſu Tomo II. Menſis Aprilis pag. 17. inſeruerunt.

D. O. M.
Venerandus in Chriſto Pater,
PETRUS CANISIUS, Theologus,
Noviomagi natus,
Societatem Jeſu,
Tertio à confirmatione illius anno,
Ingreſſus,
Ac Sacerdotio inſignitus,
Ob magni ſimul & placidi animi
Præſtantiam,
A Colonienſi Eccleſia ad Carol. V. Imp.
Ab Otthone Cardinale Auguſtano
Ad S. Concilium Tridentinum,
A Ferdinando Imp. Wormatiam
Contra Melanctonem Hereticum,
A Pio IV. Pont. Max.
Ad Principes Germaniæ
In fide confirmandos miſſus,
Poſtquam Romę, in Siciliæ &
Germaniç Academiis docuiſſet,
Diu apud Ferdinandum Imp.
Et paſſim ſumma cum laude
Verbum Dei prædicaſſet,
Primus Provincialis Societatis ejuſdem
In Germania,
Ab ipſo Societ. Auctore P. IGNATIO
Datus fuiſſet,
Scriptiſque fidem Catholicam
Egregiè illuſtraſſet,
Auſpiciis Reverend. D. Joañis Frãciſci
Epiſcopi Vercellẽſis Nuncii Apoſtolici
Friburgum ſexagenarius venit ;

Collegii Societatis fundamenta jecit,
Multa præclara documenta dedit,
Et quasi quidam Friburgẽsium Patronus,
Ecclesiæ per Helvetiam Patriarcha,
Religionis Catholicæ
Sui temporis columna,
Toto Christiano orbe notissimus,
Fide, prudentiâ,
Indefesso scribendi labore,
Abstinentiâ, perenni gravitate,
Animi puritate,
Flagrantissimo Dei amore,
Multâque sanctitate clarissimus,
Migravit ad Christum,
Festo S. Thomæ Apostoli,
M. D. XCVII. anno ætatis LXXVII.

✿ ✿ ✿

Porro percrebrescente magis ac magis famâ ejus sanctitatis, sub Benedicto XIII. agi cœptum est Romę anno 1728. & sequentibus, in sacrâ Rituum Congregatione examen de Vita ejus ac Miraculis, ut in Beatorum album, si legitimè de requisitis ad id constiterit, aliquando referatur.

## PETRUS CAPITANEUS,

Medioburgensis, Zelandus, Vir nobilis, simulque Medicinæ Doctor clarissimus; frequentatis primùm Parisiensi Lovaniensique Academiis, Valentiæ in Delphinatu supremum Doctoris titulum accepit. Postea in Academia Rostochiensi, & inde in Hafniensi Medicinæ Professor fuit, ac tertiò Rector magnificus, simulque Regis Daniæ Archiater.

Decessit anno 1557. sepultus in choro templi D. Virginis Hafniæ, ubi lapis sepulcralis cernitur, unàque sequens Epitaphium. Scripsit

*Prophylacticum Consilium anti-pestilentiale, ad Cives Hafnienses* anno 1553. editum à Doctore Thoma Bartholino in Cista Medica.

*De Potentiis Animæ.* 1550.

*Calendaria* Regi Christiano III. inscripta

*Ephemerides.* MSS.

Natalium splendore,
Virtute & doctrinâ ornatissimi
Viri, Domini,
PETRI CAPITANEI,
Zelandi, Mittelburgensis,
Medicinæ Doctoris eximii,
Et Archiatri in Dania.

✿ ✿ ✿

Numerus anni, mensis, diei,
Et horæ obitûs.

*oCCUBUIt fatIs CapItaneUs, aLta MICaret*
*JanIseXta UbI LUX horaqUe nona foret.*

✿ ✿ ✿

*Non dispar Medicâ* CAPITANEUS *Arte*
GALENO
PETRUS, *in hoc tumulo post sua fata cubat.*
*Qui quantus fuerit, scit Lovaniense Lycæum,*
*Et Schola, cui Paridis nomen inesse ferunt.*
*Extulit hunc plenis formosa Valentia buccis,*
*Doctorisque illum jussit habere decus.*
*Urbs quoque Vernovio stupuit vicina docentem,*
*Nec non æquoreis Hafnia cincta vadis.*
*Sæpius hic tristi morborum turbine Regem,*
*Exanimem vitæ reddidit ille suæ.*
*Octo decemque fere cum conjuge vixit in annos,*
*Viderit ut similem vix pietate sibi.*
ANTONIUS BALDERSLEBEN
Sang. C. P.

## PETRUS CARPENTERIUS,

Antverpiensis, Rector Scholæ primùm Noortwicanæ, deinde Roterodamensis, edidit

*Introductionem Logicam*, typis Raphelengii, 1600.

*Aldi Manutii Phrases Linguæ Latinæ, tabulis delineatas*, 1603. 4.

*Ramum aureum elegantiorum Linguæ Latinæ Orationum*, ſerie alphabeticâ, 1604. in 4.

## PETRUS CASTELLANUS,

Gerardimontanus, Flander, naſcitur anno 1585. Nonis Martii. Primis annis operam litteris Gandavi dedit; Philoſophiæ Duaci; Linguæ græcæ diſcendę docendæque Aurcliis apud Gallos. Belgio redditus, Lovanii in Collegio Trilingui Buſlidiano anno 1609. provinciam eamdem obire cœpit: ac mox Medici titulo auctus, Doctoraliaanno 1618. die XXIII. Octobris inſignia accepit, Regiiſque auſpiciis Medicas docuit Inſtitutiones.

Vir & candore animi & melioris litteraturæ ac reconditioris eruditionis laude inſignis: ut quæ in Medicina publicè ſolebat tradere, ſolida in primis, quæque privatim ſcriptis mandare, abunde teſtatum fecerunt.

*Ludus*, ſive *Convivium Saturnale*. Lovanii, 1616. 8. typis Maſii.

Ἐορτολόγιον, ſive *De Græcorum Feſtis Syntagma*. Antverpiæ apud Verduſſium, 1617. 8.

*Vitæ Illuſtrium Medicorum*. Ibid. 1618. 8. apud Guil. à Tongris.

Referuntur hîc quidem CLXXX. Encomia, ſed multi æquè illuſtres ſuperiorum temporum Medici ibi deſiderantur.

*Laudatio Funebris* ALBERTI PII, Belgarum Principis. Lovanii, 1622. 4. apud Haſtenium.

Κρεοφαγία, ſive *De Eſu Carnium*, libri IV. Antver. apud Verduſſium, 1626. 8.

Obiit præmaturè anno 1632. VII. Kal. Martii, ſepultus in D. Petri ad Altare ejuſdem Sancti.

## PETRUS CELLARIUS,

Flander, Iſembergæ, in agro Furnenſi natus, edidit

*Orationem contra mendicitatem*, pro nova pauperum ſubventione. Antver. typis Henr. Petri, 1531. 8.

## PETRUS CLASENIUS,

Vernaculè CLAES, Lovanienſis, J. C. natus anno 1588. menſis Martii die XXVII. in patria à puero ſtudia tractavit, & Doctoris J. U. titulum meruit anno 1621. die 23. Novemb. unà cum *Valerio Andrea* Biblioth. Belgicæ Authore.

*Tractatum* edidit *De Servitutibus*, Concluſionibus aliquot diſtinctum. Lovanii, Dormalii typis, 1622. 4.

Obiit anno 1635. die XXV. Julii, Namurci, quò fortè negotiorum cauſâ ſe contulerat.

## PETRUS LE CLERCQ,

Ordinis S. Dominici, Conventûs Inſulenſis, verbi divini præco diſertiſſimus, immaturo fato functus 5. Octob. 1636. Edidit

*Orationem in Laudem D. Thomæ Aquinatis*, Doctoris Angelici & Communis, à ſe Inſulis habitam, typis Petri de Rache, 1629. 8.

## PETRUS CLOBARDUS,

Schoondyckius Flander, ex Inſula Cadſandia juxta Sluſam, utriuſque Linguæ peritus, Latinas fecit

*Demoſthenis Orationes Olympiacas tres*. Antver. 1538. apud Greg. Bontium. Præfatur de comparatione Ciceronis & Demoſthenis, & utriuſque eloquentiam ac dicendi characterem invicem componit.

## PETRUS COBBAERT,

Ninovienſis, Flander S. T. L. & Profeſſor, Canonicus Norbertinus Abbatiæ Ninivc Flandrorum, dein Pa-

ſtor in Liedekercke ; ſcripſit

*Rythmicam Conſiderationem* altitudinis. conſilii divini ſuper ſalute generis humani, ex S. Auguſtino propoſitam. Brux. 1647. in 4. apud Mart. Boſſuyt.

*Laudem poſthumam*, ſive Encomium funebre Benedicti Van Haeften, Præpoſiti Affligemienſis digniſſimi 1648.

Obiit Gandavi die 14. Julii 1654. ætatis anno 65. Profeſſ. 47.

## PETRUS COECKE,

Aloſtanus Flander, pictor celebris, *Bernardi Bruxellenſis* diſcipulus : luſtratâ Italiâ, Conſtantinopolin profectus, Turcico Imp. ob artis ſuæ elegantiam placuit. Diſcipulum habuit *Petrum Breugelium* Pictorem, cui filiam in uxorem dedit. Plura de ipſo *Iſaac Bullart* Tomo II. Academiæ Scient. Edidit ( teſte Swertio in Athenis Belgicis)

*De Architectura & Geometria* libros.

*Sebaſtiani Serlii libros* italicos, belgicè vertit.

Bruxellis in D. Gaugerici requieſcit, hoc Epitaphio.

*Siſte pedem lector, ſanctam huic optato quietem.*

PETRO COECKE,
Cognomento ab Aloſto,
Caroli V. Cæſ.
Ac Mariæ Hungariæ Reginæ
Pictori Ordinario,
Ingenio, arte, induſtriâ
Incomparabili,
Maria conjux mœſtiſſima
Pientiſſimo conjugi poſuit.
Vixit Ann. XLVIII. M. IV. D. II.
Deceſſit Bruxellis VI. Dec. anno MDL.
Natus Aloſti XVI. Aug. anno M.D.II.
VIRTUS MORTE SUPERIOR.

## PETRUS COENS,

Antyerpianus, S. Theol. Licent. Lovanienſis, & Eccleſiæ Cathedralis in patria Canonicus atque Scholaſticus, nec non Curiæ Epiſcopalis Sigillifer, deceſſit anno 1646. Edidit

*Diſquiſitionem Hiſtoricam De origine Beghinarum & Beghinagiorum in Belgio :* itemque *Notas in Declarationem Veridicam Zegeri van Hontſum de eadem re.* Leodii, 1629. 8.

## PETRUS COLINS,

Angianus, Eques, Toparcha de Eetvelde, in Hiſtoriis genealogiiſque Belgicis mirum in modum excelluit, ut patet ex ſerie librorum ſequentium. Duxerat uxorem Joannam Tricart, è qua præ reliquis liberis prodiit Antonius Colins, J. U. Doctor Lovan. dein Præſes Conſilii Artheſiæ & Sanctioris Conſilii Senator ; parens illuſtris familiæ hodieque ſuperſtitis.

*Hiſtoire des choſes les plus memorables advenues en l'Europe depuis l'an 1130 juſques à notre ſiecle, ſelon le tems & l'ordre qu'ont dominé les Seigneurs d'Enghien, depuis Meſſire Hugues d Enghien, juſques au trepas funeſte de Henri IV. Roi de France, cinquieme & dernier Seigneur dudit Enghien, de la Maiſon Roiale de Bourbon.* 4. Montibus Hann. 1634, ac dein Tornaci 1643. Quo in libro occurrunt etiam Genealogiæ Familiarum Angiæ, Luxemburgi ac Borbonii.

*Les Lauriers de la Maiſon de Bourbon.* 8. Paris. 1640.

## PETRUS COLPINUS,

Duacenus, S. Theol. Doctor ab anno 1571. & Regius Catecheſios Profeſſor in patria, nec non in D. Petri Canonicus ; fato functus anno 1599. Edidit

*Liturgicam Inſtitutionem*, De SS. Miſſæ natura, partibus & forma ; adjunctis *Precatiunculis*, eidem Miſſæ.

PETRO COECKE ALOSTANO

PICTORI

E de Boulonois fecit

Digitized by Google

officio ſervientibus. Duaci 1577. typis Jac. Boſcardi.

## PETRUS COLVIUS,

Brugenſis, magni ingenii juvenis, & doctrinæ elegantis; maximus futurus, nî invida mors letifero ictu ſurgentem ſegetem in herba ſuccidiſſet. Dedit eruditas & uberiores

*Notas in Lucii Apuleii Madaurenſis Opera*, typis Raphel. 1588. 8.

*Notas* ejuſdem nondum adfectas *in Sidonium Apollinarem*, à morte Colvii *Joannes à Wouweren* evulgavit; qui de amici morte in hæc verba philoſophatur: *Quiſquis umquam exſtitit divino quodam inſtinctu excelſior, qui præmunitus robore animi, victor & triumphator voluptatum, digna virtutis indole affectavit, malignâ fati lege repente ut oſtenſus, interceptus fuit.*

Mox: *Nuperrimè* P. Colvius *emerſerat, in quo non exiles ingenii virtutes collegimus, quas magis probaſſet, ſi per invidiam fati maturuiſſent.*

*Nunc flos juvenum*
*Oſtentatus raptuſque ſimul*
*Solſtitialis velut herba ſolet.*

*Vix enim annum XXVII. attigerat, dum fatale* (equi calcitrantis Lutetiæ in plateis) *hoc ferrum non tantùm acerbo, ſed triſti ictu feriit ſurgentem ejus indolem inter ipſa virtutum incrementa.* Hæc ille.

Janus Douza egregio juveni hoc poſuit Epitaphium.

COLVIUS *hic ſitus eſt, Flandris genera-*
*tus Athenis,*
*Illecebris peſſum quem dedit aula ſuis.*
*Quippe hanc dum ſequitur, primo vagus*
*excidit ævo,*
*Crudaque avernali vulnera lavit aqua.*
*Ah miſer & demens! Ad nutum vivere*
*quiſquam*
*Suſtinet alterius, qui ſuus eſſe poteſt?*
*Doctrinæque domi ſperatos carpere fru-*
*ctus.*
COLVIO *& hoc licitum, ſi libuiſſet,*
*erat.*
*Noluit, obſequio graſſari, & Regibus uti*
*Maluit, & pompis addere ſe comitem.*
*Auctor mula necis juvenem quæ calce pere-*
*mit;*
*Heu ſcelus! heu dira beſtia cæde nocens!*
*I nunc luci Aſino nativum redde nitorem,*
*Nata Aſino rumpat ut tibi mula caput.*

## PETRUS CORETUS,

Athenſis, Hannonius, S. Theol. Licentiatus, primùm Paſtor Criſpinienſis, dein quoque ad D. Virginem Tornaci Nerviorum, ibique pòſt Canonicus, ſcripſit piè & eruditè, *Juſti Lipſii* judicio, Cent. II. ad Belgas Epiſt. XXXIV. in id genus hominum, qui politiæ prætextu pietatem movent aut ejiciunt,

*Defenſionem Veritatis*, adverſus aſſertiones Catholicæ fidei repugnantes, ex libro *Franciſci Lanovii*, vernaculè *la Nouë*, *De Politicis & Militaribus rebus.* Antver. apud Moretum, 1591 8.

*Anti-politicum*, adverſus præcipua doctrinæ Politicorum (potiſſimùm *Joannis Bodini*) capita, quâ, fallaci tranquillitatis prætextu, Religionis libertatem, & impunitatem hæreſum in Rempubl. inducere, & Eccleſiaſticum Ordinem civili poteſtati ſubjicere conantur. Duaci, apud Joan. Bogardum, 1596. 8.

Obiit anno ſalutis partæ 1602. ſepultus Tornaci juxta cineres paternos in cœmiterio. Attamen in Sacello in quo Confeſſiones audire conſueverat, Epitaphium anagrammaticum amico poſuit *Henricus d'Oultremannus*, Valencenarum apud Hannones Præfectus.

D. O. M. S.
Et memoriæ
D. PETRI CORETI, S. Theol. Licent.
Eccleſiaſtæ & Canonici.
PETRUS CORETUS. PORTUS ERECTUS

*Ille Dei Interpres, Chriſti Mariæque Sacerdos,*
*Hic ſua feſſa* PETRUS *membra* CORETUS *habet.*
*Qui ſive è cathedra cœlorum arcana recludit,*
*Seu calami hæreticos detegit arte dolos;*
*Certa Pharus, dubio* PORTUSQUE ERECTUS *in æſtu,*
*Gens pia naufragium ne pateretur, erat.*
Obiit anno M. D. C. II.
Animæ pax & quies.

## PETRUS CORNELIUS BREDERODIUS,

Hagæ-Comitanus, Batavus, J. C. in Germania vixit, Ordinum Belgii fœderati ad Germaniæ Principes Legatus ordinarius, ſtudiis, laboribus, & affinitate Dionyſio Gothofredo conjunctiſſimus. In Scaligeranis Notitiis dicitur fuiſſe filius ſtannarii, & nomen *Brederodii* traxiſſe ex joco: cum neque ex legitima Brederodiorum ſtirpe eſſet, neque ſpurius. Dedit

*Theſaurum Sententiarum, Regularum & Dictionum Juris Civilis* ex univerſo Juris corpore. Lugd. 1585. fol. Auxit poſtea & interpolavit *Franciſcus Modius*, Francof. 1587. fol. Tomis II. *Repertorii* titulo, & Lugd. 1607. & Francof. 1660.

*Specimen Juris.* Genevæ, 1588. 4.

*Locos Communes in Bartolum.* Francof. 1587. fol.

*Tractatum de Appellationibus:* cui ſuis locis admixtæ Germanicæ, Gallicæ & Belgicæ ordinationes. Francof. 1592. fol. apud Fiſcherum; item 1660. Francof.

*Analyſin, ſeu Reſolutionem Dialecticam IV. Libri Inſtitut. Imperialium.* 8. Argent. 1634.

*Eurematicon*, ſive *Cautelarum* libros III. quorum I. eſt Contractuum & actuum inter vivos, II. Teſtamentorum, & ſucceſſionis teſtamentariæ ac legitimę, III. Judicialium, tam civilium, quàm criminalium. Baſil. 1590. 8.

Deinde *Joannis Schneidewini J. U. D. ac Profeſſoris Wittenbergenſis* Commentarios ad Inſtitut. Juris recenſuit & Annotationibus auxit.

## PETRUS COSPEAU,

Montenſis, J. C. & inſupremo Hannonię Senatu cauſarum Patronus, edidit gallico idiomate

*Concluſiones Juris Practicas.* Montib. 1626. 8.

Item *Diſcours touchant les Diſpoſitions teſtamentaires & donations à cauſe de mort raporté aux Chartes generales du Hainaut.* 8. Mont. 1649.

## PETRUS CORNELISSONIUS BOCKENBERGIUS,

Goudæ apud Batavos natus anno 1548. parentibus *Cornelio*, *Theodori* filio, & *Alidâ Minne*, patriciis Gaudanis probe Catholicis; ad Academiam Lovanienſem deſtinatus, in litteris humanioribus *Paulum Leopardum* præceptorem habuit. Inter Magiſtros Artium promotus eſt anno 1569, è Pœdagogio Falconenſi; indeque majoris Collegii alumnus ſub Eximio Præſide *Auguſtino Hunnæo*, S. Th. Baccalaureus Formatus renunciatus eſt, ſacro etiam Presbyteratûs Ordine inſignitus.

Multis dein in locis ſtationem habuit; aſt ſemper inconſtans & irrequietus; primùm quidem Theologiæ Lector in in Abbatia Loenſi apud Ipras; dein ob fidem Catholicam exul Coloniæ; anno 1577. Paſtor S. Nicolai Caſleti in Flandria; paulò poſt Viennam, Presburgum, & Brunam profectus, inter Novitios Societatis Jeſu adſcribi

obtinuit, ſed anno 1580. ex eadem Societate dimiſſus eſt. Tum anno 1582. inter Sacellanos aulæ *Wilhelmi* Bavariæ Ducis adſcitus, ſanctioris vitæ deſiderio Mediolanum profectus eſt, ſuamque operam detulit piiſſimo Archipræſuli *Carolo Borromæo*. Sed neque hîc ſtetit vacillans animus. In Bavariam redux, in Abbatia Cæſarêæ Ord. Ciſterc. apud Suevos Theologiam tantiſper profeſſus eſt; donec ad Batavos reverſus, anno 1585. Paſtoratui de Varick apud Tielam Gelriæ oppidum admotus eſt. Sed animo magis ad inveſtigandas prophanas Bataviæ ac Gelriæ Antiquitates, quàm ad proſequenda Theologiæ ſtudia inclinato, ad Academiam Leidenſem ſe contulit.

Inter hæc, contractâ cum duobus Woerdani oppidi prædicutiis amicitiâ, anno 1588. Religionem Catholicam, nequidquam reluctante piâ matre vetulâ, ejuravit; ſtatumque Sacerdotalem, contractis ſacrilegis nuptiis cum filia *Joannis Wykerſloot*, Ludimagiſtri Woerdenatis, fœdavit.

Ad vitæ ſuſtentationem à Statibus Hollandiæ Zelandiæque penſione modicâ dotatus, anno 1591. ad munus Hiſtoriographi aſſumitur, favente imprimis *Joanne* ab *Olden-Barnevelt*, Ordinum Syndico primario. Quod ubi aggreditur, æmulum, ne dicam inimicum nactus eſt *Janum Douzam*, melioris ſanè famæ ac eruditionis Virum: quo-cum tricas multas & diſſertationes habuit, multaque ſcripta adverſaria utrimque ſunt edita.

Tandem obiit Lugduni-Batavorum die 17. Januarii 1617. ætatis anno 69. *Aliquod fortaſſe nomenque decuſque laturus* (inquit Valerius Andreas) *niſi Sacerdos ſeſe infami ſacrilegio & infandis nuptiis conſpurcaſſet:* Sepultus ibidem in templo D. Petri: in quo patruus ejus *Arnoldus Theodori Bockenbergius*, Ordinis Theutonici Commendator & Paſtor, anno 1592, fato functus, per annos XXVI. zeloſè Catholico gregi præluxerat. Extat ibidem hoc *P. Bockenbergii* Epitaphium laminæ æreæ inſculptum.

Deo Opt. Max. S.
*Quid Fati invidiam queror*
*Aut multis moror hoſpitem?*
*Nomen nobile ſi loquar,*
*Paucis omnia dixero:*
BOCKENBERGIUS *hic jacet.*

✿ ✿ ✿

PETRO BOCKENBERGIO,
Hiſtoriographo
Hollandiæ, Zelandiæque &c.
Pię Conjugis officioſus
In Maritum dolor
Monum. pos.
Natus Goudæ An. M. D. XLVIII.
Denatus Leydæ An. M. D. C. XVII.
Januarii Die XVII.
Egreſſus Annum vitæ LXVIII.
Næ Vita ſit Tragœdia.

✿ ✿ ✿

Opuſcula ejus extant ſequentia.

*Genealogia & brevis Hiſtoria Regulorum Hollandiæ, Zelandiæ & Friſiæ; item alia quædam huc ſpectantia.* Lugd. Bat. 1583. 8. apud Joannem Patium.

*Catalogus & brevis Hiſtoria Pontificum Ultrajectenſium, item Antiſtitum Egmondanorum.* Ibid. 1586. 8.

*Hiſtoria & Genealogia Comitum Brederodiorum, illuſtriſſimæ Gentis Hollandicæ.* Ibid. 1588. 8.

*Egmondanorum Comitum, potentiſſimæ Hollandiæ Gentis, Hiſtoria & Genealogia.* Ibid. 1589. in 8.

*Priſci Bataviæ & Friſiæ Reges; item, Lugduni-Batavorum & Waſſenariæ Heroum, vetuſtiſſimarum Hollandiæ Gentium, Hiſtoria & Genealogia.* Ibid. 1589. in 8.

Ejuſdem P. Corn. Bockenbergii, *ad nonnulla Jani Doujæ aſpera ſcripta, Extemporalis Reſponſio*, Illuſtriſſ. Hollandiæ & Weſtfriſiæ Ordinibus reddi-

ta. Delphis apud Brunonem Schinkelium. 1601. in 8.

Reliquit etiam *Manuſcriptorum Autographorum, hactenus non in lucem editorum Collectionem egregiam XXXIII. Voluminum*, quæ ante annum 1735. aſſervabatur in Bibliotheca ſelectiſſima *Petri Vander Aa*, Equitis Aurati S. Marci. Tituli autem ſunt hi.

*Annales ab Orbe condito ad Annum Chriſti* 1570. *uſque, cum ejuſdem Operum quinque Breviariorum compendio.* V. Tom. VI. Vol.

*Centuriæ ab Urbe condita* 680. *& ante Nativitatem Domini* 57. *ad Annum* 1609. *uſque.* XXI. Vol.

*Batavinæ Reipublicæ, ut & junctorum Populorum priſca Nobilitas, ex Archivis, Monumentis & vetuſtiſſimis undique conquiſitis fide digniſſimis Scriptis collecta.*

*Diplomata, præcipue Vetuſtatis Eccleſiæ Trajectinæ, Batavicæque.*

*Acta Pontificum Trajectenſium. Item Abbates Egmondani; & Eraſmus in vitam Pontificis, aliorumque ſacrorum Antiſtitum, quorum peſſimis exemplis Eccleſia Chriſti miſerrimè labefactatur.*

*Apoſtoli Hollandiæ, Zelandiæ, Weſtfriſiæ & Trajectin.*

*Priſcorum Hollandiæ Comitum Acta.*

*Auſtriacorum Hollandiæ Comitum Acta.*

## PETRUS COUDEBERGIUS,

Pharmacopæus Antverpienſis, recenſuit & ab erroribus vindicavit

*Valerii Cordi Diſpenſatorium*; adjecto novo ejuſdem libello. Antver. typis Plant. 1568. 16.

## PETRUS CRABBIUS,

Machlinienſis, Ordinis Minorum de Obſervantia eximius Theologus, nec uno loco Guardianus, fato functus Machliniæ die 30. Auguſti anno 1553, ætatis 83. Virille diligentiſſimus & accuratiſſimus primus poſt Jacobum Merlinum Doctorem Theol. & Pœnitentiarium Pariſienſem, *Conciliorum* Generalium Collectionem è quingentis prope Bibliothecis, quas ipſe perluſtraverat, hoc titulo eruit,

*Concilia omnia, tam generalia, quam particularia, quæ jam inde ab Apoſtolorum temporibus in hunc uſque diem celebrata, ex vetuſtiſſimis diverſorum regionum Bibliothecis haberi potuerunt.* fol. Colon. Agripp. typis Petri Quentel. 1538. II. Vol. item 1551. cum Auctario Concilii II. Niceni; Appendice Baſileënſis, Lateranenſi ſub Leone X. &c. in tribus Vol. quibus quartum veluti Auctarium anno 1567. adjecit *Laurentius Surius*, Carthuſianus Colonienſis.

Porro hujus Collectionis defectus obſervatos lege in libro gallico: *Traité de l'étude des Conciles*, authore (ut fertur) Du Pinio, pag. 477. & ſequent.

## PETRUS CRATEPOLIUS,

Sive PETRUS MERSSÆUS CRATEPOLIUS, (vel *Opmerſenſis*) aut Βατραχίλιος, (ut ἑλληνίζειν amat ipſe auctor) Juliacus, Ord. Minorum, quos Gaudentes vocant, Theologus & Hiſtoricus, Coloniæ vixit, & obiit anno 1603 Vir multæ lectionis. Edidit magno quidem atque improbo labore, ſed in quibus majorem curam ac certiorem annorum rationem deſideres,

*Catalogum Archiepiſcoporum Colonienſium* ac *Trevirenſium*. Item *Epiſc. Leodienſium, Ultrajectinorum, Monaſterienſium, Oſnaburgenſium*, & *Mindenſium*. Coloniæ, 1578. 8. quem auxit poſtea.

*De SS. Germaniæ Epiſcopis, & Orthodoxis Doctoribus*, (ordine alphabetico) qui populum ad Chriſti religionem ibidem ab initio converterunt: item *de Schiſmaticis & Pſeudo-Doctoribus* &c. 1592. 8.

*Cathale*

*Catalogum Academiarum Orbis Chriſtiani.* Ibid. 1593. 8.

*Compendium Catechiſmi Catholici.* 1592. 12.

*Epitomen Concionum Ludovici Granatenſis*; quibus & ipſe aliquas adjecit. typis Plant. 1589 8.

*De Reſurrectione Corporum & animæ immortalitate.* Ibid. 1598. 8.

*Aſſertionem Sacrificii Miſſæ*, 1596. 8.

Denique *De Virtutibus & Vitiis.* Ibid. 1600. 8.

## PETRUS DE CROIX,

San-Paulinas, Artheſius, Ordinem FF. Prædicatorum profeſſus Audomaropoli anno 1560. ætatis XX. poſt exantlatos in Verbi divini prædicatione & ſtudiis Theologicis labores permultos, S. Th. Magiſterio inſignitus fuit in Ordine ſuo anno 1584. Fuit & contra graſſantes per Belgium novatores Geuſios Inquiſitor ſtrenuus; & aliquando à rebellibus captus, jamjam è patibulo ſuſpendendus erat, niſi Euſtachii de Croy, Comitis Rhodienſis Gubernatoriſque Audomarenſis operâ, lytroque amicorum redemptus fuiſſet. Demum Conventus ſui per annos XVIII. Prior, in pace quievit anno 1614. die 27. Aprilis, annos natus LXXII. Edidit gallicè

*Diſcours de l'uſage, vertu & miracles du ſigne de la Croix.* Atrebati in 8. 1604. item 1617.

Latinè ſcripſit *Contra Politica Franciſci de la Nouë*, cognomine *Brachii ferrei*, hæretici; & alia quædam, MSS. apud Audomarenſes.

## PETRUS CROON,

Mechlinienſis, Canonicus Regularis Ordinis S. Auguſtini ad S. Martinum Lovanii, electus ibidem Prior anno 1677. & vitâ functus anno 1683. Scripſit patrio idiomate

*De officio & culinâ boni Coci*, metricè. 12. Brugis 1663.

*De apparatu menſæ boni Coci.* 12. Antverpiæ 1663.

*Hiſtoriam B. M. V. Hanſwycanæ Mechliniæ.* 12. Mechlin. 1670. novis dein typis editam auctamque à *Petro Siré*, Mechlin. S. T. B. F. Paſtore de Appels. 1738.

## PETRUS CUDSEMIUS,

Teutoburgi in Clivia natus erat, patre Wilhelmo, Bruxellenſi, Caroli V. Imp. ejuſque filii Philippi II. Regis quondam chori muſici Magiſtro & Compoſitore, dein per annos plures Scholarchâ Veſalienſi: ſed quia à teneris annis Veſaliæ educatus, ubi pater Lutheranam ſectam profitebatur, Veſalienſem ſe dicere maluit. Ejuratis dein erroribus, ad gremium S. Matris Eccleſiæ rediit Cudſemius, ac Sacramento Confirmationis inunctus ab Archiepiſcopo Avenionenſi, pro *Samuelis* nomine, quod ei in Baptiſmate impoſitum fuerat, *Petri* nomen deinceps retinuit, & pro avitâ S. Petri Cathedra fortiter contra hæreticos decertavit.

Suſcepto itinere Romano, Cardinali *Bellarmino* Fidei athletæ innotuit & charus fuit; ac ſacro Presbyteratûs ordine inſignitus, Coloniæ Agrippinæ ſedem fixit, ubi & Illuſtriſſ. Nuncii Apoſtolici *Atilii Amalthei*, Archiepiſcopi Athenienſis favore gaviſus eſt. Heterodoxorum Scripta perſcrutatus, iiſdem oppoſuit

*Tractatum brevem, de deſperata Calvini cauſa*, in quo Sectæ Calviniſticæ non tam picta effigies, quam vivum corpus cuivis ad oculum exhibetur. 8. Coloniæ apud Bern. Gualterum, 1610. item 1612.

*Hyperaſpiſten, pro Tractatu de deſperata Calvini cauſa Apologeticum*, ſive quadripartiti Calviniſtici examinis ve-

xamen. 8. Coloniæ apud Gualtherum. 1612.

*Vivum ſpeculum, in quo vera & Apoſtolica Chriſti Eccleſia clarè apparet*; Pontificiorum, Lutheranorum & Calviniſtarum trino calculo approbatum. 8. Ibid. 1610.

Inſuper *Synodum Provincialem Diœceſis Ultrajectinæ celebratam à DD. Statibus ejuſdem Provinciæ 24. Auguſti 1612. Ultrajecti*, è belgico idiomate in latinum verſam, Notis curioſis illuſtravit. 8. Hagiopoli 1614. veriùs Coloniæ, quæ & SS. Civitas dicitur.

*Apologiam pro Saxonia Catholica.* 8. Coloniæ 1622.

## PETRUS CUNÆUS,

Vernaculè VAN DER CUN, natus eſt Fliſſingæ apud Zelandos, anno 1586. patre mercatore. Annorum XIV. adoleſcens Lugduni apud Batavos per omne fere ſtudiorum genus vagatus, Hebraïcas Græcaſque litteras potiſſimùm arripuit, & ad interiora Hebraiſmi ſacraria, Rabbinorumque Commentarios manuductore uſus eſt. *Joanne Druſio*, qui Franekeræ Friſiorum Linguas, Hebraïcam, Chaldaicam ac Syriacam profitebatur; ibidemque & Juriſprudentiæ operam dedit.

Doctor Juris creatus eſt Leidæ, ubi anno 1611. demandata eidem fuerat linguæ latinę primùm, deinde Politica Profeſſio; decretumque ab Academiæ Curatoribus anno 1615. ut, præter Politica, Jus quoque Civile interpretaretur, quam provinciam ad extremum vitæ ſuſtinuit. Uxorem duxerat anno 1615. *Mariam Zeiſt*, Nicolai Syndici ſeu Penſionarii Leidenſis filiam. Edidit

*Sardos venales*, SATYRAM MENIPPÆAM *in ſui ſæculi homines ineptè eruditos.* Lugd. Bat. 1612. & 1616.

*Juliani Imp. Cæſares*, ſive *Satyram in Principes Romanos*, græco-lat. typis Raphelengii, 1612. 12.

*Notas & Animadverſiones in Nonni Panopolitæ Dionyſiaca.* Ibid. 8. 1610.

*Commentarium de Cauſis Juris & factis.*

*De Pactis & rebus creditis.*

*De Republica Hebræorum* libros III. Leidæ 1617. in 8. & 1632. in 16. item 1703. cum Annotatis *Joannis Nicolai.* Idem Cunæi Opus è latino in gallicum tranſtulit *Jacobus Baſnagius*, Gallus, Miniſter Calvinianus apud Batavos, additis *Antiquitatibus Judaïcis*, ceu proprio fœtu. 8. Amſtelod. apud Chaſtelain 1713. III. Vol.

*Exercitationum Oratoriarum*, quæ auctoritate publicâ in Academia Leydenſi inſtitutæ ſunt, *Inaugurationem.* Ibid. 1621. 4. apud Elzevirium.

*Commentarios in Flavium Joſephum* prelo paraverat.

*Petri Cunæi J. C. Orationes argumenti varii, olim à Marco Zuerio Boxhornio editas, ejuſdemque alia latina Opuſcula, Satyram Menippeam, Juliani Cæſares, & Reſponſum in cauſa Poſtliminii*, cum Notis & Obſervationibus, 8. Lipſiæ 1693. edidit denuo *Chriſtophorus Cellarius* Smalcaldenſis Germanus, Geographus & Hiſtoricus celeberrimus.

*Epiſtolas* P. Cunæi, ejuſque *Orationem in obitum Bonav. Vulcanii*, evulgavit *Petrus Burmannus*, Leidæ apud Petrum Vander Aa. 1724. in 8.

Viverede ſiit, longâ ægritudine conſumptus, anno 1638. ætat. 53. menſe Novembri. *Adolphus Vorſtius* Medicus pro funere laudavit, Oratione poſtmodum editâ.

## PETRUS CURIUS,

Bergis ad S. Winocum Gymnaſiarcha, edidit

*Grammaticam Græcam & Latinam.* Antver. 1530.

*Dictionarium Græcè, Latinè & Teutonicè*, ad inſtar *Pappæ Puerorum Joannis Murmellii.* Ibid. typis Joan. Loëi.

## PETRUS CURTIUS,

Vulgo DE CORTE, Brugenſis, ſecundus Lovanii in Scholis Artium promotus anno 1513, dein Eloquentiæ Profeſſor in Gymnaſio Lilienſi, atque ab anno 1529. Plebanus Eccleſiæ Collegiatæ D. Petri Lovanii, nec non anno ſequenti S. Theol. Doctor. Carolus V. Imp. conſtituit eum anno 1546. unà cum *Ruardo Tappero* ad D. Petrum Decano, Viſitatorem & Approbatorem *SS. Bibliorum*, quæ Lovanii, Latino, Gallico & Theutonico ſermone typis Barth. Gravii excudebantur: ut patet è Diplomate Cæſareo hiſce Bibliis præfixo.

A Rege Catholico Philippo II. Deputatus dein fuit ad ordinandum magnæ molis opus ſummæque pro univerſo Belgio utilitatis, nempe Erectionem XIV. novorum Epiſcopatuum. Ipſe autem ſeptuagenario major primus Epiſcopus Brugenſium conſecratus fuit anno 1561. Vixit ann. 76. Obiit 16. Kal. Novembris 1567. ſepultus in Choro ſuæ Cathedralis. Scripſit adhuc exiſtens Lovanii,

*Commentarium in Pſalmos incipientes à CI.* fol. Extat Manuſcriptum in Bibliotheca Collegii PP. Societ. Brugis. Ita Sanderus Parte I. Bibliothecæ ſuę Manuſcriptæ pag. 281.

Rever. Dno. D. PETRO CURTIO,
Brugenſi,
Primo hujus civitatis inſtituto
Epiſcopo,
Perpetuo Flandriæ Cancellario,
Quondam apud Lovanienſes S. Theol.
Profeſſori ordinario,
Hoc Monumentum extremæ voluntatis
deſiderio poſitum eſt.
Sedit in Epiſcopatu
Annos V. M. VIII. D. IX.
Vixit annos LXXVI.
Obiit XVI. Kal. Novemb.
M. D. LXVII.

## PETRUS CUYPERS,

Mechlinienſis, J. U. L. & in ſupremo Conſilio Cauſarum patronus diſertiſſimus, fuit etiam inter Aſſeſſores ampliſſimi hujus Senatûs coöptatus, ſed pridie tantùm quam è vivis excederet declaratus. Obiit autem anno 1669.

Tractatum ſcripſit vernaculum, *De Evictione Actionis hypothecariæ*, (vulgò *Gront-Procedueren*) *ſecundum Conſuetudines Mechlinienſes* &c. Quem frater ſuus *Guilielmus Cuypers*, J. U. L. & in eadem Curia Advocatus, ac demum Urbis Mechlinienſis Syndicus, ſive Penſionarius, auxit, conſummavit & edidit in 4. Mechlin. apud Joannem Jaye. 1679.

Extat hoc Epitaphium in Eccleſia Metropol. D. Rumoldi Mechliniæ.

D. O. M.

„ Nobili Domino PETRO CUYPERS,
„ in ſuprema Regis Curia Conſiliario,
„ defuncto 26. Maii 1669.

„ Et Dominæ MARIÆ VANDER
„ HOFSTAT, ejus uxori, defunctæ
„ 6 Auguſti 1685. filiæ D. Antonii
„ vander Hofſtat, Toparchæ de
„ Muyſelwyck, qui obiit 29. Augu-
„ ſti 1670. & Domicel. Annæ Laurin
„ ejus conjugis, mortuæ 12. Augu-
„ ſti 1675. qui omnes hoc tumulo
„ clauduntur; quem poſuit, & eo-
„ dem quoque clauditur mæſtus hæ-
„ res, & prædicti Petri filius, nobi-
„ lis Dom. Daniel Franciſcus Cuypers.

## PETRUS DACQUET,

Furnenſis, Medicus, græcè latineque doctiſſimus, ſcripſit

*Commentarium in Corn. Celſum.*

## PETRUS DAEMS,

Antverpienſis, Cartuſiæ Liranæ in Brabantia Religioſus, luſit heroico verſu

*Encomiaſticum Solitudinis Cartuſianæ;*

nomine quidem ſuppreſſo, ſed quod hoc anagrammate ſatis expreſſit, SPES ME DURAT. Antverpiæ, typis Verduſſii, 1623. 4.

## PETRUS DAMASUS DE CONINCK,

Brugenſis, natus anno ſæculari ſupra milleſimum ſexcenteſimo, pridie Idus Julii, Ord. Eremit. S. Auguſtini Doctor Theologus Lovanienſis, anno 1628. creatus, ibidemque ſecundùm Prior, & Regens Studii, Viſitator Ordinis, & ad Capitulum Generale Delegatus (Diſcretum in Ordine nuncupant) Librorumque ſui Ordinis Reviſor ab *Hippolyto Montio* Priore Generali anno 1636. deputatus; tandem Provincialis anno 1655. Vir cum doctus, tum candidus atque affabilis, nec ſine lepore.

Plenus meritis, & laboribus fractus, & longâ infirmitate debilitatus obiit hydropicus Bruxellis die 12. Decembris anni 1662. Edidit

*Baſilii Pontii*, Auguſtiniani, S. Theol. Doct. & Profeſſoris Salmanticenſis, *De Sacramento Confirmationis* lib. ſingularem, correctiorem & Annotationibus marginalibus illuſtratum. Lovanii, typis Jac. Zegeri, 1642. 4.

*Ægidii Columnæ Romani*, Auguſtinianæ familiæ Generalis & Archiepiſcopi Bituricenſis, *Quodlibeta*, ſimiliter correcta, *Argumentis Scholiiſque* perpetuis, etiam marginalibus illuſtrata. Ibid. fol. 1646.

*B. Alphonſi de Oroſco*, *Ord. Erem S. Auguſt. Certamen bonum, conſummatum & coronatum*, à P. Coninck reviſum & meliori ordini reſtitutum. 12. Lovan. 1645.

*Gregorii Arimienſis* ejuſdem Ordinis quondam Generalis, Opera.

## PETRUS DATHENUS,

Iprenſis Flander, excullatus (ut Sanderus inter Scriptores Flander ait) Monachus Carmelita, aliis Minorita, è Monaſterio Poperingano profugus, unus fuit è primis novi Pſeudo-Euangelii per Belgium præconibus. Hic unà cum Joanne Imbyſio Pro-Conſule Gandavenſi Calviniſtarum Sectam in urbem hanc introducere ſategit; indeque anno 1578. primus extitit eorum prædicutius Ultrajecti. Obiit demum infelix Elbingæ in Germania anno 1590. Hos ejus libros citat Sanderus, ſed primæ damnatorum claſſi inſertos.

*Pſalmos Davidicos & alios Hymnos ex Gallica Clementis Maroti & Theodori Bezæ tranſlatione, vertit in Flandrorum Linguam vernaculam*, cui vinctus eſt peſtilentis doctrinæ *Catechiſmus*, fæpiùs & multis locis (mala enim herba cito ac facile creſcit) impreſſus.

*Ad criminationes & maledicta* (ſecundùm perverſam Novatoris Datheni mentem) *Barthol. Latomi*, *Reſponſiones duæ*.

*Reſponſio* ejuſdem *ad Quæſtiones Miniſtrorum Francofortenſis Eccleſiæ de Confeſſione Dreſdenſi ab illis edita*.

Diſputavit & Franckendaliæ contra Anabaptiſtas, fuitque architectus libri ea de re ſcripti, cui titulus: *Protocollum*.

## PETRUS DES-NOURICES,

Audomarenſis, Societatis Jeſu Theologus, deceſſit in patria die. 10. Octobris 1665, poſt editas gallicè

*Vitas SS. Martyrum Florentii, Juſtæ filiæ, & Fratrum S. Florentii ad Aquilam in Veſtinis pro Chriſto occiſorum*, collectas ex antiquis Eccleſiarum Italiæ MSS. Audomar. 1654.

Meditabatur etiam *Flores rerum admirabilium*, opus morale, quod accuratâ diligentiâ per diverſas materias congeſſerat in Tomos XXIV. qui cum aliis XII. Tomis Orationum Audomari aſſervantur.

## PETRUS DIVÆUS,

Lovanienſis, Brabantiæ Hiſtoricus,

fidus & accuratus, fabularum portentis, quæ hiſtoriam patriæ ferè occupabant univerſam, exploſis, cum fide eam tradidit. Vivere deſiit Mechliniæ anno 1581. Scripſit

*De Antiquitatibus Galliæ Belgicæ*, ſtatum ejus, qualis fuit ſub Romanorum Imperio, repreſentans. Antver. typis Plant. 1566. & 1584. 8. Extant etiam in Germania antiqua illuſtrata Tomo I. pag 668.

*De Antiquitatibus ejuſdem, qualis ſub Francis.* MSS.

*De Antiquitatibus Brabantiæ*; & *Rerum Brabanticarum* libros XIX. Antver. apud Verduſ. 1610. 4. edente *Auberto Miræo*, Decano Antverp.

*Rerum Lovanienſium Commentarios*, libris VI. MSS. extant apud abnepotem ejus D. Van Diven, Urbis Lovan. Secretarium, qui & aliquando eoſdem typis Æg. Denique edere meditatus fuit.

## PETRUS DORE'.

Ordinis Prædicat. S. Th. Doctor Pariſienſis, anno 1569. Pariſiis fato functus, à Valerio Andrea & Franc. Swertio Belgis adſcribitur, velut San-Paulinas Artheſius: qui & variorum ejus Operum ſcriptorumque reminiſcuntur. Sed minus rectè: nam Aurelianenſem Gallum, Conventuſque Bleſenſis alumnum fuiſſe, rectiùs notat P. Echard in Bibliotheca Ordinis Prædic. Tomo II. pag. 203, ubi & ſeries elucubrationum ejus accuratiſſima.

## PETRUS DORLANDUS,

Dieſtenſis, Cartuſianus in Zelemenſi S. Joannis Cœnobio, apud Dieſhemium Brabantiæ oppidum, ſub Diœceſi Leodienſi; vir fuit ſingulari vitæ integritate, innocentiâ, pietate, & eruditione conſpicuus: quas in eo virtutes laudavit *Theod. Petreius* in Biblioth. Cartuſiana. Obiit anno 1507. VIII. Kal. Septemb. in Cartuſia Zelemenſi, annos natus LVIII. Scripſit

*Coronam de Viris Carthuſiani Ordinis Illuſtribus*, ſive *Chronicon Carthuſianum.* Coloniæ, 1608. apud Cholinum, cum Notis *Theodori Petreii*, *Carthuſiani* Colonienſis. Tranſtulit illud gallicè, ac denuo edidit *Adrianus Driſcart*, Paſtor Eccleſiæ B. M. V. Tornaci. 4. Ibid. 1644.

*Explicationem myſticam Habitus Carthuſienſis.* Ibid. 1513. 4. apud Theodor. Aloſtenſem.

*Violam Animæ*, Dialogis VII. quorum ſex priores concinnavit ex Theologia Naturali *Raimundi Sebundii*, Hiſpani, velut in compendium reducta; ſeptimi verò ipſe *Dorlandus* auctor eſt. Antver. 1533. 12. apud Mart. Cæſarem, & 1543. 16. apud Joann. Hillenium.

Reliqua ejus ſcripta recenſentur ad finem *Tractatus de vitio proprietatis*, quorum pleraque ante rebellionem Belgicam in Carthuſia Zelemenſi lecta fuerunt. Sunt autem DIALOGI varii;

*De Perſeverantia Novitiorum.*

*De Stabilitate Monachorum.*

*De remedio Amoris*, Dialogus practicus, & heroïcus.

*De opere Amoris & Paſſione Chriſti.*

*De Vera Amicitia.*

*De Myſteriis Paſſionis.*

*De extremis hominum calamitatibus.*

*De Dominatu Vitiorum.*

*De Dominatu Virtutum.*

*De vera hominis Sapientia.*

*De vera hominis Beatitudine.*

*De Laude & claritate veræ Juſtitiæ.*

*De vera Patientia*, ex Chryſoſtomo.

*Inter Sapientem & Inſulſum.*

*Inter Diſtemium & Servatium, de cognitione ſui.*

*Inter Chriſtum & Franciſcum, ſuper Charitate, procuratrice ſalutis noſtræ.* Legitur Lovanii in Bibliotheca Academica.

*De Unione.*
*De Inſtitutione optimi Paſtoris.*
*De S. Urſula & Sodalibus ejus.*
*De S. Cæcilia, Cur Phœnici comparetur?*
*De Septem B. Mariæ Gladiis.*
*De Fraternitate Compaſſionis ejuſdem.*
*De Sanctis Laurentio, Romano milite, Antonio, Vincentio Ferrarienſi, Catharina, Anna, de Actibus & Laudibus S. Joannis Apoſtoli & Euangeliſtæ &c.* E quibus cum Vita Chriſti, auctore *Ludolpho de Saxonia*, Cartuſiano, *B. Annæ Vita* edita eſt Antver. apud Keerbergium, 1617. fol. *Actuum* verò *S. Joannis* liber legebatur MSS. Duaci in Bibliotheca *Georgii Colvenerii* S. T. D.
*Pſalterium Virginis Dei-paræ.*
*Speculum Humanæ Vitæ.*
*Sermones*, & *Epiſtolæ variæ.*
Adſervantur præterea in Cartuſia Colonienſi ejuſdem
*Tractatus de tribus Cartuſianorum Votis.*
*Dialogus de duabus viis.*
*Collationes de Militia ſpirituali.*
*De Sacerdotum dignitate.*

## PETRUS EULARDUS,

Aërienſis, Arteſius, natus anno 1564. Societatis Jeſu, totis XXIV. annis in Regio exercitu ac Caſtrenſibus Miſſionibus vitam egit laborioſiſſimam. Edidit
*Exercitium Chriſtianæ Pietatis*, ſeu *Libellum Sodalitatis B. Virginis.* Lovanii, typis Maſii, 1619. 12. & Coloniæ, 1621. apud Burgenium.
*Bibliorum Sacrorum Concordantias, Morales & Hiſtoricas.* Antver. typis Plantin. 1625. 4.
Moritur Hallis Deiparæ, Hannoniæ opido, anno 1636. menſe Octobri, ſeptuagenario major.

## PETRUS FABER,

Noviomagenſis Gelder, Ordinem FF. Prædicatorum in urbe natali ante annum 1500. profeſſus eſt. Philoſophiæ ac Theologiæ operam dedit Pariſiis in Conventu S. Jacobi, Magiſtrum nactus F. *Petrum Crokaert*, de Bruxella, S. T. Doctorem in Academia Pariſienſi celeberrimum: ibique etiam anno 1517. Licentiæ gradum, ac paulò poſt Magiſterium in S. Theologia conſecutus eſt. In Belgium redux, eligitur Definitor, à Provincia ſua ad Capitulum generale Romam deputatus; qua in Urbe obiit anno 1525, menſe Julio.
*Tertiam Partem Summæ D. Thomæ Aquinatis*, cum Additionibus ex libro IV. Sententiarum ejuſdem Doctoris excerptis; id eſt, *Supplementum ex Commentariis D. Thomæ in quartum Sententiarum*, partim ſuo, partim *P. Vincentii Harlemenſis*, ejuſdem Ordinis, labore, deſumptum, cum tertia Parte ejuſdem Doctoris Angelici Summæ Theologicæ, prelo dedit 1514. in 8. Pariſiis typis Claudii Chevallon. Sunt tamen, qui *Supplementum* hoc longè antiquius eſſe autument.
Item *Commentaria Thomæ de Vio Cardinalis Cajetani, in Secundam Secundæ S. Thomæ*, à ſe nonnihil correcta, prelo vulgavit, iiſdem typis Chevallonii. 1519. in 4.
Extat & *Epiſtola ab eo ad Petrum de Bruxellis præceptorem ſuum*, in Commentariorum ejus in libros Phyſicorum Ariſtotelis commendationem. Extat in fine dictorum Commentariorum, Pariſ. apud Jo. Barbier, 1510. & iterum typis Jo. Petit 1521. fol.

## PETRUS DE LA FAILLE,

Dordraci Calvinianis parentibus natus, eandem ſectam in Academiæ Lugduno-Batava edoctus, Prædicutii munus annos aliquot in Parochia de Caudekerck ad ripam Rheni juxta Lug-



PETRVS, FORESTVS, MED.

dunum obivit. Postmodum de Catholicæ Fidei veritate convictus, anno 1627. ejuratis erroribus, ministerio suo hæresique Calvinianæ renunciavit

Conversionis suę rationem reddidit hoc libello vernaculo : *Bekeeringhe Petri de la Faille, Predicant te Caudekerck, uyt de Calviniſſe Kettereye tot het H. Catholyck Geloove* &c. 12. Lovanii apud Masium 1628.

## PETRUS du FAY,

Brugensis, Ordinem Prædicatorum anno 1603. professus, variis in locis Philosophiam Theologiamque docuit, deinde in Ordine suo S. Theologiæ Magister, & Prior Brugis, item Bruxellis ; scripsit

*Disputationes Theologicas de Pœnitentia*, quà Virtute quà Sacramento. Duaci, typis Belleri, 1626. 4.

Item *Tractatum de pretiosissimo Sanguine Salvatoris nostri Jesu Christi, qui Brugis adservatur*, quà Theologicum quà Historicum. Brugis, 1633. 4.

Item *Discursum circa Jurisdictionem Regularium quoad munus prædicandi :* cum Tractatu *De perpetuitate approbationum Religiosorum ad excipiendas confessiones, & prædicandum Verbum Dei.* Gandavi 1636. in 4. Et iterum Coloniæ, hoc titulo : *Clypeus Ordinum Medicantium*, typis Joannis Agricolæ. 1637. in 8.

Brugis existens S. T. Professor in Seminario Episcopali, præmaturâ morte è vivis ereptus est mense Januario 1639, ætatis suæ anno 54.

## PETRUS de FENIN,

Aliàs Fevin, Arthesius, Vir Nobilis, Præpositus Urbis Atrebatensis, & Pincerna ( vulgò *Panetier*) Caroli VI. Francorum Regis, reliquit posteritati, idiomate vernaculo,

*Historicam Relationem rerum gestarum inter Ludovicum Ducem Aurelianensem, ejusque liberos, & Joannem Ducem Burgundiæ*, ab anno 1407. usque ad annum 1423. Ejus hoc initium est, *Verité est, que entre le Duc d'Orleans, frere au Roi, & le Duc Jean de Bourgoigne ſon couſin germain &c.* Legebatur Manuscriptum apud Virum Nobilem Joannem Baptistam du Val, Vice-Gubernatorem Atrebatensem, D. Claudium d'Oresmieulx Insulis Flandrorum, atque alios ; donec anno 1653. in lucem prodiit Lutetiæ, typis Regiis, fol. curante *Dionysio Gothofredo*, Historiographo celeberrimo ; unà cum Historia gallica Joannis Juvenalis de Ursino Archiep. Remensis, aliisque qui de Gestis Caroli VI. scripsêre.

Obiit autem *Feninus*, accuratus ac sincerus Historicus, anno 1433. mensis Junii die XXVIII. in D. Nicolai cœmeterio conditus, ubi hodieque sepulcrale monumentum marmoreum, statuaque *Fenini* adgeniculantis in muro templi visitur.

## PETRUS FORESTUS,

Alcmariæ natus nobili *Foreſtorum* familiâ, Medicinæ studio adolescens animum applicuit, & triennio toto Lovanii artis illius theoriæ sub *Hieremia Brachelio* operam dedit. Praxin addidit Bononia (quę & Doctoratûs insignia contulit) Patavium, Roma, Lutetia. Alcmariam reversus, civibus suis curandis annos XII. impendit. Delphos evocatus, annos ferè XL. Medicus publicus fuit. Annis fractus in patriam domicilium transtulit. Scripsit judicio summo, & labore maximo,

*Observationum & Curationum Medicinalium*, sive *Medicinæ Theoricæ & Practicæ* libros XXXII. qui omnes seorsim singuli prodierunt Lugd. Batavor. typis Franc. Raphelengii, ab anno 1589. usque ad annum 1610. in 8. Po-

ſtea in unum alterumve volumen redacti ſunt.

Priores VII. tractant *de Febribus.*

VIII. *De Exterioribus vitiis, & morbis Capitis.*

IX. *De variis Corporis doloribus.*

X. *De univerſis Cerebri ſumptomatis & morbis.*

XI. *De Morbis Oculorum & Palpebrarum.*

XII. *De Aurium morbis.*

XIII. *De Naſi affectibus.*

XIV. *De Ægritudinibus Labiorum, Gingivarum, Dentium, Oris & Linguæ.*

XV. *De Faucium, Gutturis, Guiæ & aſperæ Arteriæ affectibus.*

XVI. *De Pectoris, Pulmoniſque vitiis & morbis.*

XVII. *De Cordis, ac quibuſdam Mamillarum affectibus.*

XVIII. *De Stomachi & Ventriculi affectibus.*

XIX. *De Hepatis malis & affectibus.*

XX. *De Lienis morbis, vitiis & affectibus, & de Scorbuto.*

XXI. *De Meſenterii & Inteſtinorum affectibus, &c.*

XXII. *De diverſis profluviorum Alvi generibus.*

XXIII. *De Sedis & Ani vitiis & affectibus.*

XXIV. *De Renum affectibus & morbis.*

XXV. *De Veſicæ malis & affectibus.*

XXVI. *De Penis ac Virgæ vitiis.*

XXVII. *De Scroti ac teſticulorum affectibus, vitiiſque; ac de Ramicum diverſis ſpeciebus.*

XXVIII. *De mulierum morbis & Infantis regimine.* Francof. apud Zach. Palthenium, 1602. fol. Et hic Operum eſt Tomus I. & II.

XXIX. *De Arthritide, & aliis affectibus partium externarum.* Ibid. 1604. fol. Operum Tomus III.

XXX. XXXI. XXXII. *De Venenis, Fucis, & Lue Venerea.* Ibid. 1609. fol. Operum Tomus IV.

*Obſervationum & Curationum Chirurgicarum* Libri V. I. *De Tumoribus præter naturam ſanguineis.* II. *De Biliosis.* III. *De Pituitoſis.* IV. *De Melancholicis.* V. *De Mixtis ſeu Compoſitis.* Accedunt his, typis antehac Plant. Antver. 1583. 8. editi, *De incerto ac fallaci Urinarum judicio*, adverſus Uromantas & Uroſcopos, ejuſdem *Foreſti* libri III. Ibid. 1610. fol. Operum Tomus V. item

*Obſervationum & Curationum Chirurgicarum* libri IV. poſteriores. I. *De Plagis ſeu Vulneribus cruentis.* II. *De Ulceribus.* III. *De Fracturis.* IV. *De Luxationibus.* Ibid. 1611. fol. Operum Tomus VI. iterumque Francof. 1623. Rothom. 1654 &c.

Obiit anno 1597. ætatis LXXV. Tumulus ejus viſitur Alcmariæ in primario templo, ubi & verſus hi chronici leguntur:

*EVICtUs fato CUbat haC sUb MoLe ForeſtUs,*
*HIppoCrates eataVIs sI fUIt, ILLe fUIt.*

*Petrus Hogerbetius* Medicus Hornanus Præceptori & amico veteri moriens hoc poſuit Epitaphium.

*Noris ut Hoſpes, oſſa quanti marmore*
*Sub hoc repoſta ſint Viri, ſic accipe.*
*Sunt illa* PETRI, *è gente quem* FORESTIA
*Cœli benignior, bono mortalium,*
*Magni bearat aura mente Hippocratis.*
*Hac, Artis uſu fontibuſque Jatricæ,*
*Orbi retectis, ſeu perenni lumine,*
*Jam major annis ſeptuagenario,*
*Nil mente fractus, hos ut artus exuit.*
*Deſiderat, lugetque civem patria,*
*Æther recepit, quo fide tetenderat,*
*Famâ relictâ poſteris induſtriæ.*
*Nunc hoſpes i, quò fata te vocant tua,*
*Sua gratulatus optimo* FORESTIO.

## PETRUS FRARIN,

Antverpianus, J. U. Licent. dixit Lovanii in Quodlibeticis, ut vocant, Quæſtionibus

*Orationem*

*Orationem, quod malè reformandæ Religionis nomine arma sumpserint Sectarii nostri temporis*, Lovanii, 1566. 8. editam.

## PETRUS GALLANDIUS,

Aerienſis Artheſius, Franciſco I. Gallorum Rege litteras præmiis & honoribus excitante, Regius Latinarum litterarum Lutetiæ Profeſſor, Collegium ibidem Boncurſianum inſtauravit, & annos multos ſummâ cum laude rexit. Liberales diſciplinas, in Gallia jacentes, politioris doctrinæ luce primos inter illuſtravit. Collo fuit inflexo, voce acutâ, ac laborioſè docuit; virtutis ergo Canonicatum in Baſilica B. M. Pariſiis adeptus. Familiaris vixit *Guilielmo Budæo*, *Vatablo*, *Bartholomæo Latomo*, (cui vicariam aliquando dedit operam, dum ille anno 1539. impetrato à Rege commeatu Italiam viſeret) *Joanni Strazelio*, aliiſque.

Debet hoc illi Gallia, quod plerique ſuperioris ævi litterarum heroes, quos inter familiam ducit *Adrianus Turnebus* (ut ipſe ingenuè in Adverſariorum libris confitetur) ejus è ludo, tamquam ex equo Trojano, prodierunt. Cumque câ tempeſtate *Petrus Ramus*, ſeditioſus Orator, diſciplinas turbaret, atque adeo non modo *M. Tullium*, *Fabium & Euclidem*, ſed & aureum illud doctrinæ flumen *Ariſtotelem*, in Scholis ad hanc diem receptos, è manibus juventutis excutere, ut ſua incautis obſtruderet, omni ſtudio niteretur; primus ferè tamquam athleta ſe *Gallandius*, tum voce, tum ſcripto, oppoſuit.

Cum *Turnebo* in Belgium aliquando profectus, Bibliothecas veteres ſtudioſè excuſſit; eruitque præſertim Autores antiquos. Scripſit autem

*In Fabium Quintilianum*, à ſe accuratè emendatum, Argumenta. Pariſiis in 4.

*Orationem* diſertam *pro Ariſtotele & Pariſienſi Schola, contra novam Petri Rami Academiam*. 1551. 4. & 1581. 8.

*Orationem in funere, Franciſci I. Galliarum Regis à Profeſſoribus Regiis factio, habitam Lutetiæ Nonis Maii.* 1547. Ibid. apud Michaelem Vaſcoſanum. 4. Item gallicè, interprete Joanne Martino, iiſdem typis, 4.

*Scriptores de Agrorum limitibus & Conſtitutionibus*, in Belgio repertos, primus in lucem protulit. Ibid. 4.

*Apophtegmata quædam Orientis ſapientum, Turcarum, Perſarum, Arabumque*, à Petro Gallandio collecta, circumferuntur, hoc titulo: *Les Paroles remarquables, les bons mots & les maximes des Orientaux*; prodieruntque primùm Pariſiis 1692. recuſa Hagæ-Com. 1694. in 12.

*Vitam Petri Caſtellani Epiſcopi Tutelenſis, deinde Matiſconenſis, tandem Aurelianenſis.* Hanc Notis ſuis illuſtratam evulgavit Clariſſ. *Stephanus Baluſius*, Tutelenſis. 8. Pariſiis apud Muguet 1684.

Obiit Pariſiis, ſenio laboribuſque confectus, anno 1559. relicto hærede, ut doctrinæ, ſic & muneris, GUILIELMO GALLANDIO, fratris filio. *Adrianus Turnebus* tumulum ei poſuit, hoſque verſus inſculpendos curavit.

*Debueras fulvo, mi frater, ſtare metallo,*
*Ob meritum grato cultus ab orbe tuum.*
*Hic tua, ſed ſaxo, frater, tego membra rigenti,*
*Proque meis opibus, te pietate colo:*
*Immemor accepti dum ceſſat muneris orbis,*
*Nec conferre tibi debita buſta parat.*

❖ ❖ ❖

*Fredericus Jamotius*, Doctor Medicus, Linguæ utriuſque peritiſſimus, hoc illi Carmen extemporaneum ſcripſit:

*Qualem perempto Diva mater Memnone,*
*Denſis amicta nubibus,*
*Pallente mœſtum & languido vultu diem*
*Ægris tulit mortalibus:*

*Talis recurrit axe nuper Gallico*
*Sol aurei dux luminis,*
*Cum fata multis flebilem* GALLANDIUM
*Tulêre nobis invida,*
*Obscurus aër, & nigrâ ferrugine*
*Obducta forma syderum:*
*Cælumque ventis ac procellis turbidum,*
*Turbata terris omnia.*
*Flevêre nymphæ morte raptum pessimâ*
*Suum sibi* GALLANDIUM;
*Flevit misellus & Aganippidum chorus,*
*Flevit misellus & pater.*
*Flevit bonorum turba; flevit civitas,*
*Mœstis referta luctibus.*

## PETRUS GERARDUS,

Brugensis, vixit Venetiis, atque in Fœdus Victoriamque contra Turcas juxta sinum Corinthiacum anno M. D. LXXI. Nonis Octob. partam, *Poëmata* varia congessit ac digessit. Ibid. in 8. 1572.

## PETRUS GERARDI,

Mollensis, Brabantus, Eremita Augustinianus, vir piè doctus, è D. Augustini operibus Florilegium collegit Precum, quod inscripsit

*Altare Thymiamatis, suavissimum Deo odorem spirans.* Lovanii, 1631. 12.

## PETRUS GILKENIUS,

Rurædmondanus, Gelder, perceptis Lovanii politioris litteraturæ & Aristotelicæ Philosophiæ rudimentis, ac Jurisprudentiæ principiis, Duacum concessit, ubi industriam quoque suam *Boëtio Eponi* J. C. celebri testatam fecit. Supervenêre dein Belgii pœnè totius fatales illi motus, quibus cedere maluit, quàm ut propiùs spectator esset, aut fidem læderet Regi ac Principi suo debitam.

Cœpta itaque Jurisprudentiæ studia alibi prosequi, ac celebriores Italiæ Academias visere statuit. Patavium, atque inibi *Panzirolum*, *Menochium*, & *Matueacium*; Bononiam, & in ea *Maresscottum*; Perusiam, & hîc *Rainoldum* atque *Asanum*, Bartoli tri-nepotem; denique Maceratæ *Sfortiam Oddonem:* Viros præstantissimos ac celeberrimi nominis Jurisconsultos, quibus septem ipsos annos assiduum sese auditorem præbuit.

In Belgium reversus, ubi bonam illius partem ad officium rediisse comperit, fratremque suum *Godefridum* in Geldria Regi factum à Consiliis (qui postea Geldriæ fuit Cancellarius, suffectus *Henrico Uveno*) & ipse Lovanium regressus Juris lauream eo consilio sumpsit, ut ad exemplum avi, patris, fratrisque, Regi operam suam oblatum iret. Et jam annos aliquot foro praxique dederat, cùm rursus animos sumunt rebelles atque ad ingenium redeunt.

*Gilkenius* ergò, quia inter arma silent Leges, quietis cultor, strepitum fori valere jussit, & ad theoriæ accuratiorem investigationem redeundum sibi statuit, Principis atque Episcopi Herbipolensis, in Franconiæ Ducatu, auspiciis, in cujus Academia Digestorum ac Codicis Lectionem annos plures sustinuit, eidem Principi à Consiliis. Scripta illius hæc vidimus:

*Commentarium in Tit. Institutorum Derum divisione.*

Tractatum *De Usucapionibus*, typis Wechelianis, 1600. 4.

*Comment. ac Disputationes in præcipuos Codicis Justinianei Titulos.* Francof. 1606. fol. Tomis II.

*Comment. in Ethica & Politica Aristotelis.* Ibid. 1605. 4.

## PETRUS GODEFRIDI,

Antverpiensis, Minister Generalis

tertii Ord. S. Franciſci, quos Bogardos vocant, Capituli Zepperenſis, & Prior Conventus Antverpienſis, vir fuit vitæ integritate ſanctimoniaque omnibus ſuſpiciendus. Deſignatus Suffraganeus Archiepiſcopi Cameracenſis honorem illum magnâ animi demiſſione recuſavit. Bis Romam adiit in negotiis Ordinis ſui. Scripſit varia opuſcula, ubique pietatem ſpirantia, linguâ ferè noſtrate:

*Deſertum ſive Eremum Domini*, De XL. manſionibus in ſolitudine. Antver. apud Lieſveltium, 1551. 8.

*Chlamidem Sponſi*, ſive *De interna imitatione vitæ & Crucis Chriſti*. Ibid. apud Gelenium, 1563.

*Panem Angelorum*, ſive *De SS Sacramento Altaris*. Lovanii, apud Renerum Dieſtenſem, 1552. 8.

*Concionem de Reſurrectione Salvatoris noſtri*. Antver. 1551.

Sanctè moritur annis meritiſque gravis, Antverpiæ anno 1558. ætatis LXVII. Sepultus in choro, ubi & ante templi ab iconoclaſtis devaſtationem, erat hoc ejus Epitaphium.

*Cujus in hoc templo, lector, venerabile buſtum*
*Aſpicies, monitis certior eſto meis.*
*Nempe Pater tumulo requieſcit* PETRUS *in iſto,*
*Cui cognomentum gens* GODEFRIDA *dedit.*
*Cuique fuit genitor Cornelius, iſtius urbis*
*Indigena; ut gnatus Cœnobiarcha Domûs,*
*In qua Franciſci reſidet ſpecioſa propago*
*Sancti; cognomen tertius Ordo facit.*
*Vixit in hac luſtris, ſanctiſſima vota profeſſus,*
*Bis quinque, haud multo, pluſve, minuſve, pius.*
*Divorum factus myſtes, chriſtique ſacerdos,*
*Quattuor æſtates, deinde quaterque decem*
*Exegit, facto nunquam reprehenſus in ullo,*
*Integer uſque adeo morigeruſque fuit.*
*Ergo illum, probitas ne non dotata maneret,*
*Præcipuo ornavit ſemper honore Deus.*
*Principio hanc ædem juſto moderamine rexit,*
*Præfectus ſancti bis tria luſtra loci.*
*Hocque gradu aſcenſo, meritis poſcentibus, idem*
*Ordinis Antiſtes totius inde fuit;*
*In quo ſic pietas cunctis innotuit illis,*
*Concilii ditio quos Zeperenſis habet,*
*Ut ſibi non alium optarent habuiſſe magiſtrum.*
*Præfuit annos ſex, quinque quaterque. Quibus*
*Expletis; donec vitæ feliciter annis*
*Septem, ſex decies, addidit uſque bonus.*
*Cum Deus æterni moderator & arbiter orbis,*
*Evocat ad grati præmia certa poli*
*Sol ter quingentos fere ab orto ut volverat annos*
*Jam Chriſto, & decies quinque quaterque duos,*
*Dena pruinoſi nam lux erat orta Novembris*
*Quarta; nunc animæ fauſta precatus, abi.*

## PETRUS A GODEWYCK,

Dordracenus, Poëta elegans, plurima edidit poëmata vernacula, quorum catalogum exhibet Matth. Balen in Deſcriptione Dordracena Tomo I. pag. 223. Obiit 11. Auguſti 1669. ætat. 69.

## PETRUS DE GREVE,

Noviomagenſis, Gelder, J. U. Doctor, anno 1648. ad noviter inſtitutam Academiam Hardrovicenſem evocatus eſt, ut primus ibidem Jura profiteretur. Cum autem anno 1655. Status Gelriæ novam quoque in Urbe ſua Noviomagenſi Academiam erexiſ-

ſent, ad hanc tranſiit *Grevius*, Jurium Anteceſſor, ſive primarius. Edidit, ſuccinctè, perſpicuè & eleganter.

*Exercitationes ad loca difficiliora Pandectarum.* 8. Hardrov. 1653. dein auctiores Noviom. 1660.

*Diſſertationes ad Inſtitutionum Imperialium loca difficiliora.* 12. Noviom. 1668.

*Diſputationes de Dominio.* 8. Noviom. 1659.

## PETRUS GROTIUS,

Celeberrimi Hugonis filius ſecundogenitus, Legatus Ordinum Fœderati Belgii ad Reges Galliæ & Sueciæ, Syndicus Amſtelodamenſis, dein Roterodamenſis, ejuſque urbis Senator. Exaravit aliquando metro vernaculo

*Paraphraſin Pſalmorum Davidis*; quam poſtmodum *Cornelius Van Arckel* cum nonnullis precibus evulgavit Roterodami in 4. 1724.

Vivere deſiit die 5. Aprilis 1678. Vide plura de varia hujus Viri fortuna in Dictionario Batavo-vernaculo Franciſci Halma, & in Analectis Grotianis.

## PETRUS GRUTERUS,

Medicinam Oſtendæ Flandrorum, (quo in loco ſe Medicinæ militaris & civilis præfectum ſcribit) & alibi factitavit. Edidit

*Centuriam Epiſtolarum*, & *Apologiam pro eadem*, quâ inſtituti ſui & ſtyli ab uſu & Latiniſmi puritate abhorrentis rationem reddit. Lugd. Batavor. 1609. 8.

*Centuriam II.* edente filio ejus *Iſaaco Grutero*; excudit Amſtelod. Paulus à Raveſteyn, 1629. 8.

Natus fuit in Palatinatu ad Rhenum, quò pater ejus *Thomas Gruterus* unà cum aliis hæterodoxis è Belgio ſe ſubduxerat: denatus Amſtelodami, anno 1634. VI. Kal. Octobris.

## PETRUS GUDELINUS,

J. U. D. & Anteceſſor Lovanienſis, natus eſt Athi, Hannoniç opido, magnorum ingeniorum parente, familiâ ibidem patriciâ, anno 1550. VI. Idus Auguſti. Primos pueritiæ annos litteris primis, linguiſque in patria imbuit. Annorum quatuordecim adoleſcens Lovanium venit; ac Philoſophos inter primum Gymnaſii ſui Falconenſis, tertium verò omnium locum anno 1567. obtinuit.

Mox Jura amplexus, anno 1572. Idibus Maii, Prolyta Juris utriuſque (Licentiatum vocant) renuntiatus fuit, & hinc toto quadriennio cauſſarum patronum in magno Belgicæ Senatu Machliniæ egit: *Joanne Wamefio* & *Philippo Zuerio*, cæteriſque Academiæ Lovanienſis Anteceſſoribus interim id unum ſatagentibus, *Gudelinum* ad ſe ut retraherent.

Rediit, docuit, Doctorque anno 1586. IX. Kalendas Octobris ſalutatus fuit, Academiæ tunc Rector. Docuit verò annos ipſos XXXVII. magno audientium concurſu, ex Theodoſii & Valentiniani Impp. reſcripto,

*Militis, & Comitis meritâ ratione cathedræ*

*Dotatus titulis.*

Perſonamque Judicis ſuſtinuit quinque & viginti annos, Ampliſſ. D. Conſervatoris Privilegiorum Academicorum Aſſeſſor; ductâ interim uxore *Mariâ Vander Steghen*, Nicolai Brabantiæ Senatoris filiâ.

Certè in *Gudelino* ſumma fuerunt omnia, aut, ut moderatiùs dicam, pœnè ſumma, Studium, Judicium, Ingenium, Doctrina: variarum artium, etiam Mathematicæ, ſcientia: Linguarum latinæ, græcæ, atque etiam hebraïcæ, cognitio non vulgaris: Modeſtia, Probitas, Pietaſque ſingularis.

Breviter, omnes hauſit artes, ut

unam sciret, id est, ut Jurisconsultus esset, scilicet veræ & non simulatæ Philosophiæ sacerdos; qualem Curia patronum ac Judicem, Schola Doctorem & Professorem desiderat, ad docendi munus, quo in universum Reip. corpus Juris justitiæque cognitio diffunditur, non tam arte institutum, quàm naturâ factum fictumque.

Decessit Lovanii anno 1619. XV. Kalen. Novembris, annos natus LXIX. menses novem: conditus in novo templo Carmelitarum Discalceatorum; ubi & *Erycius Puteanus* Histor. Professor, amico singulari sequens Epitaphium inscripsit. In funere dixit Maxæmil. Wittebortius, J. U. Doctor, dein Regius Ordinariusque in Senatu Hannoniæ (Audientiam nuncupant) Consiliarius. Reliquit

*Commentariorum De Jure Novissimo* libros VI. Opus foro scholisque in primis utile: cui recensendo, edendoque immortuus est. Antver. typis Verdussii, 1620. & 1644. fol. Arnhem. 1661. in 4.

*Commentarium De Jure Feudorum*, elegantem & ad mores Belgii scriptum. Lovanii, typis Hastenii, 1624. in 4. & Jac. Zegeri, 1641. 4.

*De Jure Pacis:* ad Constitut. Friderici, De Pace Constantiensi. Ibid. 1620. 4. apud Dormalium, & Jac. Zegerum, 1641. 4. Item Colon. 1663.

*Syntagma Regularum Juris*, eo ferè ordine, quo Novellas Constitutiones seu Jus Novissimum contexuit. fol. Antv. 1646.

*Ad Titulos Dig. & Cod. de Testamentis*, opus posthumum, curante *Valerio Andrea J. U. D.* Lovanii prodiit. in 12. 1653.

*Prælectiones ad Tit. Digest. de Hæredit. petitione, de rei Vindicat. De Usufructu, de Servitutibus.*

*Orationes* item varias. Aliaque in lucem edita curantibus *Philippo* ac *Petro-Paulo Gudelinis J. C. Petri* Filiis.

Opera ejus omnia simul fuerunt edita in fol. anno 1685. Antverpiæ apud Verdussios.

D. O. M.
PETRUS GUDELINUS H. S. E.
Insigni apud Athenses loco natus,
Ingenio, doctrinâ, modestiâ,
Inter Jurisconsultos ævi sui
Excellens.
Omnes hausit artes, ut unam sciret,
Quam annos XXXVII. publicè docuit,
Et respondendo continuò asseruit
Justè vivere, alterum non lædere,
Suum cuique tribuere.
Fecit quæ docuit, quæ asseruit,
Et sic annos XXV.
Conservatoris Privileg. Assessor fuit,
Voto tranquillus, familiâ felix,
Vivendo consecutus est,
Ne invitus moreretur.
Obiit XV. Kal. Novemb. MDC.XIX.
Vixit ann. LXIX. Mens. IX. Dies X.
MARIA VANDER STEGEN Uxor,
Et VII. liberi
Illa marito, hi parenti opt.
Mœstiss. PP.

## PETRUS GUINELLUS,

Hardervicanus, Gelder, edidit *Commentarium De doctrina & arte demonstrandi*, anno 1554.

## PETRUS DE HALLOIX,

Leodius, Societatem Jesu anno 1592. ætatis XX. ingressus, præter historiam utramque, profanam & Ecclesiasticam, græcè atque hebraicè admodum peritus, præditus fuit singulari & ingenii & judicii acrimonia, dicendique gratiâ; nec minor fuit in eo virtutum laus. Edidit

*Triumphum SS. Terentiani & Socii* Martyrum, sive *Translationem sacrorum Ossium Atrebato Duacum*, in Societ.

Jesu templum. Duaci, 1615.

*Anthologiam Poëticam Græco lat.* Synonymis Poëticis atque auctoritatibus instructam. Antv. typis Nutii, 1617. 8.

*Vitam & Documenta S. Justini*, Philosophi & Martyris, unà cùm *Censura* & *Notis*. Duaci, typis Belleri, 1622. 8. Extat quoque in Actis SS. Bollandinis Mense Aprili Tomo II. pag. 108.

*Vitam P. Camilli de Lellis*, Fundatoris Clericorum Regularium, infirmis ministrantium, ex Italico *Sanctii Cicatelli*, Ordinis ejusdem. Antver. typis Plantin. 1632. 8.

*Illustrium Ecclesiæ Orientalis Scriptorum, qui primo Christi sæculo floruerunt & Apostolis convixerunt, Vitas & Documenta*: adjunctis *Notationibus* & *Quæstionibus* ad Vitam pertinentibus. Duaci, typis Petri Bogardi, 1633. fol.

*Illustrium Ecclesiæ Orientalis Scriptorum, qui secundo Christi sæculo sanctitate & eruditione floruerunt*. Tomo II. addita sunt insignia quædam eorumdem Scriptorum Fragmenta, nunc primùm græcè producta, & latinè reddita. Ibid. 1636. fol.

*Vita, S. Dionysii Areopagitæ ex Menæis Græcorum, & Quæstiones de ejus Operibus.* Extat inter Opera Areopagitæ Antverpiæ primùm edita 1634. per Balth. Corderium ejusdem Societ. fol. Tomo II.

*Apologia pro Operibus Areopagiticis.* Extat in Bibliotheca PP. Lugdunensi Tomo II. p. 115.

*Commentarius in Euangelia Quadragesimæ*, complectens Expositionem litteralem & moralem. III. Vol. fol. Parisiis 1658.

*Origenes defensus*, sive *Originis Adamantii Vita, Virtutes, Documenta*, item Veritatis super ejus vita, doctrinâ, statu, exacta Disquisitio. fol. Leodii apud Hovium 1648. Verùm hic liber à S. Congreg. Indicis Romæ anno 1654. prohibitus fuit, donec corrigatur.

Habebat paratum prelo uberem *Commentarium in Epistolas XII. S. Ignatii Martyris, Apostolorum discipuli*, cum nova interpretatione Latina. Item *Vitas Scriptorum Ecclesiæ Orientalis tertii sæculi & sequentium*; nec non *Vitam Vener. Viri Antonii de Winghe Abbatis Læticnsis*; dum mors studiosos ejus conatus interrupit anno 1656, die 30. Julii, in patria Civitate Leodiensi, ætatis suæ anno 84.

## PETRUS HAMERIUS,

Muntanus, (*Munte* pagus est Ditionis Alostanæ sub Archiepiscopatu Mechlin.) Societat. Jesu Theologus fuit & Ecclesiastes. Edidit

*Quadrigam Pietatis.* Ipris, typis Franc. Belleri, 1610.

*Conciones XL. de Adventu: De Annuntiatione Virginis-Matris, & Verbo Incarnato.* Antver. typis Plant. 1628. 4.

Mortuus est vir senex Ipris die 24. Julii 1640, cum pararet insuper *Menologium Sanctorum* in fol. item *Conciones de S. Ignatio, per ejus Octavam.*

## PETRUS HASSARDUS,

Armenterianus (primò Insulanum se scripsit) Medicus Chirurgus & Mathematicus,

*Curationem* dedit *Morbi Gallici.* Lovanii, 1554. & in Appendice ad Tomum I. Operis Veneti de Morbo Gallico.

*Clypeum Astrologicum*, contra Flagellum Astrologorum *Francisci Rapardi*, ibidem editum.

*De Cometa anni 1556.*

*Commentarium in Præcepta bonæ valetudinis tuendæ, ab Eobano Hesso* Carmine Elegiaco conscripta. Francof. 1568. in 8. typis Egenolphi.

## PETRUS HELIGERIUS,

Canonicus Regularis Sancti Augustini apud Tungrenses, in Eburoni-

bus, ſcripſit anno 1508. libellum, quem inſcripſit

*Armariolum Veritatis :* quo demonſtratur ex ipſo D. Auguſtino, ac Poſſidonio Vitæ ejus ſcriptore, eundem D. Auguſtinum Canonici Ordinis inſtauratorem, non verò Eremitarum fuiſſe inſtitutorem. Lovanii 1631. 8. typis Dormalii.

## PETRUS HERENTALIUS,

Brabantus, Monaſterii Floreffienſis, Ord. Præmonſtratenſis, in Comitatu Namurcenſi multis annis Prior, Theologus atque Hiſtoricus ævo ſuo non incelebris. Deceſſit Floreffiæ anno 1390. pridie Idus Januarii; Teſte Illuſtriſſ. Hugone in Annalibus Præmonſtrat. Concinnavit ex SS. Patribus

*Commentarium* ſive *Catenam in Pſalmos*, ad Joannem de Arckel, primò Trajectenſem pòſt Leodicenſem Epiſcopum. Coloniæ 1453. 1480, apud Corn. de Homborch, & 1487 fol. Ruttingæ, 1481. Rotomagi, 1504. 4.

Item *In VII Pſalmos Pœnitentiales.*

*In XV. Cantica Graduum* lib. I. MS. apud Regulares Corſendoncanos.

*Collectarius IV. Euangeliorum*, finitus Anno Dom. 1364. ſcriptus manu propriâ *Petri Herentalii*, extat in Bibliotheca Floreffienſi.

*Chronicorum* Volumen ingens, ab Orbe condito ad ſua tempora. MS. Ibid.

*Epiſtolæ ad diverſos:* MS. fol. maximo.

*Catalogus ac res geſtæ Abbatum Floreffienſium.* Extant MS. Floreffiæ.

*Vitæ Joannis XXII. Benedicti XII. Clementis VI. Innocentii VI. Urbani V. Gregorii XI. & Clementis VII.* Has primò typis edi curavit Vir Clariſſ. *Stephanus Baluſius* in Vitis Paparum Avenionenſium Tomo I. Pariſiis 1693.

## PETRUS HEYNSIUS,

à Guicciardino memoratur inter claros Antverpienſes, ubi Scholam moderatus fuit, & commendatur ab affabilitate, & rythmis quà gallicis quà belgicis componendis. Gallico rythmo exhibuit,

*Vitam & Paſſionem* Jesu *Chriſti.* Antver. 1573.

*Speculum Mundi*, ſive *Epitomen Theatri Orteliani*, vernaculo. Ibid. 1579. typis Plantini.

## PETRUS HOGEBERTIUS,

Hornanus, Batavus, Medicinæ Doctor, atque elegans Poëta, *Poëmata* varia compoſuit, quæ à morte prodierunt, *Theodori Velii* curâ.

Obiit verò anno 1599. ætatis LVII. ob præclara ſua in patriam merita, monumentum ſumptu publico adeptus, cum hac Inſcriptione.

Memoriæ ſacrum.
Petro Hogebertio, Petri filio,
Hornano,
Viro in omni virtutum
Et doctrinæ genere præſtantiſſimo,
Medico ſummo,
Poëtæ raro,
Civi ad commoda Patriæ nato,
Ejuſdem æterno damno denato
S. P. Q. H. Honoris G.
Et in ſignum gratitudinis
Ob multa & præclara ejus merita
Monumentum hoc ſumptu publico P. J.

*Quis cubat hîc? ſuccus Charitum Suadæque medulla.*

*Ede Viri nomen?* Petrus Hogerbetius.

*Dic Patriam? Hornanus. Quæ ſors vitæ, exitus, ætas?*

*Interiit Medicus, peſte, Poëta, ſenex.*

ΦΩΣ ΜΕΤΑ ΜΝΗΜΟΣΥΝΗΣ. ΤΕΚΕΩΝ ΕΛΙΚΩΝΙΟΣ ΑΣΤΕΡ.
ΤΩ Δ'ΥΠΟ ΣΑΡΚΟΦΑΓΩ ΚΕΙΤΑΙ Ο ΓΕΡΒΕΤΙΟΣ.
ΟΥ ΦΗΜΗ ΠΕΡΙΜΥΣΤΟΣ ΕΣ ΟΥΡΑΝΟΥ ΑΝΤΥΓΑΣ ΗΛΘΕΝ
ΠΣΥΧΗ ΕΧΕΙ ΜΑΚΑΡΩΝ ΥΨΙΜΕΛΘΡΟΝ ΕΔΟΣ.

Si fama, virtus, eruditio & candor,
Si quid bonorum juncta vota cunctorum,
Fati impotentis sistere impetum possent,
Non Petre te nunc jacêre sub saxo,
Heu! te perenni luce, Petre, jam dignum
Cum Gratiis tota Horna fleret & Musis.
*Theod. Velius, Horn.*

*Cruda morarentur ne fati stamina, Magni*
*Mersit* HOGERBETI *mors inopina caput.*
*Hoc busto cineres, animæ vis addita cœlo est,*
*Lector ave, & tanto dic bona verba Viro.*
*Albert. Vertanius, Horn.*

Obiit Ao. M.D.XC.IX. 4. Id. Septembris.
Cum vixisset annos LVII. Menses X. dies XII.

## PETRUS HOLTZEMIUS,

Daventriensis, Medicinæ Doctor & Professor Colonienſis, varia scripsit ex principiis chymicis, ex quibus ad notitiam venerunt sequentia:

*Prognosticon Vitæ & Mortis* libris II. versu rythmico conscriptum, cum Exegesi ad singulos versus. Coloniæ, apud Grevenbrochium, 1605. 8.

*Descriptio Fontis Medicati S. Antonii*, vulgò *Tillerborn* dicti, prope Andernacum. Ibid. apud Herm. Mylium, 1620. 8.

*Essentia Hellebori rediviva, secundò extracta sive rectificata* &c. Ibid. 1623. 8.

*Pharmacopoeia*, sive *Dispensatorium Colonienſe.* Accedit

*Examen simplicium Medicamentorum*, carmine rythmico;

Item *Nomenclatura Chymicorum & abstrusorum vocabulorum, cum Notis chimicis.* Ibid. apud Birckmannum, 1627. fol.

*De admiranda curatione Scroti post gangrænam delapsi Epistola.* Extat Centuriâ V. Observationum Chirurgica cum Guil. Fabricii Hildani, pag. 250. Franc. apud Matthæum Marianum, 1627. 8.

## PETRUS HONTOY,

Namurcensis, Ord. Minorum Theologus & Ecclesiastes, scripsit

*Concionum de Dominicis & Festis*, Tomos VI.

*Mensam* item *Apostolicam*, hoc est, Commentarium de genuino sensu Epistolarum Apostolicarum per annum. Coloniæ, 1604. typis Mylii.

## PETRUS HOOFT,

Cornelii filius, Amstelodamensis, Eques, Terræ Muidanæ Drossardus, Ballivus Goylandiæ &c. inter Historicos Batavos plurimùm excelluit. Devixit anno 1647. die 21. Maii, annos natus 66.

Evulgavit vernaculè *Historiam Henrici IV. cognomine Magni, Galliæ Regis*, anno 1626. Amstelod. in folio; ac rursus in 4. Amstel. 1638, & in 12. ibidem 1652. Librum hunc Regi Ludovico XIII. dedicavit, à quo Nobilitate donatus est pro se posterisque suis, & anno 1639. Equestri Ordine S. Michaelis honoratus.

Item *Historiam Medicæam* Flandricè Amstelod. 1649.

Cornelii Taciti Operum lectione ita delectabatur, ut cum 52. vicibus se perlegisse jactitarit, ejusque stylum in omni sua Historia imitari studuerit. *Annales & Libros Historiarum ejusdem Taciti, unà cum Vita Agricolæ* transtulit in idioma Batavicum; quæ post ejus obitum impressa sunt Amstelodami anno 1684. in fol. & in 4. Hinc vulgo cognominabatur *Tacitus Batavicus.*

Edidit quoque belgicè *Historiam ac Revolutiones Belgii*, ab abdicato Imperio Caroli V. ad exauthorationem Regis

gis Philippi II. & obitum Auriaci Principis. fol. Priores XX. libri prodierunt ab anno 1654. apud J. Blauw, aliæque ſecutæ fuerunt editiones in 2. Vol. anno 1703.

Vitæ illius Hiſtoriam præfatis Operibus præfixit anno 1675. *Gerardus Brantius*, celebris apud Batavos Hiſtoricus.

## PETRUS VANDER HOWEN,

Batavus, Medicus, dedit Tractatum brevem *De Sympathia* ſeu affectu per conſenſum. Roterodami, apud Joann. Waesbergium, 1621. 8.

## PETRUS HUMBECANUS,

Angienſis Hanno, Religioſus Carmelita, S. Th. Doctor, ac Prior Conventûs Bruxellenſis, in divinis ſcripturis eruditus, ingenio ac eloquio clarus, ac non minus honeſtâ converſatione venerabilis. Scripſit

*Conciones exactiſſimas in Euangelia*, quæ tam Dominicis, quam diebus ſanctorum feſtis ſolent recitari.

Item *Tractatum de Uſuris.*

Vitam terminavit Bruxellis, anno 1598. XXIX. Maii, ætatis LIV. & ſepultus apud ſuos, hoc Epitaphio:

PETRUS *ab* HUMBECA *Carmeli Montis alumnus;*
*Quem quondam Sophiæ ſtudium & ſacra Pagina pictis*
*Doctorum ornarunt redimitum tempora ſertis,*
*Conditur hoc tumulo, repetit mens candida cœlos.*
*Sic morimur ſenſim, & momento extinguimur uno,*
*Ut rutilans lampas, oleo ceſſante, perimus.*

## PETRUS IMPENS,

Thenenſis, Canonicus Regularis S. Auguſtini, anno 1468. profeſſus in Bethlehem, prope Lovanium, ibidem anno 1494. conſtitutus Prior. Scripſit ſtylo ingenuo ſed ſimul accuratiſſimo Chronicon non ſolius Conventûs Bethlehemitici, ſed & totius Ordinis in Belgio, quod inſcripſit

*Compendium decurſus temporum Monaſterii Chriſtiferæ Bethlehemiticæ puerperæ Ord. Canonicorum Regg juxta Lovanium.* Adſervatur ibidem MS. & etiam in Abbatia Tongerloenſi.

Obiit Author anno 1523, Prioratûs XX. ætatis 78.

## PETRUS IMPENS,

Lovanienſis, S. T. B. Canonicus Regularis Ord. S. Auguſt. ad S. Martinum Lovanii, ſcripſit

*Hiſtoriam veteris ac novi Teſtamenti, Carmine deſcriptam.* 12. Lovanii 1658.

*Nœnias in obitu Illuſt. D. Jacobi Boonen Archiep Mechlin* Lovanii 1655.

*Orationem panegyricam Illuſtriſſ. D. Eugenio Alberto d'Allamont Epiſc Ruræmundenſi, cum Poëmatibus &c.* Lovanii 1661.

*Exhortationem metricam ad ſtudioſos.* Lovanii 1662.

*Hymnum ſolemniſſimum S Thomæ Aquinatis paraphraſi metricâ expoſitum* Lov. 1662. 4.

*Planctum amantis doloroſæ Virg. Mariæ ſub Cruce ſtantis*, verſu illuſtratum. Lov. 1661. in 4.

*Pientiſſimi Eccleſiæ pro defunctis Rythmi*, Dies iræ *&c. Explanatio metrica* 4. Ibid. 1666.

*Tragœdiam, cui titulus: Anglia utriuſque fortunæ ab Henrico VIII. uſque ad Carolum II.* Lovanii 1663. Variaſque alias Orationes & Poëmata.

## PETRUS INSULENSIS,

Flander, Ordinis FF. Minorum S. Franciſci, vulgò dictus *Doctor No-*

*tabilis*, ſcripſit, Guilielmo Gazæo teſte,

*Comment. in Libros IV. Sententiarum.*

*In Pſalmos.* Item *Sermones de tempore & Sanctis.*

## PETRUS JUNIUS,

Vulgò DE JONGHE, Hornanus, Batavus, Urbis ſuæ Secretarius, ac quartùm Conſul, Hiſtoriam potiſſimùm patriam illuſtrandam ſuſceperat; ſcribitque Theodorus Velius ſe vidiſſe, *Junio* Auctore ac compilatore,

*Chronicum Latinum*; quo initia *Hornanæ Urbis*, & incrementa complexus erat. Obiit anno 1537, filio relicto *Adriano Junio*, Medico inſigni, de quo ſupra; qui & parenti ſuo hoc Epitaphium poſuit.

D. O. M.
PETRO JUNIO, Viro Conſulari,
Civitatique Hornanæ à Secretis,
Eximiâ in rebus agendis
Prudentiâ,
Multiplici Hiſtoriarum cognitione,
Admirandâ facundiâ,
Inexhauſtâ memoriâ,
Nulli ſecundo,
Poſt frequentes Reipubl. nomine
Obitas Legationes,
Actoſque honores,
Sub hoc marmore condito,
HADRIANUS JUNIUS
Patri obtumè de ſe merito.
Pietatis ergo P. C.
Obiit anno à Chriſto nato
M. D. XXXVII. Id. Novembris.

## PETRUS KEERIUS,

Batavus, Coſmographus, dedit *Germaniam inferiorem*, id eſt XVII. Provinciarum ejus novas & exactas Tabulas geographicas, cum deſcriptionibus ſingularum, authore *Petro Montano* fol. Amſtelod. apud Petr. Laurentium 1617. idemque Opus tranſlatum gallicè, ibid. 1622.

## PETRUS LANGENIUS,

Weertenſis Scholæ Moderator, in uſum juventutis, bonis & moribus & litteris formandæ, edidit

*Exhortationes ad Veritatem*, verſu Elegiaco.

*Admonitorias aliquot Præceptiunculas ad Pietatem.*

*Dialogum de mundi cupidine aſpernanda*, item verſu Elegiaco. Antverp. typis Loëi, 1556. 8.

## PETRUS LANSBERGIUS,

Limburgenſis, ſcripſit

*Commendationem Simplicitatis.* Antv. 8. 1580.

*Parenefin*, ſive *Adhortationem ad Pietatem*, carmine Elegiaco. Ibid. 1577.

## PETRUS LANSSELIUS,

Gravelinganus, Flander, è Societate Jeſu, græcè in primis doctus, & Linguarum orientalium in paucis peritus, præſertim Hebraicæ, quam dum Madriti in Hiſpaniis profitetur, ibidem ante diem è vivis rapitur anno 1632. XVI. Kal. Septembris, qui dies S. Rocho ſacer eſt. Edidit

*S. Dionyſii Areopagitæ Opera*, correctâ verſione *Joach. Perionii*, unà cum *S. Maximi Scholiis* & *Pachymeræ Paraphraſi in Epiſtolas ejuſdem*, à ſe latinè redditis: additâ *Diſputatione Apologetica de Vita Scriptiſque Dionyſii.* Pariſ. 1615. fol. apud Mich. Sonnium.

*Diſpunctionem calumniarum, quæ Juſtino Martyri inuruntur ab Iſaaco Caſaubono.* Ibid. cum *Juſtini* Operibus.

*Scholia in ea Bibliorum ſacrorum loca, ubi Emanuel Sa & Joannes Mariana deficiunt.* Antver. typis Plant. 1624. fol.

## PETRUS DE LEVY,

Dictus etiam *de Mirapice*, ex Episcopo Magalonensi, in Occitania (cujus sedes hodie *Montispessulani* dicitur) creatus anno 1309. Episcopus Cameracensis; indeque rursus anno 1324. translatus ad Episcopatum Bajocensem in Neustria; tempore quo sedit Cameraci annis fermè singulis habuit Synodos.

Harum *Acta Synodalia ann. 1311 & pluribus sequentibus*, quæ antea Manuscripta latuerant in Bibliotheca Abbatiæ Grimbergensis Ordinis Præmonstratensis juxta Bruxellam, primùm typis edita fuêre Parisiis anno 1733. per PP. Benedictinos S. Mauri in Collectione eorum amplissimâ Veterum Monumentorum Tomo VII. à pag. 1291. ad 1360.

## PETRUS LIEBART,

Tornacensis, J. C. Metropolitanæ Cameracensis Ecclesiæ Canonicus & Officialis, anno 1634. in efformando Stylo generali & communi Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Cameracensis (quod opus per plures Synodos Provinciales summopere fuerat commendatum) concurrentibus aliis Episcoporum Suffraganeorum Officialibus, egregiam operam contulit. Quem Archiepiscopus & Suffraganei apud Valentianas congregati, examinarunt, subsignarunt, & imprimi mandarunt:

Testatur ita *Andreas Catullus*, in suo Tornaco Nerviorum, pag. 120, qui quà Officialis Tornacensis operam contulit, & addit: *Utinam Officiales, Advocati, Promotores, Procuratores, & Practici Stylum hunc exactè observarent! non ita in longum lites protraherentur, neque honoraria litis expensarum, ultra debitum & meritum protraherentur &c.*

## PETRUS LIGNEUS,

Vulgo VAN DEN HOUTE, Gravelinganus, Flander-, Jurisconsulti titulum anno 1554. accepit Lovanii, quò eum anno 1546. bello gallico bonis spoliatum, patriaque extorrem Musæ revocarant: ibidemque plures annos privatim docuit, donec Lovanio Antverpiam commigravit, ubi in Forensibus negotiis reliquum vitæ transegit. Scripsit

*Annotationes in libros IV. Institutionum Juris Civilis.* Antver. typis Joan. Belleri, 1558. 8.

*Didonem Tragœdiam*, e libris IV. prioribus Æneidos Virgilianæ, Lovanii anno 1550. prid. Non. Maii publicè exhibitam & *Annotationes* in eosdem libros. Ibid. 1559. 8. apud Joan. Withagium.

Ceterùm *Georgius Beyerus*, J. U. D. Germanus, in Notitia Authorum Juridicorum, Lipsiæ anno 1726. editâ, specimine II. Cap. 26. laudat magnopere hunc *Petrum Ligneum*, ejusque Annotationes Juridicas, paucis antehac cognitas.

## PETRUS LOKEMANS,

Silvæducensis, græcè & hebraïcè eruditus, Theologiæ operam dedit Lovanii, Seminarii Regii alumnus, multisque annis strenuum egit Pastorem extra muros urbis Silvæducensis in vico Rosmalensi. Vivere desiit anno 1633. annos natus LIII. Carmine Elegiaco edidit librum, hoc titulo,

DEUS, OMNIA, TRINUS; typis Joan. à Turnhout, 1622. 4.

## PETRUS LOYCX,

Turnhoutanus, Protonotarius Apostolicus, & ad S. Willebrordum in suburbano Antverpiensi Pastor, variæ

multæque vir lectionis, decessit Antverpiæ anno 1646. Edidit

*Commentaria Moralia in Psalmum CXVIII. Beati immaculati &c.* Antver. apud Guil. Leestenium, 1643. fol.

*Laboris Encomium, Acediæ Vituperium.* Ibid. 1646. in 4.

*Sæculum aureum, sive de Pace libri duo:* primus de Pace generatim, alter de Pace cum Deo, proximo & se-ipso; Opus concionatorium. Ibid. fol. 1645.

## PETRUS LUCIUS,

Bruxellensis, Ordinis B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo, scripsit

*Bibliothecam Carmelitanam*, sive De Viris & Scriptoribus Ordinis illius illustribus, Florentiæ excusam, 1594. in 4.

*Commentarium Carmeliticum.*

*Compendium Historicum Ordinis sui*, cum Indulgentiis & Privilegiis eidem concessis; quod postea à *Francisco Minutio* Carmelita in Italicum idioma transsatum, recusum est Florentiæ 1595.

Obiit Bruxellis anno 1602. ex lue pestiferâ, dum eâ infectis piam operam præstaret.

## PETRUS LUPUS,

Vulgo Wolfs, Goetsenhovius, ex Agro Thenensi, Ordinis FF. Carmelitarum, Conventûs Thenensis professus, ac per 18. annos Prior, S. Th. Doctor in Academia Lovaniensi renunciatus die 6. Februarii 1569. Fuit & per Germaniam Inferiorem Prior Provincialis.

Invasâ ab hæreticis ac rebellibus Mechliniâ, dum sese omnibus ejusdem civitatis incolis pro Deo & Rege suo exhibet antesignanum, trucidatur, eo fere loci, ubi vetus hodie palatium visitur, anno 1580. pridie Nonas Apriles.

Habuit *Conciones disertas & pias*, quæ ab ore ejus exceptæ prodierunt in lucem, testibus *Petro Lucio* in Biblioth. Carmel. & *Franc. Swertio* in Athenis Belgicis. Plura de Viro hoc celeberrimo lege apud *Sanderum*, in Chorographia Carmeli Mechlin. Tomo II. pag. 232. novæ edit.

## PETRUS de MALE,

Tornacensis, Joannis Curiæ spiritualis Tornacensis Graphiarii filius, adhuc juvenescens Juris laureâ decoratus, deinde Ædis Cathedralis Canonicus: in eruendis Ecclesiæ & Civitatis Antiquitatibus, & in formam historiæ concinno ordine digerendis plurimùm laboravit, perlustratis diligenter tam palatii Episcopalis quam Capituli Archivis & munimentis. Operi huic insudans, ac totus immersus, priusquam ultimam apposuisset manum, verno ætatis suæ flore, è vivis nimis præcipitanter ereptus decessit anno 1603. sepultus in Cathedrali; adjuncto sequente Epitaphio.

*Historia* ipsius MS. *de Episcoporum Tornacensium & Capituli Actis illustrioribus ac rebus sacris*, ab heredibus *Petri de Male* per Episcopum *Maximilianum à Gandavo* redempta fuit; hodieque in Archivis Episcopatûs adservatur: digna, ut postquam lima perfectior adhibita fuerit, lucem videat, & publici juris fiat. *Ita Andreas Catullius in suo Tornaco*, pag. 118.

Deo Opt. Max.
Et Memoriæ R. D. Petri de Male,
Pbri, J. U. Licentiati,
In hac Ecclesia Canonici,
Qui post multos in evolvendis
Et digerendis Ecclesiæ Munimentis,
Et alios exanthlatos labores,
Institutâ unâ Missâ hebdomadali,



Eminentissi
berino, Episcopo Sabinensi,
S.P. E. Vice-

Vitas FF. Ord. Prædic. Sanctimonia | Angliæ Scotiæ Hiberniæ ac Daciæ;

exhibet anteſignanum, trucidatur, co fere loci, ubi vetus hodie palatium vi-

Et allos exanthlatos labores,
Inſtitutâ unâ Miſſâ hebdomadali,

Annos natus XXXVI.
Denatus est VII. Kal. April.
Anno Domini M. D. C. III.
Joannes, Curiæ Episcopalis Scriba,
Pater, vivens, mœstus confici,
Et post illius obitum,
Ludovicus & Rolandus,
Dicti Joannis filii,
Hîc apponi curarunt.
Eis bene precare lector.

## PETRUS MALLANTS,

Carthusianus Antverpiensis, vernaculè edidit

*Vitam, virtutes & Miracula S. Brunonis, Carthusiensis Ordinis Patriarchæ*, cum fig. 8. Antverpiæ apud Corn. Woons 1673.

## PETRUS MALPÆUS,

Bruxellensis, Lovanii datâ Philosophiæ ac Theologiæ operâ, Religionem in Ordine S. Dominici professus est in patria vicesimo quinto ætatis anno, & Priorem egit Bruxellæ: Vir multæ lectionis, Ordinem suum variè illustravit, atque imprimis in oppido Vilvordiensi Monasterium Dominicanum inchoavit. Bruxellis fato functus est 29. Decembris 1645. Edidit

*Palmam Fidei:* seu *de Martyribus Ordinis Prædicatorum.* Antverpiæ typis Joannis Cnobbari, 1635. 8. Ac parata editioni habuit

*Sacram Purpuram*; in qua recensentur S. R. E. Pontifices, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, nec non sacri Palatii Apostolici Magistri, ex Ordine Prædicatorio adsumpti. MS.

*Athenæum Dominicanum*, hoc est, De Scriptoribus ejusdem Ordinis MS. in fol. ad editionem approbatum ab anno 1637.

*Vitas FF. Ord. Prædic. Sanctimoniâ illustrium ac speciali laude dignorum*, ab anno 1500. ad 1636. MS. Sed quæcumque hæc calamo exarata, vorax ignis, per missiles Gallorum ignes anno 1695. excitatus, unà cum toto Prædicatorum Conventu absumpsit.

## PETRUS MARCHANTIUS,

Couvinii, Provinciæ ac Diœcesis Leodiensis oppidulo Sabim inter & Mosam, natus est anno 1585; frater *Jacobi*, S. T. L. & in eodem postmodum Pastoris, scriptis & eruditione præclari. Anno 1601. ætatis XVI. Ordinem Fratrum Minorum S. Franciscí Observantiæ strictioris ingressus est: Theologiam vixdum edoctus, cœpit alios docere. Anno 1618. primus advênit Conventûs Gandavensis Reformator.

Paulò post institutus Conventuum FF. Recollectorum Visitator; anno 1621. Custos Custodum electus, & ad Capitulum generale Segoviense in Hispaniam deputatus. Eodem anno missus in Galliam, Visitator Britanniæ, indeque Visitator Provinciæ S. Andreæ.

Anno 1624. dèputatus Commissarius generalis & Apostolicus super Provinciis Flandriæ ac S. Andreæ. Anno 1625. Custos Custodum ad Capitulum generale Romanum, in quo electus fuit Definitor generalis, ac Visitator Provinciæ Germaniæ inferioris. Ad Belgas redux, in Capitulo Gandavensi assumptus est in Ministrum Provincialem.

Postmodum destinatus ann. 1633. & 1637. Visitator Provinciæ Angliæ & Hiberniæ: sicut & eodem anno 1637. Commissarius Provinciæ Colonienſis. Hinc anno 1639. Commissarius generalis, cum plenitudine potestatis super universas Provincias Germaniæ, Belgii, Angliæ Scotiæ Hiberniæ ac Daciæ;

quod munus per annos XII. continuos gnaviter graviterque obivit.

Diſce ex tot tantiſque laboribus, qualis quantuſque fuerit *Marchantius*; Vir ſingulari eruditione præditus, nec minus eloquens, in rebus dubiis & arduis conſilio potens, & ſingularis pietatis exemplar. Primus parens atque fundator extitit Provinciæ S. Joſeph in Comitatu Flandriæ: novæ quoque Reformationis (*Limburgenſis* à primo Monaſterio dictæ) Monialium Pœnitentium Ordinis S. Franciſci, author primarius: collaborante Vener. Sorore *Joannâ à Jeſu*, dictâ *Neerincq*, Gandavenſi.

Tandem non abſque ſanctitatis opinione Gandavi è vivis ereptus eſt die 11. Novembris 1661. ætatis 76. ſepultus in choro FF. Recollectorum, hoc inſigni Epitaphio.

Sta Viator, & audi.
Jacet magnus ille MARCHANTIUS,
Profeſſione Theologicâ Jubilatus,
Religioſâ Jubilarius.
Nomine PETRUS, omine PETRA.
In miniſterio Provinciali
Utriuſque Provinciæ Flandriæ
FF. Minorum Recollectorum
ANGULARIS:
Supra quam Apoſtolica Sedes
Ædificavit Eccleſiam novam
Reformationis Limburgenſis
Pœnitentium S. Franciſci.
Covinium terris peperit,
Lovanium ſcientiâ rudem
Excoluit.
Eruditum totus orbis coluit.
Verum Eccleſiæ lumen,
Seraphici Ordinis columen.
Vivens utrique luxit,
Mortuum uterque luxit.
In Commiſſarii
Ac Diffinitoris generalis officio,
Oneribus uterque honoravit;
Honoribus uterque oneravit;
Mors omnibus exoneravit.
Nempe in momento temporis,
Plaudente cœlo, plangente ſolo,
Hîc obiit, hinc abiit,
Æternitatem adiit.
Hocque monumento marmoris,
Morte hauſtus, vita exhauſtus,
Dum mundum eluſit,
Mundo excluſus, ſpe non deluſus,
Hîc eſt recluſus,
Anno Domini M. D. C. LXI.
Ætatis LXXVI. Religionis LX.
XI. Novembris.

❖ ❖ ❖

Scriptis quoque libriſque in lucem editis nomen poſteritati conſignavit *P. Marchantius*. Sunt autem hæc.

*Expoſitio litteralis in Regulam S. Franciſci* Antv. apud Guil. Leeſtenium. 1631. in 8.

Item *Relectio Theologica in eandem Regulam.*

*Sanctificatio S. Joſeph, Sponſi Virginis, Nutritii Jeſu, in utero*; aſſerta à *Joanne Cartagena*, ejuſdem Ordinis, adverſus *Claudii Dauſquii*, Tornacenſis Canonici, calumnias. Gandavi apud Alex. Serſanders. 1631. in 8. Liber Romę prohibitus, 19. Martii 1633.

*Faſtus dies, illuſtrans ſponſi Mariæ, Nutritii* JESU, *gratioſam Sanctificationem*, contra ejuſdem *Dauſquii Binoctium.* Ibidem.

*Baculus Paſtoralis, ſive Poteſtas Epiſcopalis in Regulares non exemptos*, ab originibus ſuis explicata. Brugis, typis Nic. Breyghelii, 1638. in 8.

*Tribunal Sacramentale & Viſibile Animarum in hac vita mortali.* Gandavi, apud Barthol. Pauli. 1643. fol. Tomi II.

Ejuſdem *Tribunalis Sacramentalis, ſive Speculi totius hominis Chriſtiani Tomus tertius* prodiit anno 1650. Antverpiæ in folio, typis Bellerianis, continens 1. *Hierarchiam Eccleſiaſticam.* 2. *Statum Religioſum.* 3. *Politicum civile.*

*Fundamenta duodecim Ordinis FF. Mi-*

*norum S. Franciſci, fundamentis XII. Apoſtolorum ſuper-ædificata. Accedit brevis Explicatio Teſtamenti S. Franciſci, & Chronologia Generalium Ordinis.* Fol. Bruxellis 1657.

*Reſolutiones notabiles variorum Caſuum & quæſtionum practicarum.* Antv. 1655. & Coloniæ per Frieſſen 1672. fol.

*Copbini XII. fragmentorum Verbi Dei* &c. in duas partes diſtincti.

*Conſtitutiones Reformatarum Religioſarum tertii Ordinis S. Franciſci, Congregationis Limburgicæ*; anno 1633. per Bullam Urbani VIII. Pont. approbatæ.

*Expoſitio myſtico-litteralis SS. incruenti Sacrificii Miſſæ.*

*Imago veri Chriſtiani, ſecundùm exemplar Regulæ Tertii Ordinis S. Franciſci*, gallicè.

*Excellentiæ ſupereminentes magnæ & ſacræ Indulgentiæ de Portiuncula* gallicè.

*Prætenſa obligatio Monialium recitandi Horas extra chorum.*

## PETRUS MARIN,

Eccleſiæ Cathedralis Namurcenſis Canonicus ac Marchioni Ambroſio Spinulæ in Belgio à Sacris, edidit

*De peregrinantibus ad Montem Acutum* libellum. Brux. 1606. 12. apud Mommartium.

## PETRUS MASSENUS MODERATUS,

(Ita enim ſe auctor inſcribere ſolet) Gandavenſis, ſupremus chori Muſici apud Ferdinandum I. Cæſarem Præfectus, doctrinâ & pietate excellens, edidit

*Declarationes* pias & breves *Orationis Dominicæ*, IX. Expoſitionibus & totidem Precationibus comprehenſas: item *Angelicæ Salutationis Meditationes.* Antver. 1559. 12. apud Guil. Simonem.

## PETRUS DE MASURES,

Atrebas, Vir nobilis, Jurium Licentiatus, atque è patrono cauſſarum peritiſſimo, Judex integerrimus, & in Provinciali Comitatûs Artheſiæ Curia Procurator generalis; vivere deſiit menſe ſeptembri 1638.

Reliquit hoc Opus: *Remarques & Obſervations tant ſur la Coutume generale d'Arthois, Pratique y obſervée, que d'autres lieux de ces Pais-bas, confirmées par pluſieurs Arrets des Courts Souveraines, Sentences des Juges Provinciaux, Deciſions de Droit, comme autrement, diviſées en IV. Livres*: hactenus MS. penes heredes & in quibuſdam Bibliothecis.

## PETRUS A MATRE DEI,

Dictus in ſæculo *Abraham Bertius*, natus eſt Lugduni Batavorum die 15. Martii 1610, patre *Petro Bertio* ibidem Theologiæ Calvinianæ Profeſſore; qui cum ejuratis erroribus, Pariſiis Catholicæ fidei profeſſionem publicam anno 1620. edidiſſet, ſecuta maritum *Anna Maria Keukelins*, unà cum filiis paulò pòſt veram quoque Fidem illic profeſſa eſt. Ex his Abraham Bertius Inſtitutum PP. Carmelitarum Diſcalceatorum amplexus, ſolemnem profeſſionem emiſit Charentonii die 29. Junii 1628, ætatis ſuæ anno 18.

Fuit dein per annos triginta Lugduni apud Batavos Miſſionarius vigilantiſſimus; ac Stationem hanc Ordini ſuo primus apud Neercaſſelium Caſtorienſem Epiſcopum comparavit. Obiit illic plenus dierum ac meritorum anno 1683. Operum ejus gallico idiomate editorum ſequentes ſunt inſcriptiones;

*Cognitio Amoris Chriſti.* 4. Pariſiis 1647.

*Cognitio Amoris B. M. Virginis.*

*Virtutes Regiæ, quæ juvenem de-*

*cent Principem*, opus Regi Galliæ inſcriptum. 4. Pariſ. 1647.

*Modus convertendi hæreticos.* 8. Pariſ. 1650.

*Explicatio Symboli Apoſtolorum, Orationis Dominicæ & Salutationis Angelicæ.* Rothomagi 1653. in 12.

*Flores Carmeli Gallici*, ſeu Vitæ plurium Carmelitarum Diſcalceatorum pietate illuſtrium. 4. Antver. 1670.

*Clara Demonſtratio Articulorum Religionis Catholicæ, contra omnes ſui ſæculi ſectas.* 8. Antverp. 1671.

*Brevis Catechiſmus*, Ibid.

*Rationes validæ ad fovendos in fide catholicos*, opus poſthumum.

*Hiſtoria Miſſionis PP. Carmelitarum Diſcalceatorum in Hollandia*, hactenus MS.

## PETRUS MATTHIÆ,

Montenſis, Hanno, Societ. Jeſu Theologus, vitâ functus Namurci 19. Julii 1642. Edidit

*Tractatum de Paradiſo cœleſti* ex Italico *Nicolai Riccardi* Dominicani latinè redditum. Antver. typis Henr. Aertſenii, 1640. 4.

Item gallicè *Exercitium amoris*, ſeu *de virtutibus, quas Chriſtus in ultima cœna exercuit*, Obedientia, Humilitate & Charitate, 1631.

## PETRUS MATZENRADIUS,

Juliacenſis, Paſtor Haverdenſis, *Carmina varia* non uno tempore in laudem Principum conſcripſit & edidit, verùm majore affectu, ut non-nemo per epiſtolam monuit. Eſt inter ea *Converſio ad Orthodoxos Sereniſſ. Guilielmi Wolfangi Ducis Neoburgici* &c. vario metri genere. Leodii, 1614. 8.

## PETRUS DE MEAN,

Leodius, J. C. Sereniſſimi Principis Ferdinandi Bavari Electoris Colonienſis ac Leodienſis Epiſcopi Conſiliarius, ſupremæ Curiæ Scabinus, ac Commiſſarius Deciſor (ut vocant) Moſætrajectinus, recenſuit, notavit ac evulgavit, librum ab anno 1642. per Principem & Status Patriæ examinatum & probatum.

*Receuil des Points marquez pour les Coutumes de Liege* 4. Leodii 1650; item Montibus 1663. unà cum Conſuetudinibus Hannoniæ. Filium reliquit *Carolum de Mean*, Juris-Conſultum celeberrimum, de quo ſupra.

## PETRUS MEGANCH,

Ninivita, Flander (Swertius in Athenis, Cominienſem fecit) Ludum aperuit litterarium in patria, ſcripſitque Carmine

*Tabulas Grammatices.* Pariſ. 1549. apud Wechelum.

## PETRUS MEMMIUS,

Herentalius, Doctor Medicus, Ultrajecti Medicinam fecit, elataque uxore an. 1551. Roſtochium evocatus, vivebat adhuc Profeſſor publicus an. 1581. Scripſit

*De recto Medicinæ uſu* lib. I. Delphis 1564. typis Herm. Schinckelii.

*Hippocratis Coi Jus jurandum Commentario* illuſtravit. Cui acceſſit Tract. *Quâ ratione Medicorum vita & ars ſanctè conſervetur.* Roſtochii, typis Auguſti Ferberi, 1577. 8.

## PETRUS MICHAEL,

Cognomento *Bril-maecker*, patriâ Colonienſis, Soc. Jeſu Presbyter cum eloquentia conjunctam habuit prudentiam, & quoddam excelſum animi robur. Itaque multis Germaniæ Principibus familiaris & charus fuit, & legatio-

gationibus ipsorum nomine præclare functus. Rectorem egit Spiræ annos VI. totidem Monasterii Westphaliæ. Hujus institutione & operâ multi hæretici ad Ecclesiam Catholicam & orthodoxam redierunt. Scripsit partim germanicè, partim latinè, teste Swertio in Athenis Belgicis,

*De Communione sub altera tantum specie. Sertum precatorium.*

*De Eucharistia libr. V.* Colon. 1584.

*Cathechismum.*

*Christianam & solidam detectionem errorum Joannis à Munster.*

*Epistolam ad amicum*, quâ tamquam spongiâ deterguntur calumniæ *Stephani Isaaci*, ex Judæo pseudo-Christiani.

*Quiddiothecam*, hoc est, libellum, qui multorum loco de omnibus Christianæ fidei dogmatibus ita tractat, ut facile agnosci possit, ubi est vera fides. Monast. 1609. 8.

Moguntiæ ab hæreticis per speciem amicitiæ ad mensam invitatus, semel atque iterum venenum hausit, quo extinctus est XXV. Augusti, anno salutis 1595. ætatis LIII. initæ Societatis 37.

## PETRUS DE MOLLE,

Ord. FF. B. Mariæ de Monte Carmelo Religiosus, Conventûs Mechlinienſis anno 1641. Prior, S.T.B.F. edidit

*Discursum Theologicum super Litanias B. M. V.* 4. Antv. 1653.

## PETRUS LE MONNIER,

Civis Insulensis, Notarius ac Ludi-magister, dedit gallicè

*Antiquitez, Memoires & Observations remarquables d'Epitaphes, Obelisques, Arcs triomphaux, Oraisons, Histoires & Inscriptions tant anciennes que modernes annotées en plusieurs Villes & endroits, tant du Roiaume de France, Duché & Comté de Bourgogne, Savoye, Piedmont, que d'Italie & d'Allemagne, pour l'exaltation de l'Auguste Maison d'Autriche.* 8. Insulis 1614.

## PETRUS MONTANUS,

Batavus, Amersforti vixit, & lusit *Satyras*, editas Swollis, 1506. 8.

## PETRUS MONTANUS,

Gandensis, in Batavia vixit, apud *Jodocum Hondium* levirum suum, quem in edendis libris, signanter magno ac parvo *Athlante Gerardi Mercatoris* magnopere juvit. Fuit & Rector Scholæ publicæ Amstelodamensis.

Dedit luculentam & à se auctam *Descriptionem Belgii*, sive XVII. Provinciarum Germaniæ Inferioris, cum Tabulis Geographicis, à *Petro Keerio* editis, 1612. fol.

## PETRUS MONTANUS, BURETIUS,

Paruetanus (quod est celebre municipium Gallo-Brabantiæ) Sacræ Th. Licent. ac Gymnasii Falconensis Præfectus Lovanii, Rectorque Academiæ anno 1542. mox ab obsidione per *Martinum Rossemium* tentata, deducentibus eum Accensis sive Bedellis transiit ad Ordinem FF. Minorum, depositis in ipso ingressu ac limine Cœnobii insignibus Rectoralibus, dimissisque atque abire jussis in hæc verba comitibus: *Hæc requies mea in sæculum sæculi.* Fuit Guardianus Antverpiæ & alibi, moriturque senex Lovanii, anno 1579. Fratrem habuit *Ægidium*, ex eodem Ordine adsumptum Episcopum Daventriensem. Scripsit

*Enarrationem Dominicæ Passionis*, secundùm IV. Euangelistas, ex veterum Doctorum Commentariis. Antver. 1555. 1565. & 1571. 8.

*Elucidationes in VII. Psalmos Pœnitentiales.* Ibid. 1569. 12. typis Steelsii.

## PETRUS A MONTFORT,

Harlemius, J. U. L. carmine gratulatus fuit novum Præſulatum Leodienſem *Cornelio à Bergis* excuſo Leydæ, 1539.

## PETRUS A MOERBEKA,

Poëta, & Doctor Medicus Antverpianus, ſcripſit

*Prognoſtica futuri ſæculi, aliquando igne perituri.*

*Exhortationem contra Turcas*; & *Epigrammata* varia, verſu, pro ævi genio, obſcuro ſatis, nec ſatis polito. Antver. typis Henr. Petri, 1546. 8.

## PETRUS MOURCOURT,

Tornacenſis, S. Th. Licent. Duacenſis, & Paſtor Lommenſis, juxta Inſulas,

*Orationem in laudem S. Thomæ Aquinatis*, Doctoris Angelici, habitam à ſe in templo PP. Prædicat. Inſulis, anno 1622. Nonis Martii, ibidem publici juris fecit eodem anno in 8.

## PETRUS A NAELDWYCK,

Batavus, Medicinæ Doctor, apud Gothoburgenſes in Suecia, edidit

*Philippicorum*, ſive *De Equorum natura, electione, educatione, diſciplinâ & curatione* libros II. Lugd. Batavor. 1631. 4. apud And. Cloucquium.

## PETRUS NANNIUS,

Vernaculè NANNINGH, Alcmariæ apud Batavos natus, anno 1500. admodum juvenis, delibatis utcumque litterarum ſtudiis, τὴν γραφικὴν exercuit. Lovanii decurſo Philoſophiæ ſtadio, ſcholæ patriæ præfuit; reverſuſque tantiſper privatim in Collegio Hieronymiano nobiles aliquot docuit adoleſcentes, donec in Trilingui, *Conrardo Goclenio* vitâ functo, *Nannius* unus, qui ſuccederet, dignus omnium calculis eſt judicatus. Vir fuit ingenio facili, ad quidvis prompto, & ad humanitatem omnem ac feſtivitatem facto: viris in Belgica, & extra, magnis, carus ac gratus; per Privilegia Academica in Cathedr. Atrebatenſi Canonicus. Illius leguntur iſta:

*Miſcellaneorum*, ſive Συμμίκτων Decas, Lovanii, 1548. apud Saſſenum, & in Lampade Critica.

*In Verrinam Ciceronis* IV. & V. *Caſtigationes*. Ibid. 4. 1546. & Baſil. in volumine Commentariorum in Ciceronem.

*Caſtigationes* breves *in Titi Livii lib. tertium Dec.* 1. Ibid. 1545. 4.

*Conſulti Chirii Fortunatiani Rhetoricorum* libri III. caſtigatiores redditi operâ *Nannii*, 1550. 8. ibid. apud Mart. Rotarium.

*Commentarius in P. Virgilii Bucolica.* Baſil. 1559. 8.

*Deuterologiæ*, ſive *Spicilegia in librum IV. Æneidos.* Lovanii, 1544. 4. apud Reſcium.

*Commentarius in Artem Poëticam Horatii*, a morte editus, typis Plantin. 1607. 4. cum *Levini Torrentii* Epiſc. Antverp. Commentario, curante *Valerio Andreâ.*

*Annotationes* breves *in Inſtitutiones Juris Civilis*, græcè à *Theophilo* verſas; apud Reſcium, 1536. 4.

*Apologia pro iiſdem*, contra *Jac. Curtium.* Ibid. 4. Vide infra *Vigl. Zuichemum.*

*Notæ* breves *in Symmachi Relationem*: & *Epiſtolam Ambroſii*, adverſus eandem, typis Plantin. cum Prudentio Victoris Giſelini.

*Scholia* brevia *in Orationem D. Ambroſii de obitu Valentiniani Imp. de exceſſu fratris ſui Satyri &c.* edita cum Operibus D. Ambroſii, ſtudio *Joannis Coſterii*, Baſ. 1567. & Pariſ. 1569. fol. apud Guil. Merlinum.

PETRVS NANNIVS ALCMARIANVS BATAVVS,
PHILOLOGVS ET PROFESSOR BVSLIDIANVS.

*Nanni Castalidum decus sororum,*
*Quisquis te videat, tuosque fetus,*
*Haud Nanum vocitet, sed ô Gigantem.*

*De claris Romæ Corneliis*, ad *Corn. Muſium*. Francof. fol. cum Sexto Aurelio Victore *Andreæ Schotti*.

*Paraphraſis & Scholia in Cantica Canticorum*. Lovanii, 1554. 4.

*Scholia in Sapientiam Salomonis*. Baſil. typis Froben. 1552. 4.

*Orationes III. de laudibus Eloquentiæ, Hiſtoriæ & Agriculturæ*. Lovanii ſimul editæ, 4. 1541. apud Reſcium.

*Oratio in Funere Conradi Goclenii Prof. in Trilingui*, 1542. 4. apud Saſſenum.

*Gratulatoriæ III. in adventu Caroli V. Imp. in Belgium*. Ibid. 1543. 4. Prior edita eſt apud Reſcium 1540.

*Oratio de Obſidione Lovanienſi, per Mart. Roſſemium*. Ibid. 1548. 4.

*Declamatio Quodlibetica de Mundi æternitate*. Ibid. 1549 8.

*Declamatio de Bello Turcis inferendo*. 1536. 8. Reſcii typis.

*Somnium*, ſive *Paralipomena Virgilii*: res inferæ à Virgilio relictæ: Oratio dicta in enarratione libri VI. Æneidos.

*Somnium alterum*: Præfatio in librum II. Lucretii, utrumque à morte editum, Lov., 1611. 8. typis Dormalii.

*Dialogiſmi*: *Lucretiæ*, apud Livium; *Gammæ*, apud Plutarchum; *Suſannæ* & *Judith*, in Veteri Teſtamento. Lovanii, typis Barthol. Gravii, 1541. 4.

*Dialogiſmi Agathæ & Luciæ*. Ibid. apud Mart. Rotarium, 1550. 4.

*Dialogus de Milite peregrino*. Lovan. 1543. 4.

De græcis latina fecit (præter *Sapientiam Salomonis*) *M. Catonis & Phocionis Vitas, è Plutarcho*. Lovanii, 1540. 4. typis Reſcii.

*Demoſthenis Orat. de immunitate contra Leptinem*. Ibid. apud Gravium, 1542. & Baſil. 1544. 4. typis Oporini.

*Demoſthenis & Æſchinis Epiſtolas*. 1537. Ibid. apud Saſſenum.

*Syneſii & Apollonii Epiſtolas*. 1537. Ibid. apud Saſſenum.

*Syneſii & Apollonii Epiſtolas* ſelectiores. Ibid. 1544. 4.

*Athenagoram de Reſurrectione mortuorum*. 1541. 4. apud Gravium.

*S. Athanaſii Epiſcopi Alexandrini* Opera ferè omnia. Baſil. fol. apud Frobenium.

*S. Baſilii Magni Homiliam in Chriſti Natalem*. Lov., typis Reſcii, 1537. 8.

*Homilias III. è S. Baſilio Magno. I.* in illud Lucæ, *Diruam horrea mea &c.* & *de Avaritia*, *II. Adverſus divites*, *III. In fame & ſiccitate* habitam. Ibid.

*S. Joannis Chryſoſtomi Homilias III.* I. *De ſimultate ſive ira & jurejurando fugiendo*, II. *Cur Hebdomada magna vocetur*, III. *In Parabolam decem millium debitoris*, Matth. 18.

Præterea *Leges Municipales Mechlinienſium* è Flandricis Latinè interpretatus eſt. Ibid. 1552. 4. apud Mart. Rotarium.

Denique *Pſalmos* aliquot *Davidicos* Paraphraſi poëticâ non infeliciter reddidit, Latomianis inſerta, typis Plantini, 1572. 8.

Lecta pridem fuerunt Tornaci Nerviorum, apud *Nicolaum Micaultium*;

*Petri Nannii Epiſtola de Obſidione Lovanienſi per Roſſemium*, ad Dominum *Micault* Senatorem, hoc initio: *Tibi & Nicolao nugas meas placere*. &c. cum aliis Epiſtolis.

*Oratio Purgatoria*, in qua multa de *Eraſmi* ſtilo &c. Incipit: *Cùm jam accinctus eram &c.*

*Præfatio in adverſarias Orationes Demoſthenis & Æſchinis: Multa ſunt &c.*

*Præfatio in Homerum: Si eo conſilio &c.*

*Eclogæ & Apodemia*, Interlocutoribus Faleſo & Mylace, hoc initio: *Cur hæc verba tibi &c.* Et alia.

*Oratio ejuſdem de Amore*, in librum IV. Æneid. lecta fuit Lugd. Batavor. apud *Bonavent. Vulcanium*, *Nannii* manu ſcripta.

*Gratulatio ad Mariam Angliæ Reginam*,

pro felici connubio & inſtaurata majorum Religione, legitur in Collegio Trilingui, ſed mutila; digna tamen, quæ vel ſic lucem videat.

Obiit anno ſalutis 1557. ætatis LVII. XII. Kal. Auguſti, pro funere laudatus à *Cornelio Valerio*. Sepultus eſt in D. Petri quà forum & Curiam ſpectat; ubi monumentum unàque Epitaphium viſitur à *Sigiſmundo Frid. Fuggero* diſcipulo poſitum. Plura in libello, quem de Vitis ac Scriptis Profeſſorum Collegii Trilinguis edidit Clariſſ. Val. Andreas.

D. O. M. S.
D. PETRO NANNIO
Alcmariano,
Presb. & Canonico Atrebatenſi,
Viro Doctiſſ. humaniores litteras
In celeberrimo Collegio Buſlidiano
XVIII. annos profeſſo,
Sigiſmundus Frid. Fuggarus
Baro in Kirchbergh & Viana,
B. M. & amico paterno,
Memoriæ & Virtutis ergo,
Juſſu parent. opt. Poſ.
Vixit annos LVII.
Obiit anno M. D. LVII. die XXXI. Julii

❖ ❖ ❖

NANNIUS *Alcmariis fuerat qui natus in oris,*
*Tectus arenoſo conditur ecce loco.*
*Heu quantâ probitate virum mors invida ſtravit!*
*Heu quantum noſtro ſuſtulit Orbe decus!*
*Hunc coluere olim Græcæ Latiæque ſorores,*
*Hunc fovit gremio doctus Apollo ſuo.*
*Hunc ſtudioſa cohors ſæpe eſt mirata docentem,*
*Mirata eſt tanti labra diſerta Viri:*
*Et nunc qui toties Veterum monumenta relegit,*
*Qui toties cecinit Carmina priſca, tacet.*
Hadrianus Hecquetius Carmelita
Amico lugens ponebat.

NANNI *Caſtalidum decus Sororum,*
*Quiſquis te videat tuoſque fœtus,*
*Haud Nannum vocitet, ſed ô Gigantem.*

Porrò PETRUM NANNIUM Novatoribus adnumerare placuit *Martino Schoockio*: ſed probè Catholicum fuiſſe demonſtrat Erckelius in Hiſtoria Epiſcopatûs Harlemenſis, pag. 165.

## PETRUS OPMEERUS,

Natus Amſtelodami anno 1526. Idibus Septembribus, prima litterarum tirocinia fecit in patria, præceptoribus uſus *Alardo Amſtelodamo*, & *Petro Cannio*. Lovanium miſſus, annum unum *Petrum Nannium* in Collegio Trilingui docentem audivit. In patriam revocatus, ægrè matri quæ filium unicum unicè deperibat, obſecutus eſt. Itaque αὐτοδίδακτος, ut erat ingenio facili & diſciplinarum omnium capaci, Theologiam, Juriſprudentiam, Medicinam, Litteras græcas didicit. Accedebat memoria firma & conſtans, ſtudium ardens, in doctos hoſpitalitas, in pauperes liberalitas, propugnandæ Fidei orthodoxæ zelus ſingularis. Obiit Delphis, anno 1595. Idus Novembres, ſepultus in D. Hippolyti. Scripſit latinè

*Aſſertionem Hiſtoricam de Officio Miſſæ*; fuiſſe id in uſu tempore IV. primorum Conciliorum Generalium.

*Reſponſionem ad VIII. Articulos à Leone Empacio adverſus Aſſertionem ſuam propoſitos.* typis Plantin. 1570. 8. *Leo* hic *Empacius*, infamis apoſtata, à nobis abiit ad ſectas hujus ævi, quas antè Paſtor Oudenburgenſis in Flandria editis ſcriptis oppugnaverat: quos propterea *Empacii* libellos, Pariſiis latinè excuſos, in contumeliam apoſtatæ *Opmeerus* belgicè vertit anno 1568. Delphiſque edidit.

*Opus Chronographicum*, ab orbe condito ad annum 1580 cui *Opmeeri Vitam* præfixit olim *Valer. Andreas*. Antverpiæ apud Verduſſium, 1611. fol. & Coloniæ in 8.

*Hiſtoriam Martyrum Gorcomienſium, Hollandiæque* qui perſecutione Geuſicâ interempti ſunt, Coloniæ, cum Chronico.

*Navem Patientiæ ac Pœnitentiæ*, idiomate vernaculo. Antver. 8.

## PETRUS OUDEGERST,

Inſulenſis, at Poperingâ oriundus, J. U. D. Pro-Prætor ſive Locum-tenens Baillivatus Tornacenſis, laudabili diligentiâ poſt Mejerum, Annalium Flandriæ conditorem, conſcripſit

*Flandriæ Annales*, idiomate gallico, nece Caroli Audacis ad Nancejum terminatos. Antver. typis Plantini, 1571. in 4.

Deceſſit è vita Mantuæ Carpetanorum (Madritum hodie vocant) cui *Maxæmilianus Vrientius*, S. P. Q. Gand. à ſecretis, hoc ſcripſit Epitaphium:

*Ne properes, quamvis properes moriture viator,*
*Sta, lege, diſce brevis quem tegit urna Virum*
*Hiſtoriæ & Legum jacet hic ſine lumine lumen,*
*Hic Sophiæ & Suadæ muta medulla jacet.*
*Hic uſurarum maſtyx immitis, & idem*
*Mitis amor Charitum juſtitiæque jacet.*
*Tantum læta virum felici Belgica partu*
*Extulit, ereptum Bætica terra rapit.*
*Ubique Mors, & Vita ubique.*

## PETRUS D'OULTREMAN,

*Henrici* filius, Valentianus, Hanno, è Societ. Jeſu Eccleſiaſtes celebris, edidit gallico ſermone

*Tabulas Vitarum cùm Beatorum tum Illuſtrium Virorum Societ. Jeſu* Duaci, 1622. 8. typis Belleri.

*Vitam Petri Eremitæ, qui Principibus Chriſtianis Belli ſacri auctor & dux fuit:* cùm Tractatu *de poſterioribus Cruciatis ad recuperationem Terræ Sanctæ.* Valentianis, typis Joann. Vervliet, 1632. 8.

*Hiſtoriam Urbis & Comitatus Valentinianenſis*, à parente ſuo *Henrico d'Oultremanno* compoſitam, à ſe illuſtratam & auctam. Duaci, 1639. fol.

*Conſtantinopolim Belgicam*: ſive de Vita & rebus geſtis à Balduino & Henrico Imp. Conſtantinopolitanis, ortu Valentinienſibus Belgis, libros V. quibus accceſſit *De excidio Græcorum* liber ſingularis. 4. Tornaci 1643.

*Amorem increatum in creaturas effuſum*, libris V. explicatum fol. Inſulis 1652. Item alia plura vertit gallicè, uti *Vitam P. Joſephi Anchietæ, P. Petri Caniſii &c.*

Obiit Valencenis die 23. Aprilis 1656. anno ætatis 65.

## PETRUS PANTINUS,

Tilctanus Flander S. T. L. tironem litterarum egit Gandavi: indeque Lovanium miſſus, auditor fuit *Andreæ Schotti*, tum Rhetoricam in Gymnaſio Caſtrenſi docentis, & ad linguæ græcæ cognitionem potiſſimùm incubuit, atque adeò & in hac, & in utravis oratione, ſolutâ ac ligatâ numeris, doctiſſimus evaſit. Comeſque peregrinationis ejuſdem *Schotti* in Hiſpania, illi Græcas Toleti litteras profitenti in cathedra ſucceſſit; ſimulque à Bibliothecis ac Studiis extitit Illuſtriſſ. doctiſſimoque Viro *Garciæ de Loyaiſa*, tunc Archidiacono, dein Archiepiſcopo Toletano.

Hinc, obtento in Cathedrali Iprenſi Canonico beneficio, atque etiam à Philippo II. Hiſpaniarum Monarcha Decanali dignitate ad S. Gudilam Bruxellis anno 1591. cohoneſtatus, in Belgium cum Sereniſſ. Principe *Alberto* redit, cui & à Sacris Oratorii fuit & ad Exercitus Regios in Belgio Delegatus Apoſtolicus, nec non Condatenſis Eccleſiæ Præpoſitus. Scripſit

*De Dignitatibus & Officiis Regni ac Domus regiæ Gothorum.* Exſtat in Tomis Conciliorum à *Garſia Loyaiſa* editis.

*Verſus* varios *in D. Leocadiæ & D. Eugenii è Belgio in Hiſpaniam Tranſlationem.* typis Plantin. 1587. 4.

*Homilias IV. SS. PP. Methodii, Athanaſii, Amphilochii & Chryſoſtomi* è græco latinas fecit. Ibid. typis Trognæſii, 1600. 8.

*Conciones Græcorum Patrum*, nempe Jo. Chryſoſtomi, II. Antiochi, I. Jo. Damaſceni, IV. & Germani Conſtantinop. I. primùm græcè edidit latinèque convertit. Antv. apud Trogneſium. 1601. 8.

Item *Baſilium* ( Epiſcopum Seleucienſem ) *de Vita & Miraculis B. Teclæ Virginis & Martyris Iconienſis*, Græcè; *& Simeonis Metaphraſtæ Logothetæ de eadem Martyre Tractatum*, cum verſione latina Notiſque ſuis edidit Antv. typis Plantin. 1608. 4.

*Themiſtii Euphradæ Orationes aliquot*, Græco-Lat. editæ ſunt à morte *Pantini*, Lugd. Batavor. 1614. 8.

*Centuriæ XXI. Proverbiorum, ex optimis Authoribus Græcis, collectorum à Michaele Apoſtolio Bizantino; quas is Ionias ſeu Violatis titulo inſigniverat*: cum *Petri Pantini* verſione, & Notis ipſius ac aliorum Doctorum prodierunt, ( ſignanter *Andreæ Schotti*, S. J. qui primam editionem anno 1619. in 4. curaverat ) à quibus Adagia illuſtrantur & ſuis Authoribus aſſignantur: item *Patriarchæ Gregorii Cyprii Proverbia.* Prodierunt denuo curis Danielis Heinſii fol. Lugd. Bat. apud Elzevirios. 1653. Authographum autem *Apoſtolii* extare dicitur in Bibliotheca Regia Pariſiis.

Deceſſit autem Pantinus Bruxellæ, anno 1611. ipſo Natali Dominico, ætatis anno LVI. ante chori odeium conditus. Epitaphium hoc, mortem veluti præſagiens, eodem anno, die XXV. Octob. ſibi ſcripſerat:

D. O. M. S.

*Mortalis es, mortalitatis ſis memor,*
*Amice Lector, ſi ſapis.*
*Quid vita noſtra? Bulla, ventus, ſomnium,*
*Omnique inani inanior.*
*Putas vigere, labitur; manere, abit;*
*Apponere annos, detrahit.*
*Fallax fugaſque tota. Qui ſcis hoc legens,*
*Viſurus an ſis craſtinum?*
*Nulli hora certa; ſtat tamen certo gradu*
*Mors, falce ſternens omnia.*
*Vis non timere tam rapacem ac horridam?*
*Mori ante mortem ſit labor.*

Hoc Monumentum
PETRUS PANTINUS
Mortalitatis memor
Ipſe ſibi vivens poſ.
Obiit XXV. Decemb. ann. M.D.C.XI.

❖ ❖ ❖

Addidit de *Pantino* & *Homero* analogiam Maxæm. Vrientius.

*Pene fuit, fieret Pantinus ut alter Homerus,*
*Luminis à vitio, carminis ingenio.*
*Sed nimis hic mendax, verax nimis iſte Poëta eſt,*
*Et nimis hic pauper, dives & iſte nimis.*
*Pantino minuantur opes, mendacia Homero,*
*Lis ſit, an hic fuerit major, an ille minor.*

## PETRUS PAPÆUS,

Flander, Ludum aperuit litterarium Menenii, ad tertium ab Inſulis & ſecundum à Cortraco lapidem. Scripſit

*Samariten, Comœdiam*, ex parabola Euangelica Samaritani, incidentis in in latrones. Coloniæ, 1539. 8. typis Joan. Gymnici, quam dignam judicavit Commentario ſuo *Alexius Vanegas*, Toletanus. Toleti, 1542. 4.

*Elegiarum* libros II. Priore mendicabulum publicum tuetur; altero tollendum docet. Vide ſuprà *Ægidium Witſium.*



PETRVS PECQVIVS.

Digitized by Google



Digitized by Google

## PETRUS PAULUS KERCKHOVIUS,

(Auctor ipſe nominis ſui litteras initiales dumtaxat exprimere ſolet) Actiophanenſis, ſive Dunkercanus Flander, tandem apud Anglos fato functus; reddidit Latinè ex Italico,

*Ludovici Guicciardini Commentarios De rebus in Europa, maximè verò in Belgio, memorabilibus.* Antver. 1566. 8. apud G. Silvium.

## PETRUS PAUWIUS,

Amſtelodamenſis, naſcitur anno 1564. patriciâ iſtic familiâ. Latinæ græcæque linguę prima rudimenta poſuit Amersforti, ſub *Joanne Geſſelio*, & Amſtelodami abſolvit. Anno ætatis decimo-ſexto Lugdunum venit Batavorum, & Medicinæ animum applicuit. Quadriennio hîc exacto in Gallias profectus, Lutetiæ primùm Pariſiorum aliquantiſper egit, & in Medicina atque Anatomicis ſe exercuit, donec exortis per id tempus tumultibus Gallicis, Aurelias ſecedens, inde ſecundo Ligeri fl. Nannetum appulit & conſcenſâ ibi nave in Daniam trajecit.

Roſtochii in Ducatu Megalopolitano ſupremum in Medicina Doctoris gradum anno 1587. adeptus, eamdem ibidem profiteri cœpit. Relicto deinde Roſtochio Italiam petiit, hincque in patriam rediit. In cujus Academia Profeſſionem Medicam accepit anno 1589. demandatâ ei provinciâ geminâ, ut æſtate Botanica, hieme Anatomaca tractaret. Uxorem paulò poſt duxit *Mariam*, filiam *Jani Hauteni* Secretarii Leidenſis, ſcriptis itidem clari.

Ipſius induſtriæ debetur Amphitheatrum Anatomicum, quod undique ſceletis humanis & brutorum variis, atque inſtrumentis anatomicis adornavit. Eidem debetur Horti Academici prima inſtitutio, ſtirpium varietate jam tum inſtructi, nunc toto orbe celeberrimi. Devixit Kal. Auguſti 1617. ætatis anno 54. pro funere laudatus ab *Everardo Vorſtio*, Collega, Medicinę Profeſſore Lugdunenſi.

Dedit Roſtochii, *Galenum de cibis boni & mali ſucci*, cum *Notis*.

*Tractatum de Exercitiis, Lacticiniis & Bellariis.*

Lugd. Batavor. edidit *Primitias Anatomicas de Humani corporis Oſſibus*, 1615. 4. apud Juſtum Colſterum.

*Succentariatum Anatomicum*, ſive *Commentaria in Hippocratem de Capitis vulneribus*: & *Explicationes in aliquot Capita* libri VIII. Cornelii Celſi. Ibid. 1616. 4.

*Andreæ Veſalii Epitomen Anatomicam, Notis & Commentariis illuſtratam.* Ibid. 1616. 4.

*De Valvula inteſtini Epiſtolas duas.* Extant Centuriâ I. Epiſtolarum Guilielmi Fabricii Hildani. Oppenhemii, 1619. 4. pag. 423. & ſeqq.

*Tractatum de Peſte* à morte *Pauwii* publicavit *Henricus Florentinus*, cum *Additamentis* ad ſingula capita. Lugd. Bat. typis Commelini, 1636. 12.

*Hortum publicum Academiæ Lugduno-Batavæ*, deſcripſit ibidem, 1603. 8.

*Obſervationes Anatomicæ* ejuſdem *Pauwii*, inſertæ dein fuere Centur. III. & IV. Hiſtoriarum Anatomicarum *Thomæ Bartolini.* Hafniæ 1657. in 8.

## PETRUS PECKIUS,

Ziriczæus, Zelandus, poſt navatam inſignem in Juriſprudentia operam, Lovanii anno 1553. cum *Joanne Wameſio*, *Joachimo Hoppero* & *Joanne Vinduillio* (celebri clariſſimorum Virorum quadriga) J. Utr. Doctor renunciatus eſt; *Gabrielem Mudæum* excellentiſſimum Juriſconſultum & præceptorem & deinde collegam nactus.

Docuit ipſe annos plus minùs XL. primò Paratitlorum Profeſſor Regius, pòſt Canonum Ordinarius, S. P. Q. Lovanienſis ſuffragiis anno 1562. ad hanc Cathedram adſumptus. Cumque docendi aſſiduitate, atque editis in lucem ingenii monumentis clarum apud Belgas exteroſque nomen feciſſet, ad ſupremum Concilii Belgici Senatum evocatus eſt, anno 1586.

Vixit bonis omnibus amicus, pietatis ac Religionis orthodoxæ amantiſſimus & retinentiſſimus, Cleri ſtudioſiſſimus, animo in iſtis bellorum civilium turbis atque procellis tranquillo. Obiit Machliniæ, anno 1589. ætatis KX. die 16. Julii, apud ſuos Lovanii in D. Michaëlis depoſitus, cum Epitaphio infra recenſendo. Scripſit

*Paraphraſin in univerſam Legatorum.* Materiam. Lovanii, apud Mart. Rotarium, 1553. in 4.

*De Teſtamentis Conjugum*, libros V. Ibid. 1564. 8. Coloniæ, & alibi. Notatu dignum eſt, Virum adeo Juris teſtamentarii peritum, dum poſtea ſuum condidiſſet Teſtamentum, contra ipſas Juris Regulas praxinque erraſſe; unde & per ſententiam ſupremi Conſilii annullatum ſuit.

*De Amortizatione bonorum, à Principe impetranda.* Coloniæ, 1582. 8. & alibi.

*De Eccleſiis Catholicis ædificandis & reparandis.* Lovanii, 1573. 4. Coloniæ, 1608. 8. &c.

*De Jure Siſtendi & Manuum injectione*, quam *Arreſtationem* vocant. Ibid. 1564. Duaci, 1578. & alibi.

*Commentarium ad Regulas Juris Canonici* Libri VI. Decretalium. Lovanii, 1564. Duaci, 1574. Helmſtadii, 1588. 4. Monaſterii Weſtphaliæ, 1619. 8. & alibi.

*Commentarium ad Tit. D. Nautæ, Caupones, Stabularii ut recepta reſtituant: De exercit. actione: ad L. Rhod. De Incendio, Ruina, Naufragio: ad Auth. Navigia C. De Furtis: Ad Tit. C. De Naviculariis* lib. XI. *De Navibus non excuſandis: De Naufragiis.* Lovanii, 1556. 8. apud Pet. Colonæum; ac poſtmodum Lugd. 1647. & Amſtelod. 1668. in 8. cum Notis *Arnoldi Vinnii*, J. U. D. Lugduni-Batavi, item *Jo. Laurentii.*

*Obſervationes inſigniores, ad Illuſtrationem Inſtitut. Juris*, è *Peckii* Prælectionibus ſelegit & edidit typis Plant. 1560. 12. *Joannes Grenſſetus Richardotus*, pòſtmodum ſecretioris Concilii in Belgio Præſes.

Ejuſdem Peckii, *de Continentia Clericorum, ſive de concubinatu tollendo liber ſingularis*; opuſculum primum Authoris, demùm in lucem prodiit Lovanii 1644. apud Andr. Bouvet. 12.

Lecta ſunt alia apud hæredes digna prelo & luce, ad *Decretalium Tit. de Appellationibus, ad Decretales Bonifacii VIII. & ad Clementinas Conſtitutiones:* item *Reſponſa* ſive *Conſilia Juris.* Filium reliquit, Ampliſſ. Virum, patri cognominem, Cancellarium Brabantiæ, qui in patris Iconem ita luſit:

*Hæc tibi frons*, PECQUI, *fuit hæc reverentia formæ.*
*Agnoſco; hæc oculi gratia paxque tui.*
*Si quidquam è vultu eſt animi deprendere mores,*
*Hæc quoque tranquillæ mentis imago tua eſt*
*Hanc facies, hanc vita fuit confeſſa quietem,*
*In quam fortunæ nil valuere vices.*

PECKII *Opera omnia* in unum Volumen redacta, denuo in lucem edita fuerunt in folio Antverpię anno 1647, apud Hier. Verduſſen; dein rurſus iiſdem typis 1666. & 1679.

D. O. S.
PETRO PECKIO
Regio in magno Senatu Belg. Cõſiliario
Et Supp. Libell. Magiſtro,
Ziriczææ nato,
Machli-

Machliniæ XVII. Kalend. Aug.
M. D. LXXXIX. denato,
Lovanii,
Ubi multis annis Jus enarrarat,
Apud ſuos depoſito,
Inque hoc, inque illo munere
Publicè bene Mer. Scriptuis claro,
Pietatis colentiſſ.
Omnibus bonis amico, Cleri ſtudioſiſſ.
CATHARINA GILLIS, vidua
Et liberi poſſ.
Vixit annos LIX. Diem I.
Bene quieſcat in Domino Jeſu.

## PETRUS PECKIUS,

*Petri* Filius, è *Catharina Gillis*, Lovanienſis, J. C. Eques, Bouchautii Borsbequii & Hovii in Brabantia Toparcha, ex Conſiliario Mechlinienſi, ſanctioris primùm Concilii Senator, & ſupremus Militiæ Belgicæ Judex: inde anno 1616. Brabantiæ Cancellarius & à Conſiliis Status.

Legationibus tum ad Matthiam Cæſarem tum ad Henricum IV. Galliarum Regem claruit; cujus etiam Regis ingenioſiſſimi gratiam ita promeruit, ut in luce totius aulæ procerumque cœtu *Peckium* dijudicaturus, *Sapientem Flandrum* illum vocitarit. Dum enim Rex joco petiiſſet: *Num haberet Albertus alios quos mitteret ad ſe?* in promptu repoſuit Peckius: *Dominus meus mittit ſapientes ad ſapientes, ſtultos ad ſtultos*, & *me miſit ad te, ô Rex.*

Ad Comitia quoque XXXVI. Legatorum, qui Xanthis, urbe Cliviæ, de jure ſucceſſionis in Cliviæ Ducatum diſceptaturi convenerant, deputatus; ac denique ad Unitarum Provinciarum Ordines, finiendi belli domeſtici cauſâ. Quas omnes Legationes eâ cum laude ac nominis celebritate obiit, ut eloquentiam exteri admirarentur; fidem, integritatem, induſtriam agnoſcerent.

Solebat is in mediis Reipublicæ negotiis ad amatas puero Muſas recurrere interdum, & pro renata verſus plures luſit non infelici venâ, è quibus legitur

*Votum pro ſtudiis Humanitatis.* Antver. apud Trognæſium, 4. edente *Georgio Uweno*, tunc urbi eidem à Secretis, pòſt Brabantiæ Senatore.

Obiit Bruxellis anno 1625. relictâ viduâ Barbara Boonen Mechlin. Archiepiſc. Sorore, perorante pro funere *Laurentio Uweno*, è Societ. Jeſu. Conditus in templo Virginum Annuntiatarum; hoc Epitaphio.

Hîc ſitus eſt PETRUS PECKIUS,
Toparcha Bouchaulti,
Borsbeke, Hove &c.
Qui ne quid ſcientiæ ignoraret,
Per omnes Artes bonas græcè latinèque
Doctus tranſiit;
In Juriſprudentia ſubſtitit, & excelluit,
Duorum ſupremorum Conſiliorum
Senator,
Brabantiæ Cancellarius,
Summus caſtrenſium Cauſarum judex,
Legatus
In Galliam, Germaniam, Hollandiam
Quinquies miſſus:
Legatione ultimâ ſummo vitæ periculo
Pro patria functus; Bruxellæ denique
Etiam vita defunctus Ao. M.DC.XXV.
XXVIII. Julii.
Viro tot virtutibus, & honoribus claro
BARBARA MARIA BOONEN
Uxor mæſtiſſima poſuit.
Obiit XXV. Octobris M.D.C.XXIX.

## PETRUS ANTONIUS PECKIUS,

Bruxellenſis, *Petri* Cancellarii Brabantiæ filius, nepos *Petri* in Academia Lovanienſi J. U. Doctoris ac Profeſſoris quondam celeberrimi; Carthuſianus ipſe, profeſſus Domûs Capellæ B. M. V. juxta Angiam, evulgavit latinè, ſub nomine G. *Suriani*, *Belgæ*, *Vitam S. Brunonis*, *Carthuſienſis Ordinis Patriarchæ*, ex ea quæ eſt à P.

*Franciſco de Puteo* & P. *Blomevenna* primùm edita, ac poſtmodum à P. *Laurentio Surio* recenſita; Commentario & additionibus, ac Diplomatibus quibuſdam illuſtratam. 8. Antverp. 1639.

## PETRUS PENNEQUIN,

Inſulenſis, Societ. Jeſu, S. Theol. Doctor Duacenſis, Litteras humaniores, Philoſophiam, Scripturam ſacram ac Linguam Hebræam Duaci docuit; anno 1636. Provinciæ Gallo-Belgicæ calculo Procurator ablegatus fuit Romam. Rexit Collegia, Montenſe & Atrebatenſe, totamque ſuam Provinciam per triennium. Obiit 17. Martii 1663. Edidit

*Primum Societatis Jeſu Sæculum*, *B. Virgini Sacrum*, *Eleg. lib.* III. Atrebati, 1640. 4. & Duaci, 1641. 8.

*Iſagogen ad Amorem divinum*, primùm gallicè Montibus 1645, dein latinè 4. Antver. 1661.

*Colloquia ſpiritualia in ſtrenam Anni* 1651. Montibus. 12.

*De triplici ſeceſſu interiori.* 4. Montibus 1644.

## PETRUS PHILICINUS,

Aliàs CAMPSONUS, Atrebas, Decanus Eccleſiæ Colleg. Binchienſis in Hannonia, Poëta græcè & latinè doctus, edidit

*Dialogum de Immolatione Iſaaci.* Antver. 1544. 8.

*Magdalenam Tragœdiam.* 1544. 8.

Item alteram *Eſther.* Ibid. 1564. 8.

Vixit familiaris *Ludovico Bloſio*, Lætienſi Abbati, cujus etiam Opera recenſuiſſe putatur: vir ſanctimoniâ vitæ, hoſpitalitate, comitate, & candore omnibus, ſummis, infimis, juxtà carus.

## PETRUS PICTOR,

In Eccleſia Audomarenſi apud Antheſios Canonicus, in arte etiam Poëtica circa annum 1200. claruit; cujus extat *Poëma*, cum hac inſcriptione:

*Verſus Magiſtri Petri Pictoris Canonici S. Audomari, De Sacramento Altaris.*

Extat MS. in Bibliotheca Monaſterii S. Germani Pariſ. Cod. 658. teſtantibus Oudino de Scriptor. Eccleſ. & Du-Cangio in Indice Scriptorum ante Gloſſarium Latinitatis &c.

## PETRUS PIERIUS A SMENGA,

Schotanus, Friſius, Lovanii linguam Hebraïcam in Collegio Trilingui Buſlidiano annos octo profeſſus, Medicinæ Doctor creatus Profeſſorque Regius anno 1579. conſtitutus, multa ſcripſiſſe memoratur, de quibus Suffridus Petrus Decade XVII. Scriptorum Friſiæ cap. 11. veluti

*Annotationes in Galenum & Emendationum Chiliadas*; aliaque plura ſed quorum nihil videre contigit: exceptâ Hypotheſi ſeu ſciographiâ quadam operis majoris (credo *Commentariorum omnis priſcæ Antiquitatis*) cui titulum *Mercurii* ſeu *Hermathenæ* deſtinabat, ad Deſiderium Sexagium Brabantiæ Cancellarium, editâ in fol. patente Lovanii, typis Maſii 1581.

Obiit nonagenario major Lovanii anno 1650. VII. Idus Martii, Doctoratûs anno 72. ſepultus in Eccleſia parochiali ad D. Quintinum.

## PETRUS PISTORIS,

Bruxellenſis, Canonicus Regularis Ordinis S. Auguſtini in Viridi Valle, vir pius & prudens, migravit ex hac vita anno 1440. relicto

*Tractatu de pluralitate Confeſſariorum in regimine Monialium non admittenda.*

*De differentia venialium & mortalium peccatorum.*

*De triplici via ad Deum.* Omnia MSS. ibid.

## PETRUS POMERANUS,

Caſletanus, Flander, Philologus, in Italia vixit, & ſcripſit

*De Ratione inſtituendi Pueros.*

*De Studiis Sapientiæ.* Mediolani, 1542.

## PETRUS PONETUS,

Carmelita Iprenſis, Concionator facundus, vulgavit Antverpiæ apud Joan. Bellerum,

*Propugnaculum Chriſtiani dogmatis*, ſive *de Veritate Euchariſtiæ*, 1565. 8.

## PETRUS PONTANUS,

Brugenſis, Cœcus ab oculorum vitio dictus; Lutetiæ Pariſiorum circa annum 1510. claruit, & in media ſæculi ſui barbarie clarum nomen fecit.

*Petri de Ponte, Cœci, Brugenſis, prima & ſecunda Grammaticæ Artis Iſagoge, ad Felicem de Ponte ſuum primogenitum*, impreſſa curâ & ſumptibus Dioniſii Roſcii Bibliopolæ &c. 4. Pariſ. 1514. *Ita Metaire Annal. Typogr. Tomo II. pag.* 261.

*Scholia in Lucani Pharſaliam.* Ibid. 1512.

*Carmen de abitu & reditu Pacis* Ibid. apud Badium.

*Apologia in eos, qui divini Sacrificii vocabulis & ſenſis abutuntur.* Ibid. apud Joan. Latnbertum.

*Eruditionem ſalutiferæ ac veræ Confeſſionis*, Carmine & proſâ, ad Felicem filium. Ibid. 4. apud Nic. Pontanum.

*Genovefeon libros IX. Carmine.* Ibid. 1512.

*Eclogas X. Hecatoſtichas.* Ibid.

Denique *Paræmias*, gallico & latino ſermone contextas. Ibid. in 4.

## PETRUS PUERORUM,

Vernaculè Der-Kinderen; Lovanienſis, Ordinis Prædicatorii ibidem Religioſus, ſodalitatis Mariani Roſarii præfectus, dein Inſulis Flandrorum concionator ac confeſſarius vernaculorum ſuorum. Diem obiit XIV. Januarii 1641. Ediderat vir pius

*Antidotum ſive Medicinam ſpiritualem contra peſtem, ſubitaneam malam mortem.* 8. Lovanii apud Dormalium 1625. Prætermiſſus fuit in Belgio Dominicano P. de Jonghe.

## PETRUS DE RANCHICOURT,

Antea Cancellarius Eccleſiæ Ambianenſis, Canonicus Cameracenſis & Archidiaconus Valencenenſis, Romæ ab ipſomet Summo Pontifice Epiſcopus Atrebatenſis anno 1462. ſacratur. Synodum Diœceſanam habuit anno 1491, ubi tum vetera Prædeceſſorum, ſignanter *Petri Maſuerii* & *Martini. Poræi*, Statuta retulit ac innovavit; tum etiam variorum Conciliorum Remenſium Decreta adjecit. Expletis in hoc Epiſcopatu XXXVI. annis, obiit 26. Auguſti 1499.

Illius *Conſtitutiones Synodales Epiſcopatûs Atrebatenſis*, 4. Atrebati anno 1491. (Litterâ *Petri* ut vocant) extant in Bibliothecâ Collegii Atrebatenſis Lovanii.

## PETRUS REGIS,

Vulgò Le Roy, Nivellenſis Brabantus, Ordinis Minorum Theol. atque Eccleſiaſtes celebris nominis, variis in Ordine functus muneribus, Conventum Audomarenſem annis continuis XI. Flandriæque Provinciam bis rexit. Fuit præterea *Eleonoræ* & *Mariæ* Auſtriacis, Franciæ atque Hungariæ Reginis, à Confeſſionibus. Reliquit pa-

trio sermone conscriptos.

*Dialogos de reali corporis Christi in sacra Synaxi præsentia.*

*Tractatum de voluntate Dei*; & *Conciones* varias.

Dissertum illud os obmutuit, Nivellæ XIII. Kal. Febr. anno à salute parta 1573. ætatis LXIV. & corpus ibidem apud suos conditum, hoc Epitaphio.

*Monte sub hoc tegitur Frater, sed nomine*
PETRUS
REGIS, *& hic nostræ gloria prima Domûs.*
*Ille fuit quondam Reginæ clarus alumnus*
*Hungariæ, & nostræ Religionis honos.*

Extant in Collectione Judiciorum de novis erroribus, authore Illustriss. Argentræo Episcopo Tutelensi, Tomo II. pag. 202. Litteræ *F. Petri Regis.* ad Facultatem Theologicam Parisiensem missæ anno 1460. cum denuntiatione XVIII. Propositionum, quas *Michael Baius* aliique quidam Theologi docere cœperant in Belgio. Et accedit Censura earumdem per prædictam Facultatem.

## PETRUS REIDANUS,

Daventriensis, Doctor Medicus, edidit

*Querelam Medicinæ Dogmaticæ.* Basil. apud Pet. Pernam, 1570. 4. cum *Jacobi Carionis.* Dialogo, *Hermotimi* nomine inscripto.

## PETRUS REYNIER,

S. T. B Monachus Benedictinus ac Prior Abbatiæ S. Joannis olim in Monte juxta Teruanam, nunc Ipras translatæ, evulgavit vernaculè *Historiam veteris Monasterii Capellæ* (quod huic Abbatiæ jam pridem unitum fuit) *nec non cultûs S. Antonii Eremitæ Ballioli celebris.* &c. 8. Ipris 1629.

## PETRUS A REZEN,

Tolâ, Zelandiæ opido, (quod ipse *Telonium Zelandiæ* appellat) natus, Vir Nobilis, Historicus eruditus, vixit anno 1580. patriæ suæ à Secretis, dein Syndicus, deditque

*Descriptionem veteris Zelandiæ, qualis anno 600. fuit.* Hanc *Marcus Zuerius Boxhornius*, unà cum Chronico *Reigersbergiano* edere meditabatur.

Item *Quinquaginta Psalmos Davidicos* jambico carmine reddidit: 1575. in 12. Plura de eo *D. Petrus de la Rue* in nupera sua Zelandia Litteraria, pag. 271.

## PETRUS A RIVO,

Alostanus, Flander, vel potiùs Ascanus, ex agro Bruxellensi, primus in in Scholis Artium anno 1442. è Pœdagogio Falconis, in quo dein extitit Philosophiæ Professor celeberrimus. Tum Rhetor Lovanienſis, dein S. Theol. Doctor renunciatus anno 1476. mense Januario, itemque Professor, & Pastor ad D. Petrum in eadem Universitate, per annos XXIV. nec non in Ecclesia D. Rumoldi Mechliniæ Canonicus. Obiit anno 1499. Ediderat

*De Anno, Die & feria Dominicæ Passionis & Resurrectionis* libros III. Lov. 1492. fol. typis Joanns de Westphalia. Quibus modestè respondet Apologiæ *Paulli Middelburgii* Foro-Sempronienſis Episcopi, quam ille ad Lovanienſem Universitatem miserat.

Dedit præterea *Elegiam* sive *Dialogum, Quomodo omnia in meliorem partem sint interpretanda*, interlocutoribus Homine & Ratione. Leydæ, apud Joan. Severinum, 1509. 2.

*Oratio* anno 1477. ab eodem, tunc Rectore Universitatis, nomine ejusdem habita, *in adventu Maximiliani Archiducis*, legitur MS. Lovanii ad S.

Martinum, & Tornaci in Biblioth. Eccleſiæ Cathedralis.

*Monoteſſaron*, ſive *Concordia Euangelica* MS. Lovanii apud PP. S. J.

De eo ſic *Petrus Impens* in Chronico Bethleemitico: Hic Baccalaureus habuit grandem altercationem *de futuris contingentibus veritatibus*. Relatione factâ ad Sedem Apoſtolicam, committitur examen Epiſcopo Tornacenſi. Tandem *à Rivo* Romam adiit, ubi ſummos Philoſophiæ Magiſtros invenit, qui eum plane ſecundum voluntatem ſummi Pontificis inſtruxerunt. Eumque humiliter ſe Apoſtolicæ Sedi ſubmittentem, Apoſtolicus ad propria remiſit, ſcriptis etiam anno 1476. ad Univerſitatem & Facultatem litteris, quibus hortabatur, quatenus præfatum *M. Petrum* ab ulteriori promotione ad Magiſterium in S. Theologia non impedirent, ſed ut filii cariſſimi eumdem fraternaliter tractarent.

De Articulis *Petri de Rivo* impugnatis à Doctoribus Lovan. videri poſſunt, quæ ex informatione potiſſimùm Guil. Merceri S. Th. D. & Prof. retulit in Tractatum ſuum de Incarnatione Diſp. 26. ſect. 6. num. 12. *Joannes Lugo*, Soc. Jeſu Theologus, poſt Eminentiſſ. S. R. E. Cardinalis.

De iiſdem Articulis ſeu Propoſitionibus controverſis inter *Mag. Henricum de Zomeren*, *Jacobum Schelwaert* alioſque S. T. Doctores Lov. ex una, & *Petrum à Rivo* tunc S. T. L. ex parte altera, pleniùs agitur in Faſtis Academicis *Val. Andreæ* à pag. 339. uſque ad 357. Unde etiam Illuſtriſſ. Tutelenſis Epiſcopus *Carolus Argentræus*, Collectioni Judiciorum de Novis erroribus, Tomo I. pag. 258. ea ipſa inſeruit, pluraque ex Actis Academiæ Pariſienſis adjunxit: atque imprimis pag. 261. *Quæſtionem Quotlibeticam anno 1465. per Mag. Petrum à Rivo diſputatam: An in poteſtate Petri fuerit Chriſtum negare, poſtquam Chriſtus ei dixerat:* Ter me negabis.

## PETRUS ROEST,

Noviomagus, Geldrius, Societatis Jeſu Doctor Theologus, Philoſophiam, Theologiam Moralem ac Scholaſticam Herbipoli, Moguntiæ, Molshemii Alſatiorum, & Coloniæ Ubiorum XLIV. circiter annos docuit. Deceſſit Coloniæ die XVII. Aprilis 1648. annos natus LXXX. Varia ſcripſit, plerumque Theſibus publicè ad diſputandum propoſitis:

*De ſacrarum Imaginum & Reliquiarum cultu Diſputationem*, oppoſitam *Conradi Vorſtii*, Calviniani, XLIV. novitatibus. Herbipoli, 1608. 4.

*De Communione ſub una ſpecie.*

*De Juſtificatione, pro auguſtiſſimo Miſſæ Sacrificio*, Diſputationem paraſcevaticam.

*Pſeudo-Jubilæum Lutheranum anno 1617. celebratum.* Molſemii, 1618.

*Hallucinationes duorum Lutheranorum de reſurrectione mortuorum*, ſeu *Contra Syllogiſmum Lutheranum.*

*Apologiam contra duos Prædicantes*, maximè *Schachingerum* Argentoratenſem, *De Syllogiſmo Chriſti.*

*Apologiam pro Deiparæ Virginis Mariæ Camera & Hiſtoria Lauretana, & pro Horatio Turſellino* (S. J. Theologo) *contra Idolum Lauretanum Matthiæ Berneggeri*, Prædicantis Lutherani Argentoracenſis. 4. Auguſtæ Trevirorum. Calumniari hîc voluit Berneggerus cultum Deiparæ ſub titulo *Idoli Lauretani*, ad imitationem quorumdam Lutheranorum, qui Lipſium pro B. M. V. Hallenſi & Aſpricollenſi ejuſque cultu ſcribentem, aſſumpto pari titulo *Idoli Hallenſis* &c. antea aggreſſi fuerant.

*Apologiam pro Jure Canonico*, adverſus Doctorem J. U. Argentinenſem.

*Disputationem Paradisiacam*, sive *de Paradiso Terrestri.*

*Libellum pium, in Versiculos duos priores Psalmi XV.*

*Libellum* item *pium de signis Prædestinationis.*

## PETRUS PAULUS RUBENS,

Coloniæ Agrippinæ nascitur anno 1577. III. Kal. Julias, die SS. Apostolis Petro & Paulo sacrâ: quorum proinde nomina, dum sacris baptismatis undis tingeretur, illi imposita fuêre. Pater *Joannes Rubens*, Civis & Senator Antverpiensis, & mater *Maria Pypelinck* communem patriæ calamitatem declinantes, ad Ubios tunc secesserant: sed patre è vivis elato, Rubenius annorum IX. adolescens cum matre totaque ejus familia Antverpiam venit, bonis litteris instituendus.

Ætate maturior, picturæ totum se dedit, primùm apud *Adamum Van Noort*, morosum tamen ac tardioris ingenii magistrum: deinde apud celebrem *Othonem Vænium*: verùm post breve temporis intervallum, supra magistros erat hic discipulus. Anno igitur ætatis XXIII. visendæ Italiæ cupido incessit, ut in ea Orbis parte, quæ optimis pictoribus abundabat, supremam illius artis peritiam sibi compararet: in qua (& ipsis applaudentibus Italis) *omne tulit punctum*, atque ævi sui *Apelles* nominari meruit. *A Vincentio Gonzaga* Duce Mantuano accitus, totum fere septennium in ejus obsequio ceu pingendo, ceu legationes Romam & in Hispaniam obeundo, transegit.

Tandem vicit amor patriæ, in quam matris obitu revocatus est. Hospes tantisper Abbatiæ S. Michaelis Antverpiæ, picturis eam exquisitissimis decoravit. Tum anno 1609. uxorem duxit *Elisabetham Brant*, Joannis Viri doctissimi, qui Antverpiensibus ab Actis & Consiliis fuit, filiam. Ad hæc Sereniss. Belgii Principum Alberti & Isabellæ favoribus muneribusque excitatus, Antverpiæ domum magnificam excitavit, quam & statuis & numismatibus, Romanorum more, decoravit: ibique otium pingendi nactus, incomparabili penicillo, templis, palatiis, claustris, picturas summæ artis preciique tradidit: quarum multas hodiedum Antverpia veluti thesaurum inestimabilem possidet. Discipulos quoque efformavit eximios: quos inter *Antonius Van Dyck* & *Gaspar de Craeyer* palmam referre visi sunt.

Sorte contentus suâ, quorumcumque Principum exterorum, qui multis pollicitationibus eum ad aulam suam invitârant, preces modestè delusit: attamen ut desiderio eorum obsequeretur, picturas à se excellenter elaboratas transmisit. Ad publica etiam negotia sæpius evocatus, Consiliarii titulo decoratus, jussu Sereniss. Infantis *Isabellæ* legatione perfunctus est anno 1628. in Hispaniam, ad *Philippum IV.* Regem, paulò pòst ad Rempublicam Batavorum, ac demum ad *Carolum I.* Britanniæ Regem, qui *Rubenium* Equestri dignitate multisque muneribus honoravit: quam & Rex Hispaniæ ipsi posterisque confirmavit.

Anno 1626. priore conjuge viduatus, secundas dein cum *Helena Formentia* nuptias iniit. Delectabatur autem in plerisque picturis suis, nunc unam nunc alteram conjugem, ac subinde utramque exhibere, quandoque sub imagine D. Virginis, vel etiam sub aliis formis. Ex utraque liberos superstites reliquit: è quibus *Albertus* sanctiori Concilio ab Actis & secretis fuit. Tandem podagrâ aliisque infirmitatibus exhaustus, supremum diem obiit Antverpiæ anno 1640. die 30 Maii, sepultus in ede D. Jacobi, ubi sacellum est familiæ Rubenianæ hodiedum ob insignes picturas celebre.

Digitized by Google

D PETRVS PAVLVS RVBBENS

Ant van Dyck pinxit

e de Boulonois fecit

Præter Picturas, earumque Icones, quæ à multis passim colliguntur, vix quidquam edidit *Rubenius*, præter *Triumphum Austriacum in adventu Ferdinandi Hispaniarum Principis Antverpiam*; cui unà cum *Casperio Gevartio* allaboravit. Vide supra pag. 167.

*Palazzi di Genoa, raccolti & designati dan PP. Rubens in Anversa.* 1658. typis Jacobi Meursii, folio magno.

De *Philippo Rubenio*, *Petri Pauli* fratre, Viro doctissimo, agetur infrà: sed neque prætermittendus hîc doctissimus ejus filius.

ALBERTUS RUBENIUS,

Antverpiensis, J. C. *Petri Pauli Rubens* pictoris celeberrimi filius è priore conjuge *Elisabetha Brant*, natus est anno 1614. Sereniss. Belgarum Princeps Albertus, pro eo quo patrem prosequebatur favore, infantem hunc de sacro fonte levavit, suumque ei nomen imposuit. Postmodum Catholicæ Majestati in Sanctiore Consilio Bruxellis ab Actis & secretis Epistolis extitit *Rubenius*. Archiduci quoque *Leopoldo Guilielmo*, Gubernatori Belgii, gratus acceptusque fuit, ob summam eruditionem, præsertim in Numismatibus dignoscendis, omnisque antiquitatis peritiam non vulgarem: & quamvis ad majora evehi potuisset, honestam quietem atque exedram Philosophicam Senatoriis subselliis constanter prætulit.

Virum hunc politioris Litteraturæ peritissimum, in ipso ætatis flore, mors Belgio invidit, vitâ functum Antverpiæ Kalendis Octobribus anni 1657. ætatis XLIII. Conjux *Clara Del Monte*, contracto ex ejus obitu nimio mœrore, ne-dum bimestri supervixit. Jacent ambo in sacello Rubeniano Ædis Colleg. D. Jacobi; appositio hoc Epitaphio. D. O. M.

ALBERTUS RUBENIUS,
Petri Pauli filius,
Regis Catholici Sanctioris Consilii
A Secretis,
Qui politioris omnis litteraturæ,
Historiæ Græcæ & Romanæ,
Reique Antiquariæ peritiâ
Nemini cedens,
Honoris medio in cursu decessit
Anno salutis M.D.C.LVII.
Kal. Octobris, ætatis XLIII.
D. CLARA DEL MONTE,
Marito charissimo,
Desiderio ægra,
Vixque elapso mense ipsum secuta,
Sacro perpetuo
In hoc sacello fundato,
Obiit XXV. Novembris M.D.C.LVII.

*Nicolaus Heinsius*, Batavus, *Alberti Rubenii* obitum Elegiâ luxit, scriptâ ad *Casparem Gevartium*, Cæsareum Regiumque Consiliarium, & Historiographum Archigrammatæum Antverpiensem, qui has *Rubenii* lucubrationes posthumas in lucem dedit.

*De Re vestiaria Veterum, præcipue de lato Clavo libri duo.* 4. Antverp. typis Plantinianis 1665.

Accedunt *Diatribæ De Gemma Tiberiana*,

*De Gemma Augustæa.*

*De Urbibus Neocoris.*

*De Nummo Augusti, qui inscribitur Asia recepta.*

*De Natali die Cæsaris Augusti.*

*Joannis Baptistæ Donii Dissertatio de utraque pœnula.* Ibidem.

Extant denuo pleraque hæc Opuscula in Thesauro Antiquitatum Romanarum, curante Joanne Georgio Grævio, Tomis VI. & XI.

*Regum & Imp. Rom. Numismata* aurea argentea & ærea, à Romulo & Jul. Cæs. ad Justinianum, curâ & impensis *Caroli* Ducis Croyi & Arschoti anno 1617. per *Jac. Biæum* æri incisa; *Rubenius* locupletavit & Commentario illustravit, edente *Casp. Gevartio*, fol. Antv. 1654. Iterumque prodiêre Coloniæ Brandeburg. 1700, curis & ob-

fervationibus novis *Laur. Begeri.*

*De Vita Fl. Manlii Theodori V. C.* liber, prodiit Ultrajecti 1694. in 12. curante *Joanne Georgio Grævio.*

## PETRUS RYCQUIUS,

Gandensis, J. C. Consilii provincialis Middelburgi in Zelandia Præses, scripsit (nî fallor)

*In Tit. de Appellationibus.*

## PETRUS A SANCTO-TRUDONE,

Aliàs VAN SINT-TRUYEN, Mechlinienſis, Canonicus Regularis ad S. Martinum Lovanii, anno 1628. unà cum fratre *Martino* (qui & ſcriptis claruit) Inſtitutum D. Auguſtini profeſſus eſt. Obtentâ in Scholis Academicis S. Theol. laureâ, apud ſuos Profeſſor & Supprior, anno 1652. in Priorem eligitur. Nec diu pòſt, in Priorem Generalem Congregationis Windeſemenſis aſſumitur, anno nempe 1656. quod munus annos omnino XVII. geſſit, viſitatis iteratò per utramque Germaniam ſubjectis ſibi Monaſteriis, Principibus Imperii, Epiſcopis, cunctiſque Academicis Lovanienſibus pergratus.

Obiit Mechliniæ, in Bethania, quò ex Throno B. M. rediens diverterat, hydropiſi & aſthmate extinctus die 17. Septembris 1674. indeque ad ſuos Lovanium in tumulum ante majorem aram illatus; hoc Epitaphio.

H. S. E. Reverendiſſ. Pater
PETRUS A SANCTO-TRUDONE
Hujus Domûs Prior,
Et Capituli Windeſemenſis
Per utramque Germaniam Generalis;
Qui raro doctrinæ & humilitatis
Exemplo præfuit ſuis,
profuit omnibus.
Obiit Anno M. D. C. LXXIV.
Septembris XVII. Ætat. LXV.
Prioratûs XXIII. General. XVII.

Scripſit eruditè contra *Chriſtianum Lupum*, S. T. D. Ord. S. Aug. *Examen Teſtamenti S. Auguſtini*, ad ſtabiliendam filiorum primogenituram: nempe Canonicorum Regularium ante Auguſtinianos. Lovanii apud Nempæum. 1654. in 8.

Item *Catalogum Virorum editis ſcriptiſve libris illuſtrium*, *Ordinis Canon. Reg. S. Auguſtini.* MS.

Et *Chronicon Cœnobii ſui Martiniani.* MS. Ibidem.

## PETRUS SCHENCKELIUS,

*Antonii* Medici filius, Hagæ-Comitanus, naſcitur anno Chriſti 1594. Fuit primùm Aloſti in Flandria Guilielmita novitius, poſtea in Conventu Gandavenſi Religionem Ord. Eremit. S. Auguſtini profeſſus, vir pius & concionator celeberrimus, ac S. Th. Doctor in Academia Duacenâ.

Ad Summam Caſuum Conſcientiæ, *Franciſco Toleto* auctore, adjecit *Directorium Juris Pontificii*, & *Explicationem terminorum Juris in Toleto occurrentium.* Antver. 1628. 8.

*Elucidationes locorum difficiliorum Senecæ & Horatii*

*Conciones Dominicales.* 8. Antv. 1654. & 1657. Tom. II.

*Philomelam myſticam*, ſive *Canticum Eccleſiaſticum: Benedicite.* 1660. Brux. in 12.

## PETRUS SCHOLIERIUS,

Antverpienſis, J. C. Senatoriæ dignitatis, ingenio ſtiloque elegans, Lovanii, poſt luſtratam Italiam, Muſas amœniores coluit, & amicos interioris admiſſionis Viros Ampliſſ. *Gerardum Corſelium*, Legum Antecceſſorem, & *Eryćium Puteanum.* Luſit

*Satyras,*

*Satyras*, sive *Sermones Familiares*, in corruptos sæculi mores, typis Plantin. 1623. 4.

Eosdem recudit ac Notis & Commentariis suis adornavit anno 1683. Antverpiæ P. *Albertus le Roy*, Ord. S. August. Prior Antverpiensis, suæque Provinciæ Historiographus.

Scholirio auctore editus quoque est Lovanii libellus *de Arte Culinaria*, idiomate fland·co, nomine *M. Ant. Magiri*, typis Joannis Flavii, in 8.

Decessit Antverpiæ anno 1635. XVI. Kal. Decembris.

## PETRUS SCHONÆUS,

Harlemius, Artium & Medicinæ Doctor, dum in castris Regiis versatur, lusit versu & docto & facili

*Fugam Leonis Palatini.*

*Fugam & Cladem Christiani Brunsvicii.* Bruxellis, 1624. 8.

## PETRUS SCHOTANUS A STERRINGA,

Frisius, Philosophiæ & Medicinæ Doctor, edidit

*Speculum luis pestiferæ*, De caussis, signis & curatione Pestis. Holmiæ Suecorum, 1621. 8. apud Christoph. Reusnerum.

*Compendium* ex Galeni libris *de Locis affectis*. Franckeræ apud Uldericum Balck, 1616. 16.

## PETRUS SCRIVERIUS,

Ab Iverendeel, Henrici filius, Harlemi natus apud Batavos, anno 1576. pridie Idus Januarii, prima studiorum tirocinia fecit Harlemi, præeunte *Cornelio Schonæo*, celebri Comico, & hîc Poëta esse didicit. Juri Civili Lugduni Batavorum operam daturo amœniores illæ Musæ velut manum injecerunt. A foro itaque alienus, privatus & LARE SECRETO vixit, consuetudine atque amicitiâ doctissimorum virorum beatus.

Præ senectute oculorum usu orbatus, vivere desiit apud Veteraquenses anno 1660. die 30. Aprilis, LXXXIV. ætatis annum jam prætergressus.

Edidit quæ sequuntur.

*Flavii Vegetii Renati Comitis, aliorumque aliquot Veterum de re Militari libri. Accedunt Frontini Stratagemata ejusdemque Auctoris alia Opuscula, omnia emendatius, quædam nunc primùm edita à Petro Scriverio, cum Commentariis aut Notis God. Stewechii & Fr. Modii.* 4. Lugd. Bat. 1607.

Continentur vero in hac Pandecte Militari,

*Vegetii, de re Militari, libri V.*

*M. Porcii Catonis, Cincii*, aliorumque de re Militari fragmenta.

*Claudii Æliani Tactica.*

*Polybius de Militia & Castrametatione Romanorum.*

*Julii Hygini Chromaticus*, sive de Castrametatione liber, *à Scriverio* primùm ex antiquissimis Membranis editus.

*Anonymus de Rebus Bellicis liber*, cum figuris, semel antea tantùm excusus.

*Modesti libellus, de Vocabulis Militaribus.*

*Russi Leges Militares.*

*Sexti Julii Frontini Strategematicon.*

*De Aquæductibus Romæ, Commentarius & de iisdem Constitutiones Imperiales.*

*De re Agraria, cum Agenni Urbici Commentario.*

*De Limitibus*, scriptum, à *Scriverio* quoque primùm editum.

Item, *Legis Manilicæ aliquot Capita*, & quædam alia de *Coloniis*, cum luculenta accessione.

*Godefschalci Stewechii & Francisci Modii* Commentaria & Notæ in *Vegetium* & *Frontinum* de re Militari. Porrò in Nomenclatore eorum, qui libris

manuſcriptis, aliâve quâ operâ ad hanc *Vegetii Frontinique* caſtigationem & editionem *Hygini*, *Scriverio* auxilio fuêre, *Sexti Arcerii* & *Joannis* ejus patris nomina reperiuntur.

*Batavia Illuſtrata :* in qua de Batavorum inſula, Hollandia, Zelandia, Friſia, Ultrajecto, Scriptores varii; item *Chronici* Geldriæ compendium, auctore *Henrico Aquilio*, cum *Scriverii Obſervationibus*. Ibid. 1609. 4.

*Animadverſiones in Martialem*. Ibid. 1619. 12.

*Collectanea Veterum Tragicorum, Titi Livii Andronici, Quinti Ennii, Cnæi Nævii, M. Pacuvii, L. Attii, aliorumque Fragmenta*, & circa ipſa *Nota* breves. Ibid. 1620. 8.

*Apuleii Madaurenſis Platonici Opera* caſtigata. Amſtelod. 1624.

*Amores Dominici Baudii*, ſive *Epiſtolæ* & *Carmina* ejus erotica.

*Manes Erpeniani*; cum *Epicediis* variorum. Lugd. Bat. 1625.

*Saturnalia, ſive de uſu atque abuſu Tabaci*. Harlemi 1628. in 8.

*Encomium*, vulgo *Lauwer crans, Laurentii Coſteri Harlemenſis*, primi Inventoris Artis Typographicæ. Flandricè. 4. Harlemi 1628.

*Deſiderii Eraſmi Vita*, partim ab ipſomet Eraſmo, partim ab amicis æqualibus fideliter conſcripta. Accedunt *Epiſtolæ illuſtres*. Leydæ 1649. in 12.

*Principes Hollandiæ & Weſtfriſiæ ab anno Chriſti* D. CCC. LXIII. *& primo Comite Theodorico, uſque ad ultimum Philippum Hiſpan. Regem*, æri omnes inciſi ac deſcripti. folio magno Harlemi 1650.

*Commentariolus de Statu Confœderatarum Belgii Provinciarum*. Acceſſit *Pauli Merulæ* Diatriba ejuſdem argumenti nec non Ordinum Hollandiæ Decretum, de antiquo Reipubl. Batavicæ Jure. 12. Hagæ 1650. & 1657.

*Chronicon Hollandiæ, Zelandiæ, Friſiæ & Ultrajecti*. 4. Amſtelod. 1663. Flandricè; adjuncto *Lapide Lydio*, id eſt, Notis ſuis in Chronicon præcedens. Item *Vetus Batavia*, Flandricè 1606. & alia.

## PETRUS SILVIUS,

Flander, natus in Hauthem S. Livini, qui vicus eſt Aloſtani territorii, Societatis Jeſu Theologus, vivere deſiit Moguntiæ anno 1592. die x. Julii. Scripſit

*Diſputationes de Deo & Sacramento Pœnitentiæ*.

## PETRUS SILVIUS,

Aloſtanus, vulgo DE BUSSCHERE, apud Brugenſes Ludimagiſter, ſcripſit

*Stichologiam*, ſive de Arte verſificatoria. Antver. 1550. 8. apud Joann. Loëum.

## PETRUS SILVIUS,

Guilielmitarum Aloſtenſium Prior, S. Theol. Baccalaureus, in Eccleſiaſtica potiſſimùm Hiſtoria verſatus, ſcripſit

*Vitam* S. GUILIELMI, *Eremitæ & Confeſſoris, nec-non Primicerii Ordinis Guilielmitarum*. Bruxellæ, typis Meerbecii, 1627. 8.

## PETRUS SIMONIS,

Tiletanus, Flander, in Scholis Artium Lovanii locum ſecundum adeptus eſt anno 1559. Caſtrenſis Pœdagogii alumnus. Dein S. Th. Licentiatus, doctrinæ elegantis ac facundiæ ſingularis; quas ingenii dotes dum prudentia ornat ac rerum uſus perficit, dignus inventus eſt, qui Cortracenſibus Parœcus, Gandavenſibus Canonicus primuſque Archipresbyter, demùm Iprenſibus anno 1585. daretur ſecundus Epiſcopus. Obiit anno 1605. ætatis

PETRVS SIMONIS EPISCOPVS IPRENSIS.

Ipra *tui vultum* Petri *cognoſce* Simonis,
*Proximus a primo qui tibi Præſul erat.*
*Pabula bis denos verbi tibi præbuit annos;*
*Viuidus exemplis, eloquioque potens.*
*Nunc ſilet; at viuax æternum clamat imago:*
Pastoris *vocem noueris* Ipra *tui.*



LXVI. Sepultus in Ædc Cathedrali Iprenſi, hoc Epitaphio.

PETRUS SIMONIS, Tiletanus,
II. Epiſcopus Iprenſis,
Prædeceſſoris veſtigia gnaviter ſequens,
Eccleſia hac ann. XXI. adminiſtratâ,
Seminario ſcripto herede,
In Domino obdormivit
V. Octob. M. D. C. V.

Præſulis hujus ſcripta, à morte, publici uſus fecit *Joannes David*, in cura paſtorali ſucceſſor, dein S. J. Theol. typis Plantinianis, fol. 1609. quorum hic Index.

*De Veritate* libri VII.

*Apologia pro Veritate Catholica*, contra Calvinum.

*Tractatus de Epiphania Domini.*

*Diſſertatio de puero Jeſu cum Doctoribus in templo diſputante.*

*Tractatus de Jeſu Chriſti in monte Thabor cum Moyſe & Elia colloquio.*

*De Hæreſios Hæreticorumque natura.*

*Oratio in prima Synodo Provinciali Machlinienſi*, anno 1570. habita.

*Oratio in prima Synodo Diœceſana Gandavenſi, ſub Corn. Janſenio*, anno 1571. habita.

*Oratio Funebris in Exequiis Cornelii Janſenii*, I. Gandavenſium Epiſcopi.

EXHORTATIONES variæ ad diverſos habitæ: *De ſtudio Sacrarum litterarum amplectendo*; ad Paſtores.

*De Caſtitate*, ad eoſdem.

*De Gulæ vitio vitando*, ad eoſdem.

*De Avaritia vitanda.*

*De Pœnitentia, Oleo ſacro & Cineribus*: ad Clerum Iprenſem.

*De Conceptione B. Virginis* MARIÆ.

*De Differentia partus Evæ & MARIÆ Virginis.*

*De Aſſumptione* B. MARIÆ.

*De Timore Domini*: ad Juventutem.

Oratio Quodlibetica, *An aliqua ſit idonea & juſta cauſa deficiendi ab Eccleſia Romana*

*Concio in Feſto omnium Sanctorum.*

## PETRUS SLUPICIUS,

(A pago cognomine prope Goudam ſic dictus) Batavus, Ord. Minorum, Delphis Batavorum Virginibus ſacris inſtituti S. Claræ à Confeſſionibus, vir integerrimus, perfectionis Euangelicæ zelator indefeſſus & Concionator invictus, qui ad ſex concionum millia in ſolo Delphenſi territorio ad populum magno cum fructu habuit: pulſuſque inde à Geuſiis ad ſui Ordinis Conventum Harlemenſem ſe recepit, ubi ſimiliter Patris Clariſſarum ac Vicarii officiis laudabiliter perfunctus, moritur anno 1574. pridie Kalen. Decemb. Edidit vernaculo ſermone

*Praxim ſpiritualem Orationis Dominicæ.* Delphis, 1557. & Antv. 1561. 8.

## PETRUS STEVARTIUS,

Leodius, S. T. D. & Prof. in Academia Ingolſtadienſi, cujus & Pro-Cancellarius extitit, atque ab anno 1584. Parochus ad S. Mauritium ibidem, unàque Canonicus Cathed. Eccl. Eyſtadienſis. Poſtremò, ad D. Lambertum Leodici Canonicus, ad D. Dionyſium Præpoſitus, & Vicarius generalis Epiſcopi Principis Ferdinandi Bavari; Vir de Leodienſi Eccleſia optimè meritus. Scripſit

*Explicationem* brevem VIII. *priorum Capitum Epiſtolæ* D. PAULI *ad Romanos*, publicæ Diſputationi propoſitam. Ingolſtadii, 1586. 4.

*Commentarium in Epiſtolas* D. PAULI *ad Theſſalonicenſes.* Ibid. 1600. 4.

*In Epiſtolam ad Philippenſes.* Ibid. 1595.

*In Epiſtolas ad Corinthios.* Ibid. 4.

*In Epiſtolam poſteriorem ad Timotheum.* 1612. 4.

*In Canonicam D. Jacobi Epiſtolam.* Ibid 1610. 4.

*Orationem de Colloquio Ratisponenſi.* Ibid 1602. 4.

*Apologiam pro Societate Jeſu*, contra

commentitiam Hiſtoriam Ordinis Jeſuitici, à *Polycarpo Lyſero* Francofurti editam. 4. Ingolſtadii 1593.

Præterea è tenebris eruit, *Notiſque* illuſtravit *Manuëlis Calecæ adverſus Græcorum errores* libros IV. interprete *Ambroſio Camaldulenſi*. Ingolſtadii, 1608. 4. & Tomo XXVI. Biblioth. Patrum edit. Lugdunenſis.

*Commentarium de Vita & rebus geſtis S. Walpurgæ*, Abbatiſſæ, Ord. S. Benedicti, auctore *Wolffrado Haſenrietano*, Presb. cum Notis. Ingolſt. 1616. 4.

*S. Eucherium Epiſc. Lugdunenſem de Vita D. Mauritii, Thebeæ legionis Ducis*, 1618. 4.

Denique ad imitationem *Henr. Caniſii*, Noviomag Doctoris Ingolſtad. Tomum ſingularem XVII. *inſignium Auctorum tam Græcorum quam Latinorum*, ex variis Bibliothecis primùm in lucem prodire ac publicè prodeſſe juſſit. Ingolſtadii, 1616. 4. Inſertæ ſunt huic Tomo *Gratiarum actiones*, quas vario metri genere ſcripſit patronis ſuis, ob decoratam vitreis feneſtris S. Walburgis Eccleſiam.

Eſt hæc parochialis Leodii in ſuburbio cognomine, quam *Petrus Stevartius* à fundamentis erexit & dotavit; ut & alteram S. Salvatoris in Glano in ſuburbio S. Margaretæ: & in utraque Conventum inſtituit Virginum Sanctimonialium, ſub Sacerdotum ſæcularium regimine.

Obiit Leodii, plenus dierum ac meritorum, anno ſalutis 1621. æt. 75.

## PETRUS STOCKMANS,

Antverpienſis, Toparcha de Latuy & Pietrebais, Primus in Scholis Artium Lovanii è Pædagogio Falconis anno 1626. dein Juris Utriuſ. Doctor renunciatus die 7. Decembris 1631. poſt quinquennale tantùm (raro certe exemplo) in Juribus ſtudium. Publica eruditionis ſpecimina edere cœpit anno 1632. in Collegio Trilingui Buſlidiano, in quo Græcas Litteras profeſſus eſt: ſimulque Regius Juris Civilis Profeſſor, *Diodoro Thuldeno*, ſuo in Actu Doctorali Collegâ ad primariam Legum Cathedram adſumpto, *Paratitla* tradidit.

Obtinuit interea vigore Privilegiorum Academiæ Præbendam in Cathedrali Eccleſia Iprenſi: ſed paulò poſt unà cum Statu Eccleſiaſtico eam dimiſit, uxoremque duxit *Annam Mariam Schoreneroot*.

Anno 1643. in ſuprema Brabantiæ Curia conſtitutus Conſiliarius, ſpartam quam nactus erat, egregiè exornavit: Aſſeſſor quoque Cameræ Bipartitæ, partim è Senatoribus Regiis, partim Batavis, apud Mechlinienſes conſtitutæ. Hinc anno 1663. Litteris Regiis denominatur in ſanctiore Senatu Conſiliarius ac libellorum ſupplicum Magiſter: Ad hæc Archivorum Brabantiæ Cuſtos, Juſtitiæ Militaris ſupremus Præfectus, necnon ad Comitia Imperialia Ratiſponenſia titulo Circuli Burgundici aliquando ablegatus.

Nec ipſe ſolùm, ſed & fratres ejus eruditione claruerunt, è quibus *Sebaſtianus*, S. T. Doctor Lovanii ac Præſes Collegii Pontificii anno 1650. durante Rectoratu ſuo Academico obiit: alter *Joannes* fuit Regi à Conſiliis rei navalis. Varios ſcripſit Tractatus Juris, anno demum 1700. in unum collectos & Bruxellis in 4. reimpreſſos; videlicet,

*I. Deciſionum Curiæ Brabantiæ ſeſqui-Centuriam*; qui ſummæ apud Juris-peritos authoritatis liber, prodiit primùm in fol. Bruxellis apud Franc. Foppens. 1670.

*II. Tractatus de Jure Devolutionis in Brabantiâ*; primò prodiit Bruxellis 1646. in 4. Auctus poſtmodum occaſione jurium prætenſorum Ludovici XIV. Regis Galliæ in Ducatum Brabantiæ, cau-

D. PETRUS STOCKMANS
CONSILIARIUS REGIUS

fâ uxoris ſuæ Mariæ Thereſiæ Hiſpaniarum Infantis. Contra *Stockmannum* ſcripſit *Guido Joly*, Senator Pariſienſis, aliique plures: ſed & partes Stockmanni imprimis proſecuti fuêre *Franciſcus Baro de Liſola*, Burgundus, Legatus Regis Hiſpan. ad Rempublicam Fœderatam, libro cui titulus: *Bouclier d'Etat & de Juſtice*, item *Hubertus Loyens*, J.C. aliique. Dum autem hi ſcriptis decertant, Gallus armatâ manu jura perfregit.

*III. Deductio, ex qua probatur clariſſimis Argumentis, non eſſe Jus Devolutionis in Ducatu Brabantiæ, nec in aliis Belgii Provinciis, ratione Principum earum, prout quidam conati ſunt aſſerere:* Bruxellis anno 1665. ſub nomine *Veridici Belgici* edita, ejuſdem Stockmanni eſt.

Adſcribuntur illi etiam hi duo Tractatus: *Jus Belgarum, circa Bullarum Pontificiarum receptionem*, & *Defenſio Belgarum contra Evocationes ad peregrina judicia:* ambo Romæ à S. Congregatione Indicis prohibiti die 23. Aprilis 1654. Sed probabile eſt, Janſenianæ hereſeos fautores nomine *Petri Stockmanni* Tractatibus iſtis authoritatem conciliare voluiſſe, ad eludendam vim, ſeu potiùs debitam executionem Decretorum Sedis Apoſtolicæ *in materia Fidei & Morum*, tanto zelo à Principibus noſtris procuratam. Nec levibus argumentis concluditur à pluribus, *Anonymos* illos *Tractatus* alterius Janſenianæ ſectæ aſſeclæ fœtus eſſe: quorum opinio non leviter confirmatur ex eo, quod *Gerberonus* in hiſtoria ſua Janſeniana, pluribus mendaciis refertâ, præter iſtos *Tractatus* adſcribat etiam *Petro Stockmans* hunc, cui tit. *Somnium Hipponenſe, ſive Conventus Affricanus ac Diſceptatio judicialis apud Tribunal Præſulis Auguſtini* &c. (opus pariter Romæ damnatum à S. Congreg. Indicis ann. 1641. & 1654.) quod *Liberti Fromondi*, aut forte *Ign. Huarti* eſſe ſatis dignoſcitur.

Deceſſit Stockmannus, relicto perenni ſummæ Juris-peritię teſtimonio, libriſque editis clarus, Bruxellis die 7. Maii 1671. ſepultus in choro Eccleſiæ PP. Dominicanorum, hoc Epitaphio.

Hîc jacet
D. PETRUS STOCKMANS,
Antverpienſis,
Juris Doctor & Profeſſor in celeberrima
Academia Lovanienſi,
Poſtea in Conſiliis Brabantiæ & Privato
Conſiliarius,
Pro Circulo Burgundico Deputatus
In Comitiis Ratisponenſibus,
Et Juſtitiæ militaris Super-Intendens.
Obiit Bruxellis die VII. Maii
Anno M. D. C. LXXI.
Ætatis ſuæ LXIII.

❖ ❖ ❖

Hoc Epitaphium poſtmodum anno 1695. per miſſiles Gallorum ignes deſtructum, fuit ab heredibus reſtauratum, in hunc modum.

TRANQUILLE.
Hic jacent,
Ampliſſimus D. PETRUS STOCKMANS
J.U.D. Archivis Brabantiæ Præpoſitus
Ejuſque ſupremi Conſilii Conſiliarius,
Dein Sanctioris,
Juſtitiæ militaris ſupremus Præfectus,
Ac ſuæ Majeſtatis, nomine
Circuli Burgundici,
Legatus ad Comitia Imperii;
Qui nil dulcius ſenſit,
Quam tranquillè vitam ducere.
In Deciſionibus & aliis Scriptis
Pro tuendis Juribus S. M. editis
Superſtes, deceſſit VII. Maii
M. D. C. LXXI. ætat. LXIII.
Et D. ANNA MARIA SCORENEROOT
Conthoralis, prædeceſſit IV. Jan.
M. D. C. LIV. ætat. XXXVI.
Heredes ipſis & ſibi poſuerunt.
Precemur D. O. M. D. V. & SS.
Ut æternâ fruantur tranquillitate.

Digitized by Google

## PETRUS STRATENUS,

Vulgo VANDER STRATEN, Goesanus, Zelandus, J. C. ac Poëta, Civitati patriæ à Secretis & Legationibus, dum utroque munere apud Fœderatos Belgii Ordines fungitur, Hagæ-Comitum in primo flore ætatis extinctus est 27. Novembris 1640. ætatis anno XXIV.

Scripsit *Venerem Zelandam*, aliaque latia *Poëmata*, quæ posthuma, curis *Cornelii Boii*, Ziriczæi, J. C. uno volumine conjuncta prodiere Hagæ-Comitis, 1641. in 12.

*Strateni* memoria hisce versibus, Epitaphii vice, illustratur.

*Talem laurigerâ Juvenem vixisse juventâ,*
*Et sua post magnos ducere terga viros,*
*Vidimus; atque in flore mori. Prævenia senectus*
*Ante suum erubuit succubuisse diem.*
*Non poteras supereſſe diu* STRATENE, *tuorum*
*Maximus annorum qui superator eras.*

## PETRUS A STREITHAGEN,

Civis & Canonicus Heinsbergensis, quod ditionis Juliacensis nobile & notum est opidum, nascitur anno 1595. v. Kal. Decembris, patre *Andrea*, matre *Maria Silvia*. Puer à parente studiis admotus, unâ cum litterarum rudimentis Musicâ cùm organicâ tum harmonicâ imbutus fuit; eo profectu, ut Trajecti ad Mosam Poësi ac Rhetoricę dans operam, non multò pòst Litanias XII. vocum publicè in templo Patrum Societ. Jesu decantatas, dederit.

Cæterùm Philosophiam Leodii addidicit, reversusque Heinsbergam anno 1619. ne otio & ignaviâ torpesceret, ad scribendum se contulit, & juvenis etiam-num multa prelo & luci dedit:

*S. Ludovici*, Regis Galliarum, *Præceptiones benè vivendi*, ad Primogenitum, numeris Elegiacis redditas. Coloniæ, 1620. 12. unà cum Diva Virg. Aspricollensi, *Andreæ*, parentis sui.

*Vitam S. Hilarionis Abbatis* libris IV. carmine heroïco, unà cum *Notis*.

*Epigrammatum* lib. I. & *De Victoria Naupactea* carmen. Ibid. 1625. 12. typis Henr. Krafft.

*Successionem Principum Juliæ, Cliviæ, Montium:* item *Dominorum Heinsbergensium*. Dusseldorpii, 1629. 4. typis Henr. Ulenbergii.

*Gloriam Montis Caballini*, sive *Rerum Heinsbergensium Illustrationem*. Ibid.

*Panegyricum Historico-Poëticum in civitatem Leodiensem*. Leodii, 1632. 4. apud Leon. Streel.

*De Vita & Instituto Canonicorum sæcularium Ecstasin*. Coloniæ, 1634. 12. apud Joan. Kinckium.

*Florum Christianum*, sive *Historiarum de Rebus Christianæ Religionis* libros IV. Ibid. typis Gisb. Clementis, 1640. in 8.

*Somnium*, sive *Poëma in Ruram, præcipuum Provinciæ Juliæ Fluvium*. Extat apud Tesschemaecker in Annalibus Cliviæ, Juliæ &c. pag. 376. novæ Editionis.

Collegerat quoque *VII. Libros Rerum Juliacensium*, qui hactenus inediti, vel apud heredes latitant, vel à blattis tineisve absorpti sunt.

## PETRUS TAFFIN,

Audomarensis, Societ. Jesu, Litteras in ea humaniores variis locis, Philosophiam Moguntiæ, Theologiam Moralem Montibus Hannoniæ professus est. Obiit Insulis die 8 Maii 1650. Scripsit

*De Veterum Romanorum anno sæculari, cum Ludorum sæcularium nova Chronologia*. Tornaci, apud Adrianum Quinque, 1640. 4.

## PETRUS TALPA,

Stellincwervius, Friſius, Doctor Medicus, Snecæ, Leovardiæ atque alibi Medicinam factitavit, medicamentaque ægris curandis adhiberi ſolita non tam experientiâ, ut vulgus cenſet Empiricorum, quàm petitis è ratione principiis comprobanda cenſebat. Scripſit itaque librum, ſive Dialogum, quem inſcripſit

*Empiricum*, ſive *Indoctum Medicum* Item *Exilium Empiricorum*, brevi Elegiâ, Satyrico ſale conditâ, deſcripſit.

Vivebat anno ſalutis 1590.

## PETRUS A THIMO,

Vulgò VAN-DER-HEYDEN, è Ghierlenſi Brabantiæ municipio juxta Turnhautum oriundus, J. C. Theſaurarius & Canonicus Bruxellæ in D. Gudilæ, nec non in D. Petri Anderlechti; atque annos ferè LVIII. cauſſarum in eadem urbe patronus; Vir Sacerdotio clarus, ſibi-ipſi ſupra modum parcus, ut pauperum inopiam ſublevaret; cujuſque domus omnium gentium atque Religioſorum (quos pietas ſibi pares fecerat) erat receptaculum, ut in Epitaphio legitur. Reliquit

*Chronicon Brabantiæ*, uſque ad tempora Caroli Burgundiæ & Brabantiæ Ducis, voluminibus III. in pergameno deſcriptis: quod Senatus Bruxellenſis in Archivis ſuis ſervavit, donec anno 1695. in fatali illius Urbis per miſſiles Gallorum ignes conflagratione periit. Dicunt alii, furto ablatum fuiſſe.

Chronicon autem hoc, eodem *Thimo* curante, in rythmos vernaculos tranſlatum eſt, id teſtante & laudante auctore Chronici vernaculi Brabantiæ, editi Antver. anno 1512.

*Martyrologium* ejuſdem laudat Joan. Molanus cap. VIII. De Martyrologiis.

Deſiit inter vivos eſſe anno 1473. IV. Kal. Martii, ætatis LXXX. ſepultus in Æde primaria D. Gudilæ, hoc Epitaphio.

D. O. M.
Hic lapis non eſt ſuper lapide,
Viator,
Sed ſupra Virum Sacerdotio clarum.
Inopiâ ferme laborabat,
Alios inopiâ ſublevans.
Domus ejus omnium gentium,
Atque Religioſorum,
(Quos pietas ſibi pares fecerat)
Erat receptaculum.
Deus tandem à ſolo ad cœlum
Evocavit,
M. CCCC. LXXIII. IV. Kal. Martii
Ætatis LXXX.

## PETRUS THYRÆUS,

Noveſienſis, ditionis ac Diœceſis Colonienſis, *Hermanni Thyræi* S. J. frater germanus, & ipſe ejuſdem Societatis Theologus, & Exorciſta famoſus: ut patet ex iis quæ evulgavit. Docuit totis annis XXVII. in Academiis Treverenſi, Moguntina, & Herbipolenſi; & ſcripſit varia

*De Locis Infeſtis* lib. I. Coloniæ apud Maternum Cholinum, 1598. in 4.

Acceſſit *Libellus de terriculamentis nocturnis, quæ hominum mortem ſolent portendere.* Ibid.

*De Dæmoniacis.* Ibid. eod. anno in 4.

*De Apparitionibus Spirituum* Tractatus duos. Prior agit *De Apparitionibus omnis generis Spirituum, Dei, Angelorum, Dæmonum, Animarum humanarum*, Liber I.; cum Appendice *De Spirituum Imaginibus & cultu, Deque Purgatorii veritate.* Poſterior *De Divinis*, ſeu *Dei in Veteri Teſtamento Apparitionibus & Locutionibus, tam externis quàm internis*, libris IV. Ibid. 1600. 4.

*Divinarum Novi Teſtamenti*, ſive CHRISTI *Filii Dei*, *Novi Teſtamenti*

*Mediatoris*, *Apparitionum* libros III. Ibid. apud Goſuinum Cholinum, 1625. in 4.

*Diſputationes Theologicas* varias : *de Apparitionibus Spirituum.* Moguntiæ, 1582.

*De Feſto Corporis* CHRISTI. Ibid. 1585.

*De Sacramentali Confeſſione.* Ibid. eodem anno.

*De Poteſtate Eccleſiaſtica.* Ibid. 1586.

*De vera Fide.* Ibid. 1587.

*Cauſſa Vocationis & Miſſionis Miniſtrorum Euangelicorum, per Diſputationes aliquot Theol. partim in Moguntina, partim in Heidelbergenſi Academia diſputata ; Præſidibus Petro Thyreo è Soc. Jeſu, & Daniele Toſſano Heidelberg. Prof.* 4. Mogunt. 1589.

*Examen Apologeticum Theſium Danielis Toſſani, Calviniſtæ Heidelbergenſis, pro dicta Diſputatione.* Ibid.

*De Clandeſtinorum Matrimoniorum juſtitia.* Ibid. 1588.

*De Libertate Chriſtianæ Fidei & Religionis.* Ibid. 1590.

*De Sanctorum Invocatione.* Herbipoli, 1596.

*De Sanctorum legitimo cultu ; deque Imaginum conſecratione.*

*De multiplicibus Suffragiis, quibus piè defunctorum ſpiritus à viventibus juvantur.*

*De Sacrorum hominum continentia.*

*De Novo & falſo Antichriſto.*

*Apodixin præſumptæ neceſſitatis utriuſque ſpeciei in Sacramentali Communione*, Wirsburgi 1597.

Obiit Herbipoli, novem menſium tabe, die 3. Decembris anno 1601. ætatis LV. initæ Societatis XL. Plura vide in Biblioth. Scriptorum S. J.

## PETRUS TIDRICHUS,

Paſcanius, Friſo, Groningæ docuit, & *Dialectices Compendium* conſcripſit, editum Argentinæ, 1556. 8.

## PETRUS VALCKENDAEL DE ZYL

Trajectenſis, opulentis & magnæ proſapiæ parentibus oriundus, in Roſtochienſi Univerſitate S. Theol. Baccalaureus promotus, Prior Domus Canonicorum Regularium in urbe Ultrajectina, obiit anno 1485.

*Libros Sententiarum* explanavit.

*Vetus & Novum Teſtamentum* per vocabula ſub ordine alphabeti diſtinxit.

*Secundam Secundæ*, & librum *Quæſtionum de Malo* Doctoris ſancti, omiſſis argumentis, luculento ſermone excerpſit.

*Sermones* varios *de Tempore & Sanctis* conſcripſit : & alia quædam, inter cunctas ſuas tentationes, affectiones & inordinatos motus, ſic cum B. Auguſtino in propatulo poſt ſe dereliquit, ut ab omnibus legi poſſint. Ita ferè *Cornelius Blocchius* in Chronico MS. Canonicorum Regularium Cœnobii Ultrajectini.

## PETRUS VANDECLÆUS,

Duacenus, primùm Gandavi, pòſt Aëriæ Scholæ præfectus ; edidit Gandavi, Manilii typis,

*Tabulas Conjugationum Linguæ græcæ.*

## PETRUS VANDER ANUS,

Lovanienſis, Eques, J. U. Doctor & Profeſſor in patria renunciatus die 3. Octobris 1559. collegas nactus eſt *Jo. Molinæum* ac *Joannem Ramum* viros eruditione clariſſimos. Huic ad novellam Academiam Duacenam evocato, ſucceſſit in Profeſſione Regia Inſtitutionum. Hinc anno 1565. in ſupremo Brabantiæ Senatu Aſſeſſor, ac demùm Conſilii Luxemburgenſis Præſes anno 1574.

1574. diem ſupremum anno 1594. obiit Luxemburgi. Scripſit

*Prochiron* ſive *Enchiridion Judiciarium* libris IV. cum ampla & utiliſſima Præfatione *de ordine Judiciario apud Veteres uſitato*. Lovanii typis Steph. Valerii, 1558. 8.

*Commentarium de Privilegiis creditorum*. Antver. apud Joan. Bellerum 1560. 8. Extat etiam in Tractatu Tractatuum Juris, Tomo XVIII. fol. 110.

## PETRUS VESALIUS,

Andreæ (de quo pag. 61.) abavus, Medicus præclarus, reliquit

*Commentarios in Avicennam*, quorum *Andreas* meminit Epiſtolâ de radice Chinæ.

## PETRUS VLADERACCUS,

*Chriſtophori* filius & litteraturæ hæres, Scholæque Silvæducenſis in patrio ſolo Rector. Latinam, græcam & hebraïcam linguas docuit: atque è ſodalitio Fratrum Gregorianorum adſumptus Parochus celebris municipii Oorſchotani, ibidem diem clauſit ſupremum anno 1616. Scripſit

*Tobiam*, *Comœdiam ſacram*. Silvæd. 1595. apud Joan. à Turnhout.

*Carmen Scholaſticum ſeu Natalitium pro anno Jubilæi* 1600. Ibid. 4.

*Exſequias Philippo II Hiſp. Regi Silvæducis exhibitas*, Carmine heroïco. Ibid 1600. 4.

*Diarium obſidionis Silvæducenſis*. Ibid. 1601. 8.

Deſcripſerat & *Divam Virginem Oorſchotanam ad ſacram Quercum*: cujus meminit in Brabantia ſuâ Mariana Auguſt. Wichmans, atque ipſum auctographum penes ſe adſervari ſcripſit.

## PETRUS DE VOS,

Schiedamenſis Batavus, S. T. Doctor & Profeſſor ex Ord. Eremit. S. Auguſt. recenſuit ac ſimul reimprimi curavit anno 1643.

*Opera omnia P. Hieremiæ Drexelii Societatis Jeſu*, II. Tomis in fol. Antverpiæ apud viduam Joann. Cnobbaert.

Sepultus eſt apud ſuos Gandavi in ambitu ante introitum ſacriſtiæ; hac Inſcriptione teſtante, quantùm ei ſuus Ordo, ipſeque Gandenſis Conventus obſtringantur.

✣ ✣ ✣

Piis Manibus

„ R. adm. ac Eximii P. M. PETRI „ DE VOS S. T. D. qui ex prænobi- „ li ſtemmate in hac Eremo S. P. Au- „ guſtini pietate, moribus, ac do- „ ctrinâ conſpicuus, & regimine in „ Conventibus Antverpienſi, Bru- „ genſi, ac ter in hoc ſuo Gandenſi „ Prior vigilantiſſimus. Miſſionis Hol- „ landicæ annis XII. Prępoſituræ, „ duorum Capitulorum præſidentiæ, „ ac Provincialatus, uti Provinciæ „ ac Ordinis Definitoratus dignitate „ functus, ſoli cœlo, choro, cellæ „ vivens, anno 1678. 3. Auguſtiætat. „ ſuæ 73. Rel. 57. Sacerdotii 49. Ju- „ bil. 6. omnibus eſt defunctus, ut „ æterna requieſcat in pace.

## PETRUS VROMANS,

Delphenſis Batavus, J. C. in ſuprema Hollandię ac Weſtfriſiæ Curia Cauſſarum Patronus celeberrimus, evulgavit Leidæ anno 1669. *Tractatum de foro competenti*, ubi & de officio Judicis, Advocati ac Procuratoris agitur &c. Idem recuſus fuit Bruxellis apud Phil. Vleugaert 1674. tandem tertiâ fermè parte auctior, in 4. Lugduni Batav. 1722. labore ac ſtudio *Huberti à Middellant* Juris-Conſ.

## PETRUS VAN WAESBERGHE,

J. C. Gandavenſis, variæ & raræ

eruditionis vir, memoratur à *Joanne Waesberghio*, ejus nepote, in Gerardimontii Descriptione, apud quem hæc avi extare dicebantur :

*Vitæ Comitum Flandriæ.*

*De Concordia Juris Municipalis Flandriæ cum Legibus Romanis* ; aliaque.

## PETRUS DE WAGHENARE,

Neoportuensis, Flander, Canonicus Regularis, nec non Prior Abbatiæ Furnensis Ordinis Præmonstratensis ; fato functus anno 1662. die 29. Augusti. Edidit

*Vitam S. Norberti Lyricam.* Duaci, 1637. 8. typis Belleri.

*S. Norberti Vitam Dramaticam, item Epigrammaticam, aliaque Poëmata Miscellanea.* Ibid. 1650.

*Ejusdem Vitam metro liberam ; nec non Personas Ordinis Præm. sanctitate Vitæ, dignitate ac genere, scriptisque illustres.* Ibid. 1651.

Accedit *S. Nicolaus Furnensis, sive Origo ac Progressus Abbatiæ S. Nicolai Furnensis.* Ibid.

## PETRUS A WALENBURCH,

Roterodami apud Batavos ex inclyta ac Consulari stirpe in lucem editus, patre *Cornelio van Walenburch*, matre *Anna Kievit*, avo paterno *Petro van Walenburch* Consule olim Roterodamensi, aviâ *Mariâ van Varick*, ex avitâ etiam stirpe. Trivialibus ac altioribus studiis in patria confectis, unà cum fratre *Adriano* ( de quo plura sequuntur ) Gallias lustravit, ibique simul J. U. laureâ donati, Roterodamum reduces, in Urbe patria novum Oratorium condere meditabantur. Sed cum eorum studium primoribus Cleri Hollandici non probaretur, dotes suas alibi impensuri in Germaniam profecti sunt, ibique summos dein Ecclesiæ honores assecuti. Ac primò quidem hæserunt Dusseldorpii in aula Ducis Neoburgici, cui imprimis grati, plures ex proceribus ejus è Lutherana hæresi ad fidem Catholicam reduxerunt.

*Petrus* potiorem ætatis suæ partem transegit Moguntiæ, Ecclesiarum ibidem Collegiatarum S. Petri & Victoris Canonicus. Anno 1658. à *Johanne Philippo de Schonborn* Archiepiscopo Electore Moguntino assumptus in Suffraganeum, titulo Mysiensis Episcopi consecratur, atque anno 1659. Collegiatæ D. Petri Decanus installatur.

Hinc anno 1669. fratre *Adriano* Episcopo Adrianopolitano & Suffraganeo Colonienſi, rebus humanis erepto, Coloniam ab Archiepiscopo Electore *Maximiliano Henrico Bavaro* vocatus est, illi ut succederet. Unde tum Vicarii, quæ Moguntiæ gessit munia, tum beneficia quæ ibi consecutus erat Ecclesiastica, anno sequente dimisit, factus Suffraganeus Colonienſis, Ecclesiæque illius Metropolitanę Canonicus Presbyter Capitularis. Vitâ functus est Coloniæ die XXI. Decembris 1675. Episcopatûs sui XVII.

Porro hi duo fratres, non Infulis tantùm ac virtutibus, sed & eruditione Theologicâ inclyti, cum ab incunabulis inter Protestantes enutriti, Controversis fidei Dogmatibus accuratiùs incubuissent, in his quoque laudem anterioribus Theologis Catholicis facilè præripuerunt, sequacibus facem prætulerunt ; à gravissimis ejusdem ævi Theologis magnopere commendati.

Elucubrationes eorum diversis temporibus editę, primis Germaniæ inferioris Principibus Catholicis inscriptæ, nonnullæ etiam ad ipsorum petitionem exaratæ, duobus demum Voluminibus comprehensę prodierunt, hoc titulo : *Tractatus generales de Controversiis Fidei*, Fol. II. Vol. Coloniæ.

*Adrianus à Walenburch Episc. Adrianopol. Suffraganeus Colon. obiit XI Septemb 1669.*

*Petrus à Walenburch Episc. Mysiensis, Suffraganeus Mogunt. et Colon. obiit XXI. Decembr. 1675.*

Agripp. apud Joan. Wilh. Frieſſem anno 1669.

Tomus I. habet Tractatus IX.

I. *Examen Principiorum Fidei.*

II. *Methodum Auguſtinianam defendendi & probandi Fidem Catholicam ex ſolo Verbo Dei.*

III. *De Articulis Fidei neceſſariis.*

IV. *De Inſtrumentis Fidei, ſive Diſcuſſionem Bibliorum Vulgarium.*

V. *De Probatione Fidei per Teſtes.*

VI. *De Teſtimoniis ſeu Traditionibus.*

VII. *De Præſcriptionibus Catholicis.*

VIII. *De Miſſione ſeu Vocatione Proteſtantium.*

IX. *De Unitate Eccleſiæ & ſchiſmate Proteſtantium.*

Tomus II. continet Tractatus XVI.

I. *Compendium Controverſiarum particularium.*

II. *De Deſcenſu Chriſti ad inferos.*

III. *De Eccleſia.*

IV. *De Sanctis.*

V. *De Purgatorio.*

VI. *De SS. Euchariſtia.*

VII. *De Juſtificatione.*

VIII. *De Meritis.*

IX. *De Cenſura Doctrinæ Fidei, contra Joannem Coccium.*

X. *Refutationem Dialogorum Drelincurtii Miniſtri Charentonenſis*; gallicè.

XI. *Catholicus ſimplex*, editus eſt etiam belgicè item germanicè.

XII. *Itinerarium fidelis Thomæ, hujus temporis incredulos per Dialogum ducens ad Eccleſiam Catholicam*; belgicè.

XIII. *De homine naturali.*

XIV. *De homine ſpirituali.*

XV. *De Martyribus Japoniæ.*

XVI. *De ſingularitate Clericorum.*

## ADRIANUS A WALENBURCH,

Roterodamo-Batavus, *Petri* (de quo ſupra) Epiſcopi Myſienſis frater ſenior, in utroque Jure Doctor, ſed in Theologiæ ac SS. Patrum ſtudio longè eminentior, totum pene vitæ ſtadium, unà cum fratre, ſtabiliendis Fidei Catholicæ dogmatibus contra hæreticorum calumnias, tranſegit.

Fixo tandem Coloniæ apud Ubios domicilio, Metropolitanæ illic Eccleſiæ Canonicus Presbyter ac Capitularis; dein à Principe Electore *Maxæmiliano Henrico Bavaro* aſſumptus in Suffraganeum atque Vicarium Generalem in Pontificalibus, anno 1661. Epiſcopus Adrianopolitanus conſecratur.

Nec minùs ipſi ac fratri ejus adſcribenda ſunt *Opera Theologica*, ſive *Tractatus de Controverſiis Fidei*, qui communi utriuſque ſtudio prodiêre Coloniæ anno 1669; de quibus ſupra actum.

Publicis etiam Electoratûs Colonienſis negotiis admotus fuit *Adrianus à Walenburch*, tandem piis operibus immortuus Coloniæ die 11. Septembris 1669. Epiſcopatûs anno VIII. Fundavit unà cum *Petro* fratre Burſas ſex pro gentilibus ſuis in Academia Colonienſi. Sepulti ſunt ambo in Eccleſia Presbyterorum Congregationis Oratorii; ſed abſque Epitaphio: cujus vice hoc ab amicis ac conſanguineis adſcriptum fuit honorarium utriuſque prototypo.

*Poſtremum ſtirpis micat hîc Par Nobile Fratrum,*
*Poſteritas quorum præclara Volumina laudat.*
*In Patriæ Clero livor quibus eſſe negavit,*
*His alibi Virtus Mitramque Pedumque dicavit.*

## PETRUS WALON-CAPELLUS,

Audomarenſis, Bergis ad S. Winocum Monaſterii Ord. S. Benedicti Prior, fratrem habuit *Franciſcum* Namurcenſem Epiſcopum; præceptorem Joannem Heſſelium, Doctorem Theologum Lovanienſem. Scripſit

*Inſtitutionum Monaſticarum* libros III.

## PETRUS WESENBECIUS,

Matthæi, J. U. Doctoris celeberrimi patruelis, Antverpiæ natus est 5. Maii 1546. In Academia Jenensi apud Saxones Jurium Doctor ac Professor publicus renunciatur anno 1574. hinc Witembergam evocatur 1587. ac post quinquennium ad Academiam Altorfinam. Demum Coburgi Aulæ Senator, Curiæ Provincialis Assessor, & Scabinatûs Ordinarius, isque primus, in fata concessit die XXVII. Augusti 1603. ab *Adriano Beyero* hoc Epigrammate honorario celebratus.

PETRE WESENBECI *vestigia Patrui adornas*
*Docta tui, studiis nobilitasque genus.*
*Te Jena audivit: te Wittenberga docentem:*
*Teque Altorfinæ pulchra Corona Scholæ.*

Edidit *Tractatus & Responsa, quæ vulgo Consilia dicuntur, VI. Partibus.* Fol. Basil. 1577. Witenberg. & Francof. 1607. & aliàs.

*De subsidiis necessitati publicæ ferendis.*

*Rudimenta Digestorum & Codicis*, ex *Matthæo Wesenbecio* desumpta.

*In Pandectas*, cum Notis *Bachovii.*

*Commentarium de Regulis Juris.* Francof. 1625. in 8.

## PHILELEUTERUS TIMARETES,

Nomen fictitium Autoris ignoti, qui edidit *Collectionem Monumentorum*, rerumque maximè insignium Belgii fœderati, ex templis & locis publicis urbium & Academiarum deductam. 8. Amstelod. 1684.

## PHILIBERTUS BRUSSELIUS,

Sive DE BRUXELLES, Mechlinien-sis, *Rodolphi* Equitis & *Margaretæ de Longueville* filius, Toparcha in Heysbroeck, Grand-Grain &c. primùm ab anno 1539. in supremo Mechliniæ Senatu patris successor, pòst sacri Palatii & secretioris Concilii Assessor, Archivorumque Artesiæ custos: Vir ob singularem prudentiam atque eruditionem spectabilis, & toti Aulæ gratissimus. Hunc Carolus V. Imper. ditiones suas anno 1555. in Philippum filium translaturus, Bruxellis in publico Ordinum consessu, prolocutorem adhibuit.

Obiit Antverpiæ anno 1570. XII. Kal. Novembris, ex Oratione, quam ibidem ad Sereniss. Hispaniarum Reginam *Annam*, Maxemiliani II. Imp. filiam, in navi & sub dio, nudoque vertice habuerat, contracto morbo, unde diebus dumtaxat XIV. supervixit; sepultus Machliniæ in Monasterio Blyenbergensi, extra urbis muros: quo à rebellibus Calvinianis vastato, corporis reliquiæ Bruxellas translatæ sunt, & in monumento paterno apud PP. Carmelitas depositæ.

Filium reliquit *Gasparem de Bruxella*, Curiæ Ultrajectinę Consiliarium & Vice-Præsidem, defunctum an. 1595. mense Octobri. Scripsit eruditè

*De Conditionibus Testamentorum, Contractuum & Pactorum* Libros IV. Lovanii 1560. 4. apud Petrum Colonæum; Bruxellis apud Francisc. Vivien. 1659. ac denuo Francofurti & Lipsiæ anno 1700, in 4. unà cum simili Tractatu *Pauli Duran.*, Hispani, Episcopi Urgellensis, *De Conditionibus & modis impossibilibus à jure prohibitis* &c.

Epitaphium hoc Bruxellis olim lectum est.

*Cy gist Messire*
PHILIBERT DE BRUXELLES,
*En son vivant Chevalier,*
*Seigneur de Heysbrouck & de Grangrein,*
*Conseiller de l'Empereur Charles V.*
*Et depuis du Roy Philippe son fils,*
*Es Conseaux d'Estat & Privé,*
*Et Garde de Chartres de Sa Majesté:*

*En Arthois,*
*Qui treſpaſſa l'an 1570. le 21. d'Octobre.*
*Et*
JOHANNE DE LOCQUENGIEN
*Sa femme,*
*Fille de Meſſire*
PIERRE DE LOCQUENGIEN,
*Chevalier,*
*Treſpaſſée l'an 1577. le 16 de May.*

## PHILIPPUS ALLEGAMBE,

Bruxellis natus die 22. Januarii 1592. inſtitutâ in Italiam peregrinatione unà cum Duce de Oſſuna Siciliæ Pro-Rege, Societatem Jeſu ingreſſus eſt anno 1613. Panormi in Sicilia, ſibique dein magnum nomen editis ſequentibus Voluminibus comparavit.

In Academia Græcenſi in Styria S. Theolog. Doctor inauguratus fuit, ibique Theologiam publicè explanavit. Ferdinando II. Cæſari carus, ac Principi Eggenbergico, Cæſaris nomine Legationem ad Urbanum VIII. Pont. obeunti, anno 1638. itinerum Comes datus, ejuſque conſcientiæ arbiter. Diem extremum obiit Romæ in Domo Profeſſa Societatis, die 6 Septembris 1652, dum eſſet Præpoſito Generali à Secretis, & ab Epiſtolis latinis.

*Bibliotheca Scriptorum Societatis Jeſu*, poſt excuſum anno 1608. Catalogum P. *Petri Ribadineiræ* S. J. Theologi, novo Librorum ad annum 1642. editorum apparatu concinnata, & illuſtrium Virorum elogiis adornata, authore Allegambio prodiit fol. Antverpiæ apud Jo. Meurſium 1643. Poſtmodum vero iteratò prodiit Romæ apud Jacobum Ant. de Lazaris 1676. in fol. aucta plurimùm & recognita à P. *Nathanaële Sotuello*, Anglo, ejuſdem Societatis Theologo. Quin & propediem nova, ſeu quarta ejuſdem Bibliothecæ editio expectatur è Gallia, curâ quorumdam PP. ejuſdem Societatis Pariſiis.

Fuit quoque P. *Allegambius* author horum librorum.

*Vita Joannis Cardini*, Luſitani, S. J. 12. Romæ 1649.

*Mortes illuſtres Virorum illuſtrium Societ. Jeſu.* fol. Romæ 1657.

*Heroes & victimæ charitatis Societ. Jeſu.* fol. Romæ 1658.

## PHILIPPUS BALDÆUS,

Delpheuſis Batavus, Sectæ Calvinianæ Miniſter, primò in Inſula de Ceylon, dein verò in Geervlitano apud Batavos Municipio, ubi & diem clauſit extremum anno 1671. Idiomate belgico item germanico evulgavit

*Deſcriptionem accuratam Regnorum Malabariæ ac Coromandelii, nec non Inſulæ de Ceylon, cum figuris urbium, plantarum, &c. atque enarratione ac refutatione Idololatriæ Indorum, ex propria confeſſione ſacrificulorum, qui Bramines appellantur. Accedit & Grammatica Malabarica.* Amſtelodami apud Waesberghe & Someren 1672. in fol.

## PHILIPPUS BEBIUS,

Otrepienſis, Eburo, Societ. Jeſu, Coloniæ in Ubiis potiorem vitæ ſuæ partem regendo Sodalitio Mariano impendit, & ferè quotannis pium aliquem libellum Sodalibus ſuis Xenii loco ſcribere ac dicare ſolebat. Pleroſque tacito auctoris nomine, excudit Coloniæ Joannes Kinckius, quorum titulos exhibet Bibliotheca Scriptorum Societ. Jeſu. Sunt in his,

*Porta Cœli & Scala Jacob*, ſive *Teſſera Salutis, Prædeſtinationis ac mortis felicis, cultus Virg. Dei-paræ*, 1616.

*Scala Virtutum*, 1618. *Diæta Salutis.*

*Antidotum Spirituale contra peſtem*, 1622.

*Flores Meditationum*, 1623. typis Bern. Gualteri.

*Thronus Juſtitiæ*, ſive *de triplici examine Conſcientiæ*, 1624.

*Schola Affectuum*, edita nomine *Alberti Malberg*, 1625.

*Trivium cæleſte*, *De triplici Via*, *Purgativa*, *Illuminativa & Unitiva.*

*Antidotum generale contra omnes animæ morbos*, ſive *Tractatus Spiritualis de præſentia Dei*, 1626.

*Ars vitæ ſanctioris*, ſive *Scientia myſtica Spiritualis*, 1627.

*Euthanaſia*, ſive *Præparatio ad felicem mortem*, 1628.

*Phœnix redivivus*, ſeu *De renovatione interiore Sodalis Mariani.*

*Tractatus aſceticus de Militia ſpirituali.* 1630.

*De Peregrinatione Vitæ humanæ ac Filiorum Dei*, è XLII. manſionibus Filiorum Iſraël, 1631.

Edidit præterea quædam Hiſtorica ac Philologica:

*Chronologiam* brevem *ab initio mundi uſque ad annum* 1628. præfixam Hiſtoriæ Horatii Turſellini; typis Herm. Mylii, in 8.

*Commentarium in III partes Carminum ſelectiorum Latinorum*, ex diverſis Scholiaſtis concinnatum. Ibid. 1629. in 4.

*Commentarium in Lyrica Horatii expurgata*, ex Veteribus & recentioribus Scholiaſtis. Ibid. in fol.

*Vindicias Urſulanas*; quas P. Hermannus Crombach, ejuſdem Societ. ſupplevit & edidit, utriuſque nomine præfixo; Coloniæ 1647. fol.

Obiit Coloniæ, anno 1637. ætatis LXVIII. die XVI. Februarii

## PHILIPPUS BELVALETIUS,

San-Paulinas, Arteſius, Canonicus S. Bartholomæi Bethunienſis, edidit Duaci, apud Joan. Boſcardum, 1565. 8. *Pſalmos Davidicos L.* Lyricis verſibus redditos.

## PHILIPPUS BERLAIMONTIUS,

Huienſis, Eburo, natus anno 1576. Societati Jeſu nomen dedit anno 1590. Ejus in efformanda ad virtutem omnem juventute ſtudium emicuit. Edidit

*Paradiſum Puerorum:* in quo primævæ honeſtatis, totiuſque pueritiæ rectè informatæ exempla continentur, certo ordine diſtributa. Duaci, typis Joan. Bogardi, 1618. 8. & Coloniæ, eodem anno apud Kinchium.

*Bibliothecam Moralem*, in qua præcipuæ de Chriſtiani hominis Officiis quæſtiones ad ordinem Catechiſmi revocantur, exempliſque illuſtrantur, Huii moriens prelo paratam reliquit, anno 1637. die 11. Septembris.

## PHILIPPUS BOESTIUS,

Helmondanus Brabantus, S. Theol. Licentiatus, olim Lovanii ſecundus in ſcholis Artium è Falcone anno 1545, dein Paſtor B. M. V. Daventriæ ibique Canonicus Eccleſiæ Cathedralis, ac Reverendiſſimi D. *Ægidii de Monte*, primi Epiſcopi Daventrienſis Vicarius. Verùm occupato à rebellibus & opido & Epiſcopatu, ipſum quoque loco munerique cedere oportuit. Unde reliquum vitæ in patria tranſegit, populumque ibidem verbo & opere inſtruxit. Edidit

*Libellum Precum*, multam pietatem ſpirantem, Silvæducis.

## PHILIPPUS BOSQUIER,

Natus Montibus Hannoniæ, unde Cæſarimontanum ſcribere ſe ſolet, Ord. S. Franciſci Eccleſiaſtes celebris, ſtudiis ſacris operam dedit Pariſiis, u-

Digitized by Google

ſus præceptore *Henrico Willotio* inſtituti ejuſdem Theologo. Inde Romam adiit, hoſpitem ibi nactus Cæſarem Card. Baronium. Concionum, quas variis in locis habuit, Tabulas ſive Notas dedit: quæ primùm ſparſim quoque editæ & variis in locis; colligatæ ſimul ab ipſo auctore, & excuſæ à Joan. Crithio Coloniæ, Tomis II. 1621. fol. Tomo I. continentur ſequentia, adſcriptis etiam locis, ubi ſeorſim pleraque excuſa.

*Orbis terror*, ſeu *Concionum de Finibus Bonorum & Malorum* libri II. Coloniæ, 1610. 8.

*Orator Terræ Sanctæ & Hungariæ*, ſeu *Sacrarum Philippicarum in Turcarum barbariem & Chriſtianorum diſcordias Notæ*. Duaci, 1606. 8.

*Vegetius Chriſtianus: de tota arte militari ad Turcam debellandum.* Coloniæ, 1615. 8.

*Ara Cœli*, ſeu *Concionum* Decades III. *De honorario trium Magorum Orientis*, Jesu *infanti oblato in Bethlehem.* Ibid. 8. & Antverpiæ 1607.

*Monomachia* Jesu-*Chriſti & Luciferi: Conciones XL. De Tentationibus Chriſti in deſerto.* Duaci, Atrebati, 1598. & Coloniæ, 8.

*Codrus Euangelicus: Notæ Concionum XL. de Paſſione Domini.* 1611

*Legatus Apoſtolicus: Notæ Concionum de Joannis Bapt. Magni libertate adverſus inceſtum Herodis.* Coloniæ, 1607. & 1612. 8.

*Carcer Laureatus: De rebus in carcere à Joanne Bapt. geſtis.* Ibidem. 1618. 8.

*Chriſtiados* libri II. Rythmici, *F. Joanne Houdemio* auctore, *à Boſquiero* illuſtrati.

*Chryſoſtomus Italorum*, ſeu *Cornelii Muſſi*, Epiſcopi Bitontini, *Conciones IV. in Canticum B. Virginis: Magnificat*, *à Boſquiero* verſæ in latinum.

*Tragœdia nova*, dicta *Novacula cultus mundani*, gallicè. Montibus, in 8.

Tomo II. *Academia Peccatorum*, in Partes V. tributa, de parabola Prodigi Euangelici. Montibus, 8. & gallicè Pariſiis.

*Tabula Naufragii:* de Dominicis ac Feſtis. Coloniæ, 8.

*Sobria Jentacula Chriſti & Samaritanæ: de ſiti Chriſti ſedentis ad fontem Jacob.* Ibid. 1619. 8.

*Orationes Funebres* III. in obitum *Philippi II.* Regis Catholici, R. P. *Jac. l'Eſcailleti*, & *Ducis Arſchotani.*

Acceſſit deinde Tomus III. quo continentur: *Catechiſmus Joannis Baptiſtæ catenati.*

*Scipio claudicantium*, ſeu *Joannis Bapt. Catenati pars II. & III.* Colon. 1625. 8.

*Domini Opt. Max. Panegyricus ſervo ſuo vincto dictus.*

*Echo Concionum reliquarum Panegyrici de Joanne Baptiſta.*

*Conciones aliquot de Dominicis & Feſtis quibuſdam.* Coloniæ, 1628.

Quæſtio perplexa, *Pilatus quis & cujas?* Ibid. 8.

*Oratio in Exſequiis R. D. Caſparis Honotii, Abbatis Altimontenſis*, 1626. 8.

*Plutarchus alter*, ſeu *Ægidii Corrozeti Apophthegmata heroïca*, ex gallicis latina facta, interprete *Boſquiero.* Coloniæ in 8.

*Speculum Vitæ S. Franciſci, & Sociorum ejus*, paulò ante editum Antverpiæ à Guilielmo Spoelbergio, ex vetuſto Codice MS. etiamnum exiſtente Lovanii in Bibliot. FF. Minorum, recudi curavit *Boſquierus* Coloniæ 1623. in 8. Cumque idem Spoelbergius capitum ſeriem & ſtylum, (qui barbarus ei apparebat) mutaſſet, primigeniam ipſe Authorum phraſim reſtituit. *Ita Hagiographi S. J. Tom. II. Auguſti pag.* 454.

Denique *Joannis Gerſonis Tractatum de laude Scriptorum ſive Librariorum* recenſuit, Notulis ac Paleis illuſtravit; quem Bibliothecæ Manuſc. præmiſit *Ant. Sanderus.*

Moritur

Moritur Avenis in Hannonia anno 1636.

## PHILIPPUS BOUCHY,

Hanno-Servius, ( vernaculè *Chievres*, oppidulum eſt juxta Athum ) natus anno 1574. Societ. Jeſu, varia pia & aſcetica edidit Opuſcula ſermone vernaculo,

*Lacrymas Parthenophili arefactas*, ſive *Conſolationem Animarum B. Virgini devotarum.* Leodii, 1636.

*Conſilium Status*, ſive *Directionem ad dignoſcendum ſtatum, in quo Deus vult unumquemque ſalvare* Ibid. 1637.

*Solatium Animarum deſolatarum.* Ibid.

*Tractatum De Charitate fraterna.* Ibid. 1638.

*Artem benè moriendi.* Ibid. 1639.

*Amicum fidelem uſque ad mortem*, ſeu *Modum diſponendi ægros ad benè moriendum.* Ibid. 1639. & latinè 1642. 8. typis Balduini Bronckart.

*Divæ Tungrenſis Hanno-Belgicæ, ſive Imaginis ejus Tungros Hannoniæ miram per Angelos deportationem.* 4. Leodii 1651.

*Divæ Serviæ Hanno-Belgicæ, ſive miraculorum ab ea patratorum florilegium.* 4.

Mortuus eſt Leodii die 9. Februarii 1657.

## PHILIPPUS BRASSEUR,

Hanno-Montanus, Presbyter, Eccleſiæ Collegiatæ S. Quintini Malbodienſis in Hannonia Canonicus, verſu & proſa elegans. Hannoniæ ſuæ illuſtrandæ potiſſimùm operam impendit; ediditque

*Sidera illuſtrium Hannoniæ Scriptorum*, Elogia & Scriptaeorum carmine complexus. Montibus, 1637. 8.

*Bibliothecam Hannoniæ* Ibid. 1639. 4.

*Theatrum Abbatiarum Hannoniæ*, metricè. 8. Montibus 1645.

*Panegyricon Sanctorum Hannoniæ.* 8. Montibus 1644.

*Origines omnium Hannoniæ Cœnobiorum*, cum auctario de Collegiatis ejuſdem Provinciæ Eccleſiis. 12. Montibus apud Waudræum. 1650. Has velut majoris ſimulque Diplomatici Operis primitias edebat Author, quod tamen ſecutum non fuit.

## PHILIPPUS BROIDE,

Duacenus ( Val. Andreas Aërienſem Artheſium dixit ) urbis patriæ quondam Conſiliarius, & in ea Academia J. U. Doctor renunciatus circa ann. 1595. fuit & Juris Civilis ibidem Profeſſor primarius.

*Franciſci Polleti* J. C. celeberrimi filiam uxorem duxit; unde & heres bonorum ac ſacrorum ſoceri ſui, *Hiſtoriam Fori Romani* Libr. V. partum ejus poſthumum, *reſtituit, illuſtravit, auxitque Corollariis ac prætermiſſis.* Prodiit primùm Duaci 1576. in 8. dein etiam Francofurti 1676.

Priori libro ipſum Forum conſtituitur: altero de Advocatis, Cauſſidicis, & horum claſſibus agitur; tertius Magiſtratibus; quartus Accuſatoribus & reis: quintus demum Actionibus & formulis judiciorum privatorum deſtinatur. *Supplementa* autem *Broidæi* non minus erudita & elegantia majus operi pretium conciliant: videlicet Libri V. cap. 4. 5. 6. 10. & 19.

Edidit etiam gallico idiomate *Diſcurſus IV.* quorum hi tituli ſunt: *Philoſophus ſive Admiratio; Orator ſive Rhetor; Princeps Chriſtianus, ſive Imitatio Dei; Vaſallus, ſive Feudum:* Duaci 1627. in 8.

Claruerunt etiam in eadem Academia Duacena *Henricus & Petrus Broidæi*, ambo J. U. Doctores creati anno 1619. die 25. Octobris; primus in Metropoli Cameracena Canonicus,

alter urbis patriæ primus Consiliarius; qui fortè ex *Philippo Broidæo* nati, aut proximi saltem consanguinei ejus fuêre.

## PHILIPPUS CÆSIUS A ZESEN,

Batavus; Historicus, Mathematicus & Poëta, descripsit

*Cœlum Astronomico-Poëticum, sive Mythologicum stellarum fixarum.* 8. Amstelodami 1662.

*Stellarum errantium, sive Planetarum Cœlum.* 8.

*Scalam Heliconis Teutonici.* 8. Amstel. 1643.

*Leonem Belgicum*, hoc est, Reipublicæ Belgarum fœderatæ exordium, progressus & formam, ac statûs descriptionem. 12. Amst. 1660.

## PHILIPPUS CAVERELLIUS,

San-Paulinas, nobilis Artesius, illustris Cœnobii Vedastini, Ordinis S. Benedicti, in urbe Atrebatensi Abbas, atque Illustrium Ordinum Artesiæ triginta & ampliùs annos Princeps ac primus Delegatus, Religiosorum similiter Ordinum & bonarum artium, dum vixit, fautor eximius. Cujus rei exemplo sunt Collegia bina, Vedastinum Duacense, S. Gregorii patrocinio dicatum, & alterum Societ. Jesu Atrebatense, utrumque à fundamentis, unà cum templo, excitatum; ipseque ingenio, judicio, doctrinâ excelluit, & stilo admodum florido conscripsit, *Ferreolo Locrio* teste,

*Chronicon Vedastinum, cum Abbatum serie.*

Obiit Kalendis Decembris 1636. Virtutes ejus hoc Epitaphio complexas leges, quod in choro Basilicæ Vedastinæ erexerunt grati in Patrem optimum Religiosi.

„ Anno M. D. C. XXXVI. primâ „ Decembris, Divo Eligio sacrâ, A- „ trebati in Monasterio S. Vedasti, „ Ordinis D. Benedicti, Sedi Apo- „ stolicæ immediatè subjecto, satis „ & naturæ concessit Reverendissimus „ in Christo Pater D. PHILIPPUS CA- „ VEREL, dicti cœnobii Abbas, Be- „ nedictinorum per Belgium exemp- „ torum Visitator, & pro Ecclesiasti- „ cis ad status Artesiæ Deputatus or- „ dinarius: vir extra controversiam „ summus, & avitæ religionis ac pa- „ triæ bono natus. A primis vitæ an- „ nis Christi jugo mancipatus, nobi- „ lem animum sacræ sapientiæ disci- „ plinis & institutis per annos trigin- „ ta ita excoluit & instruxit, ut ad „ magisterii apicem evectus, suis „ exterisque sanctioris vitę miris præ- „ luxerit exemplis, infulamque pas- „ sim gemmis coruscam, ipse magna- „ rum virtutum ornamentis augustiùs „ decorarit. Inter ceteras eximiâ in „ Deum pietate, in proximum cari- „ tate & misericordia, in seipsum „ frugalitate, in subditos benignita- „ te, in litterarum studiosos & ege- „ nos munificentiâ & liberalitate pro- „ fusus, tantos in terra famæ, in cœ- „ lo meritorum thesauros recondidit „ prudens auri artifex, ut jure hîc „ patris pauperum nomen, illic mer- „ cedem promeruerit. Cujus semper „ cupidissimus, cum 82. ætatis age- „ ret annum, viribus paulatim defi- „ cientibus, nativoque humido con- „ sumpto, inter numerosæ familiæ „ gemitus & suspiria, ut alter Abra- „ ham, ivit ad patres suos in pace, „ sepultus in senectute bona. Tu le- „ ctor bene precare, sive parenti, re- „ ligionis vinculo obstrictus, sive in be- „ nefactorem, & de republica bene me- „ ritum, benevola pietate propensus.

## PHILIPPUS DE LA CHAMBRE,

Olim Monachus Benedictinus & Ab-

PHILIPVS, COMINÆVS
FLANDER-E QVES-
H.L.F.

bas Corbienſis in Picardia, hinc ab anno 1530 Epiſcopus penultimus Morinenſis ſeu Teruanenſis in Artheſia, poſt triennium S. R. E. Cardinalis, dein Epiſcopus Bellicenſis ac Coroſopitenſis in Gallia. Fato functus anno 1550, exiſtens Epiſcopus Tuſculanus.

Edidit apud Morinos Statuta Synodalia, hoc titulo:

*Reglemens & Ordonnances faites par Philippe de la Chambre.* &c. 12. à Saint Omer 1530.

## PHILIPPUS CHIFFLETIUS,

Eccleſiæ Metropolitanæ Veſontionenſis Canonicus, Prior Bellifontis, & ab anno 1634. Abbas Commendatarius Balernenſis Ordinis Ciſtercienſis in Sequanis, Sereniſſ. Principi ISABELLÆ &c. primùm, deinde FERDINANDO Hiſpaniarum Infanti à Sacris Oratorii, hinc Illuſtriſſ. *Claudii d'Achey* Archiepiſcopi Veſontini & S. R. I. Principis Vicarius Generalis; natus eſt anno 1597. die x. Maii, patre Joanne Doctore Medico.

Luſtravit adoleſcens celeberrimas Academias; atque inde in Belgium profectus, Lovanii unà cum fratre Joanne Jacobo, *Erycii Putcani* contubernio uſus, arctam cum eo amicitiam & familiaritatem, ob ingenii vim & elegantiam, iniit: pollebat enim magnâ antiquitatis cùm ſacræ tum profanæ cognitione, totiuſque Rei Nummariæ & Gemmarum priſcarum vivens velut theſaurus erat. E vivis exceſſit paulò poſt annum 1663. Evulgavit

*Lacrymas funebres in Morte Philippi III. Regis Catholici*, verſu, cùm gallico tum latino. Lovanii typis Maſii, 1621. 4.

*Hermanni Hugonis è Soc. Jeſu Obſidionem Bredanam*, gallicè. Antver. typis Plantin. 1630. fol.

*De pietate erga fidelium animas igne purgatorio detentas*, gallicè. Ibid. 1635. in 12.

*Præfationem & Notas in Concilii Tridentini Canones & Decreta.* Ibid. 1640. 12. & alibi.

*Præfationem in Thomæ à Kempis Libros IV. de Imitatione Chriſti.* Antver. typis Plant. 1647. & aliàs.

*Motivum Juris, pro Nominatione quæ competit Regi Hiſpaniæ ad Archiepiſcopatum Vezuntinum.* Dolæ 1663. in 4.

*Divam Virginem Bellifontanam in Sequanis; quæ eſt, loci ac pietatis Deſcriptio, originem, incrementa, ſeriemque Hierotopatharum complectens.* 4. Antverp. typis Plant. 1631. Prodiit primùm gallicè à Chifflietio, ibidem Priore, dein latinè ab *Ericio Puteano* reddita.

## PHILIPPUS COMINÆUS,

Ex illuſtri Cominęorum apud Flandros familia, in Aula primùm Caroli Audacis, Belgarum Principis, annos octo vixit: poſt (neſcio quâ re offenſus) Ludovici XI. Galliarum Regis partes ſecutus eidem gratiſſimus fuit, &, dum fata Deuſque ſinebant, ſummæ per Galliam auctoritatis. Nam Rege exſtincto, in carcerem conjectus, variè exagitatus fuit, auxilio omni & favore homo exterus deſtitutus. Pariſios itaque, uxore agente, accerſitus, cauſam ipſe ſuam in frequenti Senatu egit, & adverſariorum, quorum magna erat apud Judices potentia & auctoritas conatum fregit. Formâ fuit eleganti, ſtaturâ procerâ & heroïca, memoriâ inſigni; lectionis variæ, ſtudii indefeſſi.

Unum dolebat maximè, quòd, cùm gallicam, hiſpanicam, germanicam calleret linguas, latinam ſolam ignoraret. Et hoc quoque laudem ejus auget (inquit Lipſius Notis ad librum I. Politicorum ſuorum) quòd tanta præſtitit litterarum penè rudis, ſolo uſu rerum peritus & naturali quadam judicii bonitate. Certè non ve-

retur idem Lipsius eumdem componere cum quovis antiquorum Historicorum. Incredibile est enim, quàm ille omnia videat, omnia scrutetur & penetret, arcana consiliorum eruat, & subinde, Polybii exemplo, instruat nos salutaribus rarisque præceptis.

Fidem tamen in eo desiderat Jac. Mejerus Annal. Flandriæ libro XVII. ad an. 1475. ubi multa de Carolo & Ludovico provinciali linguâ *Cominæum* benè quidem scripsisse memorat; *sed quædam*, inquit, *etiam scripsit planè mendaciter, multaque dicenda infideliter reticuit.* Verum hoc Mejeri testimonium ceteri passim Historici redarguunt.

Uxorem duxerat è familia Monsorella, in finibus Andegavorum, *Helenam Chambæam*, Argentoni Dominam: è qua filiam sustulit *Joannam*, nuptam *Renato*, è familia Britanniæ Ducum, Comiti Penthievrio.

Vitâ decessit anno 1509. ætatis LXIV. XXI. Kal. Septembreis, Argentoni in Pictonibus; sepultus Parisiis, apud Augustinianos, in Sacello à se condito. Epitaphium hoc illi scripsit S. P. Gallus.

*Gallorum & nostræ laus una & gloria gentis,*
*Hic* Cominæe *jaces, si modo forte jaces:*
*Historiæ vitam potuisti reddere vivus,*
*Extincto vitam reddidit Historia.*

Legendus omninò de rebus à *Cominæo* gestis Petrus Matthæus libro de Ludovici XI. Galliarum Regis Vita; cui addatur Jac. Marchantius in Descriptione Flandriæ lib. I. ubi de Cominæo opido tractat; Aub. Miræus in Chronico suo Belgico ad annum 1472. item Andreas Quercetanus Familiæ genealogicæ de Chastillon sur Marne pag. 504. Deque familia *Clitia* Flandrica, ex qua natus fuit *Cominæus*, vide disertè scribentem Philippum l'Espinoium libro de Flandriæ Nobilitate. Scripsit gallicè, quâ potissimùm linguâ excelluit, & ad veterum historicorum gloriam venit,

*Historiam Rerum gestarum sub Regibus Ludovico XI. & Carolo VIII.* in Gallia, Burgundia, Flandria, Anglia, Hispania. Paris. 1539. item 1552. fol. & alibi. Et latinè, interpretante *Joanne Sleidano*, Argentinæ, 1545. 4. Flandricè, interprete *Cornelio Kiliano*, Antverp. typis Plantini, 1578. 8. Hispano item idiomate per *Joannem Vitrianum* Regi Cath. à sacris Oratorii Anto. typis Joan. Meursii, 1643. fol.

*Commentarios de Carolo VIII. Galliarum Rege, & bello Neapolitano*, eodem *Sleidano* interprete. Ibid. 1548. 8.

Anno 1649. celeberrimus Galliæ Historiographus *Dionysius Godefroy*, alias *Gothofredus*, novam dedit Historiæ Comineæ editionem Parisiis, typis Regiis, folio magno, Notis tum suis, tum parentis defuncti *Theodori Gothofredi* illustratam. Novam rursus edidit, Notis ac Monumentis Historicis adauctam, Vir Clarissimus *Joannes Godefroy*, *Dionysii* filius, Cameræ Regiæ Rationum Insulis Chartophilax, hoc titulo: *Memoires de Philippe de Commines Sgr. d'Argenton, contenans l'Histoire des Rois Louis XI. & Charles VIII. depuis l'an. 1464. jusques en 1498.* 8. Bruxellis typis Franc. Foppens 1706. in 3. Vol. Quę etiam anglicè prodiit apud Anglos. 1713.

Tandem eodem Authore iisdemque typis prodiit anno 1723. Editio nova ceteris auctior, exquisitis atque Anecdotis Documentis è Camera Rationum Insulensi erutis illustrata, V. Tomis in 8. Tomo IV. continentur Elogia varia *Philippi Comminæi* Historicorum Principis, atque imprimis hoc Auberti Miræi, ejus Iconi subscriptum.

*Vidit, & invidit me* Gallica *bella notasse*
Crispus, *Romanâ primus in Historia:*

*Si te* ROMA, *suo, dixit, sermone beasset,*
COMINÆE *fores primus in Historia.*

## PHILIPPUS COSPEANUS,

Vulgo COSPEAU, Hanno-Montensis, quondam Lovanii inter primos in Artibus promotus è Pœdagogio Castri, dein Justi Lipsii auditor & Metropolitanæ Cameracensis Canonicus. Anno 1604. Doctor Theologus in Universitate Parisiensi renunciatus, Episcopatum Aurensem in Vasconia paulò pòst adeptus est, consecratusque Parisiis in Sacello Domûs Sorbonicæ 18. Februarii 1607. Hinc ad Nannetensem Ecclesiam anno 1621. translatus, denique ad Episcopatum Lexoviensem 1635.

Magni nominis Theologum, concionatorem eximium, omnisque novitatis osorem, admirata est Gallia. Oblatum sibi Corn. Jansenii Iprensis Episc. librum dum pervolvisset, indignabundus rejecit, dicens: *non esse Augustinum, sed pestilentissimum Augustini Corruptorem.* Ita de eo Isaac Habertus, libro contra Apologiam Jansenii. Decessit 8. Maii 1646. ætatis anno 73. in castro de Logiis, fuitque cor ejus reconditum in æde Capucinarum Parisiis, corpus autem (sicut testamento caverat) apud Benedictinas de Calvario, in eadem urbe. Dixit ac publici juris fecit

*Orationem funebrem Henrici IV. cognomento Magni, Francorum Regis, in solemnibus ejus exequiis Lutetiæ in Basilica B. M. V.* anno 1610.

*Orationem ad Ludovicum XIII. Regem, nomine Cleri Gallicani, cujus Comitiis interfuerat,* anno 1617.

*Tractatum* item *Theologicum* latinè, quem Cardinali Armando Richelio, Ludovici XIII. Ministro primario inscripsit. Porro Præsul iste pluribus aliis intentus negotiis, hoc brevi elogio, sed energico, gratias egit Authori: *Accepi, legi, probavi.*

Orationem funebrem Cospeani Præsulis dixit *Nicolaus Grillié* Uceticensis Episcopus, in templo Carmelitarum excalceatorum, dum cœtus Cleri gallicani generalis celebraretur: aliam item eo anno 1646. *David de la Vigne.* Vitam autem virtutesque illustravit *F. Renatus le Mée*, Ord. Minorum, hoc titulo: *le Prelat accompli, representé en la personne de l'Illustriss. Sgr. Philippe Cospeau Eveque de Lizieux.* 4. Salmurii 1647.

## PHILIPPUS COUPLET,

Mechlinienſis, Societ. Jesu Sacerdos, obtentâ à superioribus Missione, navigavit ad Regnum Sinense anno 1659. unà cum PP. Franc. Rougemont Ferd. Verbiest & Alberto Dorville Belgis, aliisque. Annos plures transegit in eo Regno Christianæ Fidei præco zelosissimus; (è Belgicis S. J. Missionariis sextus,) simulque de vita moribus & dogmatibus Sinensium accuratam percepit notitiam. Postmodum remissus est in Europam, tum ad exponendum Romano Pontifici Fidei Catholicæ statum, in Regno Sinensi jam mirificè propagatæ, tum ad exquirendos è Societate sua novos in Vinea Domini operarios pro vastissimis illius regionis Provinciis; ubi messis quidem multa, operarii autem pauci, ita ut viciniores Missionarii distarent à se amplius, quam Parisii distent Bruxella.

Româ per Belgium ad Sinenses reversurus, jam major sexagenario, salutavit Mechliniæ patrem suum senioculum jamque octuagenario majorem, viditque denuò junctum matrimonio; vidit & fraterculos annis prope sexaginta juniores se, è quibus unus *Florentius Couplet* S. T. L. Lov. dein obit. Pastor ad S. Catharinam Mechliniæ anno 1722.

Dum verò ex Hollandia solvit versus Chinam, subortâ in mari tempestate, per vehementem cistæ in corpus suum agitationem allisus ad latus navis, miserè oppressus interiit anno 1692.

Opus famosum, curis ipsius, ac Sociorum exaratum, hunc titulum præfert. *Confutius, Sinarum Philosophus; sive Scientia Sinica latinè exposita, studio & operâ Prosperi Intorcetta, Christiani Herdrich, Francisci Rougemont, &* PHILIPPI COUPLET, *PP. Societ. Jesu*; Libri III. jussu Ludovici XIV. Galliæ Regis in lucem protracti Parisiis 1687. in fol. per Danielem Hortemels.

Moralium & Politices, quæ apud Sinenses obtinet, rationem videmus in eo expositam; imò in Procœmiali declaratione, quam Editores præmiserunt, non solùm rei litterariæ status plenius exponitur, sed etiam Sinensium Theologia, mores, Christianismus, aliaque prima principia. Adjicitur *Vita Confucii*, & subjungitur in fine *Tabula Chronologica Sinicæ Monarchiæ, ab ejus exordio, juxta Cyclos annorum LX. ab anno ante Christum 2952. ad annum post Christum* 1683. Promiserant iidem editores etiam *Memcium*, secundum Sinensium Philosophum, qui uno post Confucium sæculo vixit, luci exponere: verum id dudum post eos præstitit *P. Franciscus Noël*, Hanno, S. J. de quo aliàs.

Eodem *Coupletio* collectore prodiit *Catalogus PP Societatis Jesu, qui post obitum S. Francisci Xaverii, ab anno* 1581. *in Imperio Sinarum Fidem Christi propagarunt*; ubi singulorum nomina, res gestæ, prædicatio, mors, sepultura, & libri Sinicè editi recensentur, è Sinico latinè redditus. 8. Parisi. 1686.

*Historia nobilis fœminæ, Candidæ Hiu Christianæ Sinensis, quæ anno ætatis* 70. *viduitatis* 40 *decessit, anno* 1680. Prodiit gallicè Pariſ. 1688. in 12. apud Steph. Michallet, paulò post hispanicè Madriti, ac belgicè Antverp. typis Cnobbartiis 1694. Eâdem occasione tractatur de moribus gentis, de instituto Missionariorum, & de exercitiis pietatis novitiorum Christianorum &c.

*Relatio de Statu & qualitate Missionis Sinicæ, post reditum PP. è Cantonensi exilio, anno* 1671. Extat fere tota in Paralipomenis P. Papebrochii ad Propylæum Maii pag. 126.

Italicè *Ragguaglio delle cose più notabili della China* (sine loco) 1687. in 4.

## PHILIPPUS AB ELEEMOSYNA,

Sic vulgò dictus, cognomento AB HARVENG, à loco natali qui vicus est apud Montes Hann. ex Priore anno 1155. electus Abbas II. Monasterii Bonæ Spei, Ordinis Præmonstratensis, apud Binchium Hanno niæ opidum, Vir disertissimus, & *B. Bernardo* Abbati Claræ vallensi familiaris, scripsit eleganti stilo, ac puro,

Vitas *S. Augustini*, Episc. Hipponensis, *S. Amandi*, Episc. Leod. *S. Gisleni*, Episcopi, *SS. Quirici*, seu *Cyrici* & *Julittæ* Martyrum, *Salvii* Mart. *Foillani, Odæ, Waldetrudis*, & *Agnetis, Landelini* Abbatis, Fundatoris Crispinensis in Hannonia Cœnobii.

Porro hanc S. Landelini vitam è Codice MS. Crispinensi erutam primus evulgavit Duaci anno 1642. 8. *Arnoidus Raissius* ibidem Canonicus.

*Commentarium in Cantica Canticorum.*

*De Damnatione Salomonis.*

*De Clericorum Dignitate, Scientiâ, Justitiâ, Continentiâ.*

*De Obedientia.*

*De Si entio*

*Epistolas XXI.* & *Poëmata* aliquot. Edita simul Duaci, 1620. fol. typis Laur. Kellami, procurante *Nicolao Chamartio* ejusdem loci Abbate.

Denique cum sedisset annos XXVII.

ſenio confectus, officium paſtorale depoſuit, ac paulò poſt mortuus eſt in Quadrageſima anni 1182. die XIII. Aprilis. Plura de hoc Abbate in *Chronico Abbatiæ Bonæ Spei*, ibidem impreſſo 1704. curâ Abbatis *Engelberti Maghe*.

## PHILIPPUS ELSSIUS,

Bruxellenſis, Ord. Eremit. S. Auguſtini, Conventûs Bruxellenſis, annos multos in docendis litteris humanioribus emenſus, Gymnaſiique Præfecturâ, Ordini ſuo non parvum attulit decus, evulgando

*Encomiaſticon Auguſtinianum*, in quo perſonæ hujus ordinis, ſanctitate, prælaturâ, legationibus, ſcriptiſque præſtantes enarrantur. Fol. Bruxellæ apud Franc. Vivien 1654.

Notavit tamen de hoc Scriptore *Philippus Labbæus* S. J. Theol. quod erga Ordinem ſuum bene animatus, omnia quæ à variis hinc inde diſperſa ſunt, avidiùs incautiùſque corraſerit: multos aliorum Ordinum Scriptores ſuo adſcribens; (ſic enim imprimis S. Franciſcum Aſſiſinatem, Ordinis Minorum Patriarcham, Auguſtinianæ quoque Religionis expreſſè profeſſum aſſeruit.) Adeoque quod non omnem poſuerit operam, quæ curioſo Lectori poſſit aut debeat facere ſatis.

## PHILIPPUS EPISCOPIUS,

Vulgò DE BISCHOP, Patricius Gandenſis, Poëta felix, luſit

*De Laudibus Alex. Farneſii, Principis.*

*Poëmata* item varia; inter quæ eſt *Lar Familiaris*, amœbœo carmine agitatus ab *Epiſcopio*, *Vrientio*, *Harduino*, *Pantino*, *Clytio* &c. Spem horum edendorum *Juſtus Rycquius* aliquando fecerat.

Maximilianus Vrientius concivi & amico hoc Epitaphium ſcripſit.

*Verus & hic nullus compoſitus Epiſcopus, illi*
*Sit ſine lite quies, ſit ſine nocte dies.*
*Quâ caruit vivus, cœlo ferat ille tiaram,*
*Vitæ damna brevis fama rependat anus.*
*Dum ſtabunt magnæ ſublimia mœnia Gandæ,*
*Vivet jucundi nomen* EPISCOPII.

## PHILIPPUS DE L'ESPINOY,

Flander, Vice-Comes Teruanenſis & Capellæ Toparcha, natus eſt circa annum 1552. patre *Carolo*, Equite, Toparchâ de Linges, Mardicoucque &c. Conſilii Flandriæ Senatore, (de quo ſupra pag. 152.) matre *Margareta de Longin*, filiâ Rolandi, Cameræ Rationum Brabantiæ Præſidis. A juventute militiam ſectatus, in obſequio Philippi II. Hiſpaniarum Regis cohorti peditum præfuit.

Ætate provectior otio litterario totum ſe dedit; Antiquitatis ac Nobilitatis potiſſimùm Flandriæ promus-condus, atque ex Actis & monumentis publicis connubiorum, partitionum hæreditariarum, Teſtamentorum, aliiſque authenticis probationibus, ac ſignanter è MSS. à *Marco Warnewicio* relictis, contexuit Hiſtoriam Genealogicam Comitum Flandriæ, Seriem Gubernatorum, Magnorum Baillivorum, Caſtellanorum & Baronum &c. gallico idiomate, cum ſcutis eorum gentiliciis. Titulus libri, hodie rari ac precio cari, hic eſt.

*Recherche des Antiquitez & Nobleſſe de Flandres, contenant l'Hiſtoire Genealogique des Comtes de Flandres, avec une Deſcription curieuſe dudit Pays. La ſuitte des Gouverneurs de Flandres, des Grands Baillys, Maiſtres des Eaues, & autres Officiers principaux des Villes. Un Receuil des nobles & riches Chaſtellenies, Baronnies, & infinité de belles Seigneuries du reſſort & diſtrict dudit Pays, avec une*

*Deduction Genealogique de ceux qui les ont poſſedé ; la Police qui y at eſté obſervée en la conduitte & gouvernement de l'Etat & Villes ; avec un abregé particulier de ceux qui ont eſté commis aux Magiſtrats de la tresnoble Ville de Gand, depuis trois ſiecles en ça ; avec une briefve deſcription de leurs Familles, & rapport ſuccinct de ce qui s'eſt paſſé de memorable en aucunes années : Juſtifiée par bonnes Preuves tirées des Chartes & Tiltres conſervez aux Archives des Comtes de Flandres, des Abbaies, Chapitres, & anciens Regiſtres de diverſes villes & Communautez, enrichie de pluſieurs figures & diviſée en deux livres.* Fol. Duaci apud viduam Marci Wyon, 1631.

Item *de Origine & principiis Equitum*, ex Italico *Franciſci Sanſovini*, diſſeruit ; multaque alia ſcripta Genealogica reliquit, quæ lapſu temporum interciderunt.

Deceſſit ætate provectus, circa annum 1633. *Vir patriæ ſuæ ſtudioſus, & de Republica* ( verba ſunt Ant. Sanderi Tomo I. Flandriæ illuſtratæ pag. 19. ) *non malè meritus ; ſi non pluſculum pro ſua in omnes ſingulari benevolentia, & animi candore tribuiſſet iis, qui cum homines plane novi ſint, iis accenſeri gaudent, quos priſca & illibata Nobilitas aliaque illuſtria Familiarum ornamenta commendant.*

## PHILIPPUS FLEMING,

Auditor militaris per annos XIII. præſidii Batavorum in urbe Oſtendana, nec non durante famoſa quatuor annorum obſidione ; eoque tempore Secretarius Gubernatorum diverſorum qui armata manu occubuerunt ; vernaculè eam deſcripſit, hoc titulo.

*Ooſtendſche vermaerde vier-jaerige bloedighe belegeringhe* &c. 4. Hagæ-Com. 1621.

## PHILIPPUS FRANCISCUS TAISNE,

Bruxellenſis, in Societatem Jeſu admiſſus anno 1643., edidit ſermone vernaculo

*Vitam Apoſtolicam S. Franciſci Xaverii.* 8. Antver. 1663.

*Vitam S. Franciſci Borgiæ.* 8. Ibid. 1671.

*Divam Virginem Conſolatricem, & Refugium Peccatorum, cujus Imagines honorantur Brugis.* 8. 1663. Ibidem. Item alia quædam tacito nomine.

## PHILIPPUS FROMONT,

Montenſis, Monachus ac Prior Cœnobii Altimontenſis Ordinis S. Bened. apud Hannones, deceſſit anno 1636. Collegerat

*Annales Abbatiæ Altimontenſis, cum geſtis Abbatum*, hactenus ibidem MS.

## PHILIPPUS GALLÆUS,

Batavus, Harlemenſis, Chalcographus inſignis, de Republica literaria, & arte pictoria optimè meritus, Ben. Ariam Montanum, Ortelium, Plantinum, Moretum unicè coluit. Præcipua artis ejus monumenta hæc ſunt, teſte Swertio ( cui familiariſſimus fuerat ) in Athenis Belg.

*Epitome Theatri Orteliani*, Antverp. typis Plantini 1590.

*Effigies CL. Virorum*, verſibus Ariæ Montani ornatæ.

*Effigies CL. Virorum Belgarum*, in quas carmine luſit Franciſcus Raphelengius.

*Illuſtrium Galliæ Belgicæ Scriptorum icones*, ex muſæo Auberti Miræi. 1604.

*XII Cardinalium, pietate, doctrinâ, rerumque geſtis maximè illuſtrium imagines & elogia.* 1598.

*Icones*

*Icones illuſtrium fœminarum veteris Teſtamenti*, verſibus breviter à Cornelio Kiliano explanatæ.

*Icones illuſtrium fœminarum novi Teſtamenti*, per eundem Kilianum.

*Semi-Deorum marinorum, amnicorumque imagines.*

*Icones Prophetarum Majorum & Minorum veteris Teſtamenti*, per eundem.

*Mediceæ familiæ rerum feliciter geſtarum victoriæ & triumphi* 1583.

*Septem orbis miracula.*

*Vermis ſericeus*, quem Joannes Stradanus Brugenſis figuravit.

*Proſopographia virtutum, animi, corporis, bonorum externorum, vitiorum & affectuum variorum delineatio*, diſtichis illuſtrata per Kilianum.

*Venationes Ferarum, Avium, Piſcium*, depictæ à Joanne Stradano, editæ à Philippo Gallæo, & carmine illuſtratæ à Cornelio Kiliano.

*Equitis Joannis Auſtriaci*, Caroli V. Imp. filii, in quo omnis generis generoſiſſimorum equorum ex variis orbis partibus inſignis delectus, ad vivum delineatus à celebri Pictore Joanne Stradano, & à Philippo Gallæo editus.

Ejuſdem extat *Brevis Rerum in Belgio, ab anno 1566. uſque ad 1569. geſtarum deſignatio*, inter Scriptores Belgicos Francofurti editos in fol. 1580, Tomo II.

*Inſtructions & fondemens de bien pourtraire, pour les Peintres, les Statuaires, Orfevres* &c. fol. fig. Antv. 1589.

*XXIV. Ornemens de puits.* fol.

*Differens portraits de menuiſerie, de l'invention de Jehan Vredeman, & mis en lumiere par Ph Gallé.*

Migravit è vivis Antverpiæ, anno 1612. relictâ filia *Juſta Gallæa*, quæ nupſit Adriano Collaert, ſculptori itidem præclaro. Sepultus ante ſacellum S. Lucæ ſacrum, in templo primario; hoc Epitaphio.

PHILIPPO GALLÆO,
Sculptori celeberrimo,
Et CATHARINÆ ROLLANDIÆ
Ejus conjugi.
Ille Annos natus LXXV.
Obiit IV. Idus Martii M. D. C. XII.
Hæc annos nata LXIII.
Obiit pridie Nonas Junii M.D.XC.IX.

## PHILIPPUS DE GHERING,

Trudonopolitanus, Medicinæ Doctor, ac Sereniſſ. Principis Erneſti Bavari Electoris Colonienſis Leodienſis Epiſcopi Archiater ac Conſiliarius domeſticus; dedit brevem

*Deſcriptionem Fontis Spadani*; & *Fontis ferrati Tungrenſis*: quam è gallico latinam fecit *Thomas de Rye* ſeu *Rietius*. Leodici, 1592. 8. apud Henr. Hovium.

Obiit Leodici, anno 1604. III. Idus Novembres, relictâ Viduâ *Ida Haghen*, quæ ſecundis nuptiis maritum habuit præfatum *Rietium* alterum præfati Principis Medicum.

## PHILIPPUS GRUTERUS,

à Diericxlant, Batavus, edidit

*Orationem de priſca Batavorum virtute.* Lugd. Batavor. 1618. fol.

## PHILIPPUS GUALTERUS DE CASTELLIONE,

Inſulis Flandriæ opido oriundus, Magalonenſis Epiſcopus, (à Magalone, inſula maris mediterranei, è conſpectu Galliæ, cujus ſedes Pauli III. Pont. auctoritate anno 1536. in Montiſ-Peſſulani urbem tranſlata eſt) Theologus & Poëta, ut illa ferebant tempora, elegans, & magnæ opinionis, inquit Trithemius; ſcripſit verſu heroïco, ad Guilielmum Epiſc. Remenſem,

*Alexandreida*, ſive *Geſta Alexandri*

libris X. Argentinæ, 1513. Francof. 1541. Ingolst. 1554. 8. Lugduni, 1558. 4. Leguntur Manuscripti cum Commentario incerti auctoris ad S. Martinum Tornaci. Hos eo loco olim in Scholis Grammaticorum fuisse legimus, ut præ illis veterum Poëtarum lectio negligeretur. Quidam opus hoc *Guilielmo de Castilione* adscribunt, qui id *Gualtero Episcopo* dedicarit: verùm ex fine operis constat à *Gualtero* scriptum & *Guilielmo* inscriptum.

*Suscipe* Gualteri *studiosum magne laborem*

*Præsul.* . . . . . .

*Vivemus pariter, vivet cum Vate superstes*

*Gloria* Guillermi, *nullum moritura per ævum.*

Henricus Gandavensis in Catalogo, eumque secutus in Bibliotheca Sixtus, binos recensent *Gualteros*, sive *Walteros*, Insulis opido Flandriæ oriundos, quorum alter Episcopus Magalonensis scripserit in *Psalterium*, *Epistolas* & alia, nobis incognita: cùm unus & idem videatur, ut vel ex tempore, quo claruisse dicuntur, patet, circa annum videlicet 1200.

Certè *Galteri*, sive *Walteri, Magalonensis Episcopi*, & *sacræ Rom. Ecclesiæ Legati*, legitur ad Præpositum & Canonicos Ecclesiæ Insulensis *Epistola*, præfixa Operi L. olim Canonici Insulensis, postmodum S. Rufi Abbatis, cui titulus; *Flores super Psalterium*, quâ de laude Operis illius & auctoris agit; Tornaci ad S. Martinum. Itemque *Gualteri de Castellione*, præter jam dicta, ante rebelliones Belgicas MSS. olim adservabantur, ut testatur Bunderius, *Morale Dogma Philosophorum.* Gandavi, in Carthusia.

*De Mahumeto.* Affligemii, apud Bruxellam.

Obiisse putatur Castellione (unde illi cognomen adhæsit) ut testatur distichon:

Insula *me genuit*, *rapuit* Castellio *nomen*,
*Perstrepuit modulis* Gallia *tota meis.*

* * *

Hactenus Val. Andreas. Sed unicum fuisse, non *Philippum* sed *Gualterum de Castellione*, neque unquam extitisse Magalonensem Episcopum, probat prolixiùs Cæsar Oudinus de Scriptor. Eccleſiast. Tom. II. pag. 1666. Hujus etiam supra meminimus pag. 383. nostræ Bibliothecæ Belgicæ.

## PHILIPPUS HANNETON,

Eques Auratus, inclyti Ordinis Aurati Velleris Thesaurarius, Proto-Secretarius atque Audienciarius (ut ajunt) Philippi Pulchri Castellæ Regis ejusque filii Caroli V. Cæs. Belgii nostri Principum. Vir ad summa quæque negotia adhibitus, summo ingenio cunctis spectabilis, miro animi candore cunctis amabilis. Evulgavit

*Histoire des Traitez de Louis XII. ou Receuil, fait par le premier Secretaire ou Audiencier du Roi de Castille, contenant les Titres, Actes & Traitez faits entre le Roy Louis XII. & ledit Roy de Castille, depuis l'an 1498. jusqu'en 1507.* Fol. Manuscriptum extat in variis Bibliothecis Parisiensibus, puta Cancellarii Seguier, Præsidis infulati de Mesmes, Cancellarii d'Aguesseau &c.

Obitum, familiam, ac dotes *Hanetonii*, disce ex ejus Epitaphio sequenti, quod extat Bruxellis in Basilica S. Gudilæ.

*Cy em-bas gissent*

*Messire* PHILIPPE HANETON, *Chevalier, Treſorier de l'Ordre de la Toison d'or, premier Secretaire & Audiencier de l'Empereur Charles V. qui treſpassa le 18. d'Avril 1528. avant Pasques, & Dame* MARGARITE NUMAN, *ſa compagne, tres-passée le 29. d'Avril 1531. Priez pour leurs ames.*

*Et Meſſire* JEAN HANETON, *Prevoſt de Deventer, Chanoiſne & Treſorier de cette Egliſe Collegiale. Tres-paſſa le 3 de Mars* 1559.

*Auſſi Meſſire* CHARLES HANETON, *leur fils, Secretaire de l Empereur Charles, treſpaſſé le* 23. *Juillet* 1560. *avec Dame* MAXIMILIAINE RIFFLART *ſa femme, tres-paſſée le* 12. *de May* 1563.

✣ ✣ ✣

PHILIPPUS HANETON, *clarus auro, hic eſt Eques*
*Regi* PHILIPPO, *Cæſarique* CAROLO,
*Cum laude geſſit Audientiarium,*
*Sacer Ordo, quem Vellus decorat Aureum,*
*Voluit eumdem præeſſe Theſauris ſuis.*
*Virtus in uno hoc vicit invidiam Viro:*
*Tanta erat in omnes & fides & comitas,*
*Animique candor, maximis, & infimis*
*Deſideratus unicè, Cœlum tenet.*
Obiit anno M. D. XXVIII.

## PHILIPPUS HANNOTEL,

Heſdinienſis, Arteſius, Societ. Jeſu, Opuſcula edidit aſcetica:

*Exercitium Amoris pro nobis crucifixi.* Duaci, in 16.

*Praxin meditandi Paſſionem Chriſti* Ibid. 12.

*Mundi Stultitiam compendio demonſtratam.* Ibid. 1633. 12. & Brux. 1655.

Obiit Duaci, anno 1637. peſtilenti morbo correptus, eo ipſo die, quo tertium Philoſophiæ curſum docendo emenſus, in gratiarum actionem SS. Miſſæ Officium de more celebraverat.

## PHILIPPUS DE HARCHIES,

Hanno-Montanus, Medicus inſignis, ſcripſit

*De cauſſis contemptæ Medicinæ.* Montibus, 8.

## PHILIPPUS HOESWINCKEL,

Antverpienſis, Abbatiæ Tungerloenſis in Campinia Canonicus Norbertinus, & Paſtor Municipii Duffelenſis, Mechliniam inter & Liram, nec non ibidem Cuſtos miraculorum gloriâ coruſcantis Capellæ Marianæ, ſcripſit, typiſque Antverpienſibus anno 1644. evulgavit libellum,

*De Origine prodigioſæ Imaginis Deiparæ in Duffel, quæ dicitur S. Maria bonæ voluntatis*, quæque illic in ſalice ad ann. 1638. à duobus bubulcis adoleſcentibus reperta fuit. Prodiit ſecundò 1667. ac tertiò 1717. curis *Norberti Mattens* Bruxelienſis, Canonici Tungerloenſis, dein Abbatis Fontis Andreæ, Romæ vitâ functi anno 1728.

## PHILIPPUS KERSBELIUS,

Gandenſis, Carmelita, Theologus & Philoſophus inſignis, obiit Pariſiis anno Dom. 1485. Scripſit

Diſſertationem *De Conceptione puriſſima Virginis Deiparæ*, adverſus Vincentium de Novo-Caſtro.

Item *De Poteſtate ſummi Pontificis.*

## PHILIPPUS LANSBERGIUS,

Gandenſis Flander, celebris Mathematicus & Aſtronomus, edidit

*Progymnaſmata Aſtronomiæ reſtitutæ*, Middelburgi, 1629. 4.

*Uranometriæ libros III.* Amſtelod. 4. 1631.

*Triangulorum Geometricorum* libros IV. Ibid. 4. 1631.

*Commentationes* ejuſdem *in motum terræ diurnum & annuum, & in verum adſpectabilis Cycli typum*, è belgico ſermone latinè reddidit, & edidit *Martinus Hortenſius*, Middelb. 1630. 4. item gallicè N. *Gombardus* fol. Middelb. 1633. Repoſuit verò his *Lansbergii* Commentationibus *Lib. Fromondus*, Theologus Lovanienſis, *Anti-Ariſtarchum*, ſive de orbe terræ immobili li-

brum, typis Plantinianis 1631.

*Cyclometriæ novæ Libros II.*

*Introductionem in Quadrantem tum Aſtronomicum, tum Geometricum, nec non in Aſtrolabium.* fol. Middelb. 1633.

*Horologiographiam novam*, in qua omne genus Sciotericorum Horologiorum oſtenditur.

*Tabulas motuum cœleſtium perpetuas*, ex omnium temporum obſervationibus conſtructas.

*Obſervationum Aſtronomicarum Theſaurum.*

*Chronologiæ ſacræ Libros III.* in quibus annorum mundi ſeries ab Orbe condito ad everſa per Romanos Jeroſolyma, novâ methodo oſtenditur, 4. Amſt. 1625. Quæ omnia ejus Opera ſimul fuerunt reimpreſſa Middelburgi, fol. 1663.

Quæ vero in Theologicis ſcripſit atque edidit, produnt auctorem Reformatæ ſeu veriùs deformatæ Religionis fuiſſe Miniſtrum. Obiit die 8. Nov. 1632. ætatis anno 67. Goezæ in Zelandia, ubi filium reliquit *Jacobum Lansbergium*, Goezanum, Medicinæ Doctorem &c. de quo aliàs.

## PHILIPPUS DE LATRE,

Sub-Prior cœnobii Vedaſtini apud Atrebates, familiam religioſam optimis ad virtutem omnem imbuit præceptis, ſuique memoriam reliquit,

*Regulam S. Benedicti*, cruditis ac piis lucubrationibus illuſtratam.

*Stadium ſpirituale*, ſive *Diurnum Monachi*, libris II.

*Meditationes ſacras &c.*

## PHILIPPUS DE LEYDIS,

Equeſtri familiâ *de Leyden* apud Batavos oriundus, J. C. in illa ſæculi ac Juriſprudentiæ, ſtudiorumque nocte doctiſſimus & celeberrimus, Decretorum Doctor Aurelliis in Gallia, Profeſſorque Lutetiæ anno ſalutis 1369. renuntiatus, ibidem annos aliquot Pontificum Decreta publicè explanavit & Canonicum Eccleſiæ S. Mariæ Condatenſis in Hannonia beneficium obtinuit. Fuit & aliquando Paſtor Ziriczeæ. Pòſt *Guilielmo Bavaro* Hollandiæ, Zelandiæ atque Hannoniæ Comiti, ejus nominis Quinto, à Conſiliis fuit, & anno 1373. *Arnoldi Hornani*, Ultrajectenſium Epiſcopi, Vicarius generalis. Demùm *Alberti Bavari* juſſu Romam profectus, à Gregorio XI. P. M. Canonicatu majoris Eccleſiæ Ultrajectenſis donatus eſt. Scripſit

*De Reipublicæ cura, & ſorte Principantis.* Leydæ, 1516. fol. typis Joan. Severini. Anno 1701. prodierunt denuò Amſtelodami in 4. ejuſdem *Phil. à Leydis Tractatus Juridico-politici. Quicus acceſſit Authoris Vita, & Index Legum ad quas ſcripſit*, ex recenſione Sebaſtiani Pet. Zoleti, Regiæ Majeſtatis Boruſſiæ Bibliothecarii.

Obiit Ultrajecti anno 1380. VI. Idus Junii, die SS. Primo & Feliciano martyribus ſacro: ſepultus Leidæ, in cujus urbis templo Pancratiano Præbendas duas inſtituit; unam ad altare S. Andreæ, alteram ad S. Nicolai.

Bibliothecam habuit pro ævo ſuo exquiſitam, quam Urbi natali Leydenſi, ut publici uſûs foret legavit. Librorum Catalogum exhibet Heuſſenius in Hiſtoria Epiſcopatûs Ultrajectenſis Tomo I. pag. 469.

## PHILIPPUS DE MALDEGHEM,

Veteri patriciâ apud Brugas familiâ natus, Toparcha de Leyſſchot &c. edidit

*Petrarque traduit en rime françois, avec les Commentaires.* Bruxell. 1600. in 8.

## PHILIPPUS MARNIX A STA. ALDEGONDE,

Vir nobilis, natus eſt Bruxellis anno 1538. parentibus Burgundis. Fama

eſt, juvenem Eccleſiaſtico ſtatui fuiſſe deſtinatum, & inter Canonicos Membri Morinenſis, ſeu primos Iprenſis Eccleſiæ Graduatos Nobiles aſſumptum.

Initio Belgicorum tumultuum à fide Catholica defecit, & inter præcipuos fuit, qui Belgas ad rebellionem contra legitimum Principem ſuſcitaret; ideoque à Guilielmo Naſſovio, Auriaco Principe, ſummo ſemper honore, Catholicis autem odio habitus.

Ad diverſos Reges, Principes ac Reſpublicas ſæpe Legatus; nempe anno 1575. in Angliam; 1578. ad Comitia Wormatiæ; 1580. in Galliam, ubi & Ducem Alençonium induxit ad capeſſenda Belgii gubernacula; 1581. Conſul Antverpienſis ejuſque urbis contra Ducem Parmenſem propugnator. Vir ingenioſus, eruditus, eloquens, & in Scripturis utriſque ac Jure utroque non mediocriter verſatus.

Inter varias graviſſimaſque occupationes aut ſcribebat aut commentabatur ſemper aliquid: cumque ſingulari Sectæ ſuæ amore flagraret, è Lingua hebræa, cujus præter plures alias apprimè doctus erat, *Pſalterium* Belgicè tranſtulit.

Inde Biblia quoque ipſa, Ordinum auſpiciis eſt aggreſſus; quod opus abſolvere mors non permiſit. Quidam aiunt, cum poſtremis vitæ annis in ſuſpicionem apud Batavos veniſſe, quod reditum ad Hiſpanos meditaretur: ideoque illi impoſitum ſtudium Biblia in linguam vernaculam transferendi; cum annuo quidem 2400. floren. ſtipendio, præter trecentos pro mercede habitationis: ſed ſimul adhibitâ cuſtodiâ, ne (uti paulò ante *Lipſius* defecerat) & ipſe è Batavis evaderet. Obiit Lugduni Batavorum die 15. Decembris, anno ſæculi 1598. ætatis ſuæ 60.

Matrimonio tertiùm junctus fuit, imprimis cum Philippina de Baillœuil; dein cum Catharina Van Eeckeren, viduâ Joannis Van Straelen, Equitis; ac tandem cum Joſina de Lannoy: è quibus nuptiis filius *Jacobus* fœderatis Ordinibus militavit; filiæ plures primariis illius Reipublicæ viris nupſêre.

Poſitum ei fuit Leidæ hoc Epitaphium.

*Non poterant alibi tua dignius oſſa cubare*
MARNIXI, *juxta clare ſago atque togâ,*
*Quam* LEIDÆ; *Martis quæ & Palladis artibus altè*
*Effert præ reliquis Urbibus alma caput.*

Aliud in eum Epigramma ſcripſit *Jacobus Verheiden.*

*Quantus amor Patriæ, quantus quoque Relligionis,*
SANCT-ALDGONDE *tibi, cura laborque docent.*
*Hiſpanus ſenſit, ſenſit Romanus & illud.*
*Te extinctum luget Relligio & Regio.*

Omnia ejus Opera Romæ inſerta ſunt primæ Librorum damnatorum Claſſi: è quibus hæc innotuêre.

*Pſalmi*, ex Hebræa in Belgicam Linguam tranſlati, deinde ad Rythmos belgicos ab eodem revocati, ut & V. & N. Teſtamenti Cantica.

*Theſes aliquot, de Eccleſiæ atque Eccleſiaſticarum Traditionum* κριτηριω, *ſeu certa norma.*

*Reſponſio ad Michaelis Baii, Regii Profeſſoris Lovanienſis, Apologiam.* Extat integrè in nova editione Operum Baii anno 1696. curâ *Gabrielis Gerberoni*, Benedictini Galli: unà cum iis quæ ſcripſit Baius adverſus Marnixium. Notentur etiam, quæ de *Franciſco Horantio* ſunt dicta ſuperiùs.

*Epiſtola conſolatoria ad Fratres exules, Brabantos, Flandros, Hannones, Artheſios, alioſque Belgas, peregrinis in regionibus, ob puram Euangelii doctrinam, diſperſos.*

*Tractatus de Cœna Domini*, ad Galliarum Regis ſororem Lotharingiæ Duci nuptam; gallicè Leidæ 1599. in 8. & Rupellæ in Gallia 1603.

*Contra Libertinos.*

*Apologetica reſponſio contra Anonymum quemdam Libertinum.*

*Apiarium*, ſive *Alvearium Romanum* anno 1571. editum, ac Franc. Sonnio I. Sylvæduc. Epiſcopo inſcriptum, pernicioſus liber, ac meritò diris devovendus; quia ad Atheiſmum viam ſternit. Confutavit eum *Joannes Coens*, Theol. ac Paſtor Cortrac.

*Tabula, quâ Differentia Chriſtianæ & Papiſticæ Religionis exponitur*; gallicè, Leidæ 8. 1599.

*Oratio pro Matthia Archiduce Auſtriæ & Ordinibus Belgicis*, habita Wormaciæ in Comitiis anno 1578. menſe Majo. Contra Orationem iſtam, *Apologiam* ſequente anno ſcripſit *Cornelius Looſæus*, Goudanus, Theologus Catholicus.

*De Inſtitutione Principum*, opuſculum Marnixii poſthumum, prodiit Franek. 1615. in 8.

*Annotationes* ejus *in Apologiam Joannis Auſtriaci*, extant MSS. in Bibliotheca publica Lugduno-Batava.

*Germani cujuſdam nobilis & Patriæ amantis Viri, Commonefactio ad Potentiſſ. ac Sereniſſ. Reges Principes &c. de Reipubl. Chriſtianæ ſtatu atque incolumitate conſervanda.* Prodiit anno 1583. libellus anonymus, ſed à Lipſio, Borrio, aliiſque Aldegondio aſſertus.

Evulgavit quoque varias, variis temporibus, *Admonitiones*, *Declarationes*, *Tractatus*, *Conſilia*, *Diſputationes*, *Conſolationes*, *Interpretationes*; & inter ſeria, Jocos etiam & Facetias, aliaque Scripta Anonyma multa.

Plures item *Marnixii* extant inter illuſtrium & clarorum Virorum Epiſtolas ſelectiores, à Petro Bertio Leidæ anno 1617. editas.

## PHILIPPUS MEYERUS,

*Antonii* filius, *Jacobi* nepos, Atrebas, Scholæ patriæ moderator, Poëſin, patris exemplo, adamavit. Scripſit

*Mahometi Arabis Pſeudo-Prophetæ Vitam*, carmine heroïco.

*Epicedium Alexandri Farneſii*, Parmę & Placentiæ Ducis. Atrebati, 1594. 4. typis Guil. Riverii.

*Elogia Principum aliquot, bellicâ laude illuſtrium.*

*Panegyricum de Caleto expugnato*, ad Albertum Auſtriaeum.

*Epinicium de Atrebato ab Henrico IV. Galliarum Rege fruſtrà tentato.*

*Elegiarum* & *Epigrammatum* libros III. aliaque, quorum editionem auctor moriens commiſit *Joanni Franciſco Cardevacquio*, Patricio Atrebatenſi.

Præterea *Jacobi Meyeri Annales Flandriæ*, à Caroli Audacis cęde ad annum uſque 1617. pertexuit. Quod opus adſervatur Atrebati in Bibliotheca Vedaſtina.

Devixit Atrebati anno 1637. ſeptuagenario major, in D. Nicaſii cœmeterio apud patrem conditus.

## PHILIPPUS MONTANUS,

Armenterius, Flander, S. Theol. Doctor in Academia Pariſienſi, à primis annis Lutetiæ Eraſmo familiariſſimè & domeſticè eſt uſus: erat enim linguæ utriuſque peritiſſimus, vitæ integritate à puero inſignis, in pauperes largus, ſui contemptor. *Moribus* certè *ſanctioribus, aut magis pium vidiſſe neminem* ſcribit ad Franc. Bonvaletum lib. XXVII. Epiſt. Eraſmus. Vixit perpetuò cœlebs, & ad ſupremum Theologiæ gradum pervenit, tametſi Sacerdos non eſſet, aut ullo Ordine inſignitus.

Sexagenarius Duacum ad excitatam recens Philippi II. Hiſp. Regis auſpiciis Academiam venit: in qua tranquillè & placidè conſenuit; primuſque in Collegio Marchianenſi tribus pauperibus alendis ſubſidia reliquit; Burſas vulgò vocant.

PHILIPPVS DE MONTE
N. Larmessin. sculpsit.

Recognovit & reſtituit *D. Joannis Chriſoſtomi Opera*, & *Tranſlationem latinam.*

Item è græco in latinum tranſtulit *Enarrationes Theophilacti Archiepiſcopi Bulgariæ in Euangelia*, *Epiſtolas Pauli*, & *Prophetas* aliquot *Minores*. Baſil. apud Hervagium, 1554. & 1570. Hæc denuo recenſuit, ediditque fol. Londini in typographia Regia, *Auguſtin. Lindſellus*, Herefordenſis pſeudo-Epiſcopus.

Obiit Duaci, octogenario major, anno 1576. XI. Kal. Junii, ſepultus in D. Jacobi, ubi effigies ejus in feneſtra vitrea viſitur.

## PHILIPPUS MONTANUS,

Ord. Ciſtercienſis, Religioſus Cœnobii Molinenſis, in Comitatu Namurcenſi, (& antea, teſte Miræo in Chronico Ciſterc. Religioſus Societatis Jeſu) ſcripſit

*Speculum Orthodoxæ Fidei & Hæreticæ pravitatis:* ad Rob. Henrionum, Abbatem Villarienſem, opus prelo & luce dignum.

## PHILIPPUS DE MONTE,

Sic dictus, quia Montibus Hannoniæ natus, inter primos antecedentis ſeculi Muſicos fuit, Maxæmiliano II. & Rudolplo II. Imp. chori Muſici præfectus, Metropolitanæ Eccleſiæ Cameracenſis Canonicus & Theſaurarius. Compoſuit & evulgavit, teſte Swertio in Athenis Belgicis,

*Cantiones prophanas & ſacras*, vulgo *Moteta* vocant, 4. 5. 6. 8. vocum; Antverpiæ, Venetiis, & Ingolſtadii impreſſas.

Effigiem ejus ſculptam dedere Sadelarii, hoc verſiculo:

*Cernimus excelſum mente, arte & nomine* MONTEM,

*Quo Muſæ charites conſtituere domum.*

Ejus ſymbolum, ABSQUE LABORE NIHIL.

## PHILIPPUS MORUS,

Ultrajectinus, *Antonii* pictoris celeberrimi filius, Canonicus ad S. Salvatorem Ultrajecti, Poëta & Mathematicus, varia luſit Carmina, quæ paſſim & apud varios leguntur:

*Triumphum Pecuniæ*, ſive Oden annalem, quam feriis Martinianis modulandam pueris proponere ſolebat; carmen ſanè politum, doctum, & ingenio auctoris dignum. Ultrajecti, 1577. 4. apud Con. Henricium.

*Nabath Tragi-Comœdiam ſacram*, ex 3. Reg. 21. Ultrajecti anno 1571. exhibitam; ibidemque apud *Arn. Buchellium* J. C. olim lectam.

Periit *Morus* anno 1578. menſe Auguſto, in Africa cum Luſitaniæ Rege Sebaſtiano, quem Mathematici, titulo Hiſtoriographi, frequentes ſequebantur.

## PHILIPPUS MOUSKE,

Aliàs MEUSE, Gandavenſis Flander, è Canonico ac Cancellario Tornacenſis Eccleſiæ Epiſcopus renunciatus anno 1274. Vir literatus, prudens & diſcretus (ut ait Ægidius le Muiſis in Chronico) Philippo Francorum Regi carus, à quo Monetæ aureæ argenteæque cudendi privilegium obtinuit.

Inter vivos eſſe deſiit anno 1282. Epiſcopatûs ſui octavo, die 24. Februarii, tumulatus in choro Eccleſiæ Cathedralis.

*Antiquis Verſibus gallicis* (primus ipſe, ut præfando gloriatur) *Hiſtoriam Galliæ* contexuit, uſque ad annum à Chriſto nato 1242. Extat MSS. in Bibliotheca Regia Num. 244. teſte P. Labbæo. Laudavit eam Du Cangius, magnamque partem inſeruit ſuæ *Hiſto-*

*riæ* gallicæ *Imperii Conſtantinop. ſub Imperatoribus Francis*, quam anno 1657. Lutetiæ typis regiis, magno fol. evulgavit.

## PHILIPPUS NIGRI,

Cognomento DE CAMPO, in Morinis natus, J. U. Doctor, primùm in ſupremo Senatu Belgico apud Machlinienſes, deinde in ſanctiori apud Bruxellenſes, ſummâ laude, non tantùm Caroli V. Imp. Regiſque Philippi, verum etiam Procerum populique verſatus fuit, eâ conſtantiâ, fide ac diligentiâ, ut ſæpè miratum ſe fuiſſe ſcribat *Viglius Zuichemus*, ad *Carolum de l'Eſpinoy*, *Nigri* è ſorore nepotem, potuiſſe illi ſuppetere tempus, quod religioni Eccleſiaſticiſque officiis (quorum perquam diligens fuit obſervator) impenderetur; idque in tanta ætate, cujus ipſe (inquit) quotidianus fui perſpector & teſtis.

Fuit & Mechliniæ in D. Rumoldi, & Bruxellis in D. Gudilæ Decanus; Gandavi ad S. Pharaildem, & Harlebecæ ad S. Salvatorem Præpoſitus; nobiliſſimi Ordinis Equitum aurei Velleris Cancellarius, primuſque Antverpienſium Epiſcopus à Philippo Rege nominatus; in ejuſque præmaturè defuncti locum Franc. Sonnius ſuffectus eſt. Obiit verò anno 1562. pridie Nonas Januarii, ſepultus Bruxellis in Æde primaria D. Gudilæ, hoc Epitaphio. CANDIDA DE NIGRIS. Iſaiæ 1.

*Extinctum luget tum plebs, tum Curia* NIGRUM,
*Conſilium hæc ejus, altera ſenſit opem.*
*Si quid erat nigri, famâ amplius omne repoſtum eſt,*
*Hoc iſthoc tumulo, cætera candor habet.*
*Vive precor ſummi candore*, PHILIPPE, *beatus,*
*Candida dum fiant, quæ modo nigra jacent.*

Obiit anno M. D. LXII. Stylo Brabantiæ IV. Januarii.

❖ ❖ ❖

Conſcripſerat ipſe juvenis ab anno 1524. *Tractatum de Exemptione Canonica:* quem à morte Auctoris in lucem protulit *Carolus de l'Eſpinoy*, Conſiliarius Senatûs Flandriæ, qui & *Annotationes Additioneſque* adjecit. Gandavi 1578. & rurſum Antverp. typis Joan. Keerbergii, 1593. fol.

## PHILIPPUS NUMANNUS,

S. P. Q. Bruxellenſi à Secretis, Poëta elegans, & in rythmis vernaculis facilis ac facetus; edidit

*Deſcriptionem Spectaculorum & Ludorum in adventu Sereniſſ. Principis* ERNESTI *Auſtriaci Bruxellis editorum.* typis Plant. 1595. fol.

*Panegyricum in adventum Sereniſſ. Principum* ALBERTI *&* ISABELLÆ *in civitatem Bruxellenſem* Ibid. 1602. fol.

*Poëmata varia*, eaque ſparſim & in foliis patulis edita.

Patrio ſermone dedit *Miracula Virginis Dei-paræ in Colle acuto.* Aliaque.

Moritur Bruxellæ anno 1617. X. Kal. Martii, depoſitus apud FF. Minores.

## PHILIPPUS NUTIUS,

Antverpienſis, Societatis Jeſu Theologus ac Concionator facundus, nec non ſcientiarum Mathematicarum inſignis Profeſſor, tum Pragæ, tum Matriti: ſubinde etiam à confeſſionibus fuit Comiti de Feria regii exercitûs Duci. Miſſus & in Sueciam, ut quâ pollebat dexteritate & doctrinâ rerum de fide controverſarum, cum Regina Chriſtina jam tum meditante receptum ad Eccleſiam Catholicam, ageret. Obiit demum Mechliniæ die 17. Aprilis 1661. ætatis anno 64. initæ Societatis 48. Edidit vernaculè, tacito

tacito tamen nomine, contra *Jacobum Triglandium*, Miniſtrum ac Theologiæ Profeſſorem Lugduno-Batavum,

*Demonſtrationem errorum Triglandii de Pontificatu.* Antv. typis Cnobbartii 1634. Item

*Refutationem errorum ejuſdem:* typis iiſdem, 1635.

Item *Triglandium in ſacco:* ibidem & eodem anno.

## PHILIPPUS D'OULTREMAN,

*Henrici* filius, *Antonii*, *Henrici* & *Petri* frater, Valentianus, Societatem Jeſu amplexus anno 1607. ætatis 22, Oratoris Chriſtiani munus totis annis XXVI. laudabiliter & cum fructu ſuſtinuit; ediditque gallico ſermone,

*Verum Chriſtianum Catholicum.* Audomari, typis Car. Boſcardi, 1622. dein etiam anglicè tranſlatum. 1623.

*Pædagogum Chriſtianum*, ſive *Inſtitutionem Hominis Chriſtiani*, è ſacris Codicibus & SS. Patribus. Eſtque hic operis deſignati Tomus primus, *De fuga peccati*, *& bonorum operum exercitio*, gallicè aliquoties editus; & latinè, interprete *Jacobo Broquart* ejuſdem Societatis; Luxemburgi, typis Huberti Reulandt, 1629.

Tomus II. *De remediis malorum omnium* prodiit Montibus 1645. & 1650. itemque III. *in Euangelia Dominicalia*, & IV. *in Feſta* meditabatur edere, dum mors Authorem intercepit ex urbe natali die 16. Maii 1652. Prodiit iterum hic *Pædagogus Chriſtianus* Rothomagi in 4. anno 1704, meliore ſtylo gallico donatus per P. *Brignon* ejuſdem Societatis; item flandricè ab anno 1637. Antv. typis Joannis Cnobbartii.

## PHILIPPUS PETIT,

Buccinienſis Hanno, Ordinis FF. Prædicat. Conventus Duaceni alumnus & Prior, obiit ibidem 14. Aprilis 1661. jubilarius. Edidit gallicè

*Hiſtoriam Civitatis Buccinienſis Oſtrevandiæ Metropolis.* 8. Duaci 1659.

*Vitam B. Alberti Magni Ratiponenſis Epiſcopi.* 8. Duaci & Bruxellis.

*Vitam S. Dominici.*

*Vitas Venerabilium Sororum Joannæ à S. Catharina & Dominicæ à Cruce, in opinione Sanctitatis defunctarum in Monaſterio S. Catharinæ Senenſis Duaci.* 8. Ibid. 1649.

*Fundationem ac deſcriptionem Conventuum, S. Crucis, S. Thomæ Aquinatis ac S. Catharinæ Senenſis, Ordinis S. Dominici in Urbe ac Univerſitate Duacena.* 4. Duaci 1653.

Et alia quædam gallicè. Conſule Bibliothecam Scriptorum Ord. FF. Prædicat. per P. Echard.

## PHILIPPUS POELARIUS,

Brugenſis, J. U. Doctor, & Canonicus ac Decanus S. Salvatoris Harlebecæ, vitâ functus anno 1620. Scripſit libros III. de ratione Numerorum & & Pythagorica philoſophandi ratione, hoc titulo:

*Ætiologiæ*, ſive *Characteriſmi de modo philoſophandi Veterum.* MS. Lovanii in Biblioth. Academica.

## PHILIPPUS A QUERCU,

Curiæ Leodienſis Notarius, vir variè doctus, luſit

*Poëma heroïcum in adventu Ferdinandi Bavari, Principis ſui.* Leodii apud Joan. Ouwerx in 8.

*Epigrammata in ſingulas Litaniarum* B. MARIÆ *Virg.* in Ædc Lauretana uſitatarum & cani ſolitarum, *particulas.* Ibid. 8.

## PHILIPPUS ROVENIUS,

Tranſiſalanus ex pago *Rooven* ortus, & Daventriæ natus anno 1575. ex Ge-

*rardo Rovenio* Daventriensis primùm, dein & Embricensis scholæ Rectore, & N. *Wynhoven*, à qua & ipse, ut molestissimis postea temporibus lateret, dictus est *Wynhovius*. Litterarum rudimentis in patria excultus Lovanium mittitur, peractoque in Falconensi pœdagogio Philosophiæ cursu anno 1596. inter magistros Artium septimum locum obtinuit; dein Licentiæ gradum in Sac. Theol. consecutus est, & sub annum 1599. Sacerdotio insignitus, Collegio SS. Willibrordi & Bonifacii, quod olim Coloniæ Missionis Seminarium fuit, præficitur.

Anno 1605. Aldenzaliâ Tubantiæ Metropoli armis *Ambrosii Spinolæ* rursum captâ & Hispaniarum Regi subactâ, profanatas illic aras & templa expiaturus *Sasboldus Vosmerus* Archiepiscopus Philippensis & Vic. Apost. per Fœd. Belgium, cum opus haberet strenuis operariis, *Rovenium* Coloniâ accersivit, suumque per Daventriensem Diœcesim Vicarium constituit. Anno sequenti eum Canonicum & Decanum Collegiatæ Ecclesiæ S. Plechelmi, quæ fuit Aldensaliæ, dein & Præpositum creavit.

Sasboldo 3. Maii 1614. è vivis erepto, succedit *Rovenius*, per Breve Pauli V. Pont. datum XI. Octobris sequentis, Vicarius Apostolicus per Fœderatum Belgium effectus. Totum sexennium munus illud gessit sine Episcopali ordine, qui illi demum decretus fuit in Consistorio habito 17. Augusti 1620. dato illi quoque titulo Archiepiscopi Philippensis, qui fuerat prædecessoris Sasboldi. Porro consecratus fuit titulo, non Archiepiscopatûs Ultrajectii, sed Præposituræ Aldensalienſis & pensionis annuæ 300 scutorum, quam pietas Archiducum Alberti & Isabellæ eidem constituit super ærarium publicum. Solemnitas peracta est die 8. Novemb. 1620. in Abbatia Forestana per Nuntium Apostolicum: uti fusiùs prosequitur Heussenius; qui de zelo & prudentia *Rovenii*, de ejus eruditione, de disciplinæ Ecclesiasticæ studio, de pietate quoque aliisque virtutibus varia protulit, quæ hunc Præsulem præclarè commendant.

Illud singulare, quod Aldenzaliâ anno 1626. Regi Hispaniarum ereptâ, & in Fœderatorum Ordinum potestatem redactâ, pridie ante oppidi deditionem, sacris in Ecclesia S. Plechelmi ultimâ vice peractis, cruces & imagines è parietibus tolli atque altaria denudari jussit, & in hac tristi scena, ut erat pontificalibus insigniis ornatus, templum gravi & lento pede obambulavit, ad singula altaria sistens gradum, uberesque fundens lachrymas; quando etiam fideles, quos illic præsentes habebat, graviter admonuit de perseverantia in orthodoxa fide. Magnum hunc animum quoque gessit ostentavitque anno sequente 1627. dum Grolla per Fœderatorum copias occupata est. Hinc illi glorioſum testimonium reddidit Hugo Grotius libro de *Obsidione Grollensi* pag. 18.

Porro Rovenius in suspicionem venit, quod Fœderat. Ordinum regimini inimicus contra Remp. moliretur, quia cum cum Rege Catholico & Infante Isabella eorumque ministris commercium habuisse constitit; quamvis non nisi de rebus Ecclesiæ tuendis eorum intercessione Romæ usus sit. Diem ei dixit prætor Ultrajectinus 5. Octob. 1639. & exulare jussus est toto vitæ suæ tempore *sub pœna supplicii quod Patriæ hostibus debetur; facultatibus suis fisco addictis*, ut habet sententia contra eum lata 1. Martii 1640. Perculit Præsulem insperatus casus, non tamen prostravit: instabilis factus est & de civitate in civitatem fugit, sed Missionis causam non deseruit, imo ædes ip-

ſas, è quibus, cum ad vincula quæreretur, feliciter elapſus fuerat, audacter repetiit, illaſque uſque ad ſuum è vita exceſſum in ipſa Civitate Ultrajectina incoluit, & naturæ debitum ſolvit XI. Octob. 1651. anno ætat. 78. Conſecrationis 31.

Anno 1622. vulgavit *Tractatum de Miſſionibus*, qui accuſatus apud tribunal Sac. Inquiſitionis Romanæ, defenſorem habuit *Camillum Cæſarem*, uti pluribus enarrat Heuſſenius. Altera editio præfert hunc titulum: *Tractatus de Miſſionibus, ad propagandam Fidem, & converſionem infidelium & hæreticorum inſtituendis, in quinque partes diſtributus. Editio ſecunda, ad mentem S. Congregat. de Propaganda fide ab auctore recognita.* Lovanii typis Henrici Haſtenii. 1626. *Guilielmus Beyer* eumdem tertio prelo ſubdidit an. 1669. & ſubjunxit Tractatui ſuo *De Autoritate & neceſſitate Epiſcoporum*. Bruxellis typis Joachimi à Metelen.

Anno 1635. prodierunt Rovenii *Inſtitutiones Chriſtianæ pietatis*, libris IV.

Anno 1638. *Reipublicæ Chriſtianæ libri duo, tractantes de variis hominum ſtatibus, gradibus, officiis & functionibus in Eccleſia Chriſti, & quæ in ſingulis amplectenda, quæ fugienda ſint.* Antverpiæ apud Arnoldum à Brakel.

Anno 1640. *Officia Sanctorum Archiepiſcopatus Ultrajectenſis & Epiſcopatuum Suffraganeorum Harlemenſis, Daventrienſis, Leovardienſis, Groeningenſis & Middelburgenſis, ad normam Breviarii Romani; cum prævia Epiſtola Paſtorali.* Coloniæ apud Joannem Kinckium.

Revius & Valerius Andreas commemorant & aliud opuſculum nobis non viſum: *Thus cœlum penetrans*, idiomate vernaculo. Bruxellæ typis Pepermanni. De quo etiam Heuſſenius videtur nonnulla notaſſe.

Edidit præter hæc varia *Decreta* circa fidem & mores ac diſciplinam pro Miſſione Hollandica. *Vide Bataviam Sacram, Hiſt. Epiſc. Ultraj. Heuſſenii; C. P. Hoynck Van Papendrecht Hiſt. Eccl. Ultraj. & Revii Hiſt. Davent.*

Ceterùm ejus pater *Gerardus Rovenius* anno 1574. cum eſſet Scholæ Daventrienſis Rector, edidit *Grammaticæ latinæ Compendium*, à Revio pag. 483. meritò laudatum.

## PHILIPPUS RUBENIUS,

Coloniæ naſcitur anno 1574. v. Kal. Majas, quò Antverpiâ (majorum ſuorum loco natali) parentes communis patriæ calamitas velut æſtu quodam abripuerat. Annorum XII. adoleſcens, elato patre, cum matre Antverpiam venit, bonis litteris inſtituendus. Ætate maturior Joanni Richardoto, Senatus ſanctioris Præſidi, ab Epiſtolis, *Guilielmo* & *Antonio*, filiiſque ejuſdem à ſtudiis fuit, & cum iiſdem in *Juſti Lipſii* familiam migravit. Quadriennio hic exacto, Italiam cum Guilielmo adiit, titulumque Juriſconſulti Romæ conſecutus eſt.

Anno 1604. ex Italia reducem animo & corpore amplexus Lipſius, Lovanii detinere & in docendi munere habere ſucceſſorem deſtinârat: verùm à modeſtia puero ingenita impetrare id non potuit; & Romam iterum cogitantem benevolentiâ & litteris comitatus eſt ad Aſcanium Cardinalem Columnam, qui *Rubenium* à Bibliotheca, Epiſtolis & Studiis eſſe juſſit.

Ad majora graſſante viri famâ, S. P. Q. Antverpienſis Româ evocavit, ut eſſet urbi à Secretis. At quia nullus Antverpiæ in Senatu eſt locus, niſi Brabanto; renuntiatus Brabantus & civis Antverpienſis, raro exemplo, anno 1609. *Joanni Bochio* S. P. Q. Antver. à Secretis, vitâ functo, uno omnium ore ſuffectus eſt. Fuit *Rubenio* ingenium liberale & ad optima natum,

judicium purum & directum, ſtylus in utraque oratione ſive ſcriptione diſertus, doctrina varia & rara.

Obiit præproperè, anno 1611. v. Kal. Septembris, annos natus XXXVIII. ſepultus ad S. Michaelem; fratre, è ſeptem liberis ſolo ſuperſtite relicto, *Petro-Paullo*, pictorum facilè principe. Scripſit

*Electorum libros II.* in quibus Ritus & Cenſuræ.

*Poëmata*, ad Juſtum Lipſium, Doctorem ſuum. Typis Plant. in 4.

*B. Aſterii*, *Amaſeæ Epiſc. Homilias* V. latinas fecit, typis iiſdem, cum *Poëmatis*, *Epiſtolis*, *Orationibus* poſtumis; & *Rubenii Vita*, per *Joannem Brantium* S. P. Q. Antver. ab Actis, 1615. 4. En ejus Epitaphium.

PHILIPPO RUBENIO J. C.
JOANNIS Civis & Senatoris
Antverpienſis Filio,
Magni LIPSII diſcipulo & alumno:
Cujus Doctrinam pœne aſſecutus,
Modeſtiam feliciter adæquavit:
Bruxellæ Præſidi Richardoto,
Romæ Aſcanio Cardin. Columnæ
Ab epiſtolis & ſtudiis,
S. P. Q. Antverpienſi à ſecretis,
Abiit, non obiit,
Virtute & ſcriptis ſibi ſuperſtes,
V. Kal. Sept. ann. Chriſti M.D.C.XI.
Ætatis XXXIIX.
Marito bene merenti
MARIA DE MOY,
Dûum ex illo liberorum
Claræ & Philippi mater,
Propter illius ejuſque matris
MARIÆ PYPELINCX ſepulchrum,
Hoc mœroris & amoris ſui
Monumentum P. C.
Bonis, viator, bene precare manibus,
Et cogita;
Præivit ille, mox ſequar.

## PHILIPPUS SCHOVILLE,

Luxemburgenſis, Societ. Jeſu, annis pluribus Miſſionarius per oppida & agros Luxemburgenſes, edidit germanice

*Directorium Confraternitatis Chriſtianæ doctrinæ, ſub titulo* Jeſu, Mariæ, & S. Franciſci Xaverii. 1667. Treviris in 8.

*Sancta Sanctorum rectè tractandi, ſeu religioſè Sacrificandi Methodum.* 12. Leodii 1668.

*Compendium Vitæ Apoſtolicæ & centum miracula S. Franciſci Xaverii.* 12. Treviris 1670.

## PHILIPPUS SUEVEZELIUS,

Patriâ Brugenſis, nobili proſapiâ ortus, Societ. Jeſu, græcè latineque in primis eruditus, è græco vertit,

*Anaſtaſii Sinaitæ in Pſalmum VI. Davidis Explanationem.* Exſtat Tomo III. Antiquarum Lectionum *Henrici Canifii.*

Edidit præterea vernaculâ linguâ, ſed ſuppreſſo nomine, *Rectam Viam ad Pietatem.* Antver. 1605.

Moritur Cortraci, anno ſalutis 1613. ætatis 44. die XV. Julii.

## PHILIPPUS DU TRIEU,

Havretius, Hanno, Lovanii in Pædagogio Caſtrenſi Philoſophiam didicit, abſolutoque curſu biennali in ſolemni ad magiſterium promotione, conſpirantibus omnium Profeſſorum votis, anno 1599. pronuntiatus fuit Primus. Docuit ibidem Philoſophiam annorum XXIII. adoleſcens; indeque Religionem in Societate Jeſu profeſſus, curſum Philoſophicum tertiò Duaci abſolvit, ipſumque Valerium Andream, primum hujus Bibliothecæ Belgicæ authorem, toto biennio diſcipulum habuit: poſtea Theologiam, quæ viâ atque ordine ratiocinatur, pari fructu & famâ tradidit, Doctor Theologus creatus cum tribus aliis PP.

Digitized by Google

Societatis suæ anno 1617. die XVIII. Julii. Nihil edidit, præter

*Manuductionem ad Logicam.* Duaci, 1614. 8. typis Belleri, & alibi sæpiùs. Paraverat tamen varia in Philosophiam ac Theologiam, sed mors intercepit Authorem, apoplexiâ correptum Duaci die 25. Augusti 1645.

## PHILIPPUS VEUSELS,

Bruxellensis, J. C. supremi Senatûs Brabantiæ Consiliarius, *Guilielmi* & *Godefridi* pater, qui ambo in Regio apud Machlinienses Consilio Senatores Ecclesiastici, sacris etiam muniis claruêre. Scripsit autem

*Epistolam* eruditam *ad novæ Religionis sectatores*, in qua Ministrorum fraudes & opiniones aliquot refelluntur. Antver. apud Guil. Silvium, 1567. 8.

## PHILIPPUS WANNEMAKERS,

Gandensis, Ord. S. Dominici Theologus & Philologus, vivere anno 1626. desiit. Scripsit

*Triumphum Litteratorum*: in quo *Borromeianæ* Virtutis imago. Mediolani, 1611. 8.

*Funus Justæ Vrientiæ, Maximiliani* Filiæ, uxoris nobilis Viri *Joannis de Fourneau*, Dom. de Cruyckenburg &c. Lovanii, typis Flavianis, 1614. 8.

*Orationem Panegyricam de sanctitate D. Thomæ Aquinatis.* Ipris, 1620. 8. typis Franc. Belleti.

*Orationem de optimo Reip. Rectore eligendo*, habitam in Comitiis Provincialibus. Ibid. 1623. 8.

Item *Apologiam pro F. Hieronymo Savanarola, Florentiæ exusto tempore Alexandri VI. Pont.* scripsisse memoratur apud Franc. Swertium in Athenis Belgicis.

## PHILIPPUS WIELANDT,

J. C. Eques, Landegemii & Eversbequii Toparcha, à Carolo Audace Burgundiæ Duce, anno 1473. adsumptus ad Consiliarii dignitatem in Parlamento Machlinienſi recens tum instituto: deinde, cùm Curia illa ad tempus esse desiisset, similem dignitatem in suprema Flandriæ Curia adeptus, factusque Præses ejusdem anno 1488. demùm anno 1504. iterum vocatus ad Concilium Machlinicnse à Philippo I. instauratum, munus Magistri Libellorum Supplicum unà cum vita deposuit.

Scripsit vernaculo idiomate Gandavi 1492. Commentarium

*De Jure Feudorum Flandriæ*, quo veteres ac modernæ Consuetudines Feodales Belgii continentur. Primùm Middelburgi prodiit in 12. apud Ægid. Orthemels, 1664, dein recusus Gandavi cum Notis eruditis ac Commentariis *Joannis Baptistæ de Clerck*, J. U. L. Advocati in Consilio Flandriæ, fol. 1699.

*Practicam Civilem*, accommodatè ad Curias Flandriæ; è qua singula ferè Praxeos suæ capita descripsit *Jodocus Dambouderus*, J. C. vel potiùs interpretatus est, & Commentario illustravit. Edidit à se recognitam *Antonius Sexagius* J. C. Antver. 1573. 8.

*Practicam Criminalem sive Ordinis judiciarii in caussis criminalibus.* MS.

*Consuetudines Generales Flandriæ, in justos Titulos ac classes redactas.* Manuſ.

Præterea *Historiam de Rebus & Antiquitatibus Flandricis* latinam, auctore *Wielando*, laudat Meyerus in Annalibus ad an. 1381. & alibi; legiturque vernaculo sermone in Bibliotheca Ecclesiæ Cathedralis Tornacensis, & alibi.

Item librum, cui titulus, *Insignia Nobilium Flandriæ*, quem citat Joan. Bapt. Grammajus in Cortracensis opidi Descriptione

Vivere desiit anno 1519, relicto filio *Philippo Wielandt* in præfato Mechlinienſi Senatu Consiliario, cujus curâ

Tractatus aliqui juridici, à patre scripti, in lucem prodiêre. Gandavi in Ecclesia parochiali S. Jacobi, in sacello B. Margaretæ, legitur hoc Wielandii scnioris Epitaphium.

*Sepulture van Mher* PHILIPS WIELANT, *Heere van Landeghem, Raedt ende Meester van Requesten Ordinaire van zeere Hooghe ende Mogende Princen en Hertoghen, Charles, Marie, Coninck Maximiliaen, ende Aertshertoghe Philips, die sterft int' jaer XV.C. XIX. den* 11. *van Maerte, ende Jonckvrouwe* JOHANNA HALEWYN, *Mher Jans Dochter, syne Gheselnede, de welcke sterft den XX. van April XV.C. en X.*

## PIERIUS WINSSEMIUS,

Frisius, in vico *Winsum*, Franekeram inter & Snecam, natus, sed Leovardiæ educatus est, ubi *Jason* pater ejus Ludum literarium aperuit. Institutâ postmodum per diversas Galliæ Provincias peregrinatione, in Universitate Cadomensi J. U. Doctor anno 1611. renunciatus est. Venæ Poëticæ, quæ veluti à teneris innata in eo elucebat, mira quoque oris facundia accedebat, stylus elegans, Historiarum, præsertim patriarum, ingens & accurata notitia: ideoque ab *Hug. Grotio, Is. Pontano, Dan. Heinsio, ac Petro Scriverio* insignem laudem promeruit.

Propter hæc, ab Ordinibus Frisiæ, post *Bernardi Furmerii* decessum, Patriæ suæ Historiographus die 5. Novembris 1616. delectus est. Tum ad Academiam Franckeranam evocatus 28. Maii 1636, ut publicâ Historiarum & & Eloquentiæ Romanæ professione fungeretur: illiusque Academiæ Rector Magnificus post triennium electus.

In fata concessit Franekeræ IV. Nonas Novembris 1645. ætatis anno LVIII. pro funere laudatus à *Martino Wybinga* Jurium Antecessore, oratione typis editâ.

Addit *Nic. Blancardus* in Panegyrico Sæculari Academiæ Franeker. anno 1685. *Etiam* P. Fam. Strada, *Romanus, licet causæ Belgarum infensus*, Winsemium *sæpe cum honore appellavit. Et citra assentationem dicam; nihil simile post* Thuanum *me legisse memini, seu fides, seu prudentia, seu ingenua libertas, sive orationis elegans simplicitas & perspicua brevitas spectetur* &c. Edidit porrò Winsemius

Annales vernaculos, sive *Kronyk of Geschiedenissen van Vrieland*, ab anno à mundi creatione 3635. usque ann. à Christo nato 1622. Libros XX. Prodierunt eo anno Franekeræ, in fol. cum iconibus, mappis geographicis urbiumque delineationibus.

*Historiarum ab excessu Caroli V. Cæs. sive Rerum sub Philippo II. per Frisiam gestarum* Libros IV. partim Leovardiæ typis Claudii Fontani, 1629. partim Franekeræ 1633. in 4. vulgatos. Historiam hanc duplo adauctam, perque Libros VII. distributam, denuo publicavit præfatus Fontanus Leov. 1646. fol.

*Vitam, res gestas ac mortem Mauricii Principis Auriaci.* Franek. 1625. 4.

*Panegyricum Gustavo Suecorum Regi dicatum.*

*Orationem Memoriæ ejusdem Gustavi Regis consecratam.* 1633. fol.

*Amores.* 1631. in 12.

*Syrium Caniculæ Stellam*; carmine. 1638. 12.

De Menelao Winsemio, Pierii fratre, jam supra actum pag. 887.

## PIPINUS ROSA,

Landensis Brabantus, (antiquissimo at simul vilissimo juxta Thenas oppidulo natus) Ordinem Prædicatorum in Conventu Lovanienſi professus, ibique dein Prior, S. Theol. inter suos Magister, Ecclesiastes mirificè facundus, à Cardinale *Antonio Perenotto*

PONTVS, HEVTERVS, HISTOR.

*Granvellano* primo Machlinienſium Archiepiſcopo in Suffraganeum aſſumptus, à Pio IV. Pont. die 18. Martii 1562. titulum Epiſcopi Salubrienſis obtinuit.

Plura de illo refert *P. de Jonghe* in Belgio ſuo Dominicano pag. 155. uti & *Conciones* ejus MSS. & *Paſſionem D. N. Jeſu-Chriſti juxta contextum IV. Euangeliſtarum.*

Obiit Mechliniæ, in ædibus *R. D. Vergceſt*, Decani Eccl. Metrop. cui cohabitabat, die 7. Martii 1569. ætatis anno 69. Teſtamentum ejus hodieque extat in Archivis Metrop.

## PLACIDUS a S. THERESIA,

Duacenus, Philoſophiæ, ac Theologiæ Profeſſor in Ordine FF. Carmelit. Diſcalc. ad officia Prioris & Definitoris Provincialis evectus, obiit Bruxellis die 29. Auguſti 1660. Edidit opera inſcripta,

*Liber Vitæ Chriſtus patiens, ſcriptus intus & foris*, ſeu de perpetua Cruce Domini Jeſu, præſertim interiori. Bruxellis 1651. in 8.

*Orationes Theologicæ* variis in locis habitæ. Ibidem 1648. in 4.

*Compendium Vitæ Ven. Matris Urſulæ de Benicaſa Virginis Neapolitanæ*, ibidem 1658. in 8.

## POLICARPUS de HERTOGHE,

Antverpianus, nomen *Cornelii* ſibi impoſitum, dum aquâ baptiſmatis ablueretur, in *Polycarpi* mutari paſſus eſt, dum ſacram militiam candidi Ordinis S. Norberti profiteretur. Philoſophicas, Theologicaſque diſciplinas Lovanii didicit, & in ſui Ordinis Antverpienſi Cœnobio publicè profeſſus eſt; litteris interim humanioribus Muſiſque nequaquam valere juſſis. Scripſit.

*Panegyricos varios in Natales SS. ſui Ordinis.*

*Comœdiam de Converſione* S. Norberti, Premonſtratenſium Patriarchæ; cujus Vitam, ut & aliorum Sanctorum ejuſdem Ordinis variis Epigrammatibus atque Anagrammatibus exornavit.

*Tragœdiam de Vita & Martyrio S. Cornelii.*

*Compendium totius Theologiæ.*

*Vitam S. Norberti*, à Jo. Chryſoſt. Van der Sterre Abbate S. Michaelis editam, novis Notationibus illuſtravit 4. Antver. 1656.

*Religionem Canonicorum Ord. Præm.* ſive Tractatum Candidi & Canonici Ord. Præm. Inſtituta exponentem. 8. Antv. 1663.

## POMPEIUS OCCO,

Amſtelodamenſis, edidit Libellum Precatorium, hoc titulo, In melius. Pompeius Occo.

## POMPONIUS ELLAMA,

Friſius, in Germania vixit, & *Felini Sandæi* J. C. Opera collegit, in ordinem redegit, luxata reſtituit, atque emendavit, Baſileæ adita, typis Froben. 1567. fol.

## PONTUS HEUTERUS,

(Vulgò Heviter) naſcitur Delphis Batavorum anno 1535 x. Kal. Septembres, patre *Joanne*, urbis Prætore, è patricii ordinis majoribus oriundus. Puer, poſt accepta patrio in ſolo prima litteraturæ rudimenta, Leidam ablegatus, dum ibidem anno 1549. III. Kal. Octob. more majorum *Philippus II. Caroli V.* filius in Comitem Hollandiæ inauguratur, ipſe quoque *Heuterus* reliquæ turbæ mixtus, cum populo ſacramentum dicente manus ſe-

ſuas levaſſe, atque exinde numquam ſe hoc puerile ſacramentum, Dei auxilio, violaſſe gloriari ſolebat.

Annorum quindecim adoleſcens Machliniæ apud *Franciſcum Pauli*, doctum probumque Sacerdotem, bonis litteris operam dedit: indeque Bruxellis agens anno 1555. *Carolo V.* Imp. de Belgicarum Provinciarum imperio decedente, cedenteque eas *Philippo* filio, idem *Heuterus* inter alios, omnis ætatis homines, irrepens, inſolito & inaudito ab omni hominum memoria ſpectaculo interfuit. Tum Galliam adiit, ac Lutetiæ Pariſiorum, in illo orbis terrarum velut microcoſmo, anno 1560. aliquantiſper ſubſtitit.

Patriæ redditus, ſtatum vitæ Eccleſiaſticum amplexus eſt; Canonicus primùm Goreomienſis, ac poſtea, rebus ibi turbatis, anno 1585. Canonicus Graduatus in Cathedrali Eccleſia S. Lebuini Daventrienſi adlectus eſt: ſed & illic mutato Catholicæ Religionis ſtatu, Canonicatum obtinuit in Collegiata S. Trudonis in Eburonibus. Auctus poſtremò & Præpoſituræ Arnhemienſis apud Geldros dignitate ac titulo; totis XXV. annis patriâ & bonis exulans.

Vir fuit exquiſitè & variè doctus, in priſci Romanorum ævi, Belgarumque in primis, rebus domi foriſque præclarè geſtis verſatus: ad hæc in Principum ac Nobilium familiis atque genealogiis eruendis diſponendiſque fidus, perſpicuus & induſtrius. Scripſit

*Rerum Burgundicarum* libros VI. De rebus geſtis eorum, qui è Valeſia Francorum Regum familia apud Burgundos ac Belgas imperarunt: cum *Genealogiis Familiarum*, quarum in opere illo fit mentio. Antver. typis Plant. 1583. fol.

*Rerum Belgicarum atque Auſtriacarum* libros XV. qui Vitas reſque à Principibus Auſtriacis in Belgio geſtas continent: quibus præmiſſis eſt *Tractatus de Vetuſtate & Nobilitate Familiæ Habſpurgicæ*. Ibid. typis Nutii, 1598. 4.

Continuavit poſtmodum idem opus, *Hiſtoriâ ſucceſſionis Belgicæ* conſcriptâ, deductaque ab anno 1564. uſque ad annum 1575. & ultra; quæ aliquando adſervata in Camera Finantiarum Bruxellis, primùm luce donata fuit anno 1649. aliquando etiam, jubente Fiſco Regio, ſuppreſſis exemplaribus, proſcripta.

*De Veterum ac ſæculi Belgio*, libr. II. Quibus adhærent

*Moneta Veterum æreæ, argenteæ, aureæ, quæ olim apud Hebræos Græcos & Latinos præſertim in uſu fuit, cum ſui ſæculi*, (anno 1600.) *Anagogica Comparatio*. 4. 1600.

*Menſura longitudinum, earumque appellationes*, quibus olim Hebræi, Græci, Latini, ac peregrini in faciendis itineribus, præcipue ſunt uſi: noſtris temporibus accommodata.

*Etyma variorum Nominum utriuſque ſexûs hominum, Germanicæ originis.*

*De Libera Hominis nativitate*, ſeu *de liberis naturalibus*. Antverpiæ apud Joan. Keerbergium, 1600. 4. Author potiſſimùm ſecutus fuit ac per epitomen redigit doctiſſimum *De liberis Spuriis ac Nothis* librum Cardinalis Gabrielis Paleotti: additque ad caleem diverſorum ordinum ac ſtatuum Viros aliquot præclaros illegitimo thoro natos. Nec mirum, ſi Nothos laudarit: ipſemet enim *Ponthus Heuterus* ex hujuſmodi thoro natus erat.

Simul vero Opera hæc omnia rurſum ſunt edita Lovanii, typis Juſti Coppenii, 1649. fol. quæ ſolo titulo tenus diffèrt ab Hagæ-Com. 1725.

*De Orthographia Belgica*, typis Plan. 1581. 8.

Denique eodem auctore Hiſtorialem Rithmicam de *Martyribus Gorcomienſibus* (è quorum numero tantum non

&

& ipſe *Heuterus* fuit, niſi placuiſſet *Joanni Oumalio*, Canonico antehac Leodienſi, poſtea Eccleſiæ Catholicæ impio & ſacrilego deſertori, propterea quòd latinè galliceque calleret exactè, eum vitâ donatum ſibi Scribam atque Oeconomum adſciſcere) laudat Doctor Guilielmus Eſtius lib. III. cap. XLIV. & lib. IV. cap. XVII. & Petrus Opmeerus Decade I. lib. III. de Martyribus Hollandiæ.

Deceſſit Trudonopoli anno 1602. VIII. Idus Auguſti. Amico epitaphium Nicolaus Oudaert Mechlin. Canonicus ſcripſit:

HEUTERO *tribuunt Batavi cunabula* Delphi,
*Et ſtudiis Chriſti Pieridumque dicant.*
*Hæreſis extorrem ſed agit, laqueo ante necatum*
*Tantum non: furias ſic moderante Deo.*
*Belgica conſcripſit; rigat oſſa* Ciſindria *functi*,
*Dive ubi Sarchinii mœnia* Trudo *foves.*

## PONTHUS PAYEN,

Atrebas, J. C. Dominus d'Eſſars, ſcripſit idiomate patrio, teſte Ferreolo Locrio,

*De initiis tumultuum Belgicorum, uſque ad Ducis Albani tempora.*

Item *Res ab Alexandro Farneſio Duce Parmenſi in Belgio geſtas.*

*Commentarium, de tumultu Urbis Atrebatenſis*, anno 1578. Extat MS. Pariſiis in Bibliotheca Regia.

## POTHO,

Presbyter ſive Monachus Abbatiæ Prumienſis, in Arduennis, claruit anno Dom. 1152. & ſcripſit

*De Statu Domus Dei* libros V.

*De magna Domo Sapientiæ* librum I. Haganoæ, 1532. 8. & Tomo XXI. Bibliothecæ Patrum, editionis Lugdunenſis, pag. 489.

## PROSPER STELLARTIUS,

Tornacenſis, Eremita Auguſtinianus, S. Theol. Doctor, Conventûs in patria Prior, totiusque Provinciæ per Belgium Viſitator, ac Domûs Duacenſis primus Superior, Vir nobilitate ingenii, facundiâ, atque utravis oratione ſive ſcriptione diſertus & elegans, edidit

*Auguſtinomachiam, ſive Vindicias tutelares pro S. Auguſtino & Auguſtinianis*, libris II. Lugd. 1613. 8. apud Jac. Rouſſinum. Inſeritur Indici Librorum prohibitorum.

*Nucleum Hiſtoricum Regulæ S. Auguſtini ad Servos Dei.* Antver. 1618. 8. apud Guil. à Tongris.

*Parallelos LXXII. Auguſtini Catholici & Auguſtino-maſtigis hæretici*: quibus orthodoxa D. Auguſtini & novella ſectariorum doctrina ac fides ex diametro opponitur. Ibid. 1618. 8.

*De Coronis & Tonſuris Paganorum, Judæorum, Chriſtianorum.* libros II. Ibid. 1625. 8.

*Fundamina & Regulas omnium Ordinum, Monaſticorum & Militarium.* Quibus Religionis ſtatus à Chriſto inſtitutus ad IV. uſque ſæculum producitur, & omnes Ordinum Regulæ poſtmodum conſcriptæ promulgantur. Duaci, 1626. 4. typis Belleri.

*Annales Monaſticos* ſive *Chronologiam* libris XVII. totidemque ſæculis diſtinctam. Ibid. 1627. 4. typis Pinchon.

Anno 1626. ob gravia Provinciæ aliaque negotia Romam profectus, Cajetæ in Campania, dum patriam cogitat, eodem anno, IV. Idus Auguſti, annos natus XXXIX. vivis ereptus eſt. Ita de eo Sweertius in Ath. Belg.

*Naſcantur Veneris Martiſque hic & ille ſub Aſtro:*
*Te mundo & nobis* PROSPERA STELLA *dedit.*

# Q.

## QUINTINUS DURETIUS,

INſulenſis, Monaſterii S. Adriani Ordinis S. Benedicti oppidi Gerardimontenſis in Flandria Religioſus, Rectorque Gymnaſii ad erudiendam juventutem à S. P. Q. Gerardimontibus erecti, edidit

*Rhetorum Collegii S. Adriani Gerardim. Poëſin Anagrammaticam.* 8. Antv. apud Petr. Bellerum 1651.

## QUINTINUS WEYTSEN,

Vliſſinghæ apud Zelandos natus anno 1518. (uti latiùs proſequitur *D. de la Rue* in Zelandia litteraria pag. 136. contra *Val. Andream*, qui Batavis eum adnumeraverat) patrem habuit *Jacobum Weytſen*, Conſulem Vliſſingenſem, quem Chriſtiernus III. Daniæ Rex anno 1525. equeſtri ordine donavit.

Fuit porro Juriſconſultus præſtantiſſimus, in Regio Senatu Hagæ-Comitum Conſiliarius, primò Extraordinarius à die 24. Nov. 1555. dein Ordinarius ab anno 1559. Primis nuptiis uxorem ſibi ſociârat *Jacobam de Hubert*, Ziericzeenſis Conſulis filiam; ſecundis autem *N. Perſyn*, cujus nomine Toparcha in Brandwyck dictus eſt. Deceſſit Hagæ-Comitum anno 1565. ſepultus in D. Jacobi, ubi olim muro affixum legebatur hoc ejus Epitaphium.

D. O. M.
Præſtantiſſimo Juris-Conſulto,
Rebuſque Civilibus tractandis
Exercitatiſſimo Viro,
D. QUINTINO WEYTSEN,
Domino in Brandwyck,
Regio in Haga-Comitis
Conſiliario Ordinario,
Chariſſima Conjux, liberique
Cum lacrymis poſuêre.
Obiit anno M. D. LXV. Idibus April.
Ætatis ſuæ XLVII.

✿ ✿ ✿

Edidit *Tractatum de Avariis*, id eſt, Contributionibus, quæ fiunt iis, quorum bona ad evitandum periculum ſubmerſionis è mari ejecta ſunt. Lugd. Bat. 1617. in 4. cum Deciſionibus Curiæ Hollandiæ, typis Elzevirii; ac rurſum cum Obſervationibus *Simonis Van Leeuwen* J. C. 1651. dein Genuę apud Italos 1707. poſtremò Belgicè Amſtel. 1719. in 12. unà cum *Tractatu Adriani Verwer*, *J. C. de Jure Belgico Maritimo.*

## QUIRINUS CHRISOCHÆUS,

Campenſis, Trans-Iſalanus, ſcripſit, ediditque

*Querelam Belgii, civilibus bellis nimis diu multumque labefactati.* Swollæ, 1579.

# R.

## RABANUS HERMANNUS SCHELIUS,

BAtavus, Dominus Venebrugæ, & Welbergii, Iſelmudani Salaniæ Agri Præſes, obiit circa annum 1670. Scripſit

*Protrepticum de Pace, & cauſſis belli Anglici primi.* 12. Daventriæ 1668.

*De Jure Imperii.* 12. Opuſculum poſthumum, dein prodiit curâ Theophyli Hogerſii. Amſtelod. typis Elzevir 1671.

*Notas & Animadverſiones in Hyginum, & Polibium de caſtris Romanis.* Extant in Grævii Theſauro Antiquitatum Romanarum Tomo X.

## RADBODUS,

Tornacenſis ac Noviomenſis ab anno 1068. Epiſcopus, nobili familiâ natus (Herimanno Abbate teſte) Everardique Tornacenſium Caſtellani avunculus, reliquit

*Sermonem de Annuntiatione B. Mariæ Virginis.* MS. ad S. Martinum Tornaci.

*Vitam S. Medardi Epiſc.* quæ extat apud PP. Hagiographos Societatis Jeſu, ad diem VIII. Junii.

Varia quoque *Diplomata* ejus recenſentur ab *Aub. Miræo* ejuſque continuatore.

Multa in Epiſcopatu ſuo utiliter præſtitit: ſed tandem (ut narrant Annales Tornacenſes) de ſimonia convictus coram Hugone Legato Apoſtolico & aliis Epiſcopis, profectus Brugas, illic è vivis ereptus eſt anno 1098. ſepultus in templo Cathedrali Tornacenſi.

## S. RADBODUS,

Ex Regia Friſiorum ac Francorum ſtirpe, vir ſpiritu prophetico clarus, præceptorem habuit *Nannonem Staurienſem*, Philoſophum, & ſub eo ſtudiorum ſocios *Stephanum* & *Manctonem*, poſtea Tungrenſem & Cabilonenſem Epiſcopos. *Radbodus* verò Epiſcopus fuit Ultrajectinorum ordine XIV. ſimulque Theologus, Hiſtoricus ac Poëta.

Obiit anno 917. XV. Kal. Decembres, Epiſcopatûs anno XVIII. Corpus Daventriam tranſlatum, & depoſitum in Æde D. Lebuino ſacra. Scripſit

*De Laudibus S. Martini.*

*Officium de Tranſlatione S. Martini*, quo Eccleſia hodieque utitur.

*De Laudibus S. Bonifacii*, Archiepiſc. Moguntini.

*Flores de S. Willibrordo.*

*Vitam & Tranſlationem S. Amelbergæ Virginis*: cujus meminit Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum. Incipit: *Poſtquam ſancta & Deo amabilis Amelberga* &c.

*Eclogam Eccleſiaſticam De Virtutibus S. Lebuini*, Presbyteri. Exſtat Tomo VI. apud Surium.

*Sermo & carmen de S. Suiberto* Extat in Martio PP. Hagiographorum Societatis Jeſu, Tom. I. pag. 84.

## RADULPHUS A BERINGHEN,

Decretorum Doctor & Profeſſor Lovanii admiſſus ad Collegium Juridicum anno 1441. unàque Canonicus ad D. Petrum, & Rector Eccleſiæ Parochialis de Erps. Reliquit

*Confeſſionale*, ad Cap. *Omnis utriuſque ſexus, de Pœnit. & Remiſſionibus.*

Item *Reportata* (ut habet inſcriptio) ſive *Lecturam ad Clementinas.* Fuit utrumque opus Lovanii Manuſc. ad S. Martinum.

Obiit Lovanii anno 1459. ſepultus in D. Petri ad Altare S. Andreæ, inſcriptumque ſarcophago.

Hîc jacet Magiſter
RADULPHUS DE BERINGHEN,
Artium & Decretorum Doctor,
Qui obiit anno Domini MCCCC.LIX.
IV. die Octobris.

## RADULPHUS,

Monachus Benedictinus S. Sepulchri Cameraci, auctor eſt

*Vitæ S. Lietberti Camerac. Epiſc.* cui fere coœvus erat. Ediderunt eam, D. *Lucas Dacherius* Tomo X. Spicilegii, & *P. Papebrochius* S. J. Hagiographus, unà cum ſuis Commentariis, ad diem XXIII. Junii.

## RADULPHUS,

Monachus Villarienſis in Brabantia Cœnobii, Ord. Ciſtercienſis, reliquit

*Epiſtolam ad Guibertum*, Gemblacenſem Abbatem. Legitur Lovanii, ad S. Martinum, cum Reſponſione *Guiberti.*

## RADULPHUS LE FEBURE,

Presbyter, Philippo Bono Burgundiæ ac Brabantiæ Duci à Sacris, ſcripſit gallicè de bello Troiano librum, hoc titulo, *Recueil des Hiſtoires de Troyes.* Legitur Manuſc. ad S. Laurentium in Bibliotheca Regia.

## RADULPHUS A RIVO,

Breenſi Eburonum opido oriundus, Decanus Eccleſiæ B. M. Tongrenſis, vir, præter Theologiæ & Juris cognitionem, etiam Linguis eruditus. Nam Romæ Græcas tradentem litteras audivit Simonem Conſtantinopolitanum, Thebarum Archiepiſcopum, qui anno 1383. floruit; teſte Joanne Latomo in Chronico Corſendoncano, pag. 102. qui *Radulphum* ſive *Rolandum de Rivo*, Magiſtrum in Artibus, in Grammatica excellentiſſimum, Licentiatum in Legibus, Baccalaureum in Jure Canon. & Advocatum Curiæ Colonienſis, inter cetera ſcripſiſſe refert *Manipulum de Grammatica*; fuiſſeque amatorem Antiquitatum & Statutorum Eccleſiaſticorum, patronum & liberaliſſimum enutritorem devotorum ac bonorum hominum, maximeque primorum Fratrum Monaſterii ſui Corſendoncani, Ord. S. Aug. quos etiam, (inquit) ſecundùm Canones & Eccleſiaſtica ſtatuta vivere perdocuit.

Idem *Radulphus*, cum multa inſignia Volumina ſecum Româ deportaſſet, potiſſimam eorum partem Corſendoncanis reliquit: in quibus fuit *Novum Teſtamentum*, græcis literis, iiſque vetuſtis admodum, eleganter deſcriptum; quo ipſo in ejuſdem Teſtamenti recognitione uſus fuit *Deſid. Eraſmus*, vocatque in Annotationibus, ubi ſæpe citatur, *Codicem Corſendoncanum.* Sed anno 1633. à Priore & Conventu donatus fuit Duci Comiti Olivario Regiæ Majeſtatis ſupremo Conſiliario, & in Schorialenſi apud Hiſpanos Bibliotheca collocatus.

Scripſit etiam *à Rivo*,

*De Canonum Obſervantia.* Coloniæ, 1568. 8. typis Mich. Hiltorpii, Romæ, 1590. & Pariſ. Tomo VI. Biblioth. Patrum, item Lugduni Tomo XXVI. pag 289.

*De Pſalterio obſervando*, ad Præpoſitum Viridis Vallis &c. MS. in Cœnobio Corſendoncano, & fortè ipſum autographum.

*Hiſtoriam Epiſcoporum Leodicenſium*, ab anno 1347. id eſt, anno tertio Engelberti à Marca, quo *Joannes Hoxſemius* deſiit, uſque ad annum 1389. editam è Codice MS. Canonicorum Regul. Tungrenſium à *Joanne Chapeavillio* Vicario Generale Leodici, Tomo III. Rerum Leodicenſium.

*Kalendarium Eccleſiaſticum* editum Lo-

vanii, apud Hier. Wellæum, *Jacobi Pamelii* Epiſc. Audomar. operâ. 1568.

*Martyrologium* quoque verſibus complexus eſt.

*Catalogus librorum MSS. per Belgium*, eodem *à Rivo* collectore, extitit Duaci in Bibliotheca Eximii D. *Geor. Golvenerii*.

Obiit anno 1403. IV. Nonas Novembris.

## RAIMUNDUS DE LADESSOUS,

Turconienſis juxta Inſulas, Ordinis Prædicatorum, Prior Conventûs Inſulenſis ac S. T. Licentiatus, Vir admodum pius, ac Prædicator generalis; vivere deſiit Inſulis die 21. Junii 1638.

*Petri de Ledeſma*, Ord. Præd. primarii olim Cathedratici Salmanticenſis, *Theologiam Moralem* ex hiſpanico tranſtulit in latinum. Tomi II. in 4. quorum primus *de Sacramentis*, Duaci prodiit apud Marcum Wion 1630, item eodem anno Coloniæ; alter vero *de Jure & Juſtitia* Tornaci apud Adr. Quinque 1636. Opus à Val. Andrea perperam adſcriptum Nicolao Janſſenboy Dominicano.

Item *la Roſe miſtique & ſes divines odeurs, pleines des amours de la S. Vierge aux Confreres du ſaint Roſaire.* Tornaci apud Adr. Quinque 1634. in 8. Opus antea inchoatum à quodam Paſtore S. Victoris Metis in Lotharingia; ubi prædictus *Raimundus* Rector extitit celebris Monaſterii Monialium ſui Ordinis.

## RAIMUNDUS DE HEZECQUES,

Valencenis apud Hannones natus circa annum 1584. Ordini Prædicatorum nomen dedit in patria, annorum vix XVI. adoleſcens. Philoſophiæ in Hiſpania, Theologiæ Pariſiis in Gymnaſio San-Jacobæo operam dedit. Dein S. Theol. Doctor Sorbonicus anno 1624. Fuit Eccleſiaſtes in Gallia æque ac Belgio celeberrimus, anniſque quinquaginta & amplius verbum Dei in præcipuis civitatibus cum plauſu & fructu ſeminavit: imo & octuagenario major per adventum & quadrageſimam prædicans adhuc audiebatur.

Aulicum concionatorem adſcivit olim Maria Medicæa Francorum Regina, quam in Belgium exulem ſecutus eſt. Vicarium generalem in ſpiritualibus & Eccleſiæ ſuæ Theologum conſtituerat circa annum 1630. Carolus de Noailles S. Flori in Arvernia Epiſcopus. Valencenis tandem apud ſuos vivere deſiit 9. Januarii 1670. fuitque in periſtylio, ad aulam Capituli ſepultus, hoc decoratus Epitaphio.

Hîc jacet Ex. ac R. A. P. F.
RAIMUNDUS DE HEZECQUES,
S. T. D. Sorbonicus,
Famoſus prædicator,
Quondam S. Flori in Gallia
Vicarius Epiſcopalis & Canonicus
Theologalis,
Ætatis anno LXXXVI. profeſſ. LXX.

Ejus operâ in lucem prodiêre;

*Iſaias inter majores Prophetas primus*, à P. Hieronymo Oleaſtro, *Luſitano quondam Inquiſitore &c. Commentariis illuſtratus.* fol. Pariſiis apud Sebaſt. & Gabr. Cramoiſy. 1656.

*Doctes & rares Sermons pour tous les jours du Carême, compoſez en Portugais par le* P. Antoine Feo *de l'Ordre de S. Dominique, &c. nouvellement traduits en François par le* P. Raimond de Hezecques. 8. Pariſ. 1618.

*L'Homme de douleurs, ſon art de pleurer, & ſon ſalaire.* fol. Pariſ. apud Sebaſt. Cramoiſy 1646.

*Inſtances Theologiques & affectives, pour la beauté corporelle du plus beau de tous les hommes Jeſus-Chriſt* &c. MS. apud Prædicatores Valencen. Et alia quædam, quorum meminit P. Echard in

Bibliotheca Scriptorum Ord. Prædic. Tomo II. pag. 637.

## RAPHAEL DE BELLO-CAMPO,

Vulgò *de Beau-champ*, Duaci Catuacorum anno 1571. natus, parentibus Catholicis *Laurentio de Beau-champ* & *Margareta le Maſſy*, jam inde à puero apud *Arnoldum Maſſium*, avunculum, S. Theol. Doct. & Profeſſorem, atque in D. Amati Decanum, partim Duaci, partim Sonegiis, plebeculâ Duacenâ tumultuante & conjurante in Eccleſiaſticum Ordinem, Maſſioque ibidem ab Illuſtriſſ. D. Lud. Berlaimontio Archiepiſc. Cameracenſi ad Decanatum promoto, educatus atque edoctus fuit.

Anno 1586. Monaſticen profeſſus in Cœnobio Marchianenſi, mox Duacum miſſus eſt, Philoſophicis ſtudiis imbuendus: exactiſque poſtea in Cœnobio ſuo annis aliquot Lutetiam Pariſiorum permiſſu Præſulis conceſſit, ſtudioque ibidem Theologico datâ operâ, ac luſtratis Bituricenſi & Cadomenſi Academiis, varias in variis ſui Ordinis apud Gallos Cœnobiis functiones obivit: habituque reformatorum Congregationis SS. Vitoni & Hidulfi adſumpto in illuſtri Virdunenſi apud Lotharingos Aſceterio, *Raphael* dici cœpit, qui antea *Arnoldus* audierat.

Cumque perſeverandi in eo vitæ inſtituto vires non adeſſent, impetratâ honeſtâ miſſione, deinceps concionibus frequentibus habendis & confeſſionibus excipiendis per varias Galliæ Diœceſes vitam tranſegit, & Prioratum non uno loco geſſit. Tandemque fractus laboribus & annis gravis Marcianas à Præſule ſuo revocatus indeque Duacum ad ſui Cœnobii Collegium miſſus, animum ad ſcribendum appulit, ediditque

*Andreæ Silvii*, Prioris Marchianenſis, *Synopſin Franco-Merovingicam*, ſive de Geſtis & ſucceſſione Regum Francorum, qui Merovingi dicti ſunt, libros III. cum Prolegomenis ac Paralipomenis, ſeu originibus gentium Ducumque illuſtriorum, quorum in dicta Synopſi fit mentio, nempe Cæſarum Romanorum, Regum ac regni Perſarum, Gothorum &c. Duaci, typis Petri Bogardi, 1633. 4.

Accedit *Diſſertatio de antiquitate Monaſterii Marchianenſis*. Ibidem.

## RAPHAEL SADELER,

Nativitate Bruxellenſis, ſed educatione Antverpienſis, bombardopegi filius, *Joannis* fratris ſui in arte chalcographicâ diſcipulus ſolertiſſimus, tantæque perfectionis atque induſtriæ, ut quaſi incomparabilis eſſet. Ad hęc, homo probitatis antiquæ, eruditionis amator & ad ſtuporem admirator.

Relictâ, ob tragicos Belgii tumultus, Antverpiâ, in Germaniam ſeſe contulit, unà cum fratre *Joanne*, & nepote *Ægidio*, *Sadeleriis*, Chalcographis ſui œvi celeberrimis: ac primò quidem hæſerunt Francofurti ad Mœnum: hinc in ſervitia Ducum Bavariæ concedentes, Monachii æri inciderunt Icones præclariſſimas (additis etiam explicationibus) quas in perpetuum adſervabunt iconum periti.

Poſtmodum, luſtratâ Italiâ, fratrem ſuum *Joannem*, Venetias anno 1595. ſecutus eſt *Raphael*, ibidemque ſimiliter annos aliquot arte ſuâ tranſegit. Obiit *Joannes* anno 1600. quinquagenarius: quandonam autem ibi deceſſerit *Raphael*, incertum hactenus. Plura de horum Chalcographorum encomiis lege apud *Joachimum à Sandart* in in Academia Artis Pictoriæ, Norimbergæ anno 1683. editâ, pag. 354.

Swertius in Athenis Belgicis pag. 109. hæc illis adſcribit.

*Symbola divina & humana Pontificum, Imperatorum, Regum*; ex Muſæo Octavii de Strada C. R. Pragæ. 1600. fol.

*Schema, ſeu ſpeculum Principum.*

*IV. Anni tempora.*

*Boni & mali ſcientia, quid ex horum cognitione a condito mundo ſuccreverit.* Quam Martinus de Vos figuravit.

*Bonorum & malorum conſentio, & horum præmia, illorum pœna.*

*Solitudo, ſive Vitæ Patrum Eremicolarum*, ex D. Hieronymo. Idem de Vos figuravit.

*Sylvæ ſacræ.*

*Bavaria ſacra*, vel *Sancti Bavariæ*, hiſtoricâ enarratione illuſtrati per Matthæum Raderum & inſcripti Max. Bavariæ Duci. 1615. fol.

Accedit & Raphaelis Sadeler *Zodiacus Chriſtianus, ſeu ſigna XII. Prædeſtinationis.* 12. Monachii 1618.

## RATHERIUS,

Monachus Lobienſis, *vir nimiæ ſimplicitatis, ſed experientiâ liberalium artium nominatus*, ut ait in Chronico Sigebertus, ad annum 928. Addit Fulcuinus, Lobienſis Chronographus, *abundantem doctrinam & eloquentiam copioſam, quâ inter ſapientiſſimos florere viſus eſt.*

Hic cum *Hilduino*, Lobienſi Abbate, in Italiam ad *Hugonem* Regem profectus, Veronæ datus eſt Epiſcopus an. 928. aut 932. Mediolano verò *Hilduinus:* pulſus dein quarto pòſt anno ab eodem Hugone, quia Arnoldo Bajoarię Duci favere deprehenſus. Itaque Ticini exul, *De ærumnis ſuis atque moleſtiis*, quas in Epiſcopatu tulit, ad Summum Pontificem *Epiſtolam* ſcripſit, quæ apud Lobienſes, cum plurimis aliis Epiſtolis, legitur, & in geſtis *Ratherii* à Joanne Chapeavillo edita eſt.

Vexabat eodem tempore Italiam Anthropomorphitarum hæreſis: contra quam & verbis & ſcriptis pugnavit *Ratherius*, teſte Sigeberto. Scripſit præterea in exilio,

*Agoniſticon*, ſive *Prælocutiorum de quovis hominum ſtatu* libros VI. MSS. Lobiis, quos tandem anno 1733. luce publicâ donarunt DD. Martene & Durand, Benedictini Congregationis S. Mauri, ac Tomo IX. ſuæ Collectionis ampliſſimæ Veterum Monumentorum inſeruerunt pag. 785.

*Vitam S. Urſmari*, Abbatis Lobienſis. Exſtat apud Surium, XVIII. Aprilis, ſed mutila; integra apud Lobienſes legitur, uti & apud Hagiographos S. J. Fulcuinus vero in Chronico Lobienſi tradit Vitam illam à *Ratherio* quidem emendatam & auctam, ſed ab *Anſone* Abbate ſcriptam.

*De Arte Grammatica*; quem librum *Sparadorſum* inſcripſit, vulgari loquendi more, quòd puerorum dorſum à flagris ſervet. Imperabat tum Italiæ Otho, Germaniæ Rex. Is Brunonem fratrem diſciplinæ Ratherii, *inter Philoſophos Palatinos primi*, ut loquitur Fulcuinus, tradidit. Bruno autem Colonienſis electus Epiſcopus, *Ratherium* ad Leodicenſem cathedram anno 955. promovit; & factioſorum hominum odio preſſum Veronenſi poſtea ſedi reſtituit. Scripſit ſub id tempus, de ſecundo exſilio ſuo,

*Phreneſin*, eo quòd ut phreneticus rejiceretur. Extare dicitur Lobiis.

*Synodicam ad Diœceſanos presbyteros.*

*Conjecturam Vitæ ſuæ.*

*Itinerarium Romanum.*

*Sermones de Paſchate, Cœnâ Domini, Aſcenſione, Pentecoſte.* Et alia. Hæc ex Fulcuino. Addit Trithemius,

*De Corpore & Sanguine Domini* librum I. Extat Tomo XII. Spicilegii Dacheriani.

*Confeſſionum* lib. I. Manuſcr. Lobiis.

*Chronographia* ejuſdem legitur MS. Gemblaci.

Ceterùm *pertæſus* (Fulcuini verba ſunt) *civium Veronenſium inſolentiam*,

*ſimulque ſuſpectam habens innatam illis perfidiam, de reditu agitabat.* Mittit igitur ad Abbatem librum, quem inſcripſit

*Conflictum duorum*, diſputans in eo fluctuare ſe, utrumne reverteretur, an non. Reverſus autem, in Alnenſi Monaſterio quod reliquum fuit vitæ egit, & Namurci deceſſit, anno Dom. 974.

*Veronæ Præſul, ſed ter* Ratherius *exſul.*

Corpus Lobias delatum eſt, & in Eccleſia S. Urſinari conditum. Tumulo ſuo Epitaphium hoc inſcribi voluit.

CONCULTATE PEDES HOMINUM, SAL INFATUATUM.

Vide Molanum de Natalibus SS. Belgii XVIII. Aprilis. Omnia ferme ejus Opera leguntur edita à Domno *Luca Dacherio* Benedictino Gallo, Tomo II. Spicilegii. Extant etiam plura MSS. in Bibliotheca Cathedralis Eccleſiæ Laudunenſis in Gallia.

## REGINALDUS DE ALNA,

Ordinis Ciſtercienſis, in Alnenſi Cœnobio, apud Tudinium ditionis Leodicenſis opidum, in multis Codd. manu exaratis *Commentarium* ſcripſiſſe fertur *in Sapientiam Salomonis:* qui vulgò nomine *Roberti Holcot* circumfertur.

## REGINO,

Monachus, ac dein Abbas Prumienſis Cœnobii in Silva Arduennæ ac Diœceſi Trevirenſi, anno 892. electus eſt, ut libro II. Chronicorum ſuorum de ſemet-ipſo teſtatur. Per idem tempus *Farabertus Abbas Prumienſis Cœnobii curam paſtoralem ſuâ ſponte per conceſſum Regis depoſuit; & ego, quamvis indignus, ſecundum regularem authoritatem per electionem Fratrum in regimine ſucceſſi; in quo tamen non diutius immoratus, æmulis agentibus, Richarium, invidioſum mei negotii ſucceſſorem ſuſtinui*; anno nempe 899. Unde & proſequitur. *Qualiter autem erga me actum ſit, idcirco in hoc loco notare diſtuli, ne forte injuriis provocatus ultra quam Chriſtiana patientia permittit, perſecutionis meæ cauſas exageraſſe viderer.*

In cauſas dejectionis ejus inquirens Baluſiùs (ſuis in *Reginonem* Notis) non alias reperit, quam quod amor ſtudiorum veteriſque diſciplinæ obſervantia faſtidioſum illum ac gravem Monachis ſuis reddiderint. Privati deinde hominis vitam duxit in Abbatia S. Maximini apud Treviros, cum libris ſuis ſe oblectans, & ſemper aliquid ſcribens, ibique tandem mortuus ac ſepultus eſt ſub annum 912; ut habet illius Necrologium. Vir (teſte Trithemio) in divinis Scripturis eruditiſſimus, in ſæcularibus Litteris nobiliter eruditus, & inter doctiores Germaniæ ſuo tempore facilè obtinens principatum.

Scripſit ad Alberonem Metenſem Epiſcopum, *Annales* ſive *Chronica ab anno Chriſti primo ad Otthonem II. ſive annum* 906. Prodiêre primum Moguntiæ in fol. 1521. apud Joann. Schœffer, curante *Sebaſtiano de Rotenham*, Franco-Germanico, Equite Aurato & Jure-conſulto. item cum Appendice LVII. annorum, 1566. Francofurti.

Ceterum (ait Miræus ad Chronicon Sigeberti) ad explendas lacunas & ad alia ſupplenda, quæ in vulgata Reginonis editione deſiderantur, juverit *Fragmentum Annalium Francicorum* ab anno 741. ad 793. quod Caniſius Tomo III. Lectionum antiquarum publicavit.

Prodiit item hoc Chronicon *Reginonis* cum Annalibus Conrardi à Lichtenaw Abbatis Urſpergenſis & Lamberti Schafnaburgenſis, Argentorati 1609; item apud Joannem Piſtorium Tomo I. Scriptorum Germanicorum; Excerptum autem de Normanorum Geſtis apud

REGINO, CHRONOGRAPHVS
ABBAS, PRVMIENSIS.

De. L'armessin. sculp.

apud Du-Chenium inter Script. Norm. pag. 7.

Scripsit quoque, jubente Ratbodo Trevirensi Archiepiscopo, *De Ecclesiasticis Disciplinis & Religione Christiana* libros II. Primus tractat de rebus & personis Ecclesiasticis: secundus de vita & conversatione laïcorum. Continent autem ambo 900. fermè Capitula, ex quibus sua pleraque acceperunt Burchardus Wormaciensis & Ivo Carnotensis. Prodiit hoc *Reginonis* opus primùm Helmestadii anno 1659. in 4. curante *Joachimo Hildebrando*, ex vetustissimo ibidem Codice, qui fuit olim Matthiæ Flacci Illyrici. Contulit vero postmodum Codicem istum doctiss. *Stephanus Baluzius*, Tutelensis, cum altero ex Bibliotheca Oratorii Parisiensis (quo sese usum fuisse narrat Joannes Morinus in appendice libri de Pœnitentia pag. 39.) novamque *Reginonis* editionem dedit, Notis suis illustratam, Parisiis apud Franc. Muguet 1671. in 8.

*Sermones* quoque & multos & elegantes composuit libr. I. *Epistolas* itidem ad diversos libr. I. & alia complura, quæ (ut refert Abbas Trithemius) ad notitiam nostræ lectionis adhuc minimè pervenerunt.

## REGNERUS BRUITSMA,

Snecanus, Frisius, Reip. Machlinensis Doctor Medicus, ingemi præstantis, in publicæ salutis ac Medecinæ sanctioris tutelam *Votum Iatricum* S. P. Q. Machlinensi solvit, 1617. 4.

Item *Scholam* edidit *Salernam novo-antiquam*, ordine concinniore & 400. ampliùs versuum accessione locupletatam. Ibid. 1633. & Lovanii, 1635. 8.

Vivere desiit Mechliniæ, relictâ præclara posteritate, è quâ *Henricus Bruitsma*, supremi ibidem Senatûs Regii Consiliarius, obiit anno 1703.

## REGNERUS AB ELAMA,

Frisius, Medicus, scripsit *Disputationem de Podagra*. Legitur ea Decade V. Disputationum Medicarum, quas collegit Joannes Jac. Genathius, & Bas. edidit, 1631. 4.

## REGNERUS DE GRAAF,

Medicus Delphensis & Anatomicus, ut indefessus, sic & inter paucos sagacissimus & accuratissimus. Natus est Schoonhoviæ, Hollandiæ meridionalis oppido, die 30. Julii 1641, patre Cornelio Architecto, & singulari Machinarum hidraulicarum inventione præclaro. Juvenis Medicinæ operam dedit, præcipuo Doctore usus Francisco de le Boë Sylvio, Professore Leydensi celeberrimo; tanto cum progressu, ut ab anno 1663. Tractatum insignem in lucem emitteret, *de Succo Pancreatico*, omnibus doctis probatum. Biennio post, simul cum fratre *Martino* in Galliam secessit, atque in celebri Andegavensium Academia Medicinæ Doctor proclamatus est, dum frater ejus Doctoralem in utroque Jure lauream adipisceretur, qui dein Hagœ-Comitum Jurisprudentiam forensem cum laude sectatus est.

Sequenti anno in patriam reversus, Delphis sedem fixit, ibique Medicinam exercuit, atque interea plures Tractatus evulgavit. Anno 1672. thori sociam sibi junxit *Mariam Van Dyck*, ex qua tamen nullos liberos reliquit. Mortuo in Academia Lugdunensi *Sylvio*, haud dubiè in Cathedra successisset *Gravius*, nisi Catholica quam à teneris profitebatur Religio, quamque omni temporali commodo anteponebat, obstitisset. Obiit Delphis in ipso vix maturæ ætatis flore, die 17. Augusti 1673. annos vix natus 32.

Opera ejus, primum ab ipso seor-

sim edita, dein simul collecta prodierunt Amstelodami apud Wetsteynios in 8. ann. 1677. & 1705. quæ etiam in Gallia, Italia, Germania, Helvetia recusa sunt, atque etiam in diversis linguis edita. Sunt autem hæc.

I. *Tractatus de Virorum organis generationi inservientibus.*

II. *Epistola, de partibus genitalibus mulierum.*

III. *De mulierum organis generationi inservientibus.*

IV. *Partium genitalium defensio.*

V. *De succi pancreatici natura & usu*

VI. *De Clysteribus.*

VII. *Epistola ad Vopiscum Fortunatum Plempium* Medic. Doctorem in Academia Lovaniensi.

VIII. *De usu siphonis in Anatomia.*

## REGNERUS A MANSFELT,

Ultrajectinus, Artium in eadem Academia Doctor, Logicæ ac Metaphysicæ Professor inauguratus fuit 28. Novembris 1660. fato functus 29. Maii 1671. & à Collega *Jo. Georgio Grævio* pro funere laudatus. Dedit

*Elementa rectæ Ratiocinationis.* 8. Ultraj. 1668.

Item suppositio nomine *Petri ab Andlo*, dedit pro Cartheſio contra Samuelem Marezium, *Confutationem Dissertationis de abusu Philosophiæ Cartheſianæ subrepente & vitando in rebus Theologicis & Fidei*, anno 1670. aliaque, quibus vicissim & acriter sua reposuit Marezius.

Denique *librum posthumum adversus Anonymum Theologo-politicum* (is fuit Benedictus Spinosa) *de libertate Philosophandi.* Amstel. 1674. in 4.

## REGNERUS MERCATOR,

Vulgò Craemer, Embricensis Clivius, Presbyter, S. Theol. Licentiatus in Academia Colonienſi, studiorum cursum illic in Collegio Hollandico, sub *Leonardo Mario* S. T. D. absolvit feliciter, in doctrina S. Augustini ejusque librorum lectione eminenter (Superiorum suorum judicio) versatus. Fuit primùm per annum Vice-pastor Gaudæ; inde ab anno 1631. Pastor Catholici gregis in urbe Leidensi, simulque Archipresbyter Rhenolandiæ ab Archiepiscopo *Rovenio* constitutus. Grassante ibidem lue epidemicâ, inter opera pietatis ac charitatis animam pro ovibus posuit die 20. Septembris 1636. Edidit

*Examen veri Catholicismi*, oppositum Thesibus Tremonianis *Christophori Scheibleri*, Lutherani. Coloniæ. 4.

Item Belgico sermone *Collyrium* quoddam, aperiendis & purgandis oculis cœci ductoris, *Dionysii Spanbuysen*, Prædicantis Delfensis, artificiosè confectum.

Item *Scholia in V. Libros Moysis & sequentes. S. Scripturæ libros, usque ad Ruth:* quæ MSS. asservabantur in Musæo Heusseniano.

## REGNERUS PRÆDINIUS,

Frisius, natus in pago Winsemio, agri & territorii Groningensis, Scholam publicam Groningæ moderatus fuit, & quædam scripsit *De Fide, ejusque antecessionibus & consecutionibus, de Precatione Christiana, De excommunicatione*, aliaque Basileæ typis Oporini, 1563. fol. excusa: sed quæ, ut ab homine novæ religionis profecta, & doctrinæ non sanæ, meritò hinc exulent.

Decessit Groningæ, & sepultus est prope templum S. Walburgæ, hoc Epitaphio lapidi insigni insculpto.

H. S. E.
Regnerus Prædinius
In Christo Jesu mortuus,
Anno suæ ætatis LI.

Domini vero M. D. LIX.
Die XVIII. Aprilis.

## REGNERUS SIXTINUS,

Natione Frisius, Leovardiâ oriundus, puerilis doctrinæ initia in patria primùm, deinde Bolsvardiæ posuit. Postmodum domestico pro-patrui *Jahannis Sixtini*, J. C. in Anglia vitâ defuncti, exemplo extimulatus, qui adolescentis studia legato etiam juverat, ejusdem vestigia secutus est. Ideoque cogitationibus in Jurisprudentia defixis, Galliam imprimis adiit, quæ tum ludus & officina Jurisprudentiæ patebat omnibus; auditisque Doctoribus *Duareno*, *Cujacio*, *Donello*, *Balduino*, & ipse ætatis anno XXII. summâ in utroque laureâ donatus fuit Aureliis.

Præcluso in Frisiam reditu, eo quòd à Catholica religione defecissent, Spiram Nemetum ad illud Romani Imperii tribunal contendit, hæsitque illic triennio. Hinc ad Marpurgensem Hassorum Academiam sese contulit, atque anno 1568. extra ordinem Jura docere cœpit gratis: paulò post Ordinariorum Professorum numero adscriptus, illiusque Academiæ Rector anno 1580. Postmodum Francofurti ad Mœnum Syndici partes sustinuit: donec à literatissimo Principe Mauritio in Hassiam revocatus, ut isthac in aula Consiliarii, etiam secretioris, officium subiret, Cassellas veluti alteram patriam prælegit, annosque XXVI. in hac spartâ adornandâ elaboravit.

Decessit Cassellis anno 1617. die Maii 11. ætatis anno 74. ampliore elogio apud *Paulum Freherum* in Theatro Virorum eruditione illustrium memoratus, pag. 1014. Reliquit

*Tractatum de Regalibus.* Francofurti 1617. in 4. item Hanoviæ 1657. & Norimb. 1683. & 1693.

*Exegesin Juris Canonici, Civilis, atque Feudalis.* Francof. 1617. in 8.

## REGNERUS TEGNAGELIUS,

Arnhemius, Gelder, J. U. Doctor Lovanii renuntiatus anno 1547. Virtum majorum stemmate, tum etiam diuturnâ Juris Professione in Academiâ Lovaniensi illustris, reliquit

*Juris utriusque Methodum*, Schematibus aliquot expressam, Lovanii editam, nomine auctoris suppresso.

*De Geldrorum Principum seu Ducum Origine, Successione & Rebus gestis*, usque ad Carolum V. Imp. Item *Descriptionem Urbium præcipuarum, ac Locorum.* Exstiterunt aliquando Affligemii.

Decessit Lovanii, anno 1585. die x. Julii, conditus in D. Gertrudis. Filium reliquit *Georgium*, Cameræ Imperialis Assessorem. Celebris quoque fuit ac scriptis clarus *Sebastianus Tegnagel*, Cæsareus Viennæ Bibliothecarius circa annum 1609.

## REGNERUS VITELLIUS,

Ziriczæus, Zelandus, à primis ætatis annis peragratâ Italiâ, Galliaque, & lustratis plerisque Germaniæ locis, patriæ redditus, publicâ ibidem auctoritate Gymnasiarcham egit, posteaque, abdicato Scholæ regimine, Amstelodamum se contulit, ubi annis aliquot exactis vitam cum morte commutavit, anno 1618. & denudato capite, eique impositâ laureâ, more Poëtarum, elatus ac sepultus est, circa annum ætatis XL. Plura de eo D. *La Rue* in Zelandia Litterata. Ex italico latinam auctioremque fecit

*Descriptionem Regionum Belgii*, sive *Germaniæ Inferioris*, *Lud. Guicciardino* Nobili Florentino auct. Amst. typis Guil. Janssonii, 1612. fol. & Arnhemii, 1616. 4.

Præterea *Guilielmi Campdeni* (celebris Historici Angli, sed Acatholici) *Britanniam* in Epitomen contraxit, & Tabulis Chorographicis illustravit. Amstelod. 1617. 8.

## REGNERUS DE WAEL,

Poëta facilis & facetus, ſcripſit

*Carmen Elegiacum de Vacca Dordracenſi*, quam luto circumlitam poſſeſſor velut ignotam & alienam vendidit.

*De tribus, qui anſeris avidi in foveam ceciderunt.*

*De Barta & marito ejus per ſtudentem Pariſienſem deceptis.* Leidæ, typis Joan. Severini, 1509. 4.

## REINERUS,

Leodienſis S. Jacobi Cœnobii Monachus Benedictinus, natus anno 1155, profeſſus anno ætatis 20, dein inter ſuos Prior, nec non Præpoſitus de Wota & Paſſerige: anno 1215. Romam quarto itinere profectus, Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. Pont. interfuit. Vitam produxit ad annum ſaltem 1230. quò uſque produxit *Chronicon Leodicenſe Lamberti Parvi*, ejuſdem Cœnobii Monachi, à ſe continuatum.

Extat illud primò è Manuſcriptis erutum in Collectione noviſſimâ PP. Benedictinorum Congregat. S. Mauri anno 1729. Pariſiis Tomo V. pag. 5.

## REINERUS,

Monachus ad S. Laurentium Leodici, deſcripſit

*Vitam S. Wolbodonis*, Epiſc. Leodicenſis. Extat ibid. MSS. Meminit Molanus ad Uſuardum 21. Aprilis.

*Vitam S. Lamberti.* Molanus ibid. 17. Septembr. legiturque Tomo I. de Geſtis Epiſc. Leod. *Chapeavillio* collectore.

Ejuſdem *Reineri* varia alia Opuſcula primum edidit P. *Bernardus Pez*, Mellicenſis Cœnobii in Auſtria Ord. S. Bened. Aſceta doctiſſimus, Tomo IV. Anecdotorum. Inter quæ extat libellus ejus, *De claris Scriptoribus Monaſterii S. Laurentii.*

## REINERUS,

Aliàs ROUNERUS, ſcripſit ad Radbodum Abbatem S Giſleni,

*Vitam S. Giſleni*, quæ ibidem MS. legitur. Molanus ad Uſuard. 9. Octob.

## REINERUS BUDELIUS,

Ruræmundanus Gelder, J. U. D. & Electoris Colonienſis Monetarum tam Rhenenſium quam Weſtphalicarum Archiepiſcopalium Præfectus; edidit

*De Monetis & Re Nummaria libros duos.* I. artem cudendæ Monetæ, II. Quæſtionum Monetalium Deciſiones continet.

Accedunt *Tractatus varii atque utiles*, nec non *Conſilia ſingulareſque Additiones*, tam Veterum quam Neotericorum Authorum, qui de Monetis earumque valore, ligâ, pondere, poteſtate, mutatione, falſitate ac ſimilibus ſcripſerunt. 4. Coloniæ anno 1591.

## REINERUS NEUHUSIUS,

J. C. Leovardienſis Friſius, filius Edonis Neuhuſii in Gymnaſio Leovardienſi per XXXI. annos Rectoris; ipſe vero Gymnaſium Alcmarienſe, quod per annos prope XXXV. rexit, florentiſſimum reddidit, Orator facundus, Poëta elegans, & græci ſermonis inprimis gnarus. Oblatam ab Friſiæ Ordinibus Eloquentiæ & Hiſtoriarum Profeſſionem in Academia Franekerana anno 1656 conſtanter reſpuit; quòd ingraveſcente ætate è Muſæo Alcmariano avelli nollet.

Obiit ibidem anno 1662, ſepultus in Eccleſia primaria, hocce Epitaphio.

„ REINERUS NEUHUSIUS, J. C. „ Leovard. Friſius, illuſtris Gymna„ ſii Alcmariani Rector, & ibidem „ Eccleſiæ ſenior, ob. ætatis LIV. „ M. D. C. LXII.

✣ ✣ ✣

*Hîc eſt, quem Friſii Proceres, clarique Sicambri*
*Præſidium Suadæ bis petiêre ſuæ.*
*Neutra Virum potuit Provincia vincere verbis;*
*Illi in deliciis Alcmaria una fuit.*

✣ ✣ ✣

Edidit *Tyrocinium Eloquentiæ*, ſive habitas Alcmariæ Orationes. 12. Amſtel. 1648 & 1656.

*Thaliam Alcmarianam*, ſeu Poëmata varia; Opus poſthumum. 12. Tom. II. Amſtel. 1669. & 1678.

*Electa Plautina & Terentiana.* Amſtel. 1646. 12.

*Electa Senecana & Saluſtiana.* 12. Ibid.

*Epiſtolas familiares.* 12. Ibid. 1653.

*Exercitationem Eloquentiæ.* 12. Ibid. 1671.

*Apparatum Eloquentiæ.* 12. Ibid. 1663.

*Florilegium Philologicum.* 12. 1658.

*Auriacum.* 12. Amſtel. 1679.

*Suadam Alcmarianam.* 12. 1660.

Edidit quoque patris ſui *Edonis Neubuſii*, *Infantiam Imperii Romani*, *ſub ſeptem Regibus*; *Manes Naſſovios*, *Præfationem in Victorias Belgicas* &c. 12. Amſtelod. apud Janſſonium 1657.

## REINERUS A SANDE,

Gelder, J. C. fuit celebris nominis Advocatus, ut vel ex unico ejus *Reſponſo* colligere licet, quod Commentario ſuo de Feudis Geldricis *Fredericus Sandius*, *Reineri* filius inſeruit. Sed & *Joannes à Sande*, in ſuprema Friſiorum Curia Senator, *Reineri* filius fuit.

## REINERUS SARCERIUS,

Solmondanus, ex Comitatu Burano, Rector Scholæ Hieronymianæ apud Ultrajectum, diſciplinæ Scholaſticæ rigidus obſervator, Catholicæ item religionis tenaciſſimus, *Henricum Vander-Burchium*, Archiepiſc. Cameracenſem, hujuſque è fratre nepotem *Adrianum*, Ruræmondæ Conſiliarium, *Heribertum Roſweydum*, alioſque, claros poſtmodum viros, diſcipulos habuit. E ſcriptis ſequentia ad notitiam venerunt, omnia edita in 4.

*Elegia Scholaſtica de Cruce ſeu afflictione perferenda*, 1582.

*Laus Auroræ*, quâ juventus ad ſtudium matutinum invitatur, 1593.

*De Amicitia* Ode tricolos triſtrophos, ad Martinalia Hieron. Scholæ auditoribus præcinenda, 1579.

*Elogia Scholaſtica ſeu Commendatio laboris*, 1591.

Obiit anno 1597. Rectoratus XX. ætatis LVII.

## REINERUS SNOYUS,

Goudæ apud Batavos natus, adoleſcens in patria ſtudiorum initium fecit, decurſoque Lovanii Philoſophiæ ſtadio, Medicinæ animum adjecit, atque Italiam, & in ea Bononiam, viſit. Hîc de quęſtionibus Medicis Declamationes ſępè inſtituit, & honorarium ab Academia accepit. In Belgium reducem *Adolphus à Burgundia* valetudini ſuæ præfecit; *Carolus*, Belgarum Princeps, ad Reges Scotiæ ac Daniæ Legatum miſit; Goudana Reſp. Conſulari dignitate ornavit. A publicis functionibus liber, Goudam, quę vitam dederat, vitæ ſedem elegit, & ad maturos pervenit annos:

*Hiſtoricus*, *Medicus*, *Vates*; *hæc ſingula* Snoyus,
*Unus homo pariter munia ſuſtinuit.*

Deceſſit autem anno 1537. Kalendis Auguſti, annos natus circiter LX. conditus Goudæ in D. Joannis. Scripſit

*Paraphraſin in Pſalmos Davidicos*, Coloniæ, Pariſiis, Antverpiæ & alibi editam, ac Germanicè quoque redditam. Prodiit iterum Lovanii anno

1704. curâ & ſtudio *Huberti Raellen*, Gandenſis, S. T. L. tunc Paſtoris ad S. Quintinum Lovanii; qui addidit novam Paraphraſin ad Septem Cantica, quæ in Horis leguntur.

*De Libertate Chriſtiana.* Lovanii, 1550 8.

*Hiſtoriæ Batavicæ* libros XIII. Roterod. editos *Jacobi Braſſicæ* curâ, 1620. fol. Refert Braſſica, (cui *Snoyus* avunculus major fuit) libello de Etymo Hollandiæ cap. VII. ſcripſiſſe præterea, ſed quæ adhuc prelum non viderint,

*Anti-Lutherum. De Arte Poëtica.*

*De Eſſentia Animæ Sophologiam.*

*Paræneticon ad Carolum V. Auguſtum.*

*Laudem D. Virginis*, verſu Sapphico.

*Praxeos Medicæ* Volumina II.

Alardus Amſtelodamus hoc illi epitaphium conſcripſit.

*Ecquid in omnigenis naturæ dotibus uſquam eſt,*
*Ingenii præſes quidve Minerva parit,*
*Quod non ingenio* SNOYUS *ſtudioque frequenti*
*Prendit & abſolvit non ſine judicio?*
*Quicquid habent nitidi divina poëmata cultûs,*
*Exprimit hoc doctis undique carminibus.*
*Inſtar apis, variis ex libris plurima carpſit;*
*Melleus hinc blando manat ab ore liquor.*
*Scivit inurbanum lepido ſeponere dicto,*
*Pluſquam civili præditus ingenio.*
*Reddere perſonæ ſcit convenientia cuique,*
*Et quod juſtitiæ eſt, jus dare quique ſuum.*
*Omnia Rhetorici tenuit præcepta nitoris,*
*Aſtrorum motus, commeminitque ſitus.*
*Novit atlantiaci metiri pondus olympi,*
*Quæque ſub ambobus tenditur ara polis.*
*Quicquid ab expertis Medicis aliquando repertum eſt,*
*In numerato habuit, ſi quis habere poteſt.*
*Nemo vir hoc Medico fuit experientior uno,*
*Et plures medica nemo levavit ope.*
*Quicquid in Hiſtoriis ſacris juxtaque profanis*
*Scriptum eſt, excuſſit, calluit, edidicit.*
*Abdita ſcripturæ penetrans myſteria ſacræ,*
*Obſcurum verbis explicat omne tribus.*
*Ornandis ſtudiis natus, natuſque juvandis*
*Pauperibus, ſummo quos fovet obſequio.*
*Lætus uti ſemper vixit, ſic lætus obivit,*
*Quod bene confidit de bonitate Dei.*
*Ut cinis & pulvis terræque eſt reddita terra,*
*In cœlos rediit ſpiritus, unde venit.*

## REINERUS SOLENANDER,

Buderico ſive Budrichio Cliviæ opido oriundus, Guilielmi Ducis Clivenſis beneficio Lovanium ſtudiorum cauſâ ablegatus, biennio & eo ampliùs, diſciplinis Philoſophicis operam impendit. Inde Medicinæ ſacris initiatus, in Italiam ſtudiorum omnium alumnam miſſus, toto ſeptennio id operæ dedit, ut expertorum hominum conſuetudine variis peregrinationibus, & frequentibus artis operibus doctior atque exercitatior evaderet. Exſtant ejus hæc:

*De Caloris Fontium medicatorum cauſa & temperatione* libri II. Lugduni, apud Joan. Franc. de Gabiano, 1558. 4.

*Apologia, quâ Julio Alexandrino reſpondetur pro Argenterio*, Florentiæ, apud Leon. Torrentinum, 1556. 8.

*Conſiliorum medicinalium Sectiones V.* Francof. typis Wechelianis, 1596. & & Hanoviæ, 1600. fol.

## REINICO FRESINGA,

Franekerenſis, Friſius, homo quidem illiteratus, latinæ gallicæque linguæ imperitus, aſt maturi judicii; ſcripſit populari idiomate,

*Memorias* ſive *Ephemeridas Rerum per Friſiam, Tranſiſalaniam, & finitimas Terras, memorabilium*, ab anno 1576.

uſque ad annum 1584. excuſas Daventriæ 1584. 8.

Chronicon hoc denuo edidit, Notiſque illuſtravit Vir Clariſſ. *Gerardus Dumbar* Reipublicæ Daventrienſi ab Actis, Tom. III. Analectorum ſuorum, Daventriæ 1722. in 8.

## REMACLUS ARDUENNA-FLORENAS,

Luxemburgius, J. C. *Carolo* Hiſpaniarum Principi à Secretis, Poëta, dedit *Palameden*, & alia *Poëmata ſacra*.

Item *Epigrammatum* libros III. Pariſ. 1507 4.

## REMACLUS FUSCHIUS,

Limburgenſis, Medicus & Canonicus ad S. Paullum Leodici; Vir ſtirpium, eorumque, quæ terra ex ſe fundit, ſcientiâ præſtans. Scripſit

*Methodum curandi Morbi Hiſpanici ſive Gallici per lignum Guaiaci decoctum.* Pariſ. apud Wechelum, 1541. 8.

*Hiſtoriam Aquarum, quæ hodie in communi Practicantium ſunt uſu.*

Item *Conditorum, & ſpecierum aromaticarum, quarum uſus frequentior eſt apud Pharmacopolas.* Venetiis 1542. in 8.

*Nomenclaturam omnium, quorum apud Pharmacopolas uſus*, ordine Alphabetico. Pariſ. 1541. Venet. 1542. & Ant. ver. apud Nutium, 1544. 8.

*Pharmacorum omnium, quæ in communi ſunt Practicantium uſu, Tabulas* X. Pariſ. apud Ægid. Gorbinum, 1569. in 16. Lugd. apud Guil. Rovillium, 1594. 8. & alibi.

*De Simplicium Medicamentorum delectu Tabellam.*

Item *Dialogum de Herbarum notitia.* Antver. 1544. 8. apud Nutium.

Primus quoque habetur Fuſchius, qui ſcripſerit *Vitas Illuſtrium Medicorum.* Pariſ. 1540. 8. cum ſimili Catalogo *Symphoriani Campegii.*

Deceſſit anno 1586. aut forte ſequenti XII. Kal. Januarii. Sepultus cum fratre *Gilberto Fuſchio*, in S. Annæ Monialium Haſſelenſium Cœnobio, quod eſt Leodii, inter Paulini Canonicorum Collegii ſepta.

*JanI bIs ſeno, VItâ ReMaCLe, CaLenDas*
*exCUterIs, fratrIs CLarUs & arte VIgens.*

## REMACLUS MOHYUS,

à Rotundo Campo, Eburo, Grammaticus, & Paſtor Geldenaci in Gallo-Brabantia, edidit librum, cui titulus,

*Uſus Scholaris*, in quo Nomenclatura vocabulorum quorumdam, Dialogi & Epiſtolæ aliquot pueriles. Leodii, 1609. 4.

*Epiſtolarum ſuaſoriarum* libellum. 8. Et alia.

## REMACLUS DE VAULX,

Luxemburgus, ſcripſit librum, cui titulus, *Hippocrates divinus.* 8. Colon. 1617.

*Methodum Franciſci Veron*, (Pariſini, quondam S. J. Theologi) quâ è quibuſvis Bibliis, cuivis hæretico Miniſtro ſilentium imponitur; è gallicâ latinam fecit.

## S. REMBERTUS,

Natione Flander, ex opido Torholto in Diœc. Brugenſi, Archiepiſcopus Hamburgenſis & Bremenſis (de quo Molanus in Natalibus SS. Belgii XI. Junii) ſcripſit, cum alio ſuo condiſcipulo;

*Vitam S. Anſcharii* Epiſcopi Bremenſis & Hamburgenſis, ſui prædeceſſoris. Ita Molanus ad Uſuardum 3. Febr.

Surius 4. Febr. Extat quoque in Mabillonii ſæculo IV. Benedictino, & Tomo I. Februarii Bollandini pag. 408.

*De Virginitate* librum I.

*Epiſtolas* varias &c.

Obiit anno 888. III. Idus Junii, (nam eo die Natalem ejus celebrant Hamburgenſes) vel ſecundùm alios pridie Nonas Februarii. Vide Hagiographos S. J.

## REMBERTUS DODONÆUS,

Vulgò *Dodoens*, è Friſia oriundus, Machliniæ naſcitur patre *Dionyſio*, anno 1518. Kal. III. Julias. Medici titulum accepit Lovanii anno 1535. IV. Idus Septembres: Vir rei medicæ ac herbarum cognitione in primis excellens: cujus gratiâ pleraſque Italiæ, & Galliæ Academias luſtravit. *Nicolao Bieſio* Med. Doctore Lov. vitâ functo Maxæmiliano II. & Rudolpho II. Impp. fuit à valetudine & conſiliis.

Dum in patriam cogitat miſerè afflictam, & militum furore factionibuſque laceram, Coloniæ in Ubiis aliquantiſper ſubſtitit, & Medicinam factitavit. Relictis Ubiis Antverpiam conceſſit; indeque anno 1582. ſenex Lugdunum Batavorum ad publicam Medecinæ Profeſſionem vocatus eſt. Scripſit

*Coſmographicam Iſagogen de Sphæra, ſive de Aſtronomiæ & Giographiæ principiis.* Antver. 1584. 8.

*Hiſtoriam Florum, & coronariarum, odoratarumque Herbarum.* typis Plantin. 1568. 8.

*Hiſtoriam Frumentorum, paluſtrium & aquatilium Herbarum*, cum Iconibus. Ibid. 1566. 8.

*Purgantium, aliorumque eo facientium, tum & radicum, convolvulorum, ac delectoriarum Herbarum Hiſtorias*, libris IV. Ibid. 1576. 8.

*Hiſtoriam Vini vitiſque, & ſtirpium nonnullarum.* Coloniæ 1580.

*Hiſtoriam Stirpium.* Ibid. apud Loëum, 1583. 8. Quæ omnia ſimul poſtea edita ſunt, typis Plantinianis, libris XXX. hoc titulo: *Stirpium Hiſtoriæ Pemptades ſex* latinè & belgicè, folio. Scripſit item

*Praxin Medicam.* Amſtelod. 1616. 8. apud Henricum Laurentium.

*Medicinalium Obſervatinum. Exempla rara.*

*Annotationes in Ant. Bonivenii ejuſdem argumenti libellum.* Coloniæ, 1581 & Antver. 1586. 8.

*Epiſtolam de Alce.* Coloniæ, 1581. 8. cum Antonii Menabeni ejuſdem argumenti libello.

*Epiſtolam de Zytho, & Cereviſia*, ad *Balduinum Ronſſæum.* Legitur in Miſcellaneis Balduini, Epiſtolâ 39.

*Conſilia Medica* leguntur eo in opere, quod *Laur. Scholzius* edidit Francof. typis Wechel. 1598.

Obiit Lugduni in Batavis, anno 1585. VI. Idus Martias, annos natus LXVIII. Plura de illo ejuſque libris vide apud Niceronum Tomo XXXIV. Authorum illuſtrium. Mortuo Epitaphium poni curavit Rembertus filius.

D. O. M.
REMBERTO DODONÆO, Machlin.
D. Maximiliani II. & Rudolphi II. Impp.
Medico & Conſiliario,
Cujus in re Aſtron. Herb. Medicâ
Eruditio ſcriptis inclaruit.
Qui jam ſenex in Academia Lugdunenſi
Apud Batavos
Publicus Medicinæ Profeſſor
Feliciter obiit
Anno M. D. LXXXV.
Ad VI. Idus Martii,
Ætatis ſuæ LXVIII.
REMBERTUS DODONÆUS, F.
M. P.

## REMMERUS VALERIUS,

Campinienſis, Presbyter, Eccleſiæ Parochialis S. Lamberti in Muyſen juxta

ROMBERTVS·DODONAEVS·MECHLINI
Ex Pinac de Boulenois fecit

Digitized by Google

juxta Mechliniam per annos 51. Paſtor, hiſtoriarum & antiquitatum patriæ ſuæ inter primos peritus. Plura edidit *Chronica vernacula*, Urbis, Eccleſiæ, Conſilii ſupremi, & Magiſtratûs illius originem ac res memorabiles elucidantia, quæ in variis Kalendariis ejuſdem civitatis leguntur: ideoque eruditis in precio ſunt. Item evulgavit *Tabulas horographicas*. Mechl. 1662. 4. *Tractatum de recto calculo Kalendarii*, in quo plures errores Barth. Gavanti, qui in Theſauro ſuo ſacrorum Rituum ſimile Kalendarium perpetuum ediderat, refelluntur. 8. Mechliniæ apud Lintſium. 1673.

Mortalitatem exuit Paſtor Valerius die 30. Auguſti 1687, jam octuagenarius. In Eccleſia de Muyſen legitur ejus Epitaphium vernaculum.

*Sepulture van den Eerw. Heer*
REMMERUS VALERIUS,
*Geſtorven den 30. Auguſti M. D. C. XXXVII.*
*Oudt 80. jaeren.*
*Hier onder deſen blauwen ſteen*
*Light Hy, die wyſtigh jacr en een*
*Bedient heeft met groot eer en lof*
*Syn herders-ampt. Al is hy ſtof,*
*Nochtans ſyn wercken allegaer*
*Die doen hem leven menigh jaer.*
*Gy die dit leeſt, bidt dan voor hem*
*Een lyck-gebedt van Requiem.*

## REMIGIUS DU PUYS,

Caroli V. Hiſpaniæ ac Belgii Principis, dein Auguſtiſſ. Cæſaris Judicarius & Hiſtoriographus, edidit librum ſequentem:

*La triumphante & ſolemnelle entrée faicte ſur le nouvel & joyeulx advenement de tres-hault & tres-puiſſant & tres-excellent Prince, Monſieur Charles Prince des Eſpaignes, Archiduc d'Autriche, &c. en ſa ville de Bruges l'an M. D. XV. le 18. jour d'Apvril apres Pacques, redigé en eſcript* &c. Fol. cum fig. Brugis.

## RENATUS FRANCISCUS DE SLUZE,

Leodius, Eccleſiæ Cathedralis Lambertinæ Canonicus, Collegiatæ S. Odæ Amanienſis in Condruſio Abbas ſecularis, nec non Sereniſſimi Principis Leodienſis Conſiliarius; ob vulgatam eminentis ſcientiæ famam inter ſocios Regiæ Scientiarum Academiæ Londinenſis adlectus fuit. In Mathematicis potiſſimum excelluit; uti teſtatur imprimis

*Meſolabrum, ſeu duæ mediæ proportionales inter extremas datas per circulum & per infinitas hyperbolas vel ellipſes. Acceſſit pars altera, de Analyſi*; item *Miſcellanea*. 4. Leodii per Guil. Henr. Streel 1668.

Ejuſdem eſt *Diſſertatio de S. Servatio Epiſcopo Trajectenſi*. 8. Leodii 1684.

In pace quievit Leodii anno 1685. die 19. Martii, cum vixiſſet annos prope LXIII. Fratres binos habuit, virtute & ſcientia ſibi non impares, *Joannem Gualterum Sluſium*, quem Innocentius XI. Pont. Max. primariis in aula Romana muniis probatum, puta Auditoris Rotæ, Secretarii Brevium Apoſtolicorum &c. tandem in præmium meritorum die 2. Septembris 1686. S. R. E. Cardinalem Diaconum renunciavit: ſed is præmaturè obiit Romę die 7. Julii 1687, cum vixiſſet annos 59. menſ. 5. dies 24. Erat illi Bibliotheca, numero & præſtantiâ Voluminum inſtructiſſima; cujus Catalogum Romæ evulgavit *Franciſcus de Seine*, Bibliopola; in 4. apud Jo. Komarek: eamque fere totam coëmptam *Joſephus Renatus Imperialis*, S. R. E. Cardinalis celeberrimæ ſuæ Bibliothecæ ſuperaddidit.

Alter fratrum, *Petrus Aloyſius Sluſius*, S. R. I. liber Baro, Dominus in Bihain, Henbronwal, Sereniſſ. Principi Electori Colonienſi ac Leo-

dienſi Epiſcopo à Conſiliis, germanis ſuis ſuperſtes, utrique inſigne Monumentum poſuit, Cardinali, Romæ in Eccleſia de Animâ, & Abbati Canonico, Viſeti. Illius Epitaphium cum annexis videſis in libro cui titulus; *Receuil Heraldique des Bourguemaiſtres de Liege* pag. 485. & ſequent. Hoc autem extat Viſeti.



*Adſta Viator, non labore inutili*
*Titulum ſepulchri curioſus ut legas.*
*Quod nunc es, olim me fuiſſe cogita,*
*Mortalitatis involutum fluctibus,*
*Ambigua, læta, triſtia expertum diu,*
*Donec quietis, quem vides, reperi locum.*
*Quod ſum, memento te futurum brevi,*
*Mortis trophæum, vile ſpolium temporis,*
*Putredinis fœtorem & eſcam vermium.*
*Hæc mente volve, & ſortis humanæ memor,*
*Æternitatis ut beatæ particeps*
*Tecum eſſe merear, Numen æternum roga.*
RENATUS FRANCISCUS DE SLUSE,
Canonicus Leod. Abbas Amanienſis,
Sereniſſimi Principis Conſiliarius,
Ne à parentibus ſuis,
Quos pio ſemper amore dilexit,
Separetur in morte,
Hic unà cum illis exſpectare voluit
Beatam reſurrectionem.
Depoſitus eſt in pace
Anno M. D. C. LXXXV.
Menſis Februarii die XIX.
Vixit annis LXII. menſ. VII. diebus XVII.
Requieſcat in pace.

## RENATUS HENSÆUS,

Carthuſianus, natus in Scerpenſelio pago Provinciæ Juliacenſis, primùm Coloniæ Agrippinæ ad S. Pantaleonem Monachus Benedictinus, functus aliquamdiu Prioris officio, Majorem inde adiit Carthuſiam, vixitque Bruinæ in Moravia. Edidit

*Tirocinium Militiæ ſacræ ac religioſæ in Partes III. diſtributum*, in Moravia excuſum, 1607. & Coloniæ, typis Bern. Gualteri, 1609.

## RICHARDUS ARSDEKIN,

Kilkenienſis Hibernus, ſed longo incolatu Belgis accenſendus, peracto Philoſophiæ curſu in Univerſitate Lovanienſi, admiſſus anno 1642. in Societatem Jeſu ac Provinciam Flandro-Belgicam, in eadem claruit S. Theol. per plures annos Lovanii atque Antverpiæ Profeſſor, omnigenâ ſcientiâ, ac præſertim Caſuum Conſcientiæ promptâ ſolidaque reſolutione, magnum nomen adeptus. Vivere deſiit inter ſuos Antverpiæ die 3. Auguſti 1693. Evulgaverat Opus Theologicum, tum Miſſionariis Apoſtolicis, tum aliis animarum curatoribus opportunum; cui titulum dedit:

*Theologia tripartita univerſa, complectens Bibliothecam perfectam Viri Eccleſiaſtici, ordine ſequenti.*

Tomus I. *Controverſiæ heterodoxæ ac Scholaſticæ, cum ſpeciali notitia rerum modernarum, & Chronologia totius Monarchiæ ſacræ & ſæcularis, Pontificum, Conciliorum, Hæreſum, Propoſitionum damnatarum &c.*

Tomi II. Pars prima. *Theologia ſpeculativa, brevi methodo integrè comprehenſa, cum Queſtionibus novis indicatis &c.*

Tomi II. Pars ſecunda, *Theologia practica univerſa, cum adjuncta in fine Notitia Juris Canonici, Civilis, Philoſophiæ, Fori Eccleſiaſtici, &c.*

Tomus III. *Apparatus practicus pro omni prorſus functione Viri Eccleſiaſtici, cum Catechesi &c.*

Editio octava, ab ipſo Authore in ſingulis partibus locupletata, & in novam formam digeſta, prodiit Antverpiæ tribus Tomis in 4. apud Mich. Knob-

baert 1686. Prima autem editio prodierat Lovanii anno 1671. apud hæredes Bernard. Masii, Præsulibus & Clero Catholico Regni Hiberniæ dicata. Secunda in Universitate Pragensi anno 1678. Tertia Antverpiæ, iisdem typis Knobbarianis. Quarta in Universitate Colonienſi apud hæredes Joannis Wiedenfeld. Quinta in Universitate Ingolstadienſi. Sexta rursus Antverpiæ typis Knobbarianis; ac septima Coloniæ anno 1683. dein etiam Venetiis, Dilingæ &c.

Anno 1700. die 22. Decembris, *Theologia* hæc, Decreto S. Congregationis Indicis, prohibita fuit, donec foret correcta. Unde tandem anno 1718 Antverp. typis Verdussianis prodiit alia editio (eaque XIII.) in quâ monet Typographus, varia emendata, restricta, & omissa fuisse; quædam etiam accessisse adversus Propositiones *Corn. Jansenii*, *Mich. Molinos*, aliasque damnatas.

Item edidit *P. Arsdekin* anglicè & hibernicè *Tractatum de Miraculis; unà cum novis miraculis & beneficiis obtentis per Reliquias S. Francisci Xaverii expositas in Templo Societ Mechlin.* 8. Lovanii 1667.

*Epitomen Vitæ & miraculorum S. Patricii Hiberniæ Apostoli.* Ibid. 1671.

## RICHARDUS BRISTOUS,

Wigornienſis Anglus, confecto in Academia Oxonienſi Philosophię curriculo, hæresim abjuravit, & in Collegio Anglorum Duaceno primus Sacerdotio initiatus est. Exinde ad S. Theol. Magisterium apud Duacenos promotus anno 1576. unà cum *Joanne Turpin* Ord. Prædic. (Oratio in hoc actu Doctorali habita extat inter Opera Thomæ Stapletoni Tomo II. pag. 459.) Fuit & S. Theol. Professor Academicus, insigniter eruditus. In Angliam valetudinis recuperandæ causâ reversus, apud Londinum viam universæ carnis ingressus est anno 1582. Scripsit

*Annotationes in Novum Testamentum Rhemis Anglicè versum.* MSS.

*Expostulationes ad hæreticos.*

*Apologiam Guilielmi Alani*, (S. R. E. Cardinalis, ac Seminarii Anglorum Duaceni Institutoris) *contra Fulcum Ministrum Calvinistam.*

*Motiva Fidei Catholicæ orthodoxis perneccssaria*; opus posthumum & celeberrimum; extat anglicè Antv. 1599. latinè auctiùs Atrebati 1608.

Vide aliud hujus *Richardi Bristoi* encomium apud *Ant. Sanderum* de Scriptoribus Flandriæ, pag. 143.

## RICHARDUS BROUGTON,

Anglus, græcè & hebraïcè imprimis peritus, omnique eruditione instructus, Duaci & Rhemis studuit; in Anglia dein assistens à *Georgio Blacwello*, Archipresbytero per S. Sedem jurisdictione Episcopali munito, fuit coöptatus. Scripsit

*Epistolam Apologeticam.*

*Continuationes Apologiæ Catholicæ ex Auctoribus Protestantibus.*

*Responsionem ad libellum, quod vir Catholicus non possit esse bonus subditus.*

*Historiam Ecclesiasticam magnæ Britanniæ usque ad annum* 800. VII. vol. fol. Anglicè; cujus Tomus primus typis mandatus est Duaci 1623.

*Memoriale de antiquo Religioso statu* 1650. Ex Catalogo Virorum illustrium Collegii Anglo-Duaceni.

## RICHARDUS A CAPELLA,

E Diœcesi Morinensi oriundus, SS. Canonum Licentiatus, Capellæ Toparcha, Ecclesiæ B. M. V. Brugis Præpositus ab anno 1417. simulque in D. Donatiani Canonicus: cui pietas &

eruditio nomen non incelebre dederunt. Impetravit â Nicolao V. Pont. ſibi ſuiſque ſucceſſoribus Præpoſitis, Collationem omnium ſacellorum ejus Eccleſiæ, teſte Meiero in Annalibus Flandriæ. Scripſit &, teſte Swertio in Athenis Belg.

*Tractatum de Reſcriptis.*

Ipſius extat Monumentum in choro Eccleſiæ B. M. Brugis, cum hoc Epitaphio.

„ Hic jacet Dominus ac Mgr. Rvc-
„ QUARDUS DE CAPELLA hujus Ec-
„ cleſiæ Præpoſitus, in Jure Cano-
„ nico Licentiatus, & Dominus de
„ Capella, qui obiit anno Domini
„ milleſimo quadringenteſimo quadra-
„ geſimo ſeptimo. Cujus anima re-
„ quieſcat in pace.

Nepotem habuit *Richardum de Capella*, J. C. in D. Donatiani Canonicum ac Cantorem, & in Magno apud Machlinienſes Senatu regio Conſiliarium Eccleſiaſticum, qui ſenex obiit anno 1511.

## RICHARDUS HALLUS,

Natione Anglus, poſteaquam in Academia Cantabrigenſi ſtuduiſſet in Collegio Chriſti, perſecutionem hæreticorum fugiturus, ſeſe recepit in Belgium. Inde Romam profectus, ſucceſſu temporis S. Th. Doctor renunciatus eſt. In Belgium redux, rogante *Arnoldo Gantois* Marchianenſi Abbate circa annum 1570. Theologiam in hoc Benedictinorum Cœnobio cœpit prælegere, ac paulò poſt Cameraci ad S. Gaugericum Canonicus evaſit: ſed ingruente bellicâ tempeſtate, Duacum ſe recipere coactus eſt.

Erat ſane Vir, cui pietas in Deum, charitas in proximum, benignitas in omnes, multiplex etiam eruditio, raraque in diſputando, legendo, & modo anglicè, modo gallicè, concionando facundia, magnam apud omnes conciliavit benevolentiam. Tandem in provecta ætate factus eſt Canonicus & Officialis Cathedralis Eccleſiæ Audomarenſis. Ingenii porro doctrinæque ſuæ monimenta non ſpernenda reliquit: qualia ex Pitzæo de Scriptor. Angliæ recitat *Ant. Sanderus* inter Scriptores Flandriæ.

*Tractatus pro defenſione Regiæ & Epiſcopalis Auhoritatis, contra rebelles.* Duaci 1598. in 8.

*De quinque-partita conſcientia.* Lib. III. 4. Ibid. 1598.

*Contra proprietatem Monacherum.* Liber 1.

*Orationum multarum*, lib. I.

*Prolixam Epiſtolam Dedicatoriam dedit in librum Joannis Giovani, de Schiſmate.* Lov. 1573.

*De cauſis primariis Tumultuum Belgicorum.*

*Vita Joannis Fiſcheri, Roffenſis Epiſcopi S. R. E. Card.* anglicè. MS. Item *Carmina* diverſa.

Tandem ad S. Audomarum vitam finivit, ibique ſepultus jacet ante ſacellum S. Andreæ, à latere ſiniſtro chori, hoc Epitaphio.

Hic jacet Rev. D. Magiſter
RICHARDUS HALLUS,
Sac. Theol. Doctor,
Hujus Eccleſiæ Canonicus
Et quondam Officialis,
Qui obiit XXVI. Februarii
Anno Domini M. D. C. IV.
Regnante in Anglia Jacobo I.

## RICHARDUS HESIUS,

Sive Esius, Ultrajectinus (ita enim ſcribere abſque aſpiratione in Italia ſolet) Societatem Jeſu amplexus in Italia anno 1588. ætatis XLI. totos XLIII. annos in Provincia vixit Veneta, bonamque ætatis partem Litteris humanioribus tradendis impendit, Vir græ-

cæ linguæ peritiſſimus. Obiit Placentiæ apud Italos anno 1631. ætatis 83. die 19. Novembris. Scripſit

*Inſtructiones Grammaticæ Latinæ.*

*Inſtitutiones Linguæ Græcæ.*

*Compendium Linguæ Græcæ*, ex Nicolao Clenardo.

*Compendium Linguæ Latinæ*, ex Emanuele Alvaro.

*Rudimenta Proſodiæ*, ex eodem Alvaro.

*De quantitate Syllabarum.*

*Simmiæ Rhodii Pipennen*, quæ Theocrito addi ſolet, è græco latinè reddidit.

## RICHARDUS LUBBÆUS,

Wibelsburanus, Friſius, Scholæ Bergopromanæ Rector, hebraïcè, græcè & latinè doctiſſimus, varia luſit *Poëmata* ſparſim edita.

*Emblemata* item ſcripſit *De Uſu opum, & earum abuſu*, vario carminum genere, Rythmis explicata à *Theod. Cornhertio*. Arnhemi, 1609. 4.

Reliquit præterea librum *De Syſtemate Mundi*, ex ſententia Moyſis, Rabbinorum, Ptolomæi, Copernici, Galilæi, Tychonis &c.

## RICHARDUS POTTELSBERGHE,

Apud Gandavenſes nobili ſtirpe natus, ingenii doctrinæque elegantioris ſpecimina aliqua dedit,

*Epicedion in obitum V. N. Joannis Blaſerii*, Equitis Hieroſolymitani.

*In adventum Generoſi V. Caroli à Burgundia, Dejaculationemque pſittaci fiſtulâ tormentariâ ab eodem Gandavi factam.*

*Encomium Gymnaſii Regii eruditioni publicæ Neapoli à Rege Catholico excitati.*

## RICHARDUS SMITHÆUS,

Worceſtriæ in Anglia natus, Theologiæ Doctor & Profeſſor Regius in Academia Oxonienſi, ſub regno Edoardi VI. poſt religionem in Anglia mutatam, loco motus, cum Rex ei *Petrum Martyrem* apoſtatam Monachum, & hæreſis Zwinglianæ ſectatorem ſubſtituiſſet, in Belgium migravit, & Lovanii Theologicam profeſſionem obtinuit. Cum vero non multò pòſt Rex Edoardus obiiſſet, eique Regina Maria, fidei catholicæ addictiſſima, unà cum Rege Hiſpaniarum Philippo II. marito ſuo in throno Regio ſucceſſiſſet, regreſſus in patriam, hujus Reginæ Confeſſor conſtitutus eſt.

Quinquennio pòſt Reginâ Maria fato functâ, iterumque Religione in Anglia mutatâ, voluntarium exilium eligere coactus, alterâ vice Belgium petiit, & à Rege Philippo II. Duaci ad S. Petrum Præpoſitus factus eſt; cumque eodem tempore Rex Academiam Duaci introduxiſſet, primam *Smithæus* in ea Theologiæ Cathedram obtinuit. Obiit Duaci exul pro fide catholicâ, regnante in Angliâ Eliſabethâ, die 9. Julii 1563. ætatis 63. Sepultus fuit in ſacello S. Mariæ ad S. Petrum, hoc Epitaphio tabulæ ad ſepulchrum appenſæ inſcripto:

„ RIGHARDUS SMITHÆUS, Anglus,
„ Theologiæ Doctor, Regii Sacra-
„ rum Litterarum Profeſſoris munere
„ Oxonii in Anglia multis jam annis
„ ſumma cum laude functus, dum
„ fidei tandem catholicæ cauſâ patriâ
„ iterum exulat, ab optimo vereque
„ Catholico Principe *Philippo* Hiſpa-
„ niarum Rege Præpoſitura Collegii
„ D. Petri Duacenſis ornatur, publi-
„ cæque ibi inſtitutæ Scholæ propen-
„ ſiſſimis optimorum civium ſtudiis
„ primus Sacrarum Litterarum publi-
„ cus Prælector creatur. Quo in mu-
„ nere cum annum jam paulo minus
„ feliciſſimè verſatus eſſet, præclara-
„ que ingenii monumenta contra graſ-

„ ſantes ſui temporis hæreſes publicis „ mandata literis reliquiſſet, VII. „ Idus Julias anno à partu Virgineo „ M. D. LXIII. ætatis vero ſuæ „ LXIII. magno omnium ordinum „ mærore fato conceſſit, publicoque „ elatus funere hoc Virginis matris „ ſacello ſepultus eſt. Cujus animæ, ut „ Deus Opt. Max. pro ſua clementiâ „ miſericors eſſe velit, pias candide „ lector ad communem Dominum pre„ ces fundito, felixque age.

Ceterùm laborem omnem induſtriam ac doctrinam eò direxit, ut hæreſes confutaret & extirparet, Fidem Catholicam propugnaret & propagaret. Unde partim latinè partim anglicè ſcripſit ſequentia, contra nominatiſſimos ſui temporis hæreticos.

*De Baptiſmo parvulorum*, Lib. I. Lov. 1562.

*De Conſiliis Euangelicis & operibus ſupererogationis, contra Phil. Melanchtonem.* Libr. I. Ibid. 1562.

*Defenſorium Sacrificii Miſſæ.*

*Contra libertatem jejunii*, Libr. I.

*Aſſertio Sacramenti Altaris*, lib. V.

*In Apocalipſin*, libr. I.

*De Veritatibus non ſcriptis, ſeu de ſacris Traditionibus.*

*Diatriba de hominis juſtificatione* Lov. 1550.

*Enarratio ſuccincta de Sacrificio Miſſæ.*

*De libero hominis arbitrio, contra Calvinum.* Lov. 1563.

*De Votis Monaſticis*, contra Petrum Martyrem.

*De Cœlibatu Epiſcoporum & Sacerdotum, contra eundem.*

*Confutatio eorum, quæ Philippus Melanchton objicit contra Miſſæ Sacrificium.*

*Contra Thomam Crammerum hæreticum Anglum*, Pſeudo-Archiepiſc. Cantuarienſem.

*Contra varias hæreſes* libr. II.

*De Primatu Romani Pontificis.*

*Confutatio locorum communium Phil. Melanchtonis, & Martini Lutheri.*

*Confutatio hæreticorum, qui ſcripſerunt contra Canonem Miſſæ & Purgatorium.*

*De Sacerdotio Chriſti externo*, & *de ſacris Eccleſiæ Catholicæ Altaribus* libr. II. Lov. 1562.

*De Merito mortis Chriſti*, contra Calvinum.

*Retractatio errorum Calvini.*

Hæc ex *Pitzæi* Scriptoribus Angliæ excerpſit *Ant. Sanderus*, retulitque inter Scriptores Flandriæ. Sequitur alter, ejuſdem gentis ac nominis, majoris tamen famæ.

## RICHARDUS SMITHÆUS,

Lincolnienſis Anglus, Duaci, Romę ac Valliſoleti ſtuduit; in poſteriore apud Hiſpanos Academia S. T. D. renunciatus, fuit & Theol. Prælector in celeberrimo Collegio Anglo-Duaceno. Dein ob eximia doctrinæ merita ab Urbano VIII. Pont. creatus anno 1624. Epiſcopus Chalcedonenſis, nec non Vicarius Apoſtolicus cum facultatibus Nuncii, in Regno Angliæ, poſt obitum *Guilielmi Bishop*, eodem Chalcedonenſi titulo iiſdemque functionibus primùm inſigniti.

Dum autem in partibus Angliæ borealibus pontificalia exercet, delato ad hæreticorum aures nuncio, tanta facta eſt in eum perquiſitio, ingenti etiam mercede in caput propoſitâ, ut tutus in Anglia latere jam amplius non poſſet. Rex enim centum libras Anglicas, & bona ipſius & hoſpitis à quo exceptus eſſet (Leges quippe ab Eliſabetha Regina latæ, non modo Sacerdotes, ſed etiam omnes à quibus excepti vel adjuti fuerint, morti, & eorum bona fiſco addicunt) comprehenſoribus ejus Edicto ſpoponderat.

Varias inſuper moleſtias contradictioneſque ſuſtinuit, non ſolum ab Aca-

tholicis, verùm etiam ab ipso Clero Regulari, qui jurisdictioni ejus sese subjicere detrectabat. Hinc Regularium Propositiones aliquot Censurâ notavit Facultas Theologica Parisiensis, die 15. Febr. 1631. quarum præcipua capita erant hæc: *particulares Ecclesias posse sine Episcopo esse: Catholicos Chrismate unctos in Baptismo, licet ab Episcopo non confirmatos, perfectos esse Christianos: Ordinationem Presbyterorum & Ministrorum Ecclesiæ solam esse causam, quæ infert necessitatem Episcopi.* &c. (Vide has Censuras, aliaque annexa, in *Collectione Judiciorum de novis Erroribus*, authore Illustriss. Argentræo Tutelensi Episc. Tomo II. part. II. pag. 335.)

Interim Urbanus VIII. Pont. ad sopiendas animorum dissentiones ac scandala evitanda, utrique parti silentium indixit, & quæcumque scripta vel notata fuerant supprimi voluit, totiusque causæ decisionem Sedi Apostolicæ reservavit, Decreto dato 19. Martii 1633. Post hæc, Præsul *Richardus Smithæus*, è regno Angliæ exulans, dudum vixit in Gallia, Cardinali Richelio carus, cujus favore præter pensiones regias Abbatiam quoque Caroffensem Ord. S. Ben. Diœc. Pictav. in Commendam obtinuit, ac senex decessit Parisiis anno 1655, mense Martio.

Scripsit *Flores Historiæ Ecclesiasticæ Gentis Anglorum*, libris VII. cum adjuncta Epistola ad *Jacobum* Regem de mutuis officiis inter Summos Pontifices & Britanniæ Reges. fol. Paris. 1654.

*Tractatum de Hierarchia Ecclesiastica*, authore *Matthæo Kellisono* S. T. D. anglicè, latinè & gallicè editum anno 1631. velut suum adoptavit; addiditque *Discussionem Assertionum* ejusdem *Kellisoni de* eadem *Hierarchia*.

*Manifeste du Clergé d'Angleterre, contre la fausse Declaration, publiée par les Jesuites, au nom des Laïques Catholiques d'Angleterre:* sub typo Colon. (Vide Argentræum loco supra citato pag. 348.) & alia quædam de sui temporis Controversiis.

*De authore & essentia Religionis Protestanticæ.* Paris. 1619.

*Collationem Doctrinæ Catholicorum & Protestantium cum Scripturâ Sacra*; anglicè Duaci 1631. latinè Parisiis 1632.

*Bilancem prudentialem Religionis*, anglicè 1609.

*Responsionem ad Belli Apostatæ provocationem.*

*Vitam Illustriss. D. Margaretæ de Monte-acuto.* Romæ 1609.

*Disputationem, seu Collationem cum Doctore Featly Anglo-Calvinista.* Duaci. 1632. & alia quædam Opuscula doctissima contra hæreticos recentiores.

*Epistolas varias ad Pontificem, Cardinales* &c. MSS. quæ primò apud PP. Societ. latuerunt, ac modo extare dicuntur apud Pseudo-Episcopum Sarisberiensem.

Hæc nobiscum benignè communicavit R. D. *Albanus Butler*, Philos. Prof. ac Bibliothecarius Collegii Anglo-Duaceni.

Fuit & *Jacobus Smith*, è nobili familia Comitatûs Hantonienſis S. Th. Doctor Universitatis Duacenæ, ibique per sexennium Præses celeberrimi Anglorum Collegii: creatus anno 1688. Episcopus Callipolensis, & in partibus Angliæ Borealibus Vicarius Apostolicus. Vivere desiit anno 1711.

## RICHARDUS STANIHURSTUS,

Dublinienſis, nobilis Hibernus in Academia Oxonienſi Artium Doctor ob Fidem Catholicam exul apud Belgas, atque elatâ uxore *N. Plunketa*, Franciſci Baronis Dunſaniæ sorore, Sacerdotio initiatus, Principibusque noſtris *Alberto & Isabellæ* à Sacris Oratorii

fuit. Nepotem ex ſorore habuit *Jacobum Uſſerium*, Virum inter Proteſtantes Anglos eruditione & ſcriptis celeberrimum, qui dein obiit Archiepiſcopus Armachanus anno 1624. Pater autem Richardi *Jacobus Staniburſtus*, celeberrimus Juriſconſultus, atque apud Anglos aliquando fuit Orator (ut vocant) Cameræ Communium, regnantibus Reginis Maria & Eliſabetha: quâ ultimâ exigente Religionem Catholicam turpiter deſeruit: at filius *Richardus*, eandem uſque ad ultimum vitæ halitum conſtanter confeſſus, pro eaque exilium ac bonorum jacturam perpeſſus, Bruxellis obiit anno 1618. ætatis LXVI. relicto filio *Guilielmo Staniburſto* S. J. inſigni Theologo, de quo ſupra.

Scriptoribus noſtratibus *Richardum Staniburſtum* inſeruit Val. Andreas: qui pleraque ſua hîc exiſtens edidit. Extant autem ab ipſo,

*De Rebus in Hibernia geſtis*, libri IV. Antverp. typis Plantinianis 1584. in 4. Subjungitur

*Rerum Hibernicarum Appendix*, ex Silveſtro Giraldo Cambrenſi collecta, cum Annotationibus adjectis.

*Deſcriptio Hiberniæ*: extat cum Chronicis Raphaëlis Holingshed. Londini 1586. fol.

*De Vita S. Patricii Hiberniæ Apoſtoli*, libri duo. Antv. 1587. 8.

*Hebdomada Mariana, ex Orthodoxis Catholicæ Romanæ Eccleſiæ Patribus collecta, in memoriam VII. Feſtorum B. M. Virg.* Antv. 1606 8.

*Hebdomada Euchariſtica, ex ſacris Litteris & Patribus.* Duaci. 1614. 8.

*Brevis præmunitio pro futura concertatione, cum* Jacobo Uſſerio, *qui in ſua Hiſtorica Explicatione conatur probare, Pontificem Romanum (Legitimum Chriſti in terris Vicarium) verum & germanum eſſe Anti-Chriſtum.* Duaci. 1615. in 8.

*Principia Religionis Catholicæ*, anglicè. Libri IV. priores *Æneidos Virgilianæ*, in rythmos anglicos tranſlati, adjunctis aliis Poëmatibus. Lond. 1583.

Inſuper edidit annorum XVIII. adoleſcens, *Harmoniam ſive Catenam Dialecticam in Porphirianas Conſtitutiones.* Lond. 1570. fol. Plura habet P. Niceron in Notitiis ſuis Litterariis Tomo XVIII. pag. 35.

## RICHARDUS VERSTEGANUS,

Antverpienſis, Hiſtoricus, edidit vernaculè

*Antiquitates Belgicas*, unà referens prædicationem euangelii à *B Willebrordo* non ſolum Hollandiæ Friſiçque, ſed & Brabantiæ Flandriæque Apoſtolo. 12. Antv. apud Gaſp. Bellerum 1613.

Item *Antiquitates Britannicas*, ibidem demonſtrans Anglos è Belgis exortos &c. 1606.

## RICHARDUS VITUS,

Baſingtochius, Anglus, è Comitatu Southamptonienſi, adoleſcens Wintoniæ literis humanioribus, Oxonii ſtudiis altioribus operam dedit. Everſâ poſtmodum in Anglia Religione Catholicâ, exiit patriâ, & primùm Lovanii in Belgio, deinde Patavii in Italia Juriſprudentiç ſtudiis tam ſtrenuam navavit operam, ut tandem in utroque Jure ſummam lauream fuerit conſecutus. Ex Italia reverſus Duacum, in ea Academia ab anno 1580. aut circiter Jus utrumque tamquam Regius Profeſſor publicè docuit.

Poſt ſecundas nuptias, ex diſpenſatione Clementis VIII. Pont. Sacerdos factus eſt, atque ad D. Petrum Duaci Canonicus. Romæ ita inclaruit, ut miſſis à Pontifice litteris, Univerſitatis Duacenæ Rector, extra ordinis conſoliti vices, & ſub idem tempus Comes Palatinus crearetur. Vivere

vere desit anno 1612, & in parochiali Ecclesia S. Jacobi sepultus jacet. Inter Scriptores Belgicos, à Val. Andrea adnumeratus, edidit

*Historiarum Brittanniæ Insulæ ab origine mundi* libros XI. Duaci, typis Car. Boscardi. 1602. & annis seqq. 8.

*Orationes V. de Circulo Artium & Philosophiæ: De Eloquentia & Ciceronе: Pro divitiis Regum: Pro Doctoratu: De studiorum finibus*; cum *Notis*. Atrebati, typis Guil. Riverii, 1596. 8.

*Notas ad Leges Decem-Virum in XII. Tabulas*. Ibid. 1597. 8.

*Explicationem* brevem *Privilegiorum Juris & consuetudinis circa Ven. Sacramentum Eucharistiæ*. Duaci, apud Boscardum, 1609. 8.

*De Reliquiis & Veneratione Sanctorum*. Duaci 1609.

*Brevem explicationem Martyrii S. Ursulæ, & XI. millium Virginum*. Duaci 1610.

*Expositionem cujusdam antiqui Epitaphii Ænigmatici, quod in Agro Bononiensi repertum est: cujus initium*: ÆLIA, LÆLIA, CRISPIS &c. Rich. Vitus id-ipsum Nioben, vel Animam interpretandum censuit.

Hæc nobiscum communicavit R.D. *Albanus Butler*, Phil. Prof. ac Bibliothecarius Coll. Anglo-Duaceni.

## RICHARDUS A WASSEBOURG,

Gente Lotharingus, natus in fano S. Michaëlis, in Cathedrali Ecclesia Virdunensi Archidiaconus, de Belgio bene meruit, edendo *Annales* nostratium; in quibus quidem, per multas Fabulas, Belgas à Troianis derivat, eorumque primum Ducem *Salvium Brabonem*, anno ante Christi natalem XL. Julii Cæsaris è sorore abnepotem statuit; ab hoc autem *Brabone* Duces Lotharingos genealogicè deducit. Nihilominus, inter somnia fabulasque, multa, quæ Belgicas historias attingunt, è latebris eruit, & ab oblivione vindicavit. Titulus libri hic est.

*Les Antiquitez de la Gaule Belgique, Roiaume de France, Austrasie & Lorraine, avec l'Origine des Duchez & Comtez de l'ancienne & moderne Brabant, Tongre, Ardenne, Haynau, Mosellane, Lotreich, Flandres, Lorraine, Barrois, Luxembourg, Louvain, Waudemont, Joinville, Namur, Chiny & autres Principautez; extraites sous les Vies des Eveques de Verdun, ancienne Cité d'icelle Gaule, avec plusieurs Epitomes & Sommaires ès Vies des Papes, Empereurs, Rois & Princes dessus dits, depuis Jules-Cesar* &c. Deducuntur hi Annales ad ann. 1508. sed tantùm prodiere Parisiis 1549. apud Sertenas, II. Vol. in fol.

De his lege judicium *P. Le Long*, in Biblioth. Historic. Galliæ ad Num. 15635. item *P. Calmet* in Procœmio Tomi I. Historiæ suæ Lotharing. pag. c. v. ubi multa adduntur de studiis ac muniis *Rich. à Wassebourg*. Fuit nimirum Collegii Marchiensis in Academia Parisiensi Bursarius ac dein Præses; Decanus Ecclesiæ S. Gatiani Turonensis anno 1510. Tum successivè Pastor in Diœcesi Ambianensi, Canonicus in Cathedrali Carnotensi, Decanus in Virdunensi, ac tandem viâ permutationis, Ecclesiæ hujus Archidiaconus, cui dignitati sub annum 1550. immortuus est.

## ROBERTUS,

In Ecclesia Cathedrali Atrebatensi Canonicus, ibique circa annum 1140. Archidiaconus Ostrovandiæ, scripsit

*Vitam S. Aiberti*, Presbyteri & Recluſi, ut vocant, Crispinienſis: apud apud Surium VII. Aprilis. Edidit eam anno 1642. Duaci Arnol. Raissius, ibidem Canonicus. Extat etiam in Actis SS. Bollandinis.

## ROBERTUS A BEECK,

In Præfecturis Tranſiſalaniæ Regiæ Majeſtatis Conſiliarius, retulit carmine *Vaticinium Fauni pro Invictiſſ. Philippo Rege Angliæ, Franciæ, Neapolis, Archiduce Autriæ* &c. Swollæ per Jo. Ruremundanum, 1553. in 4.

## ROBERTUS BRITANNUS,

Atrebas, bonas litteras & Eloquentiam in Galliis Toloſæ, Burdigalæ ac Lutetiæ annos plures docuit. Scripſit *Rationem conſcribendarum Epiſtolarum.* Pariſ. 1545.

*Epiſtolarum* libros II. ad ſæculi ſui doctos. 1540. 4.

*Orationem de Pace*: & alteram *De Philoſophia.* Ibid. 1538. apud Wechelum, in 8.

*Encomium Agriculturæ.* Ibid. 4. 1539.

*De Parſimonia.* Ibid. apud Colinæum.

*De optimo Reip. ſtatu.* Ibid. 1543. 4. typis Wecheli.

*Dialogum de Puerorum Inſtitutione.*

Hallucinantur, qui è Plutarcho reddidiſſe latinè exiſtimant *Conſolationem ad uxorem*, & *Vitas decem Græciæ Oratorum*, quarum interpres eſt *Robertus*, natione *Britannus*; & contrà, qui *Agriculturæ Encomium* adſcribunt *Roberto Anglo.*

## ROBERTUS DE BRUGIS,

Ex illuſtri Flandriæ familiâ ejuſdem cognominis (vulgo dictâ *Gruuthuſe*) originem ducens, prædicatione, ſanctâque converſatione D. Bernardi Abbatis Flandriam viſitantis excitatus, cum eodem in Claram-vallem proficiſcens, Monaſticum illic habitum induit, tantùmque ſub directione Patris ſancti profecit, ut hic cum primum Dunenſibus in Flandria Abbatem præfecerit; inſuperque morti proximus ſibi ſucceſſorem eligi voluerit. Extant & inter Epiſtolas S. Bernardi, duæ ad hunc Venerabilem Abbatem affectu pleniſſimæ, ſcilicet 324. & 325.

Legitur in Monaſterio de Dunis (ut ſcribit Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica) *Sermo quidam elegantiſſimus, huic Venerabili Roberto adſcriptus, quem habuiſſe dicitur in anniverſaria Die depoſitionis S. Bernardi.*

Sed addit Carolus de Viſch in Bibliotheca ſua Scriptorum Ciſterc. ſe detexiſſe, *Sermonem* hunc eſſe eundem, quem Jacobus Merlo-Horſtius, aliique, poſt Opera S. Bernardi, attribuunt *Gaufrido*, Claræ-vallis Abbati III. Nihilominus, quia præter Valerium etiam Sanderus libro de Scriptoribus Flandriæ, *Robertum de Brugis* cæteris Flandriæ eruditis Viris adnumerat, noluit idem Car. De Viſch eum prætermittere: maximè cum conſtet Virum fuiſſe doctiſſimum, & & quædam etiam alia ſcripſiſſe feratur; quæ tamen ad nos non pervenerint.

Obiit Abbas Robertus in Claravalle anno 1157. die 29. Aprilis (quo celebratur in Menologio Ciſtercienſi.) Vitam ejus ediderunt Chriſoſtom. Henriquez latinè, & Car. De Viſch belgicè. Antiquum illius in Clara-valle Epitaphium ſic habet.

ROBERTUS *natus de* BRUGIS, *bicque ſecundus*
*Abbas, de Dunis Paſtor & ante fuit.*
*Hanc Vallem rexit cum dimidio tribus annis;*
*Hic jacet in clauſtro, mortuus in Domino.*

## ROBERTUS DE CROY,

Epiſcopus & Dux Cameracenſis, S. R. I. Princeps, Comes Camerace-ſii, poſtremus ante erectionem hujus Sedis in Archiepiſcopalem, deceſſit anno 1556. pridie Kal. Sept.

Digitized by Google

ROBERT : GAGVIN :-

Digitized by Google

*Statuta Synodalia anni* 1551. curavit edenda Pariſ. eodem anno, quæ & aliàs ſæpius recuſa ſunt.

## ROBERTUS FOSSANUS,

Eccleſiæ Gilirenſis in Diœceſi Namurcenſi Paſtor, edidit

*Conciones Catechetica*s, de univerſa Catechiſmi doctrina. Leod. 1618. 4.

## ROBERTUS GAGUINUS,

(Tritemio Rupertus) Duacenſis, (Andreas Thevetus libro de Viris illuſtribus, è pago Atrebatio vicino oriundum auctor eſt; Locrius in vico Callona, ad Liſam fluvium in Arteſiæ finibus natum ſcribit) adoleſcens in Niepenſi Morinorum Cœnobio ſub SS. Trinitatis auſpiciis Religionem profeſſus eſt.

Miſſus inde Lutetiam ſtudiorum cauſſâ, in S. Maturini Monaſterio deinceps vixit, primùm ſub Rege Carolo VIII. Bibliothecę Regiæ in palatio Luparenſi præfectus, quam conquiſitis undique Codicibus tum MSS. tum impreſſis locupletavit; dein verò Ordinis ſui Miniſter, ut vocant, Generalis, ordine vigeſimus, anno 1473. electus; fuit & SS. Canonum Doctor, & Legationibus variis in Italia, Germania Britanniaque pro Galliarum Regibus Carolo VIII. & Ludovico XII. præclarè functus. Vir variè doctus, Theologus, Juriſconſultus, Orator, Poëta, Hiſtoricus; eoque nomine Tritemio & Eraſmo laudatus. Ille Italos ſæpè *Gaguini* eloquentiâ in ſtuporem raptos ſcribit; hic verò in *Robertum* ita luſit:

\- - - - - - - - *Tuus ille* Robertus
*Exæquat ſermone Latino*
*Stemmata Francorum, & decus, & fera prælia Regum.*
*Jam nihil eſt, quod Gallia docto*
*Invideat Latio: ſuus ipſi contigit alter*
*Livius, ac Salluſtius alter.*

Quamquam dum vulgares ſequitur Commentarios, provinciali ſcriptos linguâ, ineptos prorſus & multis locis falſos, ipſis etiam Gallicis ſcriptoribus atteſtantibus, fides ejus ſubinde vacillet. Ita ferè Meierus Annalium Flandriæ lib. XVII. ad annum 1473. addens, ſolere Gallos res ſuas non majore ſcribere fide, quàm gerere.

*Annales Rerum Gallicarum*, ſive *De Origine & Regibus Francorum*, uſque ad Carolum VIII. libros XII. editos Lugduni, item fol. Pariſiis 1497. apud Andream Bocard, & 1500. ab Authore recognitos & auctos. Tum Francof. 1577. fol. cum ſupplemento *Huberti Velleii* J. C.: & rurſus Duaci 1586, cum appendice *Jacobi Bourgeois* ejuſdem Ordinis. Idem prodiit gallicè Pariſiis 1525, hoc titulo: *la Mer des Chroniques & Miroir Hiſtorial de France, par* Robert Gaguin; *avec les faits avenus depuis la deſtruction de Troyes, en France, Angleterre, Irlande, Eſpagne, Gaſcogne, Flandres, &c. avec les Genealogies de France & Annales des Gaules.* fol. cum figuris ligno inciſis. Vide Hiſtoriographos Franciæ authore P. le Long. Num. 7274.

*De Conceptione Virginis Deiparæ*, adverſus *Vincentium de Caſtro-Novo*, Ord. Præd. carmine & proſâ. Pariſ. typis Badii, 1498. 4.

*De miſera Hominis conditione*, liber I.

*De Arte metrificandi*, libri III. 1505.

*Orationes & Epigrammata*, à Badio 1498. 4. edita.

Caroli VIII. Galliæ Regis juſſu *Commentarios Julii Cæſaris & A. Hirtii*, itemque *Geſta Caroli Magni*, in gallicum ſermonem tranſtulit.

*Epiſtolæ Gaguini.* 4. Pariſiis 1521.

*Paſſio S. Richardi Martyris*, ab eo edita olim Pariſiis, extat nunc in Actis SS. Boliandinis, ad diem 25. Maii.

*Chronicon ſui Ordinis* reliquit MSS.

Item vertit gallicè *Joannis Pici Mi-*

*randulani* librum, cui titulus : *Utile conſilium contra labores & tribulationes.* Pariſ. 1518.

Extat quoque Poëma gallicum, quod in Anglia ſcripſit anno 1489, cui titulum fecit : *La Royne du bon repos, ou bien le paſſe-temps d'oyſiveté.*

Vitâ defungitur Pariſiis anno 1501. vel juxta Locrium 1502. XI. Kal. Junii, apud ſuos ad S. Maturinum ante aram ſummam conditus. *Fauſtus Andrelinus* Poëta laureatus, quem ex Italia ad Carolum VIII. *Gaguinus* deduxerat, hoc ei Epitaphium poſuit.

*Illuſtris Gallo nituit qui ſplendor in orbe,*
*Hic ſua* ROBERTUS *membra* GAGUINUS *habet*
*Si tanto non ſæva viro Libitina pepercit,*
*Quid ſperet docti cætera turba chori?*

De corpore ipſius rem dignam notatu narrat Swertius in Athenis Belgicis. Cum aliud proximè ſepulchrum aperiretur anno Chriſti 1550. totum fere *Gaguini* corpus, mirantibus omnibus, apparuiſſe : indeque *Jacobum Bourgeſium*, ejuſdem Ordinis in Belgio Provincialem qui tunc erat Pariſiis, caput impetraſſe ac Duacum portaſſe, iſthic in Bibliotheca Domûs intra cancellos ferreos in parietis cavo collocatum, additis his Bourgeſii verſibus.

*Aſpice me quæſo :* ROBERTI *carcere mentum*
*Hoc tenui, recolas quæ monumenta dedit.*
*Te ſua ſcripta manent : ſpeculum tibi mortis ad hoc ſum.*
*Diſcito, Vita brevis, nec tibi certa manet.*

## ROBERTUS GROPRETIUS,

Vulgò GROSPRE' Atrebas, Medicus, ſcripſit ad Henricum VIII. Anglorum Regem,

*Regimen Sanitatis*, Pariſ. & Gandavi excuſum in 4. anno 1538.

Item *Tractatum de Peſte.* 4. Pariſ. 1538.

## ROBERTUS DE HAUTPORT,

Hanno-Montenſis, Eques, Dominus de Grands-Sart, Rumegnies &c. ſcripſit

*De Miraculis Virginis Dei-paræ Tungrenſis, Camberonenſis & Cervienſis.* Montibus, apud Card. Michaelem, 1602. in 16.

## ROBERTUS KLARKE,

Natione Anglus, at longo incolatu Belgis accenſendus, Monaſticen profeſſus in Carthuſia Anglicana Neoporti apud Flandros, Poëta facundiſſimus, verè *Virgilius Chriſtianus*, neque ulli veteris Ævi Poëtarum ſecundus. Edidit anno 1652. heroïco Carmine

*Chriſtiados, ſive de Paſſione Domini* Lib. XVII. 8. Brugis typis Kerchovianis 1670. Cui quidem libro præclarum hoc appoſitum fuit Elogium, Authori omni jure debitum.

*Debet Virgilius tibi multa Roberte; ſed illi*
*Tu tantum, quod ſis tempore poſterior.*

## ROBERTUS DE LACU,

Vulgò VAN DE POELE, Gandenſis, J. U. D. Canonicus ac Pœnitentiarius Cath. Silvanectenſis in Gallia, poſtea Decanus Eccleſiæ B. Mariæ in Civitate Trajectenſi ad Rhenum, & Brugis in D. Donatiani Canonicus; venit anno 1463. Lovanium SS. Canonum publicus Profeſſor, Vir multiplici doctrinâ clarus. Scripſit, teſte Swertio in Athenis Belg.

*Illuſtrationes Inſtit. Juris.* Lovanii.

Inſtituto Collegio S. Ivoni ſacro, quod Baccalaureorum vocant, Lovanii docendi & vivendi finem fecit, anno 1483. ſepultus in S. Martini Monaſterio Regularium, hoc Epitaphio, quod illi ſcripſit *Ludovicus Brunius*, Gandenſis, Poëta Laureatus.

Digitized by Google

*Robore virtutum fortis* ROBERTUS *abundans*,
*Ut lacus ingenii fontibus irriguis*,
*Deque* LACU *cognomen habens*, *in utroque paratus*
*Doctor Jure*, *micans artibus atque sale*,
*Publicus interpres Juris*, *florente senectâ*
*Raptus morte gravi*, *conditur hoc tumulo*.
*Ut virtutis erat fautor*, *virtutis amator*,
*Quisquis ades*, *supplex dic*, *requiescat*. *Amen*.

## ROBERTUS LAMBERTI,

Vulgò LAMBERTZ, Canonicus Regularis Præmonſtratenſis & Prior in Abbatia Averbodienſi in Campinia, inſcripſit librum, hoc titulo:

*Diva de Cortemboſch*, *ejuſque Miracula*. Lovanii 1656. Eſt autem ſacellum de Cortemboſch ſub Parochia de Coſen, Trudonopoli uno, Haſſeleto ſecundo lapide diſſitum, quod anno 1645. *Nicolaus Ambroſii* Abbas Averbodienſis in honorem B. Virg. Mariæ ſub titulo *Salutis Infirmorum*, extrui curavit, ad cujus Imaginem frequentiſſima tunc contingebant miracula. Hæc prius edita fuerant Leodii idiomate gallico, anno 1645. per *Paulum Van Hove*, pariter Religioſum Averbodienſem ac Paſtorem dicti loci de Coſen.

## ROBERTUS DE MALEBRANCQUE,

Abbas Monaſterii Henniacenſis (*Hennin-Lietard*) Canonicorum Regularium juxta Duacum circa annum 1640. (in Gallia Chriſtiana prætermiſſus) edidit

*Epitre de J. C. addreſſée à toute Ame Chreſtienne*, *ſpecialement aux Ames Religieuſes*; *en laquelle il leur parle amplement de la ſacrée Communion quotidiane*, *qu'il requiert d'elles*, *leur repreſentant la liberalité de ſes graces* &c. Duaci 1642. in 8.

## ROBERTUS MAQUERIAU,

Valencenas, vixit circa ann. 1527, ediditque gallicè

*Hiſtoriam Domûs Burgundicæ*, ſeu rerum toto triennio geſtarum &c. Extat MS. in Bibliotheca publica Capituli Tornacenſis.

## ROBERTUS MONTANUS,

Dixmudanus, Flander, Doctor Medicus, ſcripſit librum, in quo miſcuit utile dulci, cui titulus,

*Diætema ſive Salubris victus Ratio*. Lovanii apud Everardum de Witte, 1637. 8.

## ROBERTUS,

Monachus Ordinis S. Benedicti, è Decano Monaſterii Stabulenſis Abbas Walciodorenſis, vulgò *Wauſors* in Comitatu & Diœceſi Namurcenſi ad Moſam fluvium, vitâ functus anno 1174. ſcripſerat

*De fundatione Monaſterii Walciodorenſis*. Teſte Molano in Natalibus SS. Belgii III. Decembris.

## ROBERTUS OBRIZIUS,

Hermopagita (vulgò ex *Hermauville*) Arteſius, apud Atrebatios in D. Magdalenæ Parœcus, pòſt Eccleſiæ Cathedralis Canonicus, Theologus & Poëta, divinique Verbi præco non vulgaris. Luſit

*Eydillia Sacra*, in utrumque Teſtamentum, libris XII. Duaci, 1587. 8. typis Joan. Bogardi: cum Auctoris elogio per *Franc. Moſchum*.

*De Atrebatenſis urbis liberatione à ſectariorum factioſorum oppreſſione*, anno

1578. Antver. apud Bellerum 1590. 4.
*Hymnorum* libros VII.
*Epiſtolarum* libros II. Et
*Cœmeterium*, ſeu Virorum Illuſtrium, & Arteſiæ Comitum Epitaphia. Atrebati, 1592. 4. apud Guil. Riverium. Latent apud hæredes,
*Metaphraſis Cantici Canticorum.*
*Progymnaſmata ad veram Pietatem.* &c.

Quæ omnia multijugâ doctrinâ ac pietate referta, inquit Moſchus, dolendum ita in tenebris delitescere.

Obiit Atrebati, anno 1584. pridie Kal. Novembris. Epitaphium hoc ſibi vivens ſcripſerat:

*Bis plus ſex luſtris protraxi ſæpius ægram*
*Corpore in affecto per mala multa animam.*
*Vita labor fuit, & ſtudium conſcribere laudes*
*Cœlitibus, magno Cœlituumque Patri.*
*Vixi: morte cado. Vita eſt mea, mors mea Chriſtus,*
*Unus honos uni, gloria & una Deo.*

Aliud.

*Conditur hoc tumulo, Chriſti qui rexit ovile*
OBRISIUS, *rarâ vir pietate cluens.*
*Hunc ætas, ſtatus & ſexus gemit omnis ademptum,*
*Nam cunctis ſtudio profuit ille pari.*
*Virtutem, ingenium, mores, zelumque, fidemque*
*Nomine vis uno dicier?* OBRISIUS.

## ROBERTUS SEGARD,

Bapalmenſis Artheſius, Presbyter, Theologus æque ac Juriſperitus, evulgavit

*La Pratique des Changes, contenant la façon de preſter & changer licitement, avec l'Extrait des Deciſions de la Rote de Genes, touchant les changes* &c. 8. Inſulis apud Petr. de Rache. 1613.

## ROBERTUS SWERTIUS,

Antverpianus, *Franciſci* frater, naſcitur anno 1570. pridie Nonas Auguſti. In Societate Jeſu Poëſim Rhetoricenque Cortraci, Brugis & Duaci profeſſus, Theologicas diſciplinas Lovanii hauſit. Poſt Silvæ-Ducis ad S. Joannem Plebanus, S. Theol. Lic. & Eccleſiaſtes celebris, per annos omninò quatuordecim induſtriam ſuam civibus omnibus comprobavit, prout publico elogio Magiſtratus dicti opidi teſtatum fecit. Inde verò Turnhoutum migravit; ac demùm natale ſolum Antverpiam repetiit, in Cathedrali Æde Canonicus & Paſtor. Obiit anno 1647. Plura de eo Franciſcus Swertius in Athenis Belg. pag. 505.

Scripſit *Cumulum Mendaciorum Franciſci Lansbergii*, Miniſtri Roterodamo-Batavi. Antver. apud Verduſſium, flandricè.

*De fide hæreticis ſervanda*, adverſus Miniſtrum Danielem Plancium. Ibid. 1611. 8. typis Plantin. latinè.

## ROBERTUS TOURNER,

Anglus, in celeberrimo gentis ſuę Collegio Duaci prima ſtudiorum fundamenta jecit, quæ Romæ perfecit. Ingolſtadienſis demum Academiæ Cancellarius & Electori Bavarico à ſecretis fuit. Obiit anno 1599. Scripſit

*Commentarios in quædam loca Scripturæ.*
*Vitam & Martyrium Edmondi Campiani, ſui quondam Præceptoris.*
*Vitam & Martyrium Reginæ Scotiæ Mariæ.*
*Orationes & Epiſtolas.* Opus poſthumum Ingolſtadii 1602.

## ROBERTUS DU TRIEZ,

Inſulenſis, ſcripſit gallico idiomate *De Impoſturis malignorum Spirituum.* Cameraci, 1563. 4.

Digitized by Google

RODOLPHVS·AGRICOLA·

H. Larmessin. sculp.



Digitized by Google

## ROCHUS HONARDIUS,

Vulgò VAN-DEN-HONAERT, Dordracenus Batavus, J. C. Eques & in ſupremo Hollandiæ conſiſtorio Senator ab anno 1603. Curatorque Academiæ Lugduno-Batavæ electus anno 1627. Ab Ordinibus fœderati Belgii unà cum aliis delegatis miſſus eſt ad Suecorum Regem, pro concilianda pace inter Coronas Suecicam & Polonicam.

Diarium hujus Legationis edidit anno 1632. in 4. oblongo, cum variis figuris *Abrahamus Boot*, Ultrajectinus. Dedit autem ipſe *Honardius*, cothurno verè Tragico,

*Thamaram*, *Tragœdiam* ex 2. Sam. 4. & Joſepho lib. 7. cap. 7. Leydæ, 1611. 8. typis Patii.

Item *Moſen Nemoclaſten*, ibidem editum.

Abiit ad plures, anno 1638. die 30. Januarii, annos natus prope 66.

## RODOLPHUS AGRICOLA,

Natale ſolum habuit Baffeltium Friſiæ municipium ad tertium à Groninga lapidem, circa annum à Chriſto nato 1445. Dialecticæ ac Philoſophiæ operam dedit Lovanii in Gymnaſio Falconis, tantâ animi contentione & ſtudio, in tenera adhuc ætate, ut inter eos, qui Magiſterii titulo inſigniri ſolent, primum locum anno 1465. obtinuerit. Factis ibidem ſtudii Theologici initiis, Galliam, Italiamque viſit, quo majorem ingenii cultum caperet.

Ferrariæ græcas didicit litteras, ſub *Theodoro Gazâ*, inter græcos doctiſſimo, & latinas ipſe docuit. Certabat hîc ſolutâ oratione cum Guarino, cum Strozzis poëtis verſu, de Philoſophia cum Theodoro Gaza differebat, & ceteris ſummis. Cumque pariter excoleret ingenium doctrinæ varietate, & eloquentiæ incumberet, totius in ſe Italiæ ora oculoſque convertit.

In patriam reverſus, à S. P. Q. Antverpiano ad Scholæ illius præfecturam evocatus eſt: verùm Heidelbergenſem provinciam prætulit, & primus exulantes è Germania Græcas reſtituit Litteras: quibus ætate provectior etiam Hebraïcas adjecit, præceptore uſus Judæo quodam, ad fidem converſo, quem Wormatienſis Epiſcopus *Joannes Dalburgius*, ſolius *Rodolphi* cauſâ, domi ſuæ alebat.

Heidelbergæ triennio exacto, ante diem ac præmaturè ſupremum vitæ diem obiit, anno 1485. v. Kal. Novembres, apud Minores conditus, Ordinis illius habitu. In funere illius peroravit *Joannes Reuchlinus*, Phorcenſis.

Fuit certè *Rodolphus* (Eraſmi uſurpabo verba, Adagio, *Quid cani & balneo*) totius tum Germaniæ tum Italiæ decus: illius, quæ genuit; hujus quæ litteris optimis inſtituit. Nihil enim, inquit, unquam hoc Ciſalpinus orbis produxit omnibus litterariis dotibus abſolutius; abſit invidia dicto. Nulla erat honeſta diſciplina, in qua vir ille non poterat cum ſummis artificibus contendere. Inter Græcos græciſſimus, inter Latinos latiniſſimus. In carmine *Maronem* alterum dixiſſes: in oratione *Angelum Politianum* quemdam lepôre referebat, majeſtate ſuperabat. Oratio vel extemporalis adeò pura, adeò germana, ut non Friſium quendam, ſed urbis Romanæ vernaculum loqui contenderes. Eloquentiæ tam abſolutæ parem adjuxerat eruditionem. Philoſophiæ myſteria omnia penetraverat. Nulla pars Muſices, quam non exactiſſimè calleret. Extremo vitæ tempore ad Litteras hebraïcas ac Scripturas divinas totum animum appulerat. Atque hæc conantem fatorum invidia

virum terris eripuit, nondum annos natum XL. Hactenus Erasmus.

Epitaphium *Hermolaus Barbarus*, Venetus apud Cæsarem Legatus, *Rodolpho* posuit:

*Invida clauserunt hoc marmore fata* RODOLPHUM AGRICOLAM, *Frisii spemque decusque soli.*
*Scilicet hoc uno meruit Germania, laudis Quicquid habet Latium, Græcia quicquid habet.*

Viglius Zuichemus, benevolentiæ in popularem suum testandæ, hanc Epigraphen adjecit.

RODOLPHI AGRICOLÆ,
Frisii, Memoriæ,
Posuit VIGLIUS ZUICHEMUS;
Deponenti anathema,
Relinquenti benedictio.

Vitam ejus *Gerardus Geldenhaurius* Neomag. Elogia scripsêre *Paulus Jovius*, *Suffridus Petrus*, *Aubertus Miræus:* Vitam quoque *Alardus Amstelodamus*, operibus præfixam. Opera verò omnia Coloniæ edita sunt, ejusdem *Alardi* studio, Gymnici typis, 1539. 8.

Tomo I. continentur *de Inventione Dialectica* libri III.

*De Universalibus Quæstiones singulares.*
*Scholia in Orationem Ciceronis pro lege Manilia.*

Tomo II. *Aphthonii Progymnasmata* interprete *Rodolpho.*

*Prisciani Cæsarienſis Præexercitamenta*, ex Hermogene.

*Commentariola in Senecæ Rhetoris Declamationes.*

*Oratio de Nativitate Domini* JESU CHRISTI.

*Oratio in Laudem Philosophiæ & reliquarum Artium*; Ferrariæ habita.

*Oratio gratulatoria dicta Innocentio* VIII. Pont. Max. pro *Joanne Camerario Dalburgio*, Wormatiensi Episcopo.

*Paranesis Isocratis ad Dæmonicum*, interprete *Rodolpho.*

*Isocrates de Regno*, eodem interprete.

Item *Lucianus De non credendis delationibus.*

*Luciani Micyllus*, sive *Gallus.*

*Platonis Axiochus de contemnenda morte.*

*Scholia in libros* III. *De Inventione Dialectica*, Auctoribus *Joanne Matthæo Phrisemio*, *Alardo* & *Hadamario.* Ibid. eodem anno, & 1548.

*De formando studio corrigendoque judicio*, *Epistola aurea.* Romæ apud Balth. Cartularium. 1543. in 8.

*Historiola de congressu Friderici III. Imp & Caroli Burgundiæ Ducis apud Treveros* anno 1474. interprete *Rodolpho* è gallico, extat Tomo II. Rerum Germ. à Marquardo Frehero edita.

*Vita S. Judoci*, carmine heroïco, & altera *S. Annæ* carmine elegiaco descripta. Legitur utraque apud Corn. Schultingium Bibliothecæ Eccles. Tomo II.

*Vita Francisci Petrarchæ* ad Ant. Strophinium Papiæ anno 1477. scripta, legitur in Collegio Viglii Zuichemi Lovanii, ut & nonnulla alia ejusdem *Rodolphi.*

Addit Tritemius, vertisse ex hebraïco *Psalterium*: ex græco *Dionysii Areopagitæ* Opera; sed morte præventum ea imperfecta reliquisse.

## RODOLPHUS BATTINGIUS,

Frisius, Medicus & Mathematicus, scripsit

*Methodum Astrolabii.* Paris. 1557.

## RODOLPHUS BRUGENSIS,

Mathematicus, è græco latinum fecit.

*CL. Ptolomæi Planisphærium.* Basil. 1536. cum Arato græco. Præfatur ad Theodoricum Platonicum, præceptorem suum.

RODOL-

## RODOLPHUS CLUTIUS,

Luxemburgensis, Ordinis S. Dominici Theologus & Ecclesiastes celebris, Coloniæ ac Moguntiæ potissimùm moratus, edidit ac recognovit

*Sermones Dominicales & de Sanctis, Dormi-securè* vulgo nuncupatos, cum Notis ac duplici à se confecto Indice. Coloniæ 1612. 1616. & 1625. duo Vol. in 4.

*Sermones Quadragesimales de Tempore & de Sanctis*, F. Jacobi de Voragine, *Archiepiscopi Januensis, Ord FF. Præd. cum ejusdem Mariali.* Mogunt. apud Petr. Cholinum 1616. Tom. IV. in 4.

*Summam Virtutum & Vitiorum F. Guilielmi Peraldi, Lugdunensis.* Mog. 1618. & Colon. 1629. in 4.

## RODOLPHUS DIER,

Mudæ, Hollandiæ oppidulo natus anno 1384. Daventriæ litteris humanioribus imbutus, ibidem anno ætatis XVIII. à Fratribus Domûs D. Florentii (nonnumquam etiam FF. Scholarium Daventrienſium ac Hieronymianorum nomine connotatis) inter Novitios adscriptus est, illiusque Domûs anno 1435. Procurator electus, vivere desiit anno 1458. ætatis 75.

*Scriptum* illius *de Magistro Gerardo Groote, & multis aliis devotis Fratribus, ejusdemque Continuatio per F. Petrum Hoorn, uti & Vitæ quorumdam in eadem Congregatione illustrium Virorum* è MSS. primùm prodierunt Daventriæ anno 1719. curante Gerhardo Dumbar Tomo I. Analectorum, in 8.

## RODOLPHUS DE NOVIOMAGO,

Gelder, Ord. Prædicat. scripsit *Vitam B. Alberti Magni*, ex eodem Ordine Episcopi Ratisbonensis, libris IV. Coloniæ editam. 1490.

## RODOLPHUS SNELLIUS,

Veter-Aquensis, sive ab Oudewatera, Batavus, natus anno 1547. adolescens Coloniæ, Heidelbergæ, Marpurgi, Pisis, Romæ vixit, & Medicinæ operam dedit; Linguarum etiam Græcæ atque Hebraïcæ peritus. Scripta ejus sunt:

*Commentarius in Dialecticam Petri Rami.*

*De Praxi Logica.* Herbornæ, 1595. in 8.

*Ethica Methodo Rameâ conscripta.* Ibid. 1597. 8.

*Rameæ Philosophiæ Syntagma.* Francof. 1596. 8.

*Explicationes in Arithmeticam Rami.* Ibid. 1596. 8.

*Prælectiones in Geometriam Rami.* Ibid. in 8.

*Apollonius Batavus*, seu *Resuscitata Apollonii Pergei Geometria.* Leidæ, apud Raphelengium, 1597. 4.

*Commentarius in Rhetoricam T.* Ibid. 1617. 8. & aliàs.

*Annotationes in Ethicam, Physicam, Sphæram Corn. Valerii.* Francof. 1596. 8. typis Fischerianis.

Obiit Lugduni Batavorum anno 1613. ætatis LXVI. postridie Kal. Martii; anno Professionis, Linguæ primùm Hebraïcæ, dein disciplinarum Mathematicarum XXXIV. relicto *Willebrordo* filio, scriptis quoque nomen adepto.

Extat hoc Epitaphium in Ecclesia Veteraquensi.

Piæ Memoriæ
Viri Clarissimi
RUDOLPHI SNELLII A ROYEN,
Patricii Veteraquinatis,
Qui anno M. D. XLVII. v. Oct. natus,
Juventutis partem,
Docendis Marpurgi in Hassia Litteris
Et Artibus, cum laude exercuit;
Ætatem reliquam

In Academia Leydenſi
Tum Matheſeos tum Hebreæ Linguæ
Profeſſione, cum cura, fide
Et bono publico exegit:
Bis Rectoratu honorificè functus,
Illuſt. duobus Mauritiis,
Principi Auriaco,
Et Lantgravio Haſſiæ,
Ob artium quas amabant
Præſtantiam carus,
Tandem Leydæ, anno ætatis ſuæ
Sexageſimo ſexto, II. Mart.
Deo & naturæ conceſſit.
Hoc Patriæ loco,
Ubi corpus humari ipſe voluit,
Monumentum quod Patri decreverat
Fil. WILLEBRORDUS,
Paternæ virtutis hæres atque decus,
ejuſdem filius Rudolphus
Avo ponendum curavit.

✣ ✣ ✣

*Hier leyt begraven*
*Rudolphus Snellius van Royen.*
*In ſyn leven Profeſſor Matheſeos*
*Inde Univerſiteit van Leyden:*
*Sterft den 2. Mart. Anno 1613.*

## RODOLPHUS,

Monachus Benedictinus & Trudonenſis Abbas in Hasbania Diœceſis Leodienſis, natus in pago Monaſterienſi ad Sabim fluvium, anno regiminis decimo-tertio cedere coactus furori *Giſleberti*, Comitis Durachienſis (qui Trudonenſis Monaſterii Sub-Advocatus erat) exul Gandavum ad Blandinienſem confugit Abbatem; indeque Coloniam veniens Ubiorum, ad S. Pantaleonem Abbas conſtituitur anno 1121. ſed nondum elapſo biennio, ad propria revocatur.

Obiit anno 1138. pridie Nonas Martii, poſtquam annis XXX. Cœnobio Trudonenſi præfuiſſet. Scripſit

*Chronicon Trudonenſe*, id eſt Hiſtoriam & Geſta Abbatum, ab aliis poſtea auctam. MS. Trudonopoli, & alibi; libris XIII. Extat nunc Tomo VII. Spicilegii Domni Lucæ Dacherii 4. Pariſ. 1666.

*Vitam S. Lietberti Cameracenſis Epiſcopi*; quam abſque Authoris nomine evulgavit idem Dacherius Tomo IX. ſui Spicilegii.

*Opuſculum de ſuſceptione puerorum in Monaſteriis*, ad inſtantiam Siberti Prioris S. Pantaleonis, evulgatum à Domno Joanne Mabillon Tomo II. Analectorum pag. 495.

*Contra Simoniacam avaritiam*, Libros VII. quos MSS. aſſervabat Bibliotheca Abbatiæ Gemblacenſis Ordinis S. Ben. de quibus Mabillonius loco citato pag. 534; qui libri incendio nupero hujus Cœnobii, quo totum conſumptum eſt, periêre.

*Epiſtolam* ſive *Hiſtoriam de Inventione corporis S. Gereonis, unius Thebæorum Martyrum*, apud Surium 24. Novemb. Aliaque in Poëticis reliquit ingenii ſui monumenta, Trithemio teſte.

## ROGERIUS HANGOUART,

Inſulenſis, J. C. frater *Guilielmi* in Senatoria Artheſiæ Curia Præſidis, & *Walerandi* ad S. Petrum Inſulis Decani & ad D. Amatum Duaci Præpoſiti, primique Academiæ hujus Cancellarii. Fuit *Rogerius* Juris cùm ſcripti tum conſuetudinarii, tum etiam Hiſtoriarum omnium peritiſſimus, primùm S. P. Q. Inſulenſi à Conſiliis, ſive Syndicus primus atque ordinarius, hinc Cameræ Rationum Præfectus. Nomen ſuum, apud Inſulenſes clarum hactenus, clarius reddidit, collecto relictoque, ad uſum patriæ,

*Promptuario Jurium ac Legum municipalium, Statutorum, titulorum, privilegiorum & ſchedarum Urbis*; quæ omnia in certum ordinem redegit, completis libris XVII. adſervanturque in publica civium Domo.

Obiit circa annum 1570, ejusque tale est Epitaphium.

*Quid magnis placuisse juvat? gessisse quid ampla*
*Munera? & ingenii nomen inane mei?*
*Cæsareos quondam reditus numerare solebam:*
*Nunc numerant artus terrea monstra meos.*
*Nunc bene vix parva* ROGERI *nomen in urna*
*Cernitur, in magnis qui modo magnus erat.*

## ROGERIUS VARLERIUS,

S. Theol. Doctor, habuit *Orationem* in Concilio Provinciali Cameracensi anno 1565. præsidente *Maximiliano à Bergis*, quâ deducit, ex Conciliorum abjectâ authoritate eò ventum esse, ut negetur esse Deus, & ipse Deus trinus & unus: editam cum Actis Synodalibus, Antver. 1566. 4. apud Guil. Silvium.

## ROGERIUS A VENRAEY,

Sycamber, Canonicus Regularis Ordinis S. August. in Dumeto, juxta Wormatiam, scripsit *Odas familiares*, vario carminis genere: item *Disputationem Minualem*. Ita enim eam indigetat Tritemius libro I. Epist. 6. familiarium, ubi duo hæc Opuscula MSS. accepisse se ac legisse testatur, hortaturque ipsum *Venrayum*, ut, ludicris argumentis omissis, seria & sanctiora in posterum persequatur. Itaque pro *Minualem*, quæ nihili vox est, legendum putaverim *Minervalem*, quod apud ejus ævi Scriptores scholasticum aliquid designat. Addit ibidem Tritemius, eumdem *Rogerium Venray* sex & triginta supra centum lucubrasse opuscula, quorum titulos non exprimit. Epistola autem illa Trithemii scripta est anno 1507. unde ætas Auctoris colligi potest.

## ROLANDUS BOUCHIER,

Hannonius, Religiosus ac Prior FF. Carmelitarum Conventûs Valencenensis, quem rexit anno 1513. Scripsit gallicè

*Vitam B. Simeonis Stockii*, Carmelitæ; cujus meminit Molanus ad Usuardum 16. Maii, ut & *Nicolai Harlemensis*, Batavi, qui ejusdem Vitam conscripsit. Vide Acta SS. ad diem XVI. Maii. Postmodum hanc quoque Vitam latinè reddidit R. P. Philippus à Visitatione Carmeli Valencenensis Subprior.

## ROLANDUS MACHLINIENSIS,

Et alter A CASTRO, ANTVERPIANUS, primi nominis Medici, cordatè & eleganter scriptos libellos ediderunt

*De Lue Sudorifera.* Meminit Guiciardinus libro I. Rerum Europæ memorabilium.

## ROLANDUS HEELAUT,

Gandavensis, Religiosus ac Subprior Abbatiæ Bodeloensis Ord. Cisterc. nec non Confessarius Monialium de Terhaeghen Gandavi, fato functus 2. Novemb. 1652.

Scripsit latinè, *De prudentia & discretione Confessariorum Sanctimonialium*, libellum insignem; aliaque quædam vernacula, de quibus *Car. de Visch* in Biblioth. Cisterc.

## ROMERUS VISSCHER,

Amstelodamensis, Poëta celebris, vulgo dictus *Martialis Batavus*, è vivis excessit die 11. Februarii 1620. relictis filiabus duabus, eruditione etiam ac Poësi vernaculâ clarus. Prior *Anna Roemers*, nata anno 1584. obiit die 6. Decembris 1651. altera fuit *Tesselscha-*

*da Roemers.* De his lege Deſcriptionem Hiſtoricam Amſtelod. Jo.Blauw.

Illius liber innotuit hoc tit. *Roemer-Viſſchers Zinne-poppen, alle verciert met Rymen, en ſommighe met Proze : door ſyn dochter Anna Roemers.*

## ROSIANA COLENERS,

Teneræmondana, Poëtria, *Annæ Binſianæ* æqualis, cui & nota & amica fuit : quam *Marcus Vaernewyck* publicis ſuis monimentis lib. I. Belg. antiquit. commendavit. Hæc licet illiterata, imo analphabeta, non tamen amuſa fuit. Obiit circa annum 1560. tumulata in patria ad D. Virginis; teſtibus *Davide Lindano*, & *Franc. Swertio* in Athenis Belgicis. Ejus extant multi Rythmi elegantes.

## ROVERUS PONTANUS,

Carmelita Bruxellenſis, S. Theol. Baccal. rerum ſub Carolo V. geſtarum Narrationi, à *Joanne Sleidano* magnam partem conſictæ, oppoſuit ex Commentariis Joannis Naucleri, Jovii, Fontani, aliorumque,

*Veram Narrationem rerum ab anno* 1500. *uſque ad annum* 1549. *in Republ. Chriſtiana memorabilium.* Coloniæ, 1559. fol. apud Gaſp. Gennepæum.

## RUARDUS TAPPERUS,

Enchuſanus, Batavus, adoleſcens Lovanii cùm Philoſophicis tum Theologicis ſtudiis navatâ operâ, in iſtis renunciatus eſt anno 1507. ſecundus inter Magiſtros Artium, in his vero Doctoralem lauream die 14. Auguſti 1519. unà cum *Jacobo Latomo* accepit. Collegium S. Spiritûs Theologicum Præſes rexit, Eccleſiam Cathedralem Leodienſem Canonicus illuſtravit. Scholam Theologicam annos XXXIX. voce & ſtilo, Eccleſiam S. Petri XXIV. vitæ exemplo & ſingulari pietate rexit; Belgicam Inquiſitor Fidei adverſum naſcentes hæreſes præmunivit : omnis novitatis oſor.

Hunc Carolus V. Cæſar, ob morum ſanctitatem, familiarem, Aula ob vitæ integritatem non de adulatione carum habuit, à quo, cùm de ſumma rerum ageretur, conſilia peteret. Moriens Bibliothecam, quam habebat inſtructiſſimam, Theologorum Collegio reliquit : quo loco quæ de *Ruardi* Vita ac Laudibus leguntur, in hanc etiam Bibliothecam referre placuit.

BIBLIOTHECA D. RUARDI TAPPERI

„ Ab Enchuſia, Artium Magiſtri, „ ſacræ Theologiæ Profeſſoris cele- „ berrimi, Eccleſiæ Collegiatæ D. „ Petri annos plus minùs XXIV. De- „ cani, necnon & hujus Academiæ „ florentiſſimæ Cancellarii quondam „ digniſſimi. Qui ut in vivis vivâ „ voce, & incomparabili eruditione „ Theologiæ ſtudioſos, annos XXXIX. „ inſtruxit : ita mortuus iiſdem, hac „ inſtructiſſimâ Bibliothecâ relictâ, „ etiamnum prodeſſe voluit.

„ Vir ſanè immortali perpetuaque „ memoriâ dignus, non de Theologis dumtaxat, ſed & de Republica „ Chriſtiana meritus optimè. Vixit „ ille non ſuis commodis, ſed Eccleſiæ Chriſti : cujus nomine continuis ſe laboribus confecit, malorum „ odiis, multiſque periculis expoſuit, „ ſeipſum denique curis & moleſtiis „ exhauſit. Latêre ſiquidem non potuit, quantumcumque dignitates refugerit.

„ Hujus operam atque induſtriam „ ſæpè CAROLUS V. Imperator, ſæpè Hiſpaniarum Rex PHILIPPUS, „ nonnumquam Pontifex ipſe requiſivit. Huic repurgandæ ab hæreſibus patriæ provincia demandata. In „ hac quam ſtrenuè ſe geſſerit, quamque ei cordi res illa fuerit, teſtari „ poſſunt Eccleſiæ Proceres; teſtabuntur, dum ſteterit Chriſtiana Re-

RVARDVS. TAPPERVS-ENCHIVSIANVS-

„ ligio, *Expoſitiones Articulorum Lovanienſium*, ut magno cum labore, ita „ cum ſingulari laude & omnium exſpectatione in lucem editæ.

„ Hic edicto Reginæ MARIÆ, harum Regionum Moderatricis, compulſus, Lovanio ad TRIDENTINUM „ accitus, è Belgis facilè primum locum obtinens, Concilium non modo plurimùm exornavit, ſed & ſtrenuè promovit. In quo quantum Fidei Catholicæ atque Orthodoxæ ardorem declararit, noverunt qui ei adſtipulati ſunt, ſanctiſſimi doctiſſimique Patres.

„ Tandem ætatis, pietatis, ac ſapientiæ faſtigium adeptus, verè Chriſto ſponſæque ejus Eccleſiæ eſt immortuus. Nam graviſſimorum, quibus Hiſpaniarum Rex diſtinebatur, negotiorum cauſâ Bruxellam Lovanio evocatus, fruſtratis omnium bonorum ſuſpiriis, vitæ ac moleſtiis finem imponens, miſſo facto Hiſpan. Rege, lubens in ſupremi DEI Regis æterni Senatum ſubvectus eſt, anno 1559. Martii die 11. ætatis verò ſuæ anno LXXI. pauperibus omnium bonorum ſuorum hæredibus inſtitutis. „ Hæc ibi.

Corpus Lovanium eſt relatum, & juxta ſummum altare depoſitum, cum elogio ſepulcrali, laminæ inciſo. Pro funere dixit *Matthæus Galenus*, Weſtcapellius, dein S.T. Doctor Duacenus. Epitaphium autem ita habet.

D. RUARDO TAPPER, ab Enchuſa,
Theologiæ Profeſſori celeberrimo,
Decano, Cancellario,
Quod ſuâ incomparabili doctrinâ
Et auctoritate hunc chorum ann. XXIV.
Scholam XXXIX.
Docuerit, rexerit,
Quod ſupremus Fidei Inquiſitor,
Patriam à ſectis purgare,
Salutaribus doctrinis,
Etiam libris ad hoc editis,
Complere ſtuduerit,
Quod Catholicam Religionem
Hæreſibus vexatam,
Ad Tridentinum Concilium,
E Belgio primus evocatus
Conſtanter defenderit;
Quod ſui temporis Pontificibus,
Carolo V. Ceſari,
Philippo Hiſpaniarum Regi
Non immerito cariſſimus fuerit,
Memoriæ ergo poſitum.
Obiit Bruxellæ anno MDLIX. Martii II.
Ætatis vero LXXI.
Pauperibus omnium bonorum hæredd.
Inſtitutis.
Ejus animæ pacem precemur.

❖ ❖ ❖

Honorarium.

*Defunctus vitæ, longique laboribus ævi,*
*Hac Batavus ſitus eſt ille* RUARDUS *humo.*
*Quem licet in ſera Parcæ rapuere ſenecta,*
*Et vitæ ſaturum ſopiit alta quies;*
*Lovanium, velut immaturo funere raptum*
*Deflet, & effuſis conqueritur lacrymis:*
*Ingeniumque ſagax & amans virtutis & æqui,*
*Et pectus purum condita ſunt tumulo.*
*Nunc igitur lugete viri, lugete juventa,*
*Quæ pia pandebat dogmata, lingua tacet.*

De mortis anno ac die hoc numerale carmen eſt:

*Ad ſUperos ablens MaVortIs LUCe ſeCUndâ,*
*ULtrò pauperIbUs ſUa dat bona CUnCta* RUardUs.

Teſtamentum Eximii *Tapperi* extat integrum Tomo II. Hiſtoriæ Belgii Fœdetati, collectore *Heuſſenio*. Ceterùm Apotheoſin *Ruardo Tappero* ſcripſit *Henricus Geldorpius*, editam anno 1558. 4. Verùm ſannis & ſcommatibus plena genium auctoris ſui prodit: ex qua alioqui ſummi illius Viri acta dilucidè patent. Scripſit verò *Tapperus*,

*Explicationes in Articulos*, circa Eccleſiaſtica dogmata hoc ſæculo controverſa, *à Facultate Theologica Academiæ Lovanienſis* Caroli V. Imp. juſſu collectos. Lovanii, 1555. fol. Tomis II.

*Orationes Theologicas* varias: unà cum *Corollario De veris calamitatum Belgii cauſis atque remediis*, ad *Carolum V.* & *Ferdinandum I* Impp. à *Guilielmo Lindano Epiſcopo Ruremundenſi* vulgatas. Coloniæ, 1577. 8. typis Lud. Alectorii. Opera verò omnia *Tapperi* edita ibidem typis Birckmannicis, 1582. fol.

Scripſerat & *Tractatum De Providentia Dei, & Prædeſtinatione*: cujus autographum adſervari dicitur in majori Collegio Theologorum Lovanii; ſed, quod dolendum, propter characterum ruditatem ac litteratum compendia, legi hactenus à nemine potuit. Interim alternæ *Epiſtolæ* Ruardi Tapperi & Judoci Raveſteyn Doct. Lovan. *De Gratiæ & Liberi arbitrii Concordia*: extant in Opere Antonini Reginaldi de Mente Conc. Trid. circa gratiam efficacem; typis Antverpienſ. in fol. 1706.

## RUMOLDUS COSTERUS,

Machlinienſis, Ord. FF. Minorum, iteratò Guardianus Antverpiæ, ubi & deceſſit pridie Idus Octobris 1679. Plura ſcripſit vernaculè, nempe

*Manna abſconditum*, ſeu Chriſtum in SS. Euchariſtiæ Sacramento. Antv. 1673.

*Schalam candidam Cœli*, ſive Deiparam Virginem &c. Gand. 1679. & alia quædam, de quibus vide Sanderi Brabantiam novæ edit. Tomo III. pag. 223.

## RUMOLDUS DU MORTIER,

Duacenus, edidit Pariſiis, ubi bonas profitebatur litteras;

*Orationem De querimoniis Profeſſionis literariæ*, ad Jac. Auguſt. Thuanum.

## RUMOLDUS HOOGERBEETS,

Hornanus Batavus, filius Theoderici Med. Doctoris & Machtildis à Steynemeulen, natus 24. Junii 1561, humanioribus litteris Veſaliæ apud Clivios excultus, in Academia Lugduno-Batava J. U. D. creatus eſt anno 1584. Propter eminentem eruditionem anno 1590 conſtitutus fuit Penſionarius Lugduni-Batavorum, nec non Secretarius Curatorum celebris illius Academiæ, dein anno 1596. Conſiliarius ac Libellorum Magiſter in ſuprema Hollandiæ Curiâ Hagæ-Comitana, & anno 1611. ad Regem Legatus Daniæ.

Poſtmodum inter civiles diſſentiones, quibus etiam Clariſſ. Vir *Hugo Grotius* involvebatur, anno 1618. die 29. Auguſti apprehenſus *Hogerbetius* bonis fiſco addictis, arctæ cuſtodiæ in caſtro Lupeſteinienſi mancipatur; quo tempore uxorem *Hildegundem Wenſiam*, ſex ſuperſtitum liberorum matrem, feminam præclariſſimam, die 19. Octobris 1620. amiſit.

Tandem ex hac arcta cuſtodia relaxatus, in domo ter-Weer juxta Waſſenariam, ex calculo renum & lethargo diem extremum obiit 7. Septembris 1625. ætatis 64. ſepultus in choro majoris Eccleſiæ Hagæ-Comitanæ. Theologus æquè ac Juris-conſultus, cujus non in ſententiâ ſolum ſed in vitâ reſidebat authoritas, &c.

Scripſit in carcere Lupeſtenienſi *Brevem Introductionem ad praxim Juris.*

Item *Elucubrationes in quatuor Euangeliſtas & Acta Apoſtolorum.*

Meditabatur etiam *Collectionem amplam Edictorum à Statibus Hollandiæ promulgatorum*: item *Sententiarum in ſuprema Senatorum Curia latarum.*

Digitized by Google

Uxori ejus *Hildeſundi Wenſiæ* ſequens Epitaphium poſuit *Hugo Grotius*, concaptivus.

*Nata Senatorum gemino de ſanguine, claro*
*Nupta Senatori, prole beata parens,*
*Servavi mores, inter bona tanta modeſtos,*
*Et placido ſedit pectore ſancta quies.*
*Bis denos tutata domum, bis quatuor annos*
*Sat tibi conſtabat noſtra, marite, Fides:*
*Sed ſuper illud erat, (quis credere poſſet?)*
*ut atro*
*Exploraretur carcere noſter amor.*
*Hîc mihi luna redit bis ſeptima, cum tibi ſemper*
*Hæreo, quàque datur triſtia fata levo.*
*Queis nihil admittat gravius patientia, leni,*
*Et quali tuleram mente ſecunda, tuli.*
*Succubuit corpus: captum te invita relinquo*
*Conjunx care, facis tu mihi triſte mori.*

HILDEGUNDIS WENSIA,
Rumoldi Hogerbecii uxor,
Sex ſuperſtitum liberûm mater,
De morte,
Quam ſexageſimo tertio natali
Lupeſtenii in carcere obii,
Victoriam hîc expecto.

## RUMOLDUS STENEMOLA,

Vulgò STEYNE-MEULEN, Machlinienſis, *Joannis Tritemii* Abbatis Spanheimenſis præclarus diſcipulus, *Joannis Secundi*, aliorumque præceptor, & ab Actis publicis Senatus Batavici, è græco latinè reddidit

*Lucianum de non credendo calumniæ.* Antver. 1530.

Moritur Machliniæ anno 1541. v. Idus Septembris, ætatis ſuæ XL. conditus apud Minores, ante oſtium Capituli, ubi ad parietem appenſa tabula continere hos ſolebat verſus:

*Eccuia hæc tabula eſt?* RUMOLDI,
*Saxea claris*
*Cui Mola cognomen fecerat à proavis:*
RUMOLDUS *jacet hîc, qui Hollandis acta notavit*
*Scriba bonus, quo non fidior ipſa fides.*
*Sic erat in fatis, lenta ut hic tabe peremptus*
*Occideret: tantæ poſce animæ requiem.*

Eidem Cenotaphium ſcripſit *Hadr. Marius*, præceptori diſcipulus:

RUMOLDUS *gentile cui Mola Saxea nomen*
*Fecerat, heu juſtos hic jacet ante dies.*
*Nil Latiæ, nil Cecropiæ vis mellea linguæ,*
*Nil Phœbo ac Muſis profuit eſſe ſacrum.*
*Nil, Batavi meruit quod ab Actis eſſe Senatus,*
*Cunctorum juvit nil amor atque favor.*
*Non lacrymæ uxoris ſuperos flexere, nec orba*
*Non capiens luctus ipſa ſuos ſoboles.*
MACHLINIAM, *quâ natus erat, moribundus in urbem*
*Venit, & exuvias reddidit, unde habuit.*

## B. RUPERTUS TUITIENSIS,

Leodici ad S Laurentium voto monaſtico emiſſo (ubi ab infantia fuit oblatus nutritus & eruditus) Benedictinæ familiæ adſcriptus eſt, ſub Berengero Abbate IV. Inde ad Ooſtbroekanum Cœnobium, milliari uno ab Ultrajecto ſitum, ſe contulit, ac demùm Tuitium, quod eſt Monaſterium Benedictinorum ad Rhenum, in ripa Germanica, ex oppoſito Coloniæ Agrippinæ ſitum: ubi & Abbas X. creatus anno 1113. *Tuitienſis* inde cognomen retinuit. Vir illa ætate tum Religione, tum eruditione & ſcriptis præſtantiſſimus; qui cum olim fuiſſet ingenii hebetioris, B. M. Virginis beneficio adeptus eſt, ut neminem ſuo ævo habuerit doctrinâ parem.

Vivere deſiit anno 1135. IV. Nonas Martias, & in Tuitienſi Cœnobio requieſcit.

Cœnobio ſuo contulit beneficia multa, & ſcripſit multa, quorum Catalogum ipſe recenſet in Epiſtola ad *Cunonem* Epiſcopum Ratisbonenſem, libris de divinis Officiis præmiſſâ: & pleraque ſeparatim Pariſ. atque alibi, ſimul verò Tomis III. Coloniæ, 1566. & 1577. fol. typis Birckmannicis excuſa ſunt; item Pariſ. apud Carolum Caſtelain 1638. Tomis II. fol.

*De Operibus SS. Trinitatis* Libri XLII. quorum tres priores Patri in divinis attribuuntur; XXX. Filio; reliqui IX. Spiritui ſancto. Suntque Commentaria in univerſam S. Scripturam: in *Geneſin* libri IX. in *Exodum* IV. in *Leviticum* II. in *Numeros* II. in *Deuteron.* II. in *Joſue* I. in *Judicum* & *Ruth* I. in IV. *Libros Regum*, adjunctis *Pſalmis*, V. in *Eſaiam* II. in *Hieremiam* & *Threnos* II. in *Danielem* I. adjunctis *Aggæo*, *Zacharia* & *Malachia*; in IV. *Evangeliſtas* I. *De Operibus Spiritus ſancti* libri IX. Coloniæ, 1528. & Lovanii, typis Servatii Saſſeni, expenſis Arn. Birckmanni, 1551. fol.

*Commentariorum in XII. Prophetas Minores* Libri XXXII. Ibid.

*In Cantica Canticorum*, *De Incarnatione Domini*, Libri VII. Coloniæ 1540. fol.

*In Matthæum*, *De gloria & honore Filii hominis*, Libri XIII.

*De glorificatione Trinitatis & proceſſione Spiritus ſancti*, Libri IX. Ibid. 1540. & Pariſ. 1545.

*In Euangelium Joannis* libri XIV. Ibid. 1541. & Pariſ. 1545.

*In Apocalypſin* Libri XII. Ibid. 1540.

*De Victoria Verbi Dei* Libri XIII. per Ant. Sorg, civem Auguſtanum 1489. dein Lovanii, 1551. fol.

*Opus originale Ruperti Abbatis*, *De divinis Officiis* Libri XII. Coloniæ, 1543. fol. Antver. 1593. & alibi. Verùm notet Lector, *Ruperti* hoc in opere Lib. II. cap. II. & IX. errorem, exiſtimantis non converti panem in corpus Chriſti, dum conficitur Euchariſtia, ſed adſumi à Verbo divino, quemadmodum adſumpta eſt humanitas: de quo Bellarminus libro de Scriptor. Eccleſiaſt. ad an. 1119. & lib. III. de Sacramento Euchariſtiæ, cap. XI. & XV.

*De Incendio Tuitienſi*, in quo Corpus Domini à flamma circumfuſa intactum remanſit, libri III.

*De meditatione mortis*, libri II. cum *Auctoris Vita*. Coloniæ, 1572.

*Vita S. Hereberti*, novo ſtilo conſcripta, apud Surium, dein etiam apud Hagiographos S. J. ad diem XVI. Martii, Tomo II.

*Vita S. Eliphii Martyris*, apud eumdem Surium, 16. Octobris.

*Carminum* libri IV. & *Hymni* lecti fuerunt Leodii ad S. Laurentium.

*Dialogorum inter Chriſtianum & Judæum libri III.* quos *Annulum* appellavit. E Codice MS. Abbatiæ Lætienſis eos eruit ediditque *Gabriel Gerberonus*, Ordinis S. Benedicti, ad calcem Operum S. Anſelmi, Pariſ. 1675.

*De vita vere Apoſtolica Dialogorum Libri V*, quos è MS. Codice Abbatiæ Grafſchatenſis primùm erutos, luce donarunt PP. Benedictini S. Mauri anno 1733. in ſua Collectione ampliſſima veterum Monumentorum, Tomo IX. pag. 969.

Scripſit item *Res geſtas Epiſcoporum Leodienſium & Abbatum S. Laurentii*; quæ extant in Collectione noviſſ. Benedictin. S. Mauri Pariſiis Tom. IV. pag. 1034.

## RUTGERUS A BOETZELAER,

Vir Nobilis, ab Aſperen, quod Bataviæ opidum eſt, *De bono Concordiæ Orationem* Lugduni Batt. edidit 1618. fol.

RUT-

## RUTGERUS RESCIUS,

Dryopoli, ſive Maſeicâ Leodienſis agri ad Moſam oppido natus, J. C. primus fuit in Trilingui Gymnaſio Lovanii ab Hieronymo Buſlidio Eraſmi hortatu inſtituto, Linguæ Græcæ Profeſſor, *doctrinam non vulgarem incredibili quadam modeſtiâ, planeque virgineo pudore condecorans:* ita teſtante Eraſmo Epiſtolâ ad Bern. Buchonem, & alibi: *Doctior*, inquit, *an inveniri poſſit neſcio; certè diligentiorem ac moribus puriorem vix invenias.* Auſpicatus fuit Profeſſionem anno 1518. Kal. Sept. apud PP. Auguſtinianos, admiſſus ab Univerſitate ad docendum publicè, anno ſequente.

Poſtea ſuo Profeſſoris officio preli typographici curam adjunxit, adſcito ſibi in ejuſdem Artis curam *Joanne Sturmio*, Sleidano, tunc juvene, & comparatis è Germania typis elegantioribus, quorum adminiculo Græcos potiſſimum Scriptores, à ſe caſtigatos, evulgavit. Sunt in iis

*Inſtitutiones Juris*, græcè per *Theophylum*, à *Reſcio* recognitæ. 1536. in 4. Confer inferiùs dicenda de *Viglio Zuichemo*.

*Hippocratis Aphoriſmi*, cum MSS. collati; 1533. 8.

*Xenophontis Commentarios* latinos fecit; uti &

*Platonis libros de Legibus*, quos Franc. Craneveldio Cæſ. Conſiliario dedicavit. 1531.

Item *Luciani* quædam 1531. *Homeri* 1535. & nonnulla alia, communicatis typis ac ſumptibus cum Bartholomæo Gravio.

Reſcium apud Lovanienſes contumeliosè habitum conſolatus eſt Eraſmus per plures Epiſtolas; cui tamen non ſemper placuit, præſertim poſtquam uxorem duxiſſet *Annam Moonſiam*; quod ei nonnihil turbæ apud Collegii Curatores excitavit. Moritur Lovanii anno 1545. Profeſſionis XXVII. VI. Nonas Octobris: ejuſque vidua nupta dein fuit *Joanni Wameſio*, convictori ſuo, J. U. D. celeberrimo. Vide etiam *Annales Typograph. Metaire* Tomo II. pag. 63.

## RUTGERUS RULANDUS,

Aquiſgranenſis, J. U. Doctor, ac magni nominis Profeſſor, quia Lutheranorum ſectam profitebatur, in ſuperiorem Germaniam receſſit, ibique in variis eorum Academiis Juriſprudentiam cum laude docuit, ac plurima ſcripſit, è quibus innotuêre ſequentia. Claruit autem anno 1600.

*Theſaurus fructuum & intereſſe.* Hamburgi apud Frobenium 1607.

*De Commiſſariis & Commiſſionibus Cameræ Imperialis*; partes IV. Francof. apud Nic. Hofmannum 1604. & iterum ibid. apud Hummium 1664. Tom. II. in fol.

*Theſaurus Juris Emphiteutici.* Francof. 1606.

Item *Theſaurus Juris executivi.* Ibid.

*Centuriæ octo Quæſtionum Juris diverſimodè deciſarum à Nicolao Vigelio & Rutgero Rulando* J. Conſſ. Hamburgi apud Frobenium. 1607.

# S.

## SALOMON FABER,

Thynophanius, ſive Iprenſis, edidit Antver. 1563. apud Joan. Withagium,

*Progymnaſmata*, ſive *Silvam diverſorum Carminum.*

*Paræneſin de inſtitutione morum puerilium.*

*Famulitium Joan. Lud. Vivis* carmine Elegiaco redditum.

## SALVIANUS,

Maſſilienſis Eccleſiæ Presbyter, ſcriptis & eruditione claruit circa annum 440. Natus creditur Coloniæ Agrippinæ aut in vicinia :vixitque diu Treveris. Cujus quidem urbis, quartò à Francis, Burgundionibuſque aliis vaſtatæ, everſionem ſub ann. 433. ſuis ipſe oculis ſpectavit, atque inde Maſſiliam poſtea migravit : ſede Imperii Treveris Arelatem tranſlatâ. ( Ita de *Salviano Aub. Miræus*, in Bibliothecâ Scriptorum Eccleſiaſt. parte I. pag. 64. atque ex eo *Steph. Baluzius*, in Notis ſuis ad *Salvianum* pag. 374. )

Scripſit autem *Salvianus*, de *Gubernatione Dei*, ſive Providentiâ, *libros VIII.* Item *Epiſtolas IX.* Et *Libros IV. adverſus avaritiam.* Quibus omnibus à ſe collectis & editis, Notas doctiſſimas appoſuit idem *Baluzius*. 8. Pariſ. 1684. Tranſtulit ea in gallicum quidam S. J. Theologus Pariſ. 1735. apud l'Eſpine.

Notat quoque *Bellarminus* de *Salviano* inter Scriptores Eccleſ. eum ita exageraſſe vitam Chriſtianorum, & maximè Clericorum ſui temporis, ut nimius videri poſſet, niſi ex vero zelo gloriæ Dei & ſalutis animarum Oratio ejus proficiſceretur.

Addit idem *Bellarminus*, *Salvianum* fuiſſe Maſſilienſem Epiſcopum ; ſed refutatur à ſcriptoribus noviſſimæ Galliæ Chriſt. Tom. I. Neque in Catalogum SS. relatum fuiſſe, demonſtrant PP. Hagiographi S. J.

## SAMUEL AMPSING,

Harlemenſis Batavus, Calvinianæ ſectæ Miniſter Harlemi, natus patre Joanne Ampſing, de Oetmarſen, ejuſdem ſectæ ibidem prædicutio, edidit ſermone vernaculo

*Deſcriptionem Civitatis Harlemienſis*, ab ejus origine ſub ann. 506, uſque ad 1626, cum figuris aliiſque hiſtoriis memorabilibus. 4. Harlemi 1628.

*Catechiſmum rytmicum*, flandricè.

Et *Dictionarium Flandricum*, vulgò *Nederlantſche Taal-beright.*

*Diſputationes III. Theologicas adverſus Anabaptiſtas. I. De Incarnatione Filii Dei. II. De Pædo-baptiſmo. III. De diſciplina Eccleſiaſtica.* Lugd. Bat. 1629. in 8.

Plura de Sam. Ampſingio lege in *Theod. Schrevelii* Harlemo pag. 254.

Fuit & *Joannes Aſſuerus Ampſing*, ejuſdem certè familiæ, Medicinæ Doctor non incelebris, qui circa annum 1620. claruit Roſtochii, cujus ſcripta plurima recenſentur in Lindenio renovato de Scriptor. Medicis.

## SAMUEL LOYAERTS,

Attenhovius, Brabantus, Lovanii Philoſophiam didicit, promotus anno 1567. decimus inter Magiſtros Artium, docuitque in Caſtrenſi Gymnaſio. Paſtor ad S. Michaëlem in eadem urbe Eccleſiam plebemque rexit annos ſex & triginta ; Doctor verò S. Theologiæ creatus anno 1586. Vitâ probiſſimus, doctrinâ eximius, de Eccleſia optimè meritus, ut titulus ſepulcralis loquitur defuncto poſitus in ſua Ædе parochiali. Deceſſit anno 1614. Canonicus S. Petri Lov. & S. Servatii Moſæ-Traj.

*Conciones* illius ſive *Enodationes Euangeliorum*, Dominicis Feſtiſque diebus toto anno occurrentium, excudit pri-

mò Tom. VI. Ger. Rivius, Lov. 1606. & sequent. Parisienses junctim 1621. 4.

*Commentarium in Canticum Canticorum* spiritualem & doctum, Flandricè, Antver. Joan. Keerbergius, 1599. 8.

H. S. E.
D. Samuel Loyaerts,
Patriâ Attenhovius,
S. T. D. & Professor,
Ecclesiæ hujus Pastor,
Discessit de seculo
Anno sal. humanæ M. D. C. XIV.
Mensis Septemb. die xiii.
Ægidius Materne,
Ejusdem Eccleſiæ Sub-pastor
Et Eccleſiæ B. Virginis Trajecti
Canonicus, avunculo B. M. Pos.

*Ibidem in tabula picta.*

Samuel Loyaerts, Attenhovius
Hic in spe resurrectionis quiescit,
Qui vixit annos LXVIII. dies xiii.
Pastor Eccleſiam hanc
Et plebem rexit annos XXXVI.
Doctor S. Theol. scholam ann. xxviii.
Vita probissimus, Doctrina eximius,
De hac Eccleſia optime meritus,
Obiit anno M. D C. XIV.
Mens. Septemb. die XIII.
Æternum ut vivat, ei lector apprecare
Heredes ex testamento F. C.

## SAMUEL QUICKELBERGIUS,

Antverpiensis, Medicus, floruit Ingolstadii anno 1553. & edidit ibidem

*Tabulas Medicinæ*, Medicis utiles.

*Apophthegmata Biblica*, Coloniæ, 1571. 8. typis Birckmanni.

Moliebatur magno animo ausuque opus immensum, & totam naturam Universi complexum, *Theatri* nomine, cujus declineationem dedit, & capitum singulorum titulos: cum Admonitione & Consilio de *Universo*, ejusdem *Quickelbergii*. Monachii, 1565. Verum hæsit auctor in incœpto operis ingentis.

## SAXMUNDUS ET ULMARUS,

Sapientes Frisii, quando & ubi floruerint incertum; quamquam Suffridus Petrus Decade VII. Script. Frisiæ vixisse eos circa annum 1274. opinetur. Reliquit uterque *Leges* multas, quæ exstant in Legibus Frisiorum, editis per Joannem Heroldum, Basil. 1557. Plura Suffridus.

## SEBASTIANUS AUGUSTUS NEUZENUS,

Flander è Saftingâ juxta Gandavum vico, Lovanii Philosophus, & in Lilio Litterarum Professor, dein J. U. Doctor & linguæ Hebraïcæ in Marpurgensi Hassorum Academia Professor, scripsit libellum

*De prima sermonis Hebraici lectione.*

*De litterarum Servientium officiis.* Marpurgi, 1532. 8. apud Franc. Rodum.

Vivendi finem fecit Marpurgi anno 1536. æt. 33. Kal. Maii, sepultus in cœmeterio Elisabethico. Plura Freherus de Scriptor. illustribus.

## SEBASTIANUS NOVIMOLA,

Duysburgensis, Clivius, Doctor Theologus Colonienſis, & summæ Ædis Canonicus, edidit

*Methodum Syntaxeos De Spauterianæ.* Coloniæ, 1539. 8. & alibi.

Obiit anno 1579. ætatis lxxix. die viii. Julii, in Eccleſia Metrop. sepultus.

## SEBASTIANUS PETRI,

Amstelodamo-Batavus, Cartusianus, Hymnis, quibus Ordo ille utitur, præfixit *Cartusiasticon* (ita auctor nuncupat) versu Sexametro, quatuor distinctum Elogiis.

Vixit anno 1533. Prior Domûs Capellæ juxta Angiam. Ex Theodoro Petreio.

## SEBASTIANUS SCROFA,

Cameracensis Medicus, Græcè

latinèque doctiſſimus, & Philoſophus inſignis, vertit è Græco

*Galeni libellum De bono & malo ſucco.* Pariſ. apud Wechelum, 1546.

Item *De Remediis parabilibus περὶ ευπορίσων*, cum Scholiis. Ibid. apud Jac. Bogardum, 1548. 8.

## SEBASTIANUS TICHONIUS,

Thenenſis, J. U. L. Eccleſiæ collegiatæ D. Gudilæ Bruxellis Sacellanus, dein Cath. Iprenſis Canonicus, ac potremò circa annum 1658. ad D. Gudilam Bruxellis. Deſcripſit

*Triumphum Bruxellenſium, Sereniſſ. Principi* FERDINANDO S. R. E. *Cardinali &c. Belgium ingredienti erectum.* Bruxellæ, typis Mommart. 1635. in 4.

## SERVATIUS CLAVIUS,

Vulgò DE LA CLEF, Montenſis Hanno, edidit Coloniæ, Birckmanni typis 1575. 8.

*Enchiridion Divinarum Conſolationum.*

## SERVATIUS GILLET,

Abbatiæ Villarienſis in Gallo-Brabantia Religioſus Ciſtercienſis, ac circa annum 1650. Prior, ſimulque titularis Prior Cœnobii B. M. de Porta Cœli, quod olim apud Harlemum in Hollandia extitit, ſcripſit hujus tituli librum.

*Galenus moralis ac myſticus, præſcribens Alexipharmaca & amuleta ad utriuſque hominis ſanitatem præſervandam*: prodiit ſecundò Lovanii typis Georgii Lipſii 1661. in 8.

## SERVATIUS DE LAYRUELTZ,

Sonegienſis, Hanno, Canonicus Abbatiæ S. Pauli Virdunenſis, Ord. Præmonſtr. in Lotharingia, S. Th. Doctor Sorbonicus, Ordinis totius Viſitator, ad ſanctæ Mariæ in Nemore Monaſterium ex officio divertens, ab Abbate, *Daniele Picart*, ſat infelicibus auſpiciis Reformationen auſpicante, poſtulatus eſt laborum & dignitatis Coadjutor. Poſtulationem admiſit Clemens VIII. Pont. Idibus Auguſti 1599. Abbatiam jure ſucceſſionis adiit anno 1600. & opus dignum benedictione fecit, in ſuo ſcilicet Monaſterio, & in cæteris Germaniæ, Bohemiæ, Sueviæ, Auſtriæ, & Galliç Monaſteriis, extinctam, vel ſaltem emarcidam reſuſcitando inſtaurandove diſciplinam.

Mira pro Ordine ſuo ac pro Eccleſia perfecit LAYRUELZIUS, vel agendo, vel ſcribendo. Abbatiam ſuam S. Mariæ ad Nemus tranſtulit anno 1606. in civitatem Univerſitatemque Muſſipontanam. Congregatio Reformata eum uti parentem optimum ſuſcepit, hodieque veneratur quaſi ſanctum.

Die 18. Octobris 1631. in Abbatia ſua, ad quam, cum ſuo Conventu, ob graſſantem Muſſiponti peſtem, ſe receperat, ſeptuagenario major mortem in conſpectu Domini pretioſam obiit: unde ad Muſſipontanum templum, ab eo ſtructum à fundamentis, magnifico funere illatus eſt.

Ita de *Lairveltio* R. D. Carolus Ludov. Hugo Epiſcopus Ptolemaïdis & Abbas Stivagii, in Annalibus ſuis Præmonſtrat. Tomo II. pag 209. plura dicturus in Opere promiſſo de Scriptoribus ejuſdem Ordinis. Interim hæc à *Lairveltio* edita innotuerunt.

*Optica Regularium*, ſive *Commentarius in Regulam S. Auguſtini, CXII. ſpeculis diſtinctus.* Muſſiponte 1603. in 4. item Coloniæ 1614. in 8.

*Catechiſmus Novitiorum omnium Ordinum, & eorumdem Magiſtri.* Muſſiponte 1623. Tomis II. in fol. dein etiam Coloniæ.

## SERVATIUS MYRICANUS,

Vulgo *Van der Heyden*, Lovaniensis, Ord. FF. Minorum, plurimis inter suos muniis perfunctus est, magnâ cum laude secundò Provincialis, in summâ licet temporum difficultate; vocationis suæ observantissimus, Monasticę disciplinæ zelator maximus, pacis amator. Collegit

*Enchiridion FF. Minorum, complectens Regulam S. Francisci cum ejus Testamento, & alia S. Sedis Apostolicæ & SS. PP. monumenta, Regulam FF. Minorum concernentia.* Antv. typis Plantini 1590. in 12.

Excessit è vivis Bruxellæ anno 1599. die 12. Februarii, sepultus in choro FF. Min. ad cornu Euangelii, hoc Epitaphio.

*Ut vita, sic morte pius, tibi, lector amice,*
*Exprimitur sane vir bonus atque gravis.*
*Qui sua, quid ferrent, expendens, nomina, secum,*
*Servavit humilis Religionis onus:*
*Illi nam proprium nomen* SERVATIUS, *illi*
*Familiæ nomen nempe* MYRICA *fuit.*
*Pactum servavit Domino* SERVATIUS *ictum,*
*Ipse sui judex, Justitiamque fovet.*
*Sicut sunt humiles passim crescendo Myricæ,*
*Sic humilem vitæ traxit & ipse modum.*
*Hoc gavisa fuit Provincia nostra Ministro,*
*Sed nimis abbreviat Parca inamara dies.*
*Hinc fit, ut in medio scindantur tempora cursu,*
*Sentiat & sævæ spicula dura necis.*
*Officii Saxum volvebat rite secundò;*
*Non tantum patitur mors violenta bonum.*

## SERVATIUS SMETS,

Mechlinienſis, priùs Sacerdos sæcularis, dein Religiosus Ordinis S. Augustini in patria, suique Conventûs Prior, nec non per annos 40. Confessarius Monialium de Thabor Ord. S. Augusti. Mechliniæ: contagioso morbo quartum grassante Mechliniæ, nimirum annis 1624. 1635. 1661. & 1666. indefessâ charitate adstitit pestiferis, publico etiam Magistratûs encomio laudatus. Edidit vernaculè

*Praxin bene moriendi.* 12. Mechl. 1637.

*Speculum Ecclesiasticum, seu Exercitia Virtutum Theologicarum*, libellum ab Authore dicatum Monialibus de Thabor anno 1668.

Item *Explicationem Regulæ S. Augustini* pro iisdem, & *Conciones* MSS.

Vivere desit Mechliniæ, die 6 Martii 1676. ætat. 84. profess. 50. annor.

## SEVERINUS BINIUS,

Randelradii, Juliæ opido, patre Quæstore natus, post publicam multorum annorum apud Ubios Professionem, S. Theol. Doctor, primò B. Mariæ ad Gradus, deinde S. Gereonis, ac demùm Ecclesiæ metropolitanæ Presbyter-Canonicus. Obiit circa annum 1618. Fuit olim Cardinali Baronio familiaris, eoque hortante ac juvante edidit post Merlinum, Crabbium & Surium,

*Conciliorum* Tomos IV. *Notis* doctissimis illustratos, qui totam Antiquitatis Ecclesiasticæ seriem (ut Possevinus ait) egregrè explicant, atque Hæreticorum impostur is ubique occurrunt. Coloniæ, 1606. fol. Item 1618. IX. vol. cui editioni Græca quædam Concilia accessêre: nam in priore non nisi Latina habebantur. Hæc autem Collectio à Gretsero, Frontone Ducæo, Possevino, plurimùm laudata fuit: atque imprimis à Labbæo & Cossartio S. J. Theol. qui pluribus Conciliis eandem auxerunt anno 1672. Tomis XVII. Displicuit tamen Jacobo Usserio, pseudo-Archiepis-

copo Armachano, qui *Binium* vocare præsumpsit *Contaminatorem Conciliorum.*

Porro quæ emendanda occurrunt, citantur ad longum in libro gallico cui titulus: *Traité de l'étude des Conciles*, in 4. Parisiis 1724. pag. 496, multisque sequentibus.

Extat etiam authore Binio *Dissertatio de Joanna Papissa*, in Conciliis Labbæi Tomo VIII.

## SEXTUS ARCERIUS,

Frisius, in Academia Franckerana Medicinæ Doctor, illiusque uti & Linguæ Græcæ Professor, magnâ eruditione morumque humanitate præditus; celebs obiit anno 1623. ætatis 53.

Teste Lindenio de Scriptor. Medicis, *Galeni Orationem hortatoriam ad Artium liberalium studium capescendum, item quod optimus Medicus nisi etiam Philosophus non sit*, è græco latinam fecit, Notisque doctis auxit. 4. Franekeræ 1616.

*Æliani & Leonis Impp. Tactica*, cum Notis & animadversionibus; Lugduni Bat. 1613.

In Æde primaria Alcmariana tali honoratus est Epitaphio.

D. S. & Memoriæ
Clariss. Viri D. Sexti Arcerii,
Medici experientiss.
Græcarum Litterarum & Hippocrat.
Per XVIII. ann. in Academia Frisiorum
Interpretis. Qui
Postquam cum laude suum ævum
In cœlibatu transegisset,
Vixissetque annos 52. mens. 7. dies 19.
Lentâ tabe correptus
Vivere desiit
Kal. August. M. D. C. XXIII.
Frater Paulus & Jaquelina soror
Hoc Monum. fratri desideratiss.
Mœsti posuerunt.

*Efferat ingenium prisci natura leporis,*
*Mœonidem laudet Græcia cuncta suum,*
*Sua visonos Teis moduletur Anacreon ignes,*
*Pythia Thebanis Pindarus ore tenet.*
*Hoc uno veteres agnovit Frisia Graios,*
*Hoc uno voluit Suada Pelasga loqui.*
*Patria da veniam, mutavit Græcia sedem,*
*Et Lyrici nobis iam periere sales.*

P. Winsem. Historiographus
Amico pos.

## SIBERTUS A BEKA,

Geldriensis, Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo Prior Provincialis, circa ann. 1320. Vir tam in jure Canonico quàm in Philosophia Aristotelica egregiè doctus, ingenio subtilis & clarus eloquio; qui non minus conversatione quam scientiâ suo tempore effulsit: inquit Abbas Trithemius. Scripsit

*In Libros IV. Sententiarum.*
*Summam Censurarum novi Juris.*
*Super Regulam Ordinis sui.* Et alia; ex Trithemio.

Obiit cum fama sanctitatis Coloniæ anno 1333. die XXIX. Decembr. sepultus ante majorem aram Carmelitarum.

## S. SIBRANDUS,

Abbas VI. Horti B. Mariæ (vulgò *Mariæ-Garde*) Ord. Præmonstratensis in Frisia occidentali, sesqui-milliari à Leovardia, vir in primis pius, & sanctitate conspicuus, scripsit

*Vitam S. Siardi*, V. illius loci Abbatis, qui obiit anno 1230. XIII. Nov. Incipit: *Venerandus P. Siardus &c.* Legitur in Cœnobio Steinfeldensi, Diœcesis Colonien sis.

*Vitam S. Frederici Hallemi*, qui Horti Mariæ fundator fuit & primus Abbas; cujus corpus ab anno 1616. requiescit in Abbatia Bonæ-Spei. Vide Molanum in Natalibus SS. Belgii 7. Martii. Extat Vita hęc apud Hagiographos S. J. Tomo II. Martii.

Obiit anno 1238. regiminis VIII. vel juxta Chronicon Menkonis, anno 1240.

## SIBRANDUS LEO,

Frisius, Leovardiæ natus, patre naupego, vitam Monasticam professus fuit in Lidlumensi Ord. Præmonstrat. Cœnobio apud Franekeram, ejectusque inde à rebellibus Calvinistis, in Cusemaria Monialium sui Ordinis Præposituræ, ditionis Groninganæ, exul vitam finivit anno 1578. die 22. Junii. Scripsit

*Vitas Abbatum Horti* B. Mariæ, quod ejusdem Ord. Cœnobium est in Frisia occidentali. Evulgavit anno 1708. Antonius Matthæus Tomo VI. suorum Analectorum, nunc Tomo III. novæ editionis, 1738.

Item *Vitas Abbatum Lidlumensium*. Laudat sæpiùs auctorem illum in Frisia sua Martinus Hamconius, pluraque eum scripsisse auctor est Suffridus Petrus.

Ejusdem *Chronicon ab anno* 1180. *ad* 1580, evulgavit *Carolus Ludovicus Hugo*, Ord. Præm. Abbas Stivagii & Fontis Andreæ, Doctor Theologus ac Ducis Lotharingiæ Historiographus, dein Episcopus Ptolomaïdis, inter *Sacræ Antiquitatis Monumenta Historica & Diplomatica*. Tom. I. Anno 1727.

## SIBRANDUS LUBBERTUS,

In vico de Langowoode apud Frisios anno 1556. natus, humaniores litteras in Schola Bremensi, linguam hebraïcam in Academia Wittembergensi, Theologiamque Calvinianam in Gebennensi didicit, Magistris *Theodoro Beza* & *Isaaco Casaubono* usus. Postmodum ab Ordinibus Frisiæ ad instaurandam Academiam Franekeranam anno 1585. evocatus, primus illic Theologiam docuit, assumpto etiam apud Heidelbergenses gradu Doctorali.

Professionem hanc annos XL. exercuit, magni apud suos habitus, ad Dordracense Calvinistarum Conciliabulum ab Ordinibus Frisiæ deputatus, & quamvis ad primariam Heidelbergensis Academiæ Cathedram instanter expetitus, à Franckerana tamen avelli noluit, fato ibidem functus die 25. Januarii 1625. pro funere laudatus à collega *Sixtino Amama*.

Multa scripsit adversus Card. Bellarminum, Jac. Gretzerum S. J. aliosque Theologos Catholicos, elucubrato etiam opere prolixiore, quod *Anti-Bellarminum* appellavit: sed in lucem venire noluit.

Multa quoque adversus Arminium, Vorstium, Bertium, aliosque eorum asseclas, quædam contra Faustum Socinum; imò & contra librum Grotii, *de Pietate Ordinum Hollandiæ*, cujus Vindicias adversus eundem Lubbertum dedit Grotius.

Qui plura de gestis librisque *Sibrandi Lubberti* desiderat, is Dictionarium criticum Petri Baylii adeat.

## SIBRANDUS TETARDUS SICCAMA,

Frisius, utriusque J. Doctor, & S. P. Q. Bolswardiano à Secretis, edidit

*De Veteri Anno, Romuli & Numæ Pompilii, Antithesis*, Campis, 1599.

*De Judiciis Centum-Viralibus*, libros II. Franek. 1596. 4. Extant in Thesauro Antiquit. Roman. Grævii, Tomo VIII. p. 33.

*Fastorum Roman. Kalendarium*, libris II. Amstelodami, 1600. Extat quoque ibid. Tom. II. pag. 1824.

*Antiquas Frisiorum Leges*, cum suis Notis. Arnhemii, 1617. 4.

## SIDRONIUS HOSSCHIUS,

Vulgo Van Ossche, Flander, è pago de Merckhem in Diœceſi Iprenſi ſub Decanatu Dixmudano oriundus, Societatis Jeſu Theol. in humanioribus diſciplinis, & præſertim Poëticâ facultate verſatiſſimus; in Elegiis condendis alter ſui ſæculi Ovidius; docuit ſacris etiam ac ſeriis rebus, ſpretâ ſæcularium amorum & ineptiarum vanitate Muſas & Apollinem ſervire poſſe. Elegantiam carminum ejus maximi fecêre doctiſſimi quique, ſed præcipuè Alexander VII. Pont. Max. dum Nuncii Apoſtolici munus ad Rhenum obiret. Vitâ exceſſit Tungrenſis Reſidentiæ Præſes anno 1653. die 4. Septembris, ætatis 57. Cecinit

*Elegiarum Libros VI. de curſu vitæ humanæ, de Chriſto patiente, de lacrymis S. Petri, Sereniſſimo Leopoldo vota, deque aliis argumentis.* 12. Antverp. 1656. & aliàs ſæpius.

## SIGEBERTUS,

Gemblacenſis in Brabantia Monachus, Ord. S. Benedicti, *morum probitate* (diſcipuli ejus libro de Geſtis Abbatum Gemblacenſium Elogium eſt) *& ſcientiæ multiplicitate laudabilis, & gratus ſui temporis ſapientibus:* primis ætatis annis Metis, in Cœnobio S. Vincentii Martyris, multos erudiit, multa ſcripſit. Gemblacum reverſus, gratam ſui memoriam, & impreſſa doctrinæ veſtigia Metenſibus reliquit.

Gemblaci verò *frequentabant eum majores natu, excellentiores gradu, acutiores ſenſu, qui erant in urbe Leodicenſi. Scripturarum maximè divinarum lectio & meditatio eum occupabat: ſed tamen quotidiana Miſſarum celebratio & devota ad Deum oratio ſemper eum præoccupabat.* Ætate grandis, diem ſupremum obiit anno 1112. III. Nonas Octobris, apud ſuos conditus.

Notet verò Lector, in ea incidiſſe tempora Sigebertum, in quibus Reſpublica Chriſtiana & Eccleſia turbata maximè fuit: diffidebat enim tum à Romanis Pontificibus Gregorio VII. Urbano II. & Paſchali IV. Henricus IV. Imperator. Quo factum, ut, Imperatoris partes ſecutus, Pontificibus fuerit infenſior, quæque de Gregorio & contra Gregorium ac Paſchalem in Chronico commemorat, ſuſpectæ fidei ſint, nec tam facta quàm à *Sigeberto* conficta. Scripſerat etiam

*Apologiam ad Henricum Imp. contra eos, qui calumniabantur Miſſas conjugatorum Presbyterorum:* qui liber periit, dignus qui periret. *Sigebertum* refutavit S. Anſelmus Epiſt. ad Guil. Abbatem, quę eſt numero VIII. Pleniùs Baronius Tomo XI. Annalium Eccleſiaſt. Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſt. ad annum 1101. & in Controverſiis. Scriptorum ſuorum ſeriem Sigebertus ipſe dedit libro De Viris Illuſtribus cap. ult. hoc ferè ordine:

*Vita S. Theodorici Epiſcopi*, Fundatoris Eccleſiæ & Abbatiæ S. Vincentii, apud Metenſes: in qua & Encomium Urbis illius verſu heroïco. Edidit eam *Guilielmus Leibnitzius* inter Scriptores Rerum Brunſwicenſium illuſtrationi inſervientes, à pag. 293. ad 313. Hanoveræ 1707.

*Paſſio S. Luciæ*, quæ ibidem quieſcit, Carmine, & *Sermo in laudem ejuſdem.* Manuſc. Gemblaci.

*Apologia Prophetiæ S. Luciæ adverſus reprehenſores ejuſdem.*

*Vita S. Sigeberti Regis*, Conditoris Eccleſiæ & Abbatiæ S. Martini, extra muros opidi Metenſis: extat apud Surium, item Tomo I. Februarii Bollandini, unà cum Hiſtoria ejus Tranſlationis.

*Vita S. Guiberti*, Confeſſoris & Cœnobii Gemblacenſis Fundatoris, XXIII. Maii,

Maii, apud Surium, in sæculo V. Benedictino Mabillonii, & apud Hagiographos S. J. Tomo V. Mensis Maii.

*Passio Thebæorum*, libris III. Carmine. MS. Gemblaci.

*Vita SS. Maclovii & Theodardi*: in quibus stilum emendavit, & urbaniorem, ut ipse loquitur, reddidit. xv. Septemb. apud Surium.

*Vita & Passio S. Lamberti*, Episcopi Leodiensis, uti & *Translatio ejusdem.* MSS. Gemblaci.

*De Jejunio quatuor temporum*; ad Leodicenses. MS.

*Ecclesiastes*, versu heroïco descriptus. MS. ibid.

*Gesta Abbatum Gemblacensium*; quæ discipulus Sigeberti continuavit ad annum usque 1136. quo Anselmus Abbas & Chronographus obiit. Extant in Spicilegio *D. Lucæ d'Achery*, Tomo VI. pag. 505. primæ editionis.

*Chronicon, ab anno* 381. *quo Eusebius finit, usque ad annum* 1113. *cum insertionibus ex Historia Galfridi, & Additionibus Roberti Abbatis Montis*, 103. *sequentes annos complectentibus, promovente egregio Patre D. G. Parvo Doctore Theologo, Confessore Regio, primùm in lucem emissum.* Parisiis apud Robertum Stephanum 1513. in 4. dein etiam Lugduni 1566. sed quibusdam interjectis & interpolatis. Item inter Scriptores Germanicos Pistorii Tomo I. Recensuit ad Autographum Gemblacense *Aubertus Miræus.* Antver. 1608. 4. apud Verdussium: cum *Anselmi* & aliorum Auctariis. Vide variorum Authorum Judicia de hoc *Chronico* in Bibliotheca Script. Gallię P. le Long, ad Num. 6964. Disquisitio in Supplementum Chronologicum, quod Chronico Sigeberti subjici solet, sub nomine *Roberti de Monte*, authore *Conrado Janningo* S. J. extat Tomo VI. Actorum SS. Junii, parte 2.

*Liber Decennalis*, ut Sigebertus ipse nuncupavit, seu *Computus Ecclesiasticus*, ut Trithemius, unà cum *Dialogo* præfixo, *de errore Dionysii super annos Domini.* Loquentem inducit *Anselmum*, Collegam, puto, suum, & Gemblacensem postea Abbatem. MS. olim Gemblaci.

*De Viris Illustribus* sive *Scriptoribus Ecclesiasticis.* Coloniæ, 1580. 8. cum D. Hieronymo, & cum Scholiis *Auberti Miræi*, Antver. 1639. fol.

## SIMON ABBES GABBEMA,

Leovardiâ-Frisius, J. U. Doctor, Historiographus Frisiæ & Archivorum custos, edidit *Viglii Zuichemi ab Aytta Epistolas Politicas & Historicas ad Joachimum Hopperum equestris ordinis Virum, Dominum de Dalem, Rerum Status Germaniæ inferioris apud Philippum Hispaniarum Regem Consiliarium & magni sigilli præfectum Leovardiæ* 1661. *in* 12.

Has è situ eruêre Theodorus Saackma & Anchises Andla, uti testatur Simon ipse. Verùm hæ Epistolæ scatent mendis erratisque & multiplicibus & crassissimis. Plures insunt lacunæ, ac turbato sunt ordine dispositæ. Parum quoque diligentiæ ad hanc editionem contulit Simon, qui nec Epistolarum argumenta, nec indicem adjecit: præteritis etiam difficultatibus omnibus, quæ ad illorum temporum acta elucidanda accuratis egent explicationibus. Novam itaque editionem ex Codice autographo, manu propriâ Viglii sæpe-sæpius interpolato, parat *Corn. Paulus Hoinck Van Papendrecht* Canon. Grad. & Archipresbyter Mechlinienses, unà cum Vita Viglii &c.

Anno 1663. Harlingæ Frisiorum publicavit Gabbema *Epistolarum ab illustribus & claris Viris scriptarum Centurias tres. in* 12. Quas passim ex autographis se collegisse affirmat.

Scripsit quoque vernaculo sermone *Historiam Frisiæ* ab anno 1190. ad an. 1573 quam publicavit *Tobias Gatherleth* Goudæ 1703. 4. Hæc historia ci-

tatur plerumque ſub titulo *Deſcriptionis Leovardiæ*, juxta quem ſingulæ paginæ referunt, nempe: *Verhaal van Leuwaarden.* Reliquæ Simonis lucubrationes, ſi quæ ſint, ad noſtram notitiam non pervenerunt.

## SIMON,

Affligemienſis Monachus, Ord. S. Benedicti, in Brabantia, à Trithemio laudatus; qui ſcribit, *Simonem* ex conſilio divi Legiſlatoris *Benedicti*, quo Monachus divinas Scripturas amare jubetur, ita eas convertiſſe in practicam, ut nihil ei dulcius in hac vita fuerit, quàm ſacras litteras legere, & ſanctorum Patrum opuſcula ſedulo ſtudio revolvere. Vixit & claruit anno 1290. Scripſit

*Sermones in Cantica Canticorum.*

*Abbreviationem Moralium D. Gregorii.*

*Commentarium in Ezechielem, ex Sermonibus D. Gregorii.*

*De Collationibus SS. Patrum, ex Richardo de S. Victore*; & alia quædam.

## SIMON LE BOUCQ,

Valencenas, Jacobi celeberrimi Genealogiſtæ filius, mercator & Senator in patria, naſcitur anno 1591. xv. Kal. Junii. Juvenis annos aliquot egit Antverpiæ in domo & contubernio *Franc. Sweertii*, ediditque

*Epitomen rerum Valencenenſium*, gallico idiomate. Valencenis, 1619. 8. item cum auctario Inſulis 1688. 4.

## SIMON CAULERIUS,

Flinenſis, apud Duacum, in Collegio Marchianenſi annos plures Rhetoricen Duaci docuit, ſcripſitque

*Rhetoricorum* libros V. Ibid. 1594. 4. typis Jac. Boſcardi.

*Imaginem veteris & novæ Eccleſiæ.* MS. in Monaſterio Laudenſi juxta Inſulas.

## SIMON LE COUVREUR,

Atrebas, Religioſus B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo, profeſſus in patria anno 1462. Prior fuit Conventus Veſontionenſis in Burgundia uſque ad annum 1489. quo Atrebatum reverſus eſt. Scripſit

*Hiſtoriam rerum ſuo tempore geſtarum ſub Carolo VI. Galliarum Rege, uſque ad annum* 1412.

## SIMON EPISCOPIUS,

Vernaculè Bisschop, Amſtelodamenſis Batavus, Theologus Calvinianus, atque ab anno 1612. Profeſſor in Academia Lugduno-Batava; partes & ſententias ſecutus Jacobi Arminii, Remonſtrantium (ut vocant) anteſignani, famoſæ apud Batavos Synodo Dordracenæ intervênit, ut ſua ſuorumque dogmata tueretur. Sed ab eadem Synodo proſcriptus, primò hæſit Antverpiæ, tum Pariſiis: donec anno 1625. ſublato è vivis Principe Mauricio Naſſovio, præcipuo Remonſtrantium antagoniſtâ, ad Batavos reverſus Epiſcopius, Roterodami primùm, dein ab anno 1634. Amſtelodami ſedem fixit, Arminianæ Sectæ Miniſter. Deceſſit ibidem die 4. Aprilis 1643. ætatis anno LX. oculorum uſu jam ante orbatus.

Librorum, quos edidit *Epiſcopius*, ſeriem accuratam referunt, *Adrianus à Cattenbroeck* in Bibliothecâ Scriptorum Remonſtrantium pag. 60. & *P. Niceron* in Notitiis Litterariis Tomo III. pag. 306. Vitam deſcripſit *Stephanus Curcellæus*, Operibus *Epiſcopii* præfixam, ſimul editis Amſtel. 1650. Tomis II. fol. atque iterum Hagæ-Com. 1678. Nobis id ſolum notaſſe ſufficiet, *Opera Theologica omnia* fuiſſe prohibitâ Romæ Decreto Congreg. Indicis, 3. Aprilis 1685.

Digitized by Google

## SIMON DE FIERLANT,

Bruxellenſis, J. C. è patricio Sylvæducenſium ſtemmate oriundus, avo Simone, patre Martino, Conſiliariis ac Receptoribus regiis in territorio Sylvæducenſi, matre Catharinâ Van Eyck. Fuit primùm Mechliniæ magni Conſilii Senator, litteris Regis nuncupatus die 4. Maii 1657. exinde ſupremi Belgarum ac Burgundionum Senatûs in Hiſpania Conſiliarius anno 1663; demum anno 1669. ſupremi Brabantiæ Conſilii Cancellarius. Vivere deſiit anno 1686. die 15. Auguſti ætatis 84, pro funere laudatus à Franciſco Pauwens Ord. Eremit. S. Auguſt. S. T. Doctore Lovanienſi. Extant illius Tractatus ſequentes.

1. *Horologium Chriſtianæ politicæ, ſeu boni Principis rectum regimen.*

2. *Horologium Chriſtianæ patientiæ, ſeu bonæ mentis verum ſpecimen ac columen.*

3. *Sathanæ aſſiduum in Chriſtum molimen, per hæreticos à ſe quovis ævo modoque ſuſcitatos.*

4. *Alearum, chartarum, ac ſimilium ludi, quando boni, quando mali, vera per prædicata diſtincti.* Hi quatuor Tractatus ſimul prodiere Coloniæ in 4. anno 1683.

Accedunt Tractatus, *de Armatura Chriſtiana, mundanas adverſus perſecutiones.*

*Breve compendium Diabolicæ perſecutionis quovis ſtudio exercitæ contra Chriſtum ejuſque ſectarios, per hæreticorum præſtigia, figmenta & larvata dogmata.*

*Tractatus de Abecedario, ſingula ſua per elementa enunciante vitia ac mala perſæpe prodeuntia ex alearum, chartarum rerumque ſimilium ludis perperam tractatis vel exercitis.* 4.

*P. Ægidii Gabrielis Moralis Doctrinæ iteratum examen, ejuſque catholica repetita caſtigatio.* 4. Leodii 1683.

*Auſtriacæ Domûs ac Gentis dilucidum Jus in Burgundiæ Ducatum, compendiatâ delineatione è fidis veriſque Authorum ſcriptis fideliter depromptâ demonſtratum.* 4. Coloniæ 1680.

*Doctrina Chriſti parabolica, elegiaco metro delineata.* 4.

*Gabrielianæ, Gummariſticæ ac Macarianæ triumviralis concordiæ inane examen.* 4 *Coloniæ* 1685.

## SIMON GANDENSIS,

Primùm Alciacenſis Ord. Benedictini apud Heſdinium Arteſiæ opidum, pòſt ad S. Bertinum Abbas, uſque ad ann. 1148. quo vivere deſiit, die 4. Februarii; ſepultus Audomaropoli inter ſuos. Scripſit, Joanne Iperio teſte,

*Chronicon Eccleſiæ Bertinianæ ab anno* 1021. *uſque ad annum* 1148 Continuavit verò ejuſdem loci Abbas Iperius.

## SIMON VAN GROENEWEGHEN, VAN DER MADE,

Patricius Delphenſis, Batavus, Jurium Doctor, Vir magnæ quidem eruditionis ac famæ, urbique ſuæ natali à ſecretis; ſed in Romano-Catholicos vehemens & acerbus; obiit Delphis die 5. Julii 1652. ætatis anno XXXIX. dum ad ampliora munia promovendus eſſet. Scripſit

*Tractatum de Legibus abrogatis & inuſitatis in Hollandia viciniſque regionibus.* 4. Lugd. Bat. 1649. Noviom. 1664. & 1677. & aliàs. Non deſunt tamen Juris Romani panegyriſtæ, qui aſſertiones ejus oppugnent: & mallent titulum *de Legibus non receptis* potiùs quam *de abrogatis* conceptum fuiſſe. In hunc (ut puto) Groenewegii laborem luſit Barclaius in Satyrico Parte I. Num. 17. *Hinc editus* (inquit) *abrogatarum Legum liber, ſi non eas leges omitteret, quas in eo primas eſſe oportuit . . . . Etenim plurimas Juris partes mutâ jam omnium voluntate deletas ita præteriit, ac ſi illæ*

*hodie in antiquo ſuo regno conſiſterent. Si niſi exemplo non creditis, ecce legem olim ſanctiſſimè habitam:* Honeſtè vivere, alterum non lædere, jus ſuum cuique tribuere: *quam nunc prorſus moribus hominum ſublatam, indignor, inter antiquatas in eo Codice non referri.*

Scripſit & *Introductionem ad Jus Hollandicum Hugonis Grotii*, flandricè item latinè, Notis ſuis illuſtratam, ac Decretis Diplomatibuſque confirmatam. Dordr. 1644. in 4. Amſtel. 1647. Delphis 1652. & 1667. &c.

## SIMON HERMANNUS,

Ex Carmelitarum Ordine, vixit Harlemi in patria, ac *Copulata Sermonum*, cum nonnullis aliis, ſcripto conſignavit, circa annum 1460.

## SIMON KERCKHOVIUS,

Gandavenſis, *Judoci* filius, cum eodem parente ſuo, viro itidem litteratiſſimo, juventutem annos plurimos ubi inſtituiſſet, atque in Æde primaria S. Bavonis magnâ prudentiæ ac diligentiæ laude Curionem egiſſet, demùm ejuſdem Ædis Canonicus renuntiatus, dum fortè ſuburbanum petit ruſculum, præcipiti in via catarrho opprimitur, anno 1625. ætatis LV. VI. Nonas Julii. Vixit nulli injurius, omnibus benignus, divinarum pariter ac ſæcularium litterarum cultor eximius. Verſus illius varii leguntur ſparſim editi, veluti

*Elegia ſacra Henrico Franciſco vander Burch, à Gandavenſi ad Cameracenſem Cathedram tranſlato.*

*Epinicion*, ſive *Breda invicto Hiſpan. Regi Philippo Belgarum Principi reſtituta.* Gandavi, 1625. Aliaque.

## SIMON VAN LEEUWEN,

Lugduni Batavorum natus anno 1627, patre Joanne, Academiæ Lugdunenſis Curatore, & ad Comitia Societatis Indicæ Orientalis, quæ apud Amſtelodamenſes floret, Delegato. Ipſe vero J. U. Doctor, Vir magnæ eruditionis atque indefeſſi laboris; fuit in patria per annos plures Cauſſarum patronus diſertiſſimus, ſimulque in perſcrutandis Antiquitatibus, inque Hiſtoriis tum Romanis tum Belgicis plurimùm verſatus.

Obiit Hagæ-Comitum, die 14. Januarii 1682. ſubſtitutus Graphæus ſupremi Conſilii Hollandiæ Zelandiæ Weſtfriſiçque. Illius ſunt, prætor editionem Batavam *Corporis Juris Civilis*, fol. II. Vol. 1663, curis ejus ac Notis quibuſdam illuſtratam,

*Cenſura Forenſis, theoretico-practica*; id eſt, totius Juris Civilis, Romani, uſuque recepti & practici methodica collatio. 4. Lugd. Bat. 1662. dein Amſtel. cum Auctario, apud Theod. Boom 1678. Tom. II. Vol. I. fol. item aliàs plus quam decies.

*De Origine, Progreſſu, Autoritate, variâque editione Juris Civilis Romani*; cui accedunt Notæ Arn. Vinnii J.C. Lugd. Batav. per Arn. Doudè 1672. item 1678. in 8. item Jenæ 1697.

*Jus Romano-Batavicum*, flandricè. 4.

*Praxis & exercitatio Notariorum*, exhibens methodum conficiendi Contractus, Teſtamenta, aliaque Inſtrumenta publica. 8. Flandricè. Dordraci 1658.

*Obſervationes ad Quintinum Weytſen de Avariis.* Amſtelod. 1672.

*Dictionarium flandricum, recenſens verba propria atque vernacula, ad Praxin Notariorum, aliorumque Juriſperitorum pertinentia.* 8. Dordraci. 1658.

*Proces crimineel* &c. id eſt, *Cauſa criminalis, ac Diſquititio juridica, an & quouſque in pœnis capitalibus voluntas pro facto reputari, ac puniri queat.* Prodiit primum in 12. Lugd. Bat. 1677. occaſione cujuſdam mulieris Batavæ Annæ

Gerrits, quæ maritum ſuum Joannem de Myter venenato libo intoxicare machinata fuerat, ideoque per ſententiam Senatûs Lugdunenſis die 20. Octobris 1676. morte punita; patrocinante pro hac muliere, Simone Van Leeuwen, tunc ibidem Advocato. Prodiit libellus idem aliàs ſæpius.

*Manier van procederen in civile en criminele ſaacken.* Leidæ, item Roterod. 1666. in 8.

*Keuren ende Inſtellinghen van het Bailliuſchap ende Lande van Rhynland*; id eſt: Conſuetudines, Statuta & Ordinationes Rhenolandiæ ſeu Tractûs Rhenani apud Batavos. Leydæ & Roteradami 1667..

*Librum Edictorum, Statutorum, Ordinationumque* (vulgo *groot Placcaert-Boeck*) Statuum Fœderatorum Belgii, nec non Provinciarum Hollandiæ, Weſtfriſiæ, Zelandiæque, olim in II. Vol. in folio, vernaculè editum, ac productum uſque ad annum 1664. per Cornelium Cau J. U. D. ipſe *Simon Van Leeuwen* adauxit variis Edictis, Privilegiis, Ordinationibus &c. meliorique ordine per titulos digeſſit, & uſque ad annum 1682. continuavit, fol. Hagæ-Com. in III. Volum.

*Batavia illuſtrata, ofte Verhandelinghe vanden Oorſpronck, voortganck, ſeden, ſtaet ende Godts-dienſt van Out-Batavien, ock van den Adel ende Regeringhe van Hollandt* &c. id eſt: Chronicon Hollandiæ, in quo narratur ejus ortus, progreſſus, mores, cultus divinus, Nobilitas ac regimen &c. tam ex Valerio Gouthovio, quam ex aliis Authoribus, ac documentis. Tomi II. Vol. I. fol. Hagæ-Com. 1685. Sed quoniam Author morte præventus ultimam huic Operi manum apponere non potuit, cenſuram ſeriam ab aliis promeruit, atque imprimis ab *Antonio Matthæo* Lib. IV. de Nobilitate cap. 3. pag. 926. & 929. qui eum de ineptiis multis, audaciâ craſſâ, ac plus quam puerili inſcitiâ taxandum judicavit.

## SIMON MAGNUS DE RAMLOT,

Condruſius, J. U. Doctor, Sacerdos & Canonicus Leodii in D. Petri, ſcripſit

*Methodum Artis Epiſtolicæ.* Lovanii apud Joan. Bogardum, 1563.

*Vitam Martini ab Aſpilcueta Doct. Navarri.*, etiam tum adhuc in vivis, Romæ editam, & Coloniæ, cum Operibus Navarri, 1616. Verùm Navarrus Epiſtolâ ſcripſit *Simoni*, ſibi eam Vitam diſplicuiſſe.

*Manuale Confeſſariorum ac Pœnitentium* ejuſdem *Navarri* politiore ſtilo & additionibus illuſtravit. Pariſ. 1587. 8. apud Guil. Rovillium.

## SIMON. OGERIUS,

Audomarus, J. U. Doctor, virtute & eruditione nobilis, varia luſit vario metri genere, Duaci ferè Bogardi & Boſcardi typis evulgata, 1588. 1589. & 1592. 8. & 4. ut ſunt,

*Odarum* libri III. *Sylvarum* libri XII.
*Lutetia. Cantilenæ piæ & pudicæ.*
*Periſtera. Melon* libri III. *Threnodiæ.*
*Cameracum. Arteſia. Tibullus. Nicoleocrene.*
*Chariſteria. Albertus & Iſabella.*
*Epitaphia. Encomiorum* libri II.
*Symmictôn* lib. I.
*Elegiarum Chriſtianarum* libri III.
*Galatea. Calliopeſachea.*
*Paræneſes. Caletum. Bruga.*
*Alpes*, &c.

Meditabatur opus ingens, Iliadis inſtar, de rebus à Flandriæ Comitibus præclarè geſtis, cui titulus *Florias*, quod videre non contigit.

## SIMON. PELEGROMIUS,

Sylvæducenſis, Cœnobii ibidem

Guilielmitarum Baſeldoncani annis xxx. Prior, Provincialis verò per Franciam Belgiumque annis xv. fato functus anno 1572. Edidit

*Synonymorum Silvam latinam* à ſe collectam: ſed citra delectum, dum Poëtica miſcet Oratoriis, in quo multa peccantur à pueris, qui ignota notis anteponunt vocabula. Silvæducis, 1546. & alibi.

*Deſcriptio originis Urbis Silvæducenſis*, eodem auctore latinè anno 1540. demùm anno 1629. 4. Amſtel. edita eſt, deditâ urbe Ordinibus fœderatis, Belgicè verſa, unà cum Diario expugnationis.

## SIMON A QUERCU,

Vulgò Van der Eycken, Brabantus, valuit gratiâ apud Mediolanenſes ob ſingularem Muſices peritiam, quam & edito libello teſtatam reliquit,

*De Gregoriana & Figurativa & contrapuncto ſimplici, cum Exemplis.* Excuſus Landshouti, in Germania, 1518. in 8.

## SIMON STEVINUS,

Sive Stephanus, Brugenſis, in Batavia vixit, aggerum maritimorum Præfectus; vir ſupra captum vulgarem in Matheſi rerumque naturalium cognitione verſatus, *Adriani Romani* judicio. Inventor fuit curruum velivolorum apud Batavos, quos ne equus quidem, licet celeritate ingenti præſtans, longo ſpatio æquare poſſit. Ferunt enim ſedentes in ejuſmodi curru duarum horarum ſpatio leucas Hollandicas quatuor, videlicet Scevelingâ Pettenum uſque confeciſſe.

Præterea rei ponderariæ adeò peritus fuit, ut nullum offerri illi pondus poſſet, quantumvis grave, quod non parvis viribus ac facili inſtrumento Pantocratore movere potuiſſet; eodem Romano teſte. Scripſit

*Arithmeticam*, ſeu artem ſupputandi. typis Plant. 1585. 8.

*Problematum Geometricorum* libros V. ſimili ordine ac methodo, in 4. 1583.

*Hypomnemata*, *Willebrordo Snellio* interprete Latino, nempe de Coſmographia, de Praxi Geometrica, de Statica, de Optica, cæteriſque miſcellaneis. Amſtelod. 1608 fol. Item Leydæ 1605. fol. 2. Vol flandricè.

*De Portuum inveſtigandorum ratione*, quam Staticen vocant, Matheſeos partem ut nobiliſſimam, ita abſtruſiſſimam: à *Stevino* de novo velut extructam. Cui operi quid ſtatui poſſit par non video, inquit Romanus. Dedit Metaphraſin ejuſdem *Hugo Grotius*, anno 1599. quæ dein ſæpius prodiit, unà cum Operibus Grotii.

*Modum Fortificationis*, anno 1594. 4. & *Vitam Politicam*, 1591. 4. flandricè.

*De Principiis Staticæ, ac ſignanter Hydro-ſtaticæ.* flandricè 4. Lugd. Bat. 1586.

Præmiſit author huic libro *Orationem de dignitate & elegantia Linguæ flandricæ*, oſtendens gallicam, germanicam aliaſque linguas ab ea derivari; nullam aliam linguam ſic eſſe fertilem in monoſyllabis &c.

## SIMON DE TORNACO,

Ab Henrico à Gandavo ac Trithemio Belgis annumeratur, qui eumdem Scholæ Theologicæ Pariſiis cathedram meruiſſe Magiſtralem, pluresque annos docuiſſe atteſtantur. Memoratur inſignis ejus eruditio in Hiſtoria Univerſitatis Pariſienſis, ſub initio XIII. ſæculi. Scripſit

*Sententiarum Expoſitionem* libro I.

*Quæſtiones* varias.

*In Symbolum Athanaſii.*

Verùm in Catalogo Scriptorum Bri-

tanniæ lucubrationum iſtarum auctor proponitur *Simon Thurnaius*, Presbyter Anglus, de quo Polydorus lib. XV. Hiſtoriæ Anglorum. Leguntur tamen Oxoniæ, in Bibliotheca Mertonenſi, *Inſtitutiones in ſacram Paginam*; & in Bibliotheca Ballionenſi liber *Quæſtionum*, & *in Sententias*, nomine *Simonis Tornacenſis*: ut & apud Religioſos Dunenſes in Flandria *Quæſtiones ac Diſputationes variæ Theologicæ*, itemque *Expoſitio in Symbolum S. Athanaſii* eumdem *Magiſtrum Simonem Tornacenſem* auctorem indigetant. Eædem *Quæſtiones*, cum *Allegoriis* ejuſdem *M. Simonis Tornacenſis*, extant apud Villarienſes in Brabantia.

Dubitant aliqui, an idem ille non ſit *Simon de Tornaco*, quem refert Thomas Cantipratanus Libro II. de Apibus cap. 48. §. 5. ſuperbiâ inflatum tandem impia docuiſſe, quorum hęc ſumma. *Tres ſunt* (inquiebat) *qui mundum ſectis ſuis & dogmatibus ſubjugarunt: Moyſes, Jeſus & Mahumetes*; *Moyſes primò Judaicum populum: ſecundùm Jeſus-Chriſtus ſuo nomine Chriſtianos: tertiùm gentilium populum Mahumetes.* Ac protinus viſibili punitione, everſis oculis, adinſtar bovis cœpit mugitus emittere, &c. Vide plura in Collectione Judiciorum Eccleſiæ de Erroribus, authore Illuſtriſſ. Argentrèo Epiſcopo Tutelenſi. Tomo I. pag. 125. ſive ad annum 1201. Vide etiam Couſin Hiſtoriam Tornac. Parte IV. p. 4.

Nec defuerunt, qui hunc *Simonem de Tornaco* authorem ſcripſerint libri nefandi, *De tribus Impoſtoribus*. Sed librum iſtum in ſpaciis imaginariis tantùm extitiſſe, probat imprimis *Richardus Simon*, ſelectarum Epiſtolarum Tomo I. Epiſt. XVIII. cui conſentit poſt Grotium *Vincentius Placcius* Tomo I. Scriptorum Anonymorum, à pag. 187. ad 197.

## SIMON VEREPÆUS,

Dommelanus, Brabantus, adoleſcens Lovanii in Porcenſi Gymnaſio Philoſophiæ operam dedit; atque inde ad Theologiam animum applicuit. Sacris initiatus, Thaborenſi Virginum Ord. S. Auguſt. Cœnobio Machliniæ præficitur. Hinc pulſus factione Calvinianorum, migravit Hilvarenbecam ad *Nicolaum Buſium*, Decanum, Belgicæ Nobilitatis Pœdonomum. Atque inde iterum profugum excepit primò Turnhoutum, deinde Silva-Ducis Scholæ ſuæ florentiſſimæ Moderatorem dedit, & Cathedralis Eccleſia Canonicum coluit, vitæ integritate conſpicuum.

Vir fuit ad informandam juventutem & bonis litteris pietateque in iſto Religionis diſcidio inſtituendam natus, ac VERE PIUS. Quò ſpectant lucubrationes ejus omnes:

*Prima Chriſtianæ Religionis Elementa.* Silvæducis, Lat. & Flandricè.

*Precationes Liturgicæ*, in VII. dies digeſtæ. Antver. typis Belleri, 1574. & aliàs, Coloniæ, 1599. 12. & alibi.

*Precationes Scholaſticæ.* Antver. 1591. in 24.

*Enchiridion piarum Precationum*; ex utriuſque Teſtamenti & Patrum ſcriptis. Ibid. 1582. 1594. 1599. 12. & aliàs. Itemque gallicè, flandricè, hiſpanicè.

*Rudimenta*, *Etymologia*, *Syntaxis*, *Proſodia Linguæ Latinæ*, contractis in epitomen Deſpauterianis: quæ dudum in ſcholis Belgicis principem ferè locum obtinuêre. Antver. typis Plant. & Verduſſii, & alibi.

*Latinæ Linguæ Progymnaſmata.* Ibid. 1571. 8. apud Ant. Tilenium.

*De Figuris ſive Tropis.* Ibid. apud Plant. & alibi.

*De Epiſtolis Latinè conſcribendis* libri V. Ibid. 1581. 8. & aliàs.

*De Rerum & verborum copia.* Coloniæ, 1582. & 1590. 8.

*Inſtitutionum Scholaſticarum* libri III. Antver. typis Belleri, 1573. 8.

*De ingenuis Scholaſticorum moribus.* Ibid. 1582. 8.

*Schiographia Scholæ Latinæ & Chriſtianæ.* Ibid. typis Plant. 1588. 8.

*Legum Scholaſticarum Tabulæ* XII. Ibid. in 8.

*Epiſtolarum ſelectarum Ciceronis libri* III. cum Annotationibus ſeu Argumentis, *& Hiſtoria Vitæ Ciceronis* per annos digeſta. Silvæducis apud Joan. à Turnhout, 1599. 4.

Deceſſit Silvæ-Ducis, anno 1598. ætatis LXXVI. IV. Idus Novembr. Epitaphium ſequens collegæ poſuit *Franciſcus Haræus*, in Æde Cathedrali, ubi & ipſe cineres ſuos reliquere cogitarat; ſed redactâ Sylvâducis, Lovanii obiit.

D. O. M.

DEXTERE ET GNAVITER.

Sibi, ſuoque D. SIMONI VEREPÆO,
Dommellano,
Hujus Eccleſiæ Sylvæducē ſis Canōico.
D. Franciſcus Haræus Ultrajectin.
S. Theologiæ Licent.
Vivus poſuit, memor lethi.

*Italicos, Suecos, Gallos luſtrando, quid egi?*
*Chriſte, tua eſt virtus hinc meliora ſequi.*
*Lector eram, brevibus deſcripſi geſta piorum:*
*Paſtorem inde gregis luſtra habuere duo.*
*Poſt* VEREPÆE *fuit, tuus ut Collega vocarer,*
*O utinam dignus nominis & meriti!*
*Te Schola docta colit, colit & pia turba precantum,*
*Tu mihi & æternæ duxque comeſque viæ.*

Obiit Venerabilis D. SIMON VEREPÆUS
Anno ſal. M.D.XCVIII. x. Novemb.
Ætatis LXXVI.

D. FRANCISCUS HARÆUS verò
Anno ſalutis. . . . . .
Pie Jeſu da eis gaudia ſempiterna

✣ ✣ ✣

Verepæus ad lectorem.

*Te rogo quiſquis ades, mihi ſæpe precare ſalutem,*
*Et dic mente piâ quæ tria verba leges,*
Requieſcat in pace.

Aliud Simonis Verepęi Epitaphium lege apud Swertium in Monumentis ſepulchralibus Brabantiæ pag. 332.

## SIMON WALRAVIUS,

Hornanus Batavus, J. U. L. nondum elatâ uxore filiâ *Judoci Buyckii*, Conſulis Amſterodamenſis, & exulis Catholici, ſcripſit anno 1603. belgicè elegantem libellum, titulo *Babilonis* ſeu *Confuſionis Anabaptiſtica*. Pòſt ſacerdotio initiatus Paſtorem egit Kervenduncanum prope Gocham Cliviæ opidum, & eundem libellum an. 1633. auctiorem edidit titulo *Speculi Anabaptiſtici.*

## SIXTINUS AMAMA,

Gente Friſius, Theologus Calvinianus, ſtudia ſua partim in Academia Franekerana proſecutus eſt, Magiſtro uſus *Joanne Druſio*, à quo inſignem Linguarum Orientalium peritiam acquiſivit; partim etiam in Oxonienſi apud Anglos Academia, ſub diſciplina *Joannis Prideaux*, dein Pſeudo-Epiſcopi Wintonienſis. A Curatoribus Academiæ Franekeranæ revocatus in Belgium anno 1616. vacantem morte *Druſii* Linguæ Hebraicæ publicam profeſſionem obtinuit.

Cenſuram totius Vulgatæ Editionis Bibliorum aggreſſus fuerat: at publicatâ tantùm Cenſura vulgatæ Latinæ Editionis Pentateuchi, ab incepto opere avocatus eſt, ut recenſendæ Belgicę verſioni Bibliorum operam daret. Inter hæc anno 1626. à Conſulibus Leiden-

Leidenſibus Academiæque illius Curatoribus vocatus fuit ad Linguæ Hebraïcæ Profeſſionem, *Thomæ Erpenii* morte vacantem : quam non omnino recuſavit ; ſed ab Ordinibus Friſiæ veniam abeundi non obtinuit. Deceſſit Franekeræ menſe Decembri 1629. ætate non multùm provectâ. Scripſit permulta, quorum pleraque inſerta ſunt inter *Criticos Sacros*, Londini 1660. & Amſt. 1698. editos. Præcipua ſunt hæc.

*Diſſertatio, quâ oſtenditur, præcipuos Papiſmi errores ex ignorantia Hebraïſmi, & Vulgata Verſione, partim ortum, partim incrementum ſumpſiſſe.* Franek. 1618. in 4.

*Cenſura Vulgatæ atque à Tridentino canonizatæ Verſionis quinque librorum Moſis*; cum Prologomenis. Franek. 1620. item Francof. ad Mœnum. 1634. in 4.

*Collationes Biblicæ.* ( Liber, in quo veterem Bibliorum Verſionem è germanica Lutheri factam, ad fontes Hebraïcos & ad optimos quoſque Interpretes examinare & reſtituere contendit. ) Amſtel. 1623. in 4. belgicè.

*Anti-Barbarus Biblicus*; ſcilicet VII. fontes omnis barbariei, quæ ſuperioribus ſeculis Sacras Litteras fœdavit. Amſtelodami, 8. 1625. Franek. 1628. item auctior Franek. 1656. in 4. & aliàs ſæpius. Prohib. Romæ Decreto Congreg. Indicis, 4. Martii 1709.

*Commentariolus de Decimis Moſaïcis.* Extat cum præcedente.

*De rectâ Lectione Linguæ ſanctæ.* 1620. in 8.

*Grammatica Hebræa Martinio-Buxtorffiana*; ſeu Grammatica *Petri Martinii*, quam ex accuratiſſimis aliorum Grammaticis, præcipuè vero *Buxtorffii*, ſuiſque etiam Obſervationibus *Sixtinus Amama* innumeris in locis ita mutavit, correxit & auxit, ut nova meritò Grammatica dici poſſit. Addita *Coronis & Parænefis ad Eccleſias Proteſtantes, de excitandis SS. Linguarum ſtudiis.* Amſtelod. 1625. in 8.

*Commentatio de Nomine Tetragrammato*, cum modeſta Reſponſione ad argumenta *Nicolai Fulleri*, quibus pro vulgatæ Lectionis *Jehovah* certitudine diſputavit. Extat in præfato *Anti-Barbaro Biblico*; iterumque apud *Adrianum Relandum : in Exercitationibus Philologicis de vera pronuntiatione nominis Jehovah* Ultraj. 1707.

*Diſſertatio de fundamentis allegoricæ Interpretationis, quâ omnia iſta, quæ Jobi cap. XL. de Behemoth & Leviathan dicuntur, ad Diabolum vulgo referuntur.*

*Diſſertatio de Keri & Ketibh.*

*Diſſertatio de craſſioribus quibuſdam Interpretum erroribus, in quos, vel per librariorum ſphalmata, vel Vocum ambiguitatem, dum ad Originalem Textum non recurrerunt, prolapſi ſunt.* Et alia quædam, quæ latiùs proſequuntur P. Niceron Tomo XXXIV. Scriptorum illuſtrium, & Author magnæ Bibliothecæ Eccleſiaſticæ, Coloniæ Allobrogum anno 1734. evulgatæ, Tomo I. pag. 367.

## SIXTUS AB HEMMINGA,

Patre Hectore, matre Barbara à Gratinga patriciæ familiæ, natus eſt Bellocomi, oppidulo Friſiæ occidentalis, anno 1533. VI. Februarii. Tirocinium egit in litteris Groningæ : Medicinæ ac Matheſi Coloniæ operam dedit. Luſtratis Galliis, Lovanii aliquantiſper ſubſtitit, Gemmæ Friſio perfamiliaris. Scripſit

*De Aſtrologia, ratione & experientiâ refutata* lib. I. adverſus Cypr. Leovitium, Hier. Cardanum, & Lucam Gauricum. Antver. 1583. 4. typis Plantin. Refutat eam Aſtrologiæ partem, quæ futurorum præſcientiam & inevitabiles inclinationes ex aſtris promittit ; ejuſque pediſſequas Geomantiam, Pyromantiam, Chiromantiam &c.

Obiit auctor circa annum 1586. te-

ſte Suffrido Petri, apud quem de eo plura leges Dec. XIII. Cap. IX.

## SIXTUS A POPMA,

Eloſtanus, Friſius, *Titi*, *Cypriani* & *Auſonii*, Popmanorum fratrum, doctrinâ celebrium, natu maximus, Coloniæ unà cum fratribus ſumpto Philoſophi titulo, Lovanii cum iiſdem Juris ſtudio animum applicuit. Ingraveſcentibus factionibus Belgicis, fratres in patriam reverſi ſunt; ipſe Dolam conceſſit, & Doctoratus inſignia accepit. Eruit in lucem & illuſtravit.

*Corn. Celſi* librum *De arte dicendi*. Coloniæ, 1569.

Addit Suffridus ſcripſiſſe *Commentarios in Libros IV. Inſtitutionum Juris*, ſed quæ lucem non viderint.

## STEPHANUS,

Abbas Leodicenſis ad Sanctum Jacobum, Ord. S. Benedicti, ordine VII. ab anno 1134. Scripſit

*Vitam S. Modoaldi*, Epiſcopi Trevirenſis: quæ primò extabat apud Surium, die XII. Maii. Dein per PP. Hagiographos Societatis Jeſu inſerta Tomo III. Actorum Maii pag. 51. unà cum *Hiſtoria Tranſlationis ejuſdem S. Modoaldi*, eodem Abbate authore.

Deceſſit anno 1138. VII. Januarii, hoc Epitaphio clarus.

*Clauditur hac tumba* STEPHANUS *mitiſſimus Abbas,*
*Filius Eccleſiæ moribus atque fide.*
*Divini cultus, legiſque Sacræ ſtudioſus,*
*Præfuit exemplo, ſubditus ipſe Deo.*
*Crux igitur Chriſti ſit ei fructus requiei,*
*Septima quem Jani lux redigit cineri.*

## STEPHANUS L'ARCHIER,

Aliàs DE LANCIER, Inſulenſis, Inſtituti Ord. Eremit. S. Auguſtini Prior Conventûs Bovinienſis, edidit

*Originem Magnitudinum Majeſtatis Reginæ-Cœlorum ſeu Matris Dei, & divinæ Miſericordiæ.* Leodii apud Joan. Tournay, 1634.

## STEPHANUS BROUSTIN,

Ex vico de Hameida Hannonius, inter primos anno 1559. Lovanii promotus, in S. Theol. Baccalaureus, Eccleſiaſtæ munere cùm Valencenis tum in caſtro Cameraceſio functus, edidit

*Tractatum de IV. hominis Noviſſimis.* Lovanii, Maſii typis, 1598. 8.

*De origine & varietate Linguarum.*

*Orationem de perfecto Paſtore*, ſive de qualitatibus, conditionibus requiſitis &c. 12. Lovan. 1608.

## STEPHANUS,

Epiſcopus Leodicenſis, à S. Lamberto X. & Abbas XV. Lobienſis, Ordinis S. Benedicti, à puero Mediomatrice (hodie Metis) educatus, ſcripſit ad Robertum Metenſem Epiſcopum, teſte Sigeberto,

*Capitula ac Preces* (*Collectas* vocant) *ſingularum in anno Feſtivitatum:* quos libros injuriâ temporum nobis ſurreptos, dolent eruditi.

*Canticum de SS. Trinitate.* Et *de Inventione S. Stephani Proto-Martyris.*

*Vitam* præterea *S. Lamberti, Epiſcopi Leodienſis*, a Godeſcalco Clerico ſcriptam incultiùs, deſcripſit urbanius. Item *Cantum nocturnum* de eodem. Exſtat Vita à Surio edita, 17. Septembris, & Tomo I. apud Chapeavillum.

Obiit anno 920. Epiſcopatus XVIII. XIV. Kal Junii. Plura de eo vide apud ſcriptores veteres ac recentiores Leodienſis Eccleſiæ.

## STEPHANUS,

Canonicus primùm Regularis Ordi-

S. Auguſt. & Abbas S. Evurtii Aurelianenſis, poſtmodum Abbas S. Genovevæ ejuſdem Ord. Pariſiis, demum anno 1192. electus Epiſcopus Tornacenſis, rerum ſuo tempore geſtarum peritiſſimus. Scripſit *Epiſtolas* CCXL. Pariſiis ( operâ *Joannis Maſſon* Bajocenſis Archidiaconi ) editas anno 1611. cum aliorum Epiſtolis ( unde Vitam ejus excerpſit *Joannes Cognatus* in Tornacenſium Annalibus, gallicè conſcriptis, Tomo ſeu libro III. cap. LVII. ) & Tomo XII. Bibliothecæ Veterum Patrum editionis Colonienſis, 1618.

Eaſdem Epiſtolas in meliorem ordinem redactas & auctas ad CCLXXXVI, denuo, & Notis adjectis, edidit anno 1679. in 8. Pariſiis P. *Claudius du Moulinet* Canonicus Regularis ac Bibliothecarius Abbatiæ S. Genovevæ Pariſiis; Vitâ *Stephani*, Epiſtolis præfixâ.

Scripſerat item prolixum *Commentarium in Decretum Gratiani*, MS. in fol. in celebri Bibliotheca Colbertina Cod. 2592, & in Bibliotheca S. Victoris Pariſienſis.

Item *Sermones XXXI. ſuper variis S. Scripturæ textibus:* quos *P. Moulinet* non judicavit, propter ſtili ſimplicitatem, lucem mereri; ideoque ſolam edi curavit Præfationem in Commentarium, & primum Sermonem, unà cum Textibus Scripturæ, de quibus reliqui Sermones agebant, qui hodiedum in Bibliotheca S. Genovevæ MSS. aſſervantur.

Obiit laudatus Epiſcopus Tornaci anno 1203. die 9. Septembr. Epiſcopatus ſui XI. in Cathedrali ſua ſepultus.

## STEPHANUS COMES BELLOCASSIUS,

Natus in Caſſelenſi Flandriæ opido ( à quo, & pago vicino *Belle* ſibi cognomentum hoc gentilitium ingenioſè formavit ) acuti ingenii Poëta fuit, & ab Actis ſeu Secretis Capituli S. Donatiani Brugenſis. Edidit

*Silvulam Carminum*, non minùs doctam quàm jucundam, & *Sanctologion Flandriæ*. Brugis 1544. 8. typis Rob. Gualteri.

Itèm *Legationem Flandriæ ad Carolum V. Imp.* Extat inter Scriptores Germanicos Freheri Tom. III. pag. 164.

Moriens hoc ſibi luſit teſtamentum:

*Cœlo animam, do corpus humo, do cætera mundo,*
*Ut capiat partem quilibet inde ſuam*

Moriendo etiam facetus fuit: hoc enim ſibi Epitaphium poni voluit.

*Hoc jaceo in tumulo; prius at quam munere vitæ*
*Exuor, in voto hoc promere carmen erat.*
*Huc veni, hîc vixi, peregrinæ fabula vitæ,*
*Nunc acta eſt, redeo vita ubi perpes erit.*
*Cygnæo ſic more mei ſum funeris ipſe*
*Cantator, longùm, qui legis iſta, vale.*

Aliud.

*Non omnibus comes fui* STEPHANUS COMES.

*Anima animo fuit mihi vivo comes:*
*Nunc porro ſeparantur, hic plane occidit,*
*Stat illa Olympicis beata ſedibus,*
*Contenta comitem illum exuiſſe corporis,*
*Pro tot comitibus perpetim junctiſſimus.*

## STEPHANUS IDENSIUS,

Vulgò YDENS, Bruxellenſis, S. Theol. Licentiatus Duacenſis, anno 1586. conſtitutus Paſtor Foreſtenſis indeque ad D. Gudilam in patria Canonicus, obiit Bruxellis anno 1615. Scripto conſignavit

*Hiſtoriam & Miracula SS. Euchariſtiæ Sacramenti*, miraculis apud Bruxellenſes & Lovanii apud Auguſtinianos coruſcantis. Edita ibid. 1605. 8. gallicè & belgicè.

## STEPHANUS JULIACUS,

Sic dictus à loco ſive natali ſive Provinciæ, fuit Ord Minorum Doctor Theologus Sorbonę Pariſienſis: circa annum 1450. & *Vitam* Beatæ COLETÆ Virginis ſibi apprime notæ fuſius deſcripſit; editam à Surio, item ab Hagiographis S. J. ad diem VI. Martii.

## STEPHANUS NATHEN,

Condictus SPORMACKER, Reſæ Clivienſis Ducatûs oppidulo natus, J. U. Doctor ac Profeſſor in Colonienſi Academia, variorum Principum Reipublicæque Colonienſis Advocatus, ac Regens Burſæ Coronarum apud Ubios. Illius erat hic liber:

*Juſtitia vulnerata, Chriſtianè, juridicè & politice curata.* 4. Coloniæ Agrippin. 1646. per Jud. Kalchoven, ac rurſum 1691.

## STEPHANUS RAUSINUS,

Belloramus, è Ducatu Luxemburgenſi, promotus anno 1598. Lovanii tertius in Scholis Artium è Pœdagogio Porci, dein J. U. Doctor in Germania renunciatus. Vir Conſularis & ad Ferdinandum II. Imp. Civitatis Leodienſis delegatus, edidit ejuſdem delegatæ ſuę functionis Compendium, hoc titulo:

*Ad Sacratiſſ. Cæſaream Majeſtatem inclytæ Civitatis Leodienſis Delegatio:* (opus rarum.) Et Epitomen Proceſſus Cameralis inter eamdem civitatem & Sereniſſ. Principem Epiſc. Leodii typis Chriſtiani Ouwerx, 1629. 4.

Poſtea verò verſis gladiis, & mutatis clypeis, adverſus Leodienſia jura digladiaturus, in arenam deſcendit, ediditque librum, hoc titulo:

*Leodium Eccleſia Cathedralis*, ſive de Dominio, Regalibus, mero mixtoque Imperio, & omnimoda juriſdictione Epiſcopo & Principi Eburonum competentibus in urbe Leodienſi S. R. Imperio mediatè ſubjecta, libri II. Namurci, 1639. 4. & Leodii 1660.

Sepultus fuit Rauſinus in Eccleſia parochiali S. Thomæ Leodii, hoc Epitaphio.

*Cy giſt honoré Seigneur*,
ESTIENNE RAUSSIN,
*Docteur en Droits*,
*Par deux fois Bourguemaitre*
*De la Cité de Liege*,
*Decedé le 7. d'Octobre 1659*,
*Et Demoiſelle* ELISABETH DE ROSSIUS
*Sa Compagne*,
*Decedée le 17 Septembre 1653.*

## STEPHANUS STAPELS,

Herckenrodius, Provinciæ & Diœceſis Leodienſis, Societatis Jeſu, quinquaginta prope annos exegit Cortraci incolis gratiſſimus, obiitque ibidem 22. Martii 1659 anno ætatis 86. Edidit flandrico idiomate

*Artem benè vivendi & moriendi*, adjecta Virtutum praxi. Cortraci, 1626. in 8.

*Exercitia Meditationum praxi expreſſarum*, 1635. iterumque Antver. 1645.

Præterea vertit flandricè, è gallico *Joannis Carthenii*, Valencen. Ord. FF. Carmelit. Theologi, *Iter equitis errantis per deſerta vanitatum mundi, & in viam quæ ad æternam vitam ducit, reſtituti.* Gandavi apud Kerckhovium 1649.

## STEPHANUS WINANDUS PIGHIUS,

Campenſis, Tranſiſalanus, cognomen ab *Alberto Pighio* avunculo, celebris nominis Theologo, mutuatus, græcè latineque egregiè doctus, in Italia atque in ipſo orbi terrarum com-

pendio, Urbe æternâ, annos octo versatus, summam Romanæ Antiquitatis notitiam sibi comparavit, doctorum virorum amicitiâ ac consuetudine beatus.

Româ reversus, *Antonio Perrenoto* Cardinali Granvellano, ab Epistolis latinis & à Bibliotheca fuit annos amplius quatuordecim. Pòst *Carolo*, *Guilielmi* Cliviæ ac Juliæ Ducis filio datus præceptor morumque formator, eidem anno sæculari sacro 1575. Romam religionis ergò contendenti adjungitur comes: mortuoque Romæ Carolo, iter illud omne pompamque ac Vitam *Caroli* complexus est libro singulari, sumpto ab *Hercule Prodicio* titulo. Antverp. typis Plantin. 1587. 8.

*Themis Dea*, sive de Lege divina, & *Mythologia in quatuor anni tempora*. Ibid. 1568. 8. edita est. Et rursum extat Tomo IX. in Thesauro Antiquitatum Romanarum Grævii.

*Valerium Maximum*, ad MSS. Codices emendavit, & *Annotationibus* illustravit. Ibid. 1567. & 1574.

Denique *Fastos Capitolinos* supplevit, & *Annales Magistratuum Urbis Romæ*, Tomis III. concinnavit: in queis Reipublicæ mutationes, potestatum ac Imperiorum successiones, acta, leges, bella, clades, victoriæ, manibiæ atque triumphi, nec non illustria stemmata, familiarumque propagines ad annos & tempora sua reducuntur. Prior Tomus editus 1599. fol. typis Plant. Reliquos duos recensuit, auxit, illustravit *Andreas Schottus* Societ. Jesu typis iisdem, 1615. fol.

Eosdem *Fastos Magistratuum* postmodum Thesauro Antiquitatum suarum Romanarum inseruit Grævius Tomo XI. pag. 174.

Obiit Canonicus & Scholasticus Ecclesiæ Collegiatæ S. Victoris Sanctensis in Clivia anno 1604. XIV. Kalen. Novembris ætatis LXXXIV. Vixit ad extremum vitæ diem valetudine firmâ, studio indefesso, ordinis & status Ecclesiastici observantissimus, amicus omnibus, molestus nemini. Vitam illius scripsit *Joannes Winterus*, Canonicus & Officialis Sanctensis, Annalibus præfixam.

## STEPHANUS UBELIUS,

Schoningensis, Frisius, collegit *Synonyma* è Marco Tullio Cicerone & aliis. Leovardiæ, 1607. 8. apud Ægidium Radæum.

## STEPHANUS WEYMSIUS,

à Voerda, sive Foro S. Petri, in territorio Ultra-Mosano, sub ditione Equitum Ordinis Teutonici, natus est anno 1553. pridie Kal. Februarii patre *Michaele*, matre *Margareta Spechouwer*, in Imperiali urbe Aquisgrano patricii stemmatis. Puer Coloniæ litteris politioribus operam dedit, & æquales inter excelluit; atque ita imbutum, Jurisprudentiæ studiis formandum, excepit Lovanium, à Matre missum Filia.

Hic præstantissimos eâ tempestate nactus Doctores *Joannem Ramum* & *Joannem Wamesium*, hunc etiam mox industriâ suâ Mœcenatem meruit. Nam indole *Weymsii* captus *Wamesius*, eum in familiam suam recepit, nec ita multò pòst in affinem, neptre suâ *Mechtildæ*, *Gerardi Corselii* sorore, ei nuptui datâ: quo tempore & Doctor Juris utriusque renuntiatus est, anno 1589. pridie Idus Septembris, atque utrumque deinceps totos annos XL. & ultrà interpretatus est, primùm Institutionum Professor Regius, hinc Canonum Ordinarius, ac demùm Legum Antecessor Primarius.

Quo in munere, totiusque vitæ decursu mores antiquos coluit, id est,

vixit ſine fuco & fallaciis, atque ab omni faſtu alienus, in omni ſorte, in in omni ætate alacris & erectus, & ſibi ſemper par.

Moritur plenus dierum, anno 1632. ætatis LXXX. VII. Kal. Julii, in D. Petri juxta tumulum *Joannis Wameſii* depoſitus, ubi monumentum inſigne poſuit parenti optimo *Petrus* filius, Pręſes ſupremi Conſilii Luxemburgenſis, ac tandem anno 1649 Sanctioris Conſilii Senator Bruxellis, ubi & obiit 1657. Vide etiam Faſtos Academicos Clariſſ. Val. Andreæ. Scripſit *Weymſius*

*Analyſin ad Conſtitutiones XXIV. ex antiquo Jure deſumptas, & per Concilium Tridentinum innovatas.* Lovanii, typis Philippi Dormalii, 1628. 4.

Præterea *Joannis Wameſii* poſtuma, veluti *Tractatum De Appellationibus*, & *Reſponſa* de Jure cùm Pontificio tum Civili recenſuit, ſelegit, & publici juris fecit.

STEPHANO WEYMSIO J. C.
Domo Tranſmoſanâ vetere & honoratâ,
J. U. Doctori & Anteceſſori,
Cum per annos quinquaginta,
Publicè quà docendo quà ſcribendo
Et de Jure reſpondendo,
Academiam & Rempublicam
Exornaſſet,
Plenos emeriti J. C. honores adepto,
Octogenario fatis functo,
Et MECHTILDI CORSELIÆ,
PETRI J. C. ex MARIA WAMESIA F.
In puerperio extinctæ
XVI. Kal. April. M. D. C.
Ac JUSTO WEYMSIO J. C.
Et Bruxellæ Cauſſarum patrono,
In ipſo flore ætatis erepto,
XVIII. Kal. Julii M. D. C. XXXII.
Parentibus opt. & fratri
Juxta cineres JOANNIS WAMESII
Proavunculi conditis,
PETRUS WEYMSIUS,
Provinciæ Luxemburgenſis Præſes,
Poſ.

## STEPHELINUS,

Monachus ad S. Trudonem, ſub Guntramno & Adelardo II. Abbatibus, ſcripſit

*Vitam S Trudonis.* Molan. ad Uſuard. 23. Novembris.

## SUFFRIDUS PETRI,

Leovardienſis, Friſius, naſcitur anno 1527. Hiſtoricus, Orator, Poëta, linguarum Græcę atque Latinæ peritiâ inter ævi ſui primos fuit: ad quarum profeſſionem Lovanio Erfordiam Turingorum in Academiam evocatus, *Eobano Heſſo* ſucceſſit.

Relictâ Erfordiâ, Antonius Perrenotus, Cardinalis Granvellanus eum in familiam adoptavit, ut illi à Bibliotheca & Secretis eſſet; contubernalem nactus Stephanum Winandum Pighium. Lovanium reverſus, ductâ uxore, ibidem Juris titulum & inſignia anno 1574. accepit, & aliquantiſper in Collegio Trilingui Buſlidiano ſatis frequenti, ſi tempora ſpectes, auditorio, Linguam Græcam docuit, dum *Theodoricus Langius* ſaxum hoc volveret, ſcipione utens & cæcutiens.

Hinc ad publicam Juris Profeſſionem anno 1577. in Academia Colonienſi evocatus eſt, Ordinumque Friſiæ Hiſtoriophraphus nominatus; atque elatâ uxore in Eccleſia Collegiata ad XII. Apoſtolos Canonicus, & Burſæ ſeu Collegii Juriſconſultorum, quod à Coronis retinet nomen, Præſes fuit. Vir ſtudii indefeſſi, tenacis memoriæ, atque hiſtorię quà legendæ quà ſcribendæ ita addictus, ut ne horam quidem ullam ſineret labi, quam non litteris impenſam doleret.

Scriptorum illius hic eſt ſyllabus. Verſa è Plutarchi Moralibus:

*Septem Sapientum convivium.*
*An Seni ſit adminiſtranda Reſpublica.*

*De parentum erga liberos naturali benevolentia.*

*Disputatio de Symbolo* 21. Erphordiæ, 1558. 8.

Item, *Utrùm Ignis an Aqua utilior sit.*

*Utrum Athenienses Bello an Sapientiâ clariores exstiterint.*

*Disputatio de primo frigido.*

*Quæstiones Plantonicæ.* 1559. 8.

*De educandis liberis.* Basil. 1561. 8. cum *Scholiis.*

*De Iside & Osiride.*

*De Esu carnium.* Lovanii, 1564. 8. typis Bogardi.

*Hermiæ Sozomeni Historiæ Ecclesiasticæ* libri tres posteriores. Coloniæ, 1570. fol. & Lovanii, 8. apud Sassenum.

*Athenagoræ Apologia pro Christianis*; cum *Scholiis* uberioribus. Colon. 1567. 8. typis Birckmannicis.

Scripsit ipse *Orationes V. de Utilitate multiplici Linguæ græcæ.* Basil. 1566. 8. apud Oporinum.

*Orationem pro reformatione Universitatis Erphordiensis.* Erphord. 1566. 8.

*Orationem de Legum Romanarum præstantia*, Lovanii habitam. Antver. 1571. 8. apud Plantinum.

*Carmen Gratulatorium in Electionem Kiliani Vogelii*, Montis S. Petri, apud Erphordiam, Abbatis. Erphord. 1558.

Præterea *D. Hieronymum*, *Gennadium*, *Honorium & Sigebertum de Scriptoribus Ecclesiasticis*, recensuit. Coloniæ, 1580. 8. Cholini typis.

*Martini Poloni Chronicon* ope MSS. Codicum à mendis vindicavit. Antver. 1574. typis Plantini.

*Joannis de Beka Chronicon Episcoporum Ultrajectensium & Comitum Hollandiæ*, ab anno 1345. usque ad annum 1574. deduxit. Edidit à *Suffridi* morte *Bernardus Furmerius*, Franck. 1611. 4. iterumque *Arnoldus Buchelius* J. C. Ultraject. 1643. in fol.

*Appendicem* ejusdem *ad Chronicon Episcoporum Leodiensium*, à Joanne Bavaro usque ad Erardum à Marca, nimirum ab anno 1389. ad annum 1505. luci asseruit *Joannes Chapeavillius.* Tomo III. Episcop. Leodiens. 1616.

*Chronicon Ducum Brabantiæ Vetus*, ad sua usque tempora à *Suffrido* deductum lectum fuit Leovardiæ, cum reliqua ejus Bibliotheca.

Cœperat *M. T. Ciceronis* Opera omnia ad fidem Manusc. Codd. emendare, adjectis Emendationum rationibus, è quibus *Officia*, *Catonem*, *Lælium* & *Paradoxa* excudit Oporinus Basil. 1568.

Denique Frisiæ suæ ornandæ atque illustrandæ dedit *De Antiquitate & Origine Frisiorum* libros III. Coloniæ, 1590. 8.

*Pro Antiquitate & Origine eorumdem*; cum *Peroratione Bern. Furmerii*, *adversus Ubbonem Emmium.* Franek. 1613. 8.

*De Scriptoribus Frisiæ*, Decadas XVI. Coloniæ, 1593. 8. quo tamen libro plerosque fictitios Frisiæ Scriptores, credo è malæ fidei Annalibus Frisicis, commemorat. Prodierunt iterum Franekeræ 1699. in 12.

Moritur Coloniæ, anno 1597. x. Kal. Februarii, sepultus in Æde XII. Apostolis sacra. Epitaphium hoc populari & amico scripsit *Gauco Gaukema*, Frisius, Canonicus B. M. Aquisgranensis.

D. O. M.
*Ah nimis abjectè jacet hîc tegiturque* Suffridus,
*Æternum decus, Urbs ô Leowarda, tuum.*
*Ille suis vivens te vexit ad æthera scriptis*
*Frisia: debueras ponere tu Lapidem.*
*Non factum: ergo, ne usque viri ossa inhonora laterent,*
Gaukema *pro meritis præstitit officium.*
Suffridio Petro,
Leowardiensi Frisio,
U. J. C. doctissimo
Græcæ Linguæ scientissimo,
Libris multis editis clarissimo,
Tribus Pontt. maximis.

Et S. R. E. ſui temporis præcipuis
Cardinalibus ob doctrinam charo,
Friſiorum Hiſtorico,
Hujus Eccleſiæ Canonico,
Populari optimè de ſe merito
GAUCO GAUKEMA Friſius, Canonicus
Aquiſgran. pietatis ac memoriæ cauſa
H. M. F. curavit
Anno M. D. C. XI. menſe Quintili.
Deceſſit hydropicus,
Die Jovis, x. Kal. Februarii,
Anno Chriſtiano M. D. XCVII.
Horâ nonâ matutinâ,
Sub Clemente VIII. Papâ,
Rudolpho II. Imperatore,
Erneſto Bavaro Colon. Archiepiſcopo,
Et Ferdinando Bavaro,
Ejuſdem Archiepiſcop. Coadjutore,
Cum vixiſſet annos LXIX.
Menſ. VII. dies VIII.
Elatus ipſâ Converſionis Pauli.
R. I. P.

## SUFFRIDUS STERCKENBURG,

Friſius, ſcripſit, teſte Martino Hamconio, in Friſia ſua pag. 82. *Genealogiam Nobilium Friſiæ.*

## SUGERUS,

Abbas Sti. Dionyſii Ord. S. Benedicti juxta Pariſios, ſub Ludovico VII. Regni Galliarum Adminiſter laudatiſſimus, cujus patria hactenus obſcura fuit atque incognita, noviſſimè aſſertus fuit Audomaropoli apud Artheſios natus; ideoque celebrioribus Belgii Scriptoribus apponendus; id-ipſum in gratiam hujus noſtræ Bibliothecæ Belgicæ indicante Authore libri anno 1738. Pariſiis editi in 12. apud Didot: cui titulus: *Singularitez Hiſtoriques, Critiques & Litteraires*, &c. Tomo II. pag. 68. qui ſimul probat *Sugerum* fuiſſe fratrem *Aluiſi* Atrebatenſis Epiſcopi, illiuſque Eccleſiæ inſignem benefactorem.

„ Is magis virtutum, quam generis proſapiâ clarus, exemplo docuit, illuſtrius eſſe, magnum fieri, quam naſci. Jam in ipſa infantiâ teneram ætatem ingenii præſtantiâ ſupergreſſus, futuri moderaminis augurium dedit. Vix decem annos natus, in Cœnobio (*S. Dionyſii*) Monachi vitam profeſſus eſt: & in Clauſtro cum regia Prole educatus, abundè didicit, non inutilem fore tum regno, tum ſibi, Monaſticam pietatem, quæ cum ſceptro adoleviſſet. Touriaci Præpoſiturâ donatus, ut eam vindicaret à Puteolenſium injuriis, quod precibus, quod minis non obtinet, armis exequitur; nec temerari gladio viſa eſt manus, quam armarent Dei jura, Regis honos, fratrum & patriæ ſalus.

„ Hinc ad Gelaſium Papam, dein ad Calixtum publicus Orator miſſus, ita Eccleſiæ Regnique conſuluit rebus, ut ejus prudentiam, in eo ætatis flore ſummam, Roma miraretur magis, quam creditam & ſupremi negotii ſummam. Hujus Cœnobii omnium votis renuntiatus Abbas, non eo infulæ apice eminentior factus, ſed utilior; ſuos à priſtina ſemita nonnihil deflectentes, obſervantiæ reſtituit; Compendienſes Canonicos Regulæ addixit Benedictinæ, Genovefenſes Auguſtinianæ.

„ Toti inſuper Eccleſiæ opportuniſſimus, hanc plurimùm juvit in Conciliis ſuffragio, in aula præſidio & ubique eâ morum probitate quæ decebat *Sugerium*; uti ſincerè gratulatur Claræ-vallenſis Abbas Bernardus. Quam ſuſpicis, viator, regiam templi molem, noſtro *Sugerio* acceptam refer: hanc enim à fundamentis ad faſtigium evectam promovit,

„ vit, hanc pretioſiſſimis muneribus „ atque ornamentis, conſultâ undique „ peritiſſimorum induſtriâ decoravit. „ At ſicut in hoc multiplici opere pii „ Præſulis luſit devotio; ita in angu- „ ſto Cellæ ſpatio, quam Eccleſiæ „ contiguam ſibi conſtruxerat, ſingu- „ laris modeſtia fulſit, adeo ut *Petrus* „ *Venerabilis* eam intuitus ſtupens dixe- „ rit: Quam verè noſtram vanitatem „ homo iſte condemnat, qui non, ſi- „ cut nos, ſibi, ſed Deo ſoli ædificat.

„ Gravis curis tumultuantis aulæ, „ quæ pene in illum incumbebat tota, „ cum jam unicè Deo (quod ſummum „ optabat) adhæſurus, otium in „ cellula pararet, ut iterum quietem „ aliis daret, ademit ſibi; at ſi ex- „ tra Monaſterium diu, tamen extra „ ſe nunquam. Navigante in Syriam „ Rege, unanimi omnium regni Or- „ dinum voto, imo Pontificis Maxi- „ mi juſſu, in Atlantis ſubſidium „ novus Alcides ſuffectus, ſine ſocio „ Gallicum orbem ſuſtinuit, princi- „ pibus carus, Regi fideliſſimus, be- „ nevolus ſingulis, ut eum ad id mu- „ neris electum à Deo ſcirent, in quo „ haberet Gallia quem ſuſpiceret, Rex „ quem amaret, Cœlum quem coro- „ naret.

„ Apud Regem ex itinere reducem à „ nonnullis ſuſurris quidem appetitus, „ ſed injurias beneficiis ultus, edocuit, „ ſe non majora potuiſſe patrare, quam „ pati. Inde factum eſt, ut deterſo ſo- „ lâ *Sugerii* virtute mendacii fuco, ab „ ſinceriſſimo Rege *Pater Patriæ* ſæ- „ pius appellaretur. Sed heu! lu- „ bricam Mortalium ſortem! lentâ „ febre opprimitur, ac tandem inter „ manus Epiſcoporum, & ſuorum ge- „ mitus eripitur humanis, divinis ſta- „ tim inſerendus, imo inter Sanctos, „ teſte Bernardo, recenſendus. Quem- „ que Rex impenſe coluerat vivum, „ luxit mortuum. Obiit III. Idus Ja- „ nuarii anno 1152. ætatis 70. Regis „ Ludovici VII. anno XV. *Ita habet Epitaphium Abbati* Sugero *poſitum à Monachis San-Dionyſianis anno* 1654.

Aliud ejuſdem *Sugeri* Epitaphium, olim à *Simone de Capra-aurea*, Canonico Regulari S. Victoris, diſtychis verſibus poſitum, lege in Hiſtoria Vitæ & Actorum ejuſdem Sugeri, quæ gallicè prodiit Pariſiis anno 1721. tribus Tomis in 12. Scripſit autem Abbas Sugerus,

*Vitam Ludovici VI. Francorum Regis*, cognomento *Groſſi*.

*Librum Epiſtolarum ad Eugenium III. Papam, Regem Ludovicum VII. alioſque, de gravioribus regni negotiis*, quibus Ludovico VII. dicto juniore, ad expeditionem ſanctam profecto, digniſſimè præfuit.

*Librum de Rebus in adminiſtratione Cœnobii S. Dionyſii à ſe geſtis*,

Item *De Conſecratione Eccleſiæ à ſe ædificatæ, & tranſlatione corporum S. Dionyſii & Sociorum.* Quæ omnia à Franciſco Du-Cheſnio in Collectaneo Hiſtoricorum Franciæ coætaneorum Tomo IV. edita ſunt, collecta è MSS. Codicibus. Porro liber *De Conſecratione Eccleſiæ Dionyſianæ*, qui apud Du-Cheſnium mutilus eſt, ex Tomo I. Analectorum Jo. Mabillonii pag. 328. ſuppleri poteſt.

*Conſtitutiones & Teſtamentum Sugeri*, apud eundem Du-Chenium. Quin & prædicta pleraque rurſum extant apud Domnum Michaelem Felibien, Ord. S. Ben. in celebri ſua Monaſterii San-Dionyſiani Hiſtoria, fol. Pariſ. 1706.

## SYDRÆUS SCOTUS,

Angianus, Rector Scholæ Arnhemienſis, edidit, præter alia, *Carmen Martinianum*, ſive *Militis Chriſtiani querimoniam*, Daventriæ 1577.

# T.

## TACHO A GLINS,

NObilis Frisius, in Academia Franekerana Jurium Doctor ac Professor magni nominis; cujus hic solus nobis innotuit

*Tractatus de Mora.* 8. Daventr. 1647. & Amstelod. 1649.

In templo primario Franekerano extat hoc Epitaphium.

TACHO A GLINS, Juris Professor,
Et Magnif. Acad. Rector,
Natus 3. Julii M. D. C. XIX.
Denatus 2. Februar. M.D.C.LXXIII.
GLINSIUS *explevit fatum; cui Frisia prisca*
*Suppeditat clarum nobilitate genus.*
*Quem comes hinc virtus, comes inde scientia cinxit;*
*Hunc dolet extinctum Palladis aula ducem.*
*Sunt generosi aliis exemplo: at* GLINSIUS *ipsis,*
*Illustrans studiis nobilitatis avos.*
*Sidera si rursus petat impiger Icarus alis,*
*Tunc* GLINSI *pennis hac juvat ire viâ.*
*Ingemit ipsa Themis tumulo, candorque probatus*
TACONIS, *cineres nunc ait esse suos.*
Memoriæ desideratiss. Collegæ
Posuit M. BUSCHIUS Prof.

## TACITUS NICOLAUS ZEGERUS,

Bruxellensis, (Sixtus Senensis & Henricus Willotius Dicstensem faciunt; non rectè, ut opinor, quamvis & Dicstemii habitaverit aliquando, & familia ibidem sit cognomento *Zegers*) Ord. Minorum Theologus, græcè & latinè exactè doctus, diligens, & judicii sobrii, edidit

*Inventarium in Novum Testamentum*, seu *Concordantias.* Antverp. typis Joan. Latii, 1558. 8.

*Scholia in omnes novi Testamenti libros.* Coloniæ, 1553. 8.

*Epanorthoten*, sive *Castigatorem Novi Testamenti.* Ibid. 1555. 8. Reliquit id opusculum locis multis suâ manu locupletius.

*Speculum Vitæ humanæ Thomæ Herentalini*, Minoritæ, è belgico latinè reddidit. Coloniæ, 1555. 8.

Item *Viam Vitæ Florentii Harlemii*, Cartusiani. Antver. 1564. 8.

Denique *Proverbia Latina & Teutonica* collegit, ibidem edita.

Decessit Lovanii, anno 1559. VIII. Kal. Septembris.

## TERTIUS ANSELMUS OPITIUS ADORNES,

Patritius Brugensis, Genuâ oriundus, Eques, & Brugensium aliquoties Consul, familiaritate & studio *Justo Lipsio*, & *Jano Larnutio* conjunctissimus. Vir rerum civilium cognitione, cùm eruditione eximiâ, tum prudentiâ, integritate aliisque dotibus clarus.

Scripsit *Versus varios*; teste Dionysio Harduino in suo de Viris in Flandria eruditione illustribus Catalogo MS. quorum pars aliqua lucem vidit, omniumque teruntur manibus. Vitæ finem fecit Brugis, ætate florens, ornatus hoc Epitaphio, quod uxor illi posuit in sacello Majorum, dicto *Jerusalem.*

TERTII ANSELMI OPITII ADURNI,
Jacobi Filii, Joannis nepotis,
Equitis aurati,
Nieuvliet, Marcke, Marquilliers,
Ronsele, Nieuenhove, Poelvoorde,
Ac hujus S. Ædis,
A Majoribus suis erectæ
Dotatæque Dynastæ,

Poſt obitos ſummos publico bono
Brugis Magiſtratus,
Doctrina, prudentia, conſtantia,
Illuſtris Viri,
Oſſa pia cinereſque ſacri
Defleta
Heic quieſcunt.
Vixit ann. XL. Obiit M. D. C. X.
XIV. Novemb.
Anna de Braecle,
Courtaubois, Duffele: &c. Domina,
Nob. V. Georgii Autrive, Morſlede, &c.
Toparchæ filia,
Vidua mæſta maritò kariſſ.
Tandem componi deſtinavit.

## TERTIUS DAMIANUS VISSENACUS,

(Qui pagus eſt agri Thenenſis in Brabantia, unde & *Decipolitanum* ſe vocat) Medicus, græcè doctus, edidit

*Theoricam Medicinæ & Chirurgiæ*: cum libello *de Morbo Sudorifero*. Antv. apud Ant. Dumæum, 1541. 8.

## THADÆUS WERINGA,

Groninganus Batavus, Societ. Jeſu Sacerdos atque in natali ſolo Miſſionarius, ibidem è vita migravit 5. Novembris 1670. Edidit belgicè

*Viam Cœli*. Antver. 1664.

## THEOBALDUS,

Monachus, ſcripſit ad Sigerum Præpoſitum Lirenſem in Brabantia,

*Vitam S. Gummari*, patroni Lirani. Eſt apud Surium XII. Octob. ſed Prologo trunca, qui legitur in Rubra Valle juxta Bruxellam. Ibidem exſtat *Gummari Vita* carmine heroico, & *Miracula ejuſdem*.

## THEOBALDUS de HOGHELANDE,

Mittelburgenſis, Zelandus, edidit *De Alchemiæ difficultatibus* librum. Coloniæ, apud Henr. Falckenburg, 1594. 8. & Tomo primo Theatri Chemici, editi Argentorati, 1613. 8.

## THEODATUS,

Leodicenſis, Carmelita, ſcripſit *Quadrageſimale*, ab Arn. Boſtio commendatum. Quo tempore vixerit incertum.

## THEODORICUS ADAMÆUS,

Suallenbergius, Geldrius, vitâ functus Lovanii anno 1540. Edidit

*Annotationes in Procopium de Ædificiis Juſtiniani Imp.* à *Franciſco Craneveldio* è græco latinè redditum. Pariſ. 1537. 4. apud Wechelum.

*Panegyricum de Chriſtiani orbis concordia*. Ibid. 1540.

*De Rhodo Inſula, & Militarium Ordinum Inſtitutione*. Ibid.

*Tabulam Cebetis Philoſophi* latio donatam. Ibidem.

## THEODORICUS,

Abbas ad S. Trudonem Ord. Benedictini, in ditione Leodicenſi, ex Monacho Gandavenſi ad S. Petrum adſumptus. Præfuit ab anno 1099. uſque ad 1107. quo deceſſit VII. Kal. Maii.

Scripſit *Vitam S. Bavonis*, Gandenſium patroni; apud Surium, 1. Octobris.

*Vitam S. Rumoldi*, Apoſtoli Machlin. apud Surium I. Julii. Tota extat in Actis S. Rumoldi editis per P. Sollerium anno 1718. ante vero extabat in Actis S. Rumoldi à P. Hugone Vardæo Minorita Hiberno editis Lovanii anno 1662.

*Vitam S. Landradæ* Virginis, & Abbatiſſæ Beliſienſis, apud eumdem Surium VIII. Julii, ſed mutila: integra in Rubea Valle juxta Bruxellam, hoc initio: *Nemo qui dubitet ad gloriam* &c. modo apud Hagiographos S. J.

*Vitam S. Trudonis*. Et *Sermonem de*

*Translatione SS. Trudonis & Eucherii.* Legitur apud Surium 23. Novemb.

*Vitam S. Amelbergæ*, Virginis, 8. Julii; antea MS. in Cœnobio Cameræ, juxta Bruxellam, modo in Actis SS.

## THEODORICUS BERNENSIS,

Ordinis Præmonstratensis Bernæ olim juxtâ Silvamducis, vir optimus & doctissimus, scripsit *Homilias* aliquot, & *Historias* nonnullas. Floruit sub *Everardo*, primo ejus loci Abbate, circa annum 1160. pietate insigni, adeò ut ante obitum, unà cum *Odulpho* sibi amicissimo, à B. Maria Virgine meruerit visitari. Ita Aub. Miræus in Chronico Præmonstrat. ad annum 1134.

## THEODORICUS CORTEHOEVIUS,

E pago cognomine Provinciæ Ultrajectinæ, Mudæ contermino, aut natus aut oriundus, edidit

*Bellum discors Sophiæ ac Philautiæ, Veritatis ac Falsitatis.* Antver. apud Mart. Cæsarem. 1530.

Item *Adagia Des. Erasmi* redegit in Locos communes. Coloniæ, 1533.

## THEODORICUS GERARDUS,

Gaudanus, Batavus, Medicus, è græcis Galeni in latium transtulit,

*De curandi ratione per venæ sectionem.*

*De Hirudinibus, Revulsione, Cucurbitula & Scarificatione.*

*De simplicium Medicamentorum facultatibus* libros XI. Paris. 1530. fol. & 1543. 8. Item Basil. apud Frobenium, cum Latinis Galeni operibus.

## THEODORICUS GUALTERUS VANDEN BOSSCHE,

Lusit versu heroïco, non infeliciter,

*De cæde Guilielmi Nassovii & tormentis Balthasaris Gerardi*, tyrannidis Auriacæ vindicis. Lovanii, apud Masium, 1589. 8.

## THEODORICUS AB HAGHEN,

Physicus atque Astrophilus, Ultrajectinus, frontispicium illud litteratum Ultrajecti (cui varia ex Litteris sacris insculpta leguntur) è regione pontis præsidiarii ædificavit. Præterea edidit

*Prognosticon stellare ab orbe condito in diem usque novissimum, juxta errantium siderum habitudines &c.* inscriptum *Georgio Egmondano*, Episcopo Ultrajectino. typis Herm. Borculoii, 1552. 4.

## THEODORICUS DE HERXEN,

Ordinis Fratrum in communi viventium Rector Zwollæ, vixit anno 1423. Scripsit

*Septimanam Christianam*; etiam gallicè redditam per *Paulum Montium*, Duaci 1592.

*De Passione Domini.*

*De moriendi desiderio.*

*Super Oratione Dominica.* Et alia, à Trithemio recensita.

## THEODORICUS LOERIUS,

à Stratis, Brabantus, Cartusiæ Colonienſis Pro-præfectus (Vicarium vocant) dein Hildesianæ apud Saxones Cartusiæ Prior, demùm Provinciæ Saxonicæ Præfectus: Vir laboris constantis, multa ab hæreticis religionis orthodoxæ zelo perpessus, ob quæ invitæ etiam discrimen venit.

Obiit in Cartusia Herbipolensi, anno 1554. die XXVI. Augusti.

Adornavit editioni & recensuit *Dion. Rickelii Cartusiani* Opera: quibus & *Dionysii Vitam*, à se conscriptam, præ-

miſit. Coloniæ 1532. Gennepæi typis.

Edidit præterea libellum hiſtoricum hoc titulo : *Præſtantiſſima quædam ex innumeris Miraculis quæ Bruxellis, nobili apud Brabantos Oppido circa Venerabilem Euchariſtiam, hactenus à multis annis ad Chriſti gloriam fiunt.* 8. Coloniæ 1532.

Item *Margaritam Euangelicam*, ſanctæ cujuſdam Virginis Anonymæ libellum, primus evulgavit Ultrajecti anno 1535 : ſed mutilum; quem poſt quadriennium edidit completum *Nicolaus Eſſchius.*

Epitaphium hoc ei poſuit Confrater *Theodorus Petreius.*

*Nobile Carthuſii*, DIONYSIUS, *Ordinis olim*
*Et decus & ſplendor, nil niſi ſacra crepat.*
*Hæc* LOER *excipiens* THEODORICUS *omnia tandem*
*Præſtitit, ut volitent docta per ora virum :*
*Quem levis hæc tellus retinet, ſed ſpiritus aſtra*
*Scandit, ubi æthereâ pace potitur ovans.*

## THEODORICUS MALCOTIUS,

Lovanienſis, tertius in ſcholis Artium anno 1555. dein Sacræ Theol. Licent. & Gymnaſii Lilienſis Præfectus, ſeu Regens, antea Theol. Lector in Monaſterio Heverleenſi. Præmaturâ morte obiit in patria anno 1568. ætat. 35. Scripſit

*De Officio Miſſæ*, idiomate patrio.

*De Mutabilitate Lutheri ejuſque conſortium in Religione, Dialogum.* Coloniæ, 1563. 8.

## THEODORICUS MARTINUS,

Aloſtenſis, in infantia Academiæ Lovanienſis Typographus, juvenis aſſociavit ſe *Joanni à Weſtphalia*, Oſnabrugenſi, qui primus Artem Typographicam invexit Lovanium circa annum 1474. ſimulque Aloſti & Noviomagi typos exercebat. Fuit autem Theodoricus vir diligens artiſque ſuæ peritus, & doctus, eoque nomine *Deſiderio Eraſmo*, *Adriano Barlando*, aliiſque Lovanii tum celebribus laudatus, qui & in ejus Typographeio Correctoris officia ſubire non ſunt gravati. Quin & ejus hoſpitio per quatuor hebdomadas uſus eſt *Eraſmus* anno 1518. dum Baſileâ Lovanium profectus, ex ulcere quodam periculoſo, quod Medici & Chirurgi curæ committere coactus fuit, convaleſceret. Scripſit *Theodoricus Martinus*

*Hymnos in honorem Sanctorum.*
*Dialogum de Virtutibus*; aliaque.

Dedit & *Dictionarium Hebraïcum*, ſive Enchiridion radicum ſeu dictionum Hebraïcarum, ex *Joanne Reuchlino*, in 4. abſque loci aut typographi nomine.

Moritur ſenex Aloſti anno 1533. VI. Kalendas Junii, ſepultus apud Guilielmitas. Epitaphium ei ſcripſit *Eraſmus*, dignum repræſentari hoc loco :

*Hic* Theodoricus *jaceo, prognatus Aloſto,*
*Ars erat impreſſis ſcripta referre typis.*
*Fratribus, uxori, ſoboli, notiſque ſuperſtes,*
*Octavam vegetus præterii decadem.*
*Anchora ſacra manet, gratæ notiſſima pubi :*
CHRISTE *precor nunc ſis anchora ſacra mihi.*

Utebatur enim Symboli loco anchorâ, libriſque a ſe editis accudere ſolebat hos verſus :

*Ne tempeſtatum vis auferat, anchora ſacra,*
*Quo mentem figas, eſt jacienda tibi.*

## THEODERICUS A MONASTERIO,

Patriam habuit. Monaſterium in

Weſtphalia, atque ex Auguſtinianorum familia, in D. Franciſci Ordinem coöptatus, concionator Apoſtolicus, velut ſidus fulgidum Belgicam noſtram circumiens, doctrinæ claritate & concionibus illuſtravit. Bruxellæ, cum anno 1489. gravis illa peſtilentiæ lues graſſaretur, mortuis paſtoribus, inter XXXIII. millia civium, totam civitatem obequitans, morientibus Sacramenta adminiſtravit; ipſe à peſte intactus.

Libellum edidit linguâ noſtrate Teutonicâ *Kerſte-Spieghel*, quod latinè dicitur: *Speculum Chriſtianum*, Bruxellæ & Lovanii.

*Orationes pias atque devotas.*

Ad cœleſtem gloriam ex mortali carcere evocatur anno redemptionis noſtræ 1515. Decembris die XI., Conventûs Lovanienſis Guardianum agens. Corpus ejus in veteri Eccleſiæ illius choro honorificâ ſepulturâ donatum eſt, hoc adjuncto Epitaphio.

Hîc jacet ſepultus
Venerabilis ac devotus
P. F. THEODORICUS A MONASTERIO
Eximius Prædicator Verbi Dei,
Quondam hujus Conventûs
Et aliorum Guardianus.

Vitam ejus è MS. erutam evulgavit *Arnoldus Raiſſius*, Canonicus S. Petri Duaci; ibidem 4. 1631; eamque Bruxellenſi Magiſtratui dicavit. Item Martyrologium Franciſcanum, IV. Nonas Februarii, de eo ſic habet: *Lovanii in Brabantia* B. THEODORICI A MONASTERIO, *Confeſſoris, eximiæ ſanctitatis Viri; qui zelo regularis obſervantiæ, & ingenti charitate in ſuccurrendis peſtiferis exuberans, gratiâ miraculorum etiam enituit.*

## THEODORICUS PAULI,

Aliàs FRANCONIS', Canonicus Regularis ac Supprior S. Vincentii in opido Gorcomienſi, claruit ab anno 1448. ad 1468. ſcripſitque

*Hiſtoriam de Cladibus Leodienſibus per Carolum Audacem.* Legi ſolebat apud Dionyſium Villerium Canon. & Theſaurarium Tornacenſem, modò in Bibliotheca publica Eccleſiæ Tornacenſis.

*Miraculum*, inſigne, *S. Barbaræ*, quod extat in collectaneis Surii Tomo VI. ad diem IV. Decembris.

Item *Chronicon* MS. circa annum 1480. compilatum, quod multa ſcitu digna, recentiorum præſertim temporum, & Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ utilia complectitur; ex quo Jo. Bollandus S. J. Theol. Tomo II. Actorum SS. Menſis Januarii, ad diem XXIX. in lucem dedit Vitam S. Petri Thomæ Carmelitæ. Extare dicitur hodie Chronicon iſtud in Bibliotheca Hagiographorum Antverpiæ.

## THEODORICUS PIESPORDIUS,

Sereniſſ. Alberto & Iſabellæ Belgarum Principibus à Conſiliis ac ſecretis, evulgavit,

*Principum Habsburgi Auſtriacorum ſtemma, originem, geſta, à Pharamundo Francorum Rege ad hæc uſque tempora deducta.* fol. Bruxellis 1616. Ad cujus libri Refutationem acriter reſcripſerunt, *Claudius Fabri de Peyreſc*, & *Andreas du Cheſne*, Viri celeberrimi apud Gallos.

## THEODORICUS ULSENIUS,

Friſius, Medicus, & Poëta, ſingularis eruditionis, inquit Trithemius, floruit anno 1494. ſepultus Silvæducis ante chorum templi S. Joannis. Scripſit

*De Pharmacandi comprobata ratione* libros. II. carmine. Norimbergæ, 1496.

& Basil. apud Henr. Petri, 1571. cum Scholiis *Georgii Pictorii*, Villingani.

Item *Elegiarum* & *Epigrammatum* librum. Et alia, teste Trithemio.

## THEODORICUS DE WIT,

Ultrajectinus, Presbyter, S. Theol. Licentiatus, Philosophiam Lovanii didicit, Domus Standonicæ alumnus, atque inde Theologiæ operam dedit, pastoralibus muniis functus ab anno 1603. Dordraci, dein etiam Ultrajecti, ac Diœcesis Middelburgensis Pro-Vicarius, Concinnavit

*Officium Sanctorum Provinciæ Ultrajectinæ.* Et quædam flandricè composuit, ediditque sub nomine *Christophori Fabri* Lovanienſis.

Defungitur calculi doloribus Ultrajecti anno 1631. pridie S. Lucæ.

## THEODORUS AMYDENUS,

Vulgò AB AMEYDEN, Silvæducensis, ab Andrea Cardinale Austriaco, propemodum adhuc infans, inter Aulæ pueros in Germaniam superiorem eductus, & deinde Romam perductus, hæsit ibidem, donec idem Cardinalis Princeps optimus ex morbo, in itinere Neapolitano contracto, fatis cessit.

Rediit inde in Germaniam & Belgium; iterumque, postquam Belgium totum & præsertim Hollandiam, perlustrasset, Romam repetiit, & quinquennium vixit in Seminario, quod Germanis Pius IV. P. M. fundavit, ac postremò in Romana Curia caussarum Advocatus celeberrimus, ac styli ejusdem Curiæ, præsertim Datariæ, peritissimus. Fuit Provisor Ecclesiæ Germanorum Romæ, vulgo *de Anima* dictæ.

Vixit dein in familia Camilli Pamphilii Patricii Romani, ejusque filii Joannis Baptistæ Pamphilii S. R. E. Cardinalis, qui ad supremum Ecclesiæ Pontificatum evectus anno 1644. Amydenum magno favore atque honore cumulavit. Edidit ibidem

*De Pietate Romana* libellum, in quatuor partes divisum; anno 1625. 8. typis Jac. Mascardi. Præfatur ad Quirites.

*Tractatum de Officio & Jurisdictione Datarii, nec non de Stylo Datariæ.* Opus (uti præfertur in titulo) omnibus Episcopis & eorum Vicariis, singulisque Ecclesiasticis Judicibus, Advocatis, Parochis, Confessariis &c. utilissimum ac diu desideratum. Fol. Romæ anno 1645. Venetiis 1654. Coloniæ Agripp. 1701. & alibi. Prohibitus tamen fuit hic liber, sine approbatione legitima editus, per S. Congregationem Indicis die 10. Decembris 1653.

Item italicè: *Il Can dell' Ortolano, Commedia tradotta dallo spagnuolo.* Viterbii 1642. in 12.

## THEODORUS ANTONIUS PELTANUS,

Ex Pelta Leodiensis Campiniæ pago oriundus, Societatis Jesu Theologus, anno Domini 1550. cum aliis quibusdam Patribus de eadem Societate, *Thoma Lentulo* Noviomagensi, *Joanne Covillonio* Insulensi, & *Hermanno Tyræo* Novesiensi, Doctoribus Theologis, mense Augusto ad Ingolstadiensem accessit Academiam, & Græcæ Hebraïcæque litteraturæ Professor ordinarius constituitur, jubente *Alberto* Bavariæ Duce, qui curam regimenque hujus Academiæ suæ præfatis Theologis demandavit.

In Theologia omnes gradus, tam Baccalaureatûs, quam supremos est adeptus. Anno Domini 1562. mense Aprilis Doctoralia recepit insignia, & in lectione Theologica D. *Covillonio*

qui ad Concilium Tridentinum proficiſcebatur, ſucceſſit.

Si quis vel propter ingenii candorem & acumen, vel in diſputando, tam in Philoſophica, quam Theologica arena, ſubtilitatem & promptitudinem, meretur laudem, certè ille ampliſſimis dignus eſt encomiis; ut interim linguarum cognitionem, quam publicis ſcriptis & verſionibus, & aptiſſimis, & ornatiſſimis, toti Eccleſiæ teſtatam reliquit, ſilentio præteream.

Docuit Theologiam ab an. 1562. uſque ad 1574. frequentibus in materia Theologica diſputationibus habitis.

Seceſſit poſtea Auguſtam Vindelicorum, ut ſe quieti ſenex traderet, quæ etiamnum ejuſmodi fuit, ut cum ſumma totius Eccleſiæ Catholicæ & Religionis utilitate conjuncta eſſet. Ita *Valerius Rotmarus*, libro de Profeſſoribus Academiæ Ingolſtadienſis.

Ceterum in Auguſtano Collegio ſuperſtes fuit ad annum uſque 1584. quo quievit in Domino ad diem VI. Nonas Maii; cum 32. in Societate annos tranſegiſſet, & profeſſionem Votorum IV. anno 1570. emiſiſſet.

Epitaphium illi poſuit in ſua Schola Facultas Theologica Ingolſtadienſis, hujuſmodi.

THEODORUS PELTANUS,
Societatis Jeſu Sacerdos,
Theologiæ Doctor,
Unus ex primis illius Patribus fuit;
Vir omniſcius
(Si quis noſtrâ memoriâ)
In hac Academia floruit.
Poſt multum ſudorem & algorem,
In re Dei, Academiæ,
Religionis, conſumptum Ingolſtadii,
Poſt Litteras Græcas, Hebraïcas,
Theologicas publicè explicatas,
Auguſtæ Vindelicorum ſcribit ſua,
Convertit aliena,
Tantâ felicitate & fructu,
Ut merito ei poſſit
Illud poni Ambroſianum.
*Vixit Eccleſiæ, mortuus eſt Deo.*

Moritur Auguſtæ anno Domini M. D. LXXXIV. die 11. Maii.

Scripſit vero ſequentia

*De Peccato Originali Tractatus XVIII.*

*De Satisfactione Chriſti & noſtra, & de Purgatorio*, libros III. Coloniæ, 1576. 4.

*De Chriſtianorum Sepulturis, Exequiis & Anniverſariis.* Ingolſtadii, 1569.

*De tribus bonorum operum generibus, Eleëmoſyna, Jejunio, Oratione*, libros III. Ibid. 1580. 4.

*Theologiam Naturalem*, & *Myſticam.*

*De Sanctorum Origine, Cultu & Invocatione, Reliquiis & Imaginibus.*

*De Matrimonio.*

*Paraphraſin ac Scholia in Proverbia Salomonis.* Antver. 1606. 4. apud Verduſſium.

Sequentia è græco latinè reddidit & illuſtravit:

*Andreæ Cæſareæ Cappadociæ Epiſc. Commentarios in Apocalypſin.* Ingolſtadii, 1574.

*Acta Epheſinæ Synodi primæ*, libris IV. cum Notis. Ibid. 1576. & typis Commelianis, 1604 fol. & emendatiùs Romæ.

*Homilias Græcorum Patrum XVII. in præcipua Chriſti Salvatoris Feſta.* Ingolſtadii, 1579. 8

*Victorem Antiochenum in Marci Euangelium.*

*Titum, Boſtrorum Epiſcopum in Lucam.* Tomo IV. Biblioth. Patrum.

*Metaphraſin B. Gregorii Thaumaturgi in Eccleſiaſten.* cum *Notis.*

*Catenam Græcorum PP. in Proverbia Salomonis.* Antver. typis Verduſſii, 1614. in 8.

Reliquit item Volumen *de Jejunio, Oratione & Eleemoſyna*, MS. teſte Auberto Miræo.

Plura de Theodoro Peltano, vide in Bibliotheca Scriptorum Societ. Jeſu.

THEO-

## THEODORUS DE ARCK,

Presbyter Congregationis Fratrum in communi viventium Swollis, reliquit Tractatum *De Utilitate Monachorum & Religiosarum personarum*, visum aliquando manusc. Lov. ad S. Martinum.

## THEODORUS A BLEESWYCK,

Everardi filius, Delphensis Batavus, J. U. D. Vir Consularis, Patriam suam *Historica ejus Descriptione* honoravit, idiomate vernaculo 2. Tomis in 4. Delphis 1667. Tomus II. seriem continet Scriptorum Delphensium.

## THEODORUS CANTERUS,

Ultrajectinus, *Lamberti* per annos XIV. in supremo Senatu Trajectino Consiliarii Filius, *Guilielmi* frater, perceptis in patria litterarum principiis, Gallias adiit, & Lutetiæ *Dion. Lambinum* Aristotelis Ethicorum libros magno cum applausu & frequenti auditorio interpretantem audivit, ut ipse libro 1. Variarum Lect. cap. 11. testatur. Familiares ibidem habuit *Petrum Danielem*, *Obertum Giphanium*, *Ludovicum Carrionem*, & alios.

Reversus, patriæ gubernaculis admotus fuit; & anno 1581. constitutus in Senatu Ultrajectino Consiliarius extraordinarius, perfunctusque honoribus omnibus. Postea anno 1611, unà cum Henrico ab Helsdringen Consule Ultrajectino accusatus quod Religioni Catholicæ ac reddendæ Hispaniarum Regi pristinæ obedientiæ favêret, in ultima senectute exulare jussus est; bonisque omnibus exutus (talis orbis & instabilitas rerum humanarum) primò Antverpiam secessit, deinde Leovardiam, paternæ familiæ solum natale; ibidemque post inchoatum annum ætatis LXXII. è vita abiit anno 1617. Hattemii in Geldria sepultus. Superstites reliquit filios duos *Lambertum & Joannem*, quos olim in contubernium dederat *Justo Lipsio* amico suo familiari. Scripsit

*Variarum Lectionum* Libros II. ad Georgium Ratallerum. Antver. 1574. typis Plant.

*Notas in Arnobii Disputationes adversus Gentes*. Ibid. 1582. 8.

Collegerat & *Notas in Ammianum Marcellinum*, & *Fragmenta veterum Poëtarum*, *Tragicorum*, *Comicorum & aliorum Græcorum*: tradita pridem typographo. Possedit ea olim P. *Francius*, insignis Poëta Batavus; dein vero D. *Jacobus Philippus Dorville* Amstelodamensis.

## THEODORUS CORNELIUS BERGIUS,

Scholæ Hieronimianæ apud Ultrajectinos Rector, scripsit & edidit

*Prosopopœiam afflicti & moribus corrupti Belgii*; typis Herm. Borculoii.

## THEODORUS COORNHERT,

Folcardi filius, natus est Amstelodami anno 1522. Postmodum Harlemensis urbis Syndicus, subortis in Belgio tumultibus rebellionibusque, Catholicam Religionem ejuravit, parteisque Rebellium non parum promovit, novæ apud Batavos sectæ auctor factus & antesignanus: ob quæ crimina etiam ab Hispanis in vincula conjectus fuit. Fuit dein Hollandiæ Ordinibus à secretis.

Varia scripsit (teste Baëlio in Dictionario Historico-Critico) quà Politica, quà Theologica, in his præsertim contendens necessariam conscientiarum libertatem, neque solùm doctrinam Catholicam de Prædestinatione & Originali peccato impugnans, sed & dogmata Lutheri Calvini ac Bezæ refellens. Notatu digna sunt Lipsii cum Coornhertio dissidia.

*Juſtus Lipſius* in Academia Leydenſi tunc Profeſſor, libro IV. Politicorum ſive Civilis Doctrinæ, aſſeruerat, unicam in Statu politico Religionem eſſe tolerandam : his verbis uſus : *Clementiæ non eſt hîc locus : Ure, ſeca, ut membrum potius aliquod, quam totum corpus intereat.* Quibus offenſus Coornhertius, ſcriptum vernaculum contra Lipſium edidit, Senatui Leidenſi dicatum. Repoſuit mox Lipſius, *De una Religione, adverſus Dialogiſtam librum, in quo tria capita libri IV. Politicorum explicantur.* Lugd. Batav. 1590.

Inter hæc, mortuo Coornhertio, hæredes ejus nomine ediderunt ſequentia.

*Defenſio Proceſſus de non occidendis hæreticis, contra tria Capita Libri IV. Politicorum J. Lypſii, ejuſque libri adverſus Dialogiſtam Confutatio.* Hanoviæ 1593. in 8. ac paulò poſt,

*Epitome Proceſſus de occidendis hæreticis, & vi conſcientiis inferenda, inter Juſtum Lipſium, Politicorum Authorem anno 1589. ea aſſeverantem, & Theodorum Coornhertium eadem refringentem* Goudæ 1597. & 1626. in 8.

Ejuſdem Coornhertii *Emblemata Moralia & Oeconomica, De rerum uſu & abuſu, De grato & ingrato*, variis Carminum generibus illuſtrata à *Richardo Lubbeco*, edita ſunt Arnhemii, 1609. 4. apud Janſonium. Opera vero omnia flandricè 1630. Amſtelod. prodierunt.

Obiit Goudæ die 29. Octobris 1590. ſepultus ante chorum ædis primariæ, hoc Epitaphio vernaculo.

DIRK VOLKERTSZOON KOORNHART

*Hier ruſt, Noch ſticht*
*Diens luſt Zyn dicht-*
*En vreught Geſchryf.*
*Was deught, Maer 't lyf*
*En't waer Hier bleeft,*
*Hoe zwaer Godt beeft*
*'Toock viel. De Ziel.*

*Starf den XXIX. van October, in den jaer M. D. XC.*

## THEODORUS DALENIUS,

Venlonenſis, Ordinis Cruciferorum Religioſus, diſſeruit de Laudibus, Privilegiis atque excellentia ejuſdem ſacri Ordinis, & libellum *Clavem Cœli* inſcripſit. Coloniæ, 1628. 8.

## THEODORUS DOUZA,

*Jani* filius, Dominus in Berckenſteyn, Collegii Nobilitatis Provinciæ Ultrajectinæ Aſſeſſor, atque in Curia Provinciali extra ordinem Senator, vir comis, modeſtus, candidus,

*Georgii Logothetæ Acropolytæ Chronicum Conſtantinopolitanum*, complectens Hiſtoriam captæ à latinis Conſtantinopoleos, græcè & Latinè edidit, *Notiſque* illuſtravit. Lugd. Bat. 1614. Extat illud iterum in corpore Hiſtoriæ Bizantinæ. fol. Pariſiis 1651. ex typographia regia.

Item *Farraginem quandam Ecboïcam variarum linguarum, variorumque auctorum.* Ultrajecti, 1638. 8.

*Joannis Zonaræ Epiſtolas Theologicas*, Latio donatas, editioni paratas habuit.

## THEODORUS EGMONDANUS,

Batavus, ſcripſit *Grammaticam*, puerorum captui in primis accommodatam. Amſtel. 1580. 8. typis Mulleri.

## THEODORUS EUROTELES,

Cognomen tulit à pago Friſiæ, in quo natus, vulgò *Oeſterend.* Ludum Litterarium aperuit Harlemi apud Batavos, Bolſvardiæ apud Friſios, & alibi. Edidit in modum Tragœdiæ,

*Judicium Paridis, ſuper tribus de aureo malo litigantibus Deabus.* Ex Luciano. Leovardiæ. 1574.

Item *Carmen Elegiacum de horrendo,*

*Cataclysmo, qui Frisiam anno 1573. Kal. Novemb. afflixit.*

## THEODORUS GALLÆUS,

Antverpiensis, Philippi sculptoris & Iconographi celeberrimi filius, & ipse in eadem Arte excellens, exhibuit

*XII. Cardinalium maximè illustrium Imagines & Elogia, atque imprimis Adriani VI. Pont.* 4. Antverpię 1598.

## THEODORUS GRAMINÆUS,

Ruræmondanus, Mathematum Professor Coloniæ, edidit

*Enarrationem* uberem *in Joannem de Sac bosco.* Coloniæ, 1567. 8. apud Alectorium.

*Orationem in Esaïam & Prophetiam sex dierum Geneseos.* Ibid. 1577. apud Graminæum.

*Speculum Mundi de minitante Cometa anni* 1577. Ibid. 1578. 4. apud Alectorium.

*Explicationem Physicam Comctæ anni* 1580. *& ejusdem cum eo, qui anno* 1577. *apparuit, analogicam collationem.* Ibid. 1581. fol.

*Exhortationem de exequenda Calendarii Romani correctione*, ad S. Cæs. Majest. & Imperii Principes &c. Dusseldorpii, 1583. 4.

*Mysticum Aquilonem*, sive Declarationem Vaticinii Jeremiæ, *Ab Aquilone pandetur omne malum* &c. nimirum Hæreses omnes ab Aquilonari mundi plaga semper prorupisse. Coloniæ 1576. in 8.

*Prodromum Antichristi.* Ibid. 1578.

## THEODORUS GRASWINCKEL,

Delphensis, Batavus, J. U. Doctor, Eques Sti. Marci, favore speciali Reipublicæ Venetæ creatus; ac Fisci Hollandici Advocatus, Vir scientiâ multiplici & imprimis memoriâ pollens, Theologus, Juris-consultus, Poëta excellens. *Hugonis Grotii* cognati sui, ex Hollandia apud Gallos exulantis fortunam secutus, Parisiis ei adhæsit, eoque dictante plures libros manu excepit, nec non pro iisdem Vindicias scripsit.

Edidit pro Republica Venetorum, librum hoc titulo; *Libertas Venetorum, sive Venetorum in se ac suos imperandi Jus assertum, contra Anonymum Scrutinii Libertatis Venetæ defensorem.* 4. Lugd. Bat. apud Commelin, 1634.

*De Jure Majestatis.* 4. Hagæ-Com. 1642. item belgicè, Roterod. 1667. 4.

*Principem Pacis.* 4. Hagæ. 1655.

*Commentarium in Catilinam Sallustii.*

*Dissertationem Apologeticam, adversus Samuelem Maresium, pro Dissertatione Marci Zuerii Boxhornii de Trapezitis.*

*Vindicias Maris liberi*, (cujus author erat *Hugo Grotius*) adversus *Petrum Baptistam Burgum*, Reipublicæ Genuensis in Mare Ligusticum dominii assertorem; & *Wilhelmum Welwodum* pro dominio Maris Britannico scribentem. 4. Hagæ-Com. 1653.

*Strictiuras ad Censuram Joannis Feldeni* (J. U. D. in Academia Julia) *adversus Librum Hug. Grotii de Jure belli & pacis.* 4. & 12. Amstelod. 1653. & 1654. Item Jenæ. 1675.

*Placcaten op het stuck van lyf-toght, als coren, graenen &c. by een vergaedert* fol. Leydæ. 1651 Id est: Edicta Ordinum Fœder. pro annona, granis &c. cum Observationibus suis juridicis.

*Commentaria ad Authorem quemdam Hispanum, super vita & nece Cassii & Bruti.*

*Psalmorum Davidis Paraphrasin*, herico carmine. 8. Hagæ-Comitum. 1643.

*Artem bene vivendi.* flandricè.

*Dissertationem de Jure præcedentiæ inter Rempublicam Venetam & Ducem Sabau-*

*diæ.* Lugd. Bat. apud Elzevir 1644. 8.

*Diſſertationem de præludiis Juſtitiæ & Juris, adverſus Franciſcum Rebellum.* Dordraci. 1660. in 12.

*Diſſertationem de fide hæreticis & rebellibus ſervanda.* ibidem.

*Thomæ à Kempis de Imitatione Chriſti Libros tres, latino carmine expreſſos.* 8. Roterodomi 1661. apud Neran.

*Tractatum de ſuprema poteſtate Statuum Hollandiæ & Weſtfriſiæ*: anno 1674. flandricè, item latine.

Obiit Graſwinkelius anno 1666. Mechliniæ reſidens, Ordinum Fœderatorum Conſiliarius in Camera Bipartita, quæ ad finiendas utrimque controverſias inſtituta fuerat. Extat hoc ejus Epitaphium in Templo magno Hagæ-Comitano.

Pietati & honori Sacrum.
V. N. Theodoro Graswinckelio,
J. F. Equiti S. Marci,
Hollaci Domino,
Delphis Batavorum ſtirpe Conſſ. prognato.
Qui à prima ætate,
Ingenio, quod nactus erat
Omnium ſcientiarum capaciſſimum,
gnaviſſimè uſus,
Non ſolum delibavit,
Sed & abſolvit Encyclopædiam;
Memoriâ tam vaſtâ & fideli,
Ut omnia quæ umquam didicerat,
Et opportuniſſimè ſemper promeret,
Et ad prudentiam
Legitimam ac civilem,
Quam ſibi præ cæteris deſponderat,
Excolendam, referret.
Hinc à privatis Fori curis
Ad Fiſci Patrocinium tranſlatus,
Dicaſterioque
Lege Pacis Monaſterienſis cauto
Grammatæus datus,
Chartiſque tradundis Exactor miſſus;
Scriptis interea plurimis,
Patriam, juxta Venetos
Alioſque ſibi obſtrinxit,
Officiis ac comitate,
Quoſvis domi peregrèque demeritus,
Eruditione incomparabili
Raptos in ſtuporem;
Afflictis ſuppetias, egenis ſubſidia,
Opiparâ manu ferens:
Pietatis ſolidæ cultor,
Citra fucum & ſimulationem,
Solertiâ & rerum agundarum facilitate
Nemini ſecundus:
Erecto ſpiritu & ſublimitate animi
Cunctis antiſtans.
Sed dum non minus impoſitum munus,
Quam de Jure ſummi Imperii
Bono publico & nomini Batavico
Occeptas lucubrationes
Exequi ſatagit,
Et ſic vel ſupremum anhelitum.
Reipublicæ impendit,
Abſens violentâ paralyſi
De medio tollitur,
Mechliniæ, ad diem XII. Octobris,
Anno M. D. C. LXVI.
Nob. Dña Gertruda Van Loon
Conjugi de ſe opt. merito.
Heic inhumato P. C.
Vixit Annos LXVI. Dies XII.

## THEODORUS HARLEMIUS,

Batavus, S. Theol. Licentiatus Pariſienſis, & Cartuſiæ Colonienſis alumnus circa annum 1525, reliquit *Sermones* nonnullos.

Item *Epiſtolam de Solitudine ac Silentio*, Cartuſiano cuidam inſcriptam MSS. Coloniæ. Ex Petrejo.

## THEODORUS MARCILIUS,

Arnhemienſis, Gelder, Eloquentiæ Profeſſor Regius Lutetiæ Pariſiorum, græcis latiniſque litteris probè excultus, & emunctæ naris Criticus. Obiit Pariſiis anno 1617. Idibus Martii. Scripſit

*Orationem de laudibus Galliæ*; in qua

de primis hujuſce Imperii incunabulis, deque Galliæ Celticæ & Francicæ nomine diſputatur. Pariſ. 1584. in 8.

*Orationes II. De Strena Kalendis Januariis danda.* Ibid. 1596. 8.

*Interpretationem Orationis Dominicæ*, & *Salutationis Angelicæ*. Ibid. 1600. 8. apud Morellum.

*Orationem de* NEMO, Joannis Paſſeratii exemplo, qui de NIHIL verſus luſit.

*Notas in Auli Perſii Satyras*, Ibid. 1600. 8.

*Quotidianas & emendatas Lectiones in Horatium Flaccum.* Ibid. 1604. fol. apud Barth. Macæum.

*Notas in Martialis librum primum*, id eſt in Cæſaris Amphitheatrum & Venationes. Lugd. 1593. 8. & Pariſ. 1600. fol. cum aliorum Commentariis.

*Commentarium in* eumdem *Martialem*, adverſus *Laur. Ramirezium de Prado*, ſuo quidem ſubticito, at ſuppoſito nomone *Claudii Muſamberti.*

*Aphoriſmos in Catullum.* Pariſ. in fol. cum reliquorum Commentariis.

*Notas in Titum Veſpaſianum Suetonii.* Ibid. 1603. 8.

*Notas in Aureа Pythagoræ Carmina*, *Marcilio* interprete. Ibid. apud Nic. Nivellium, 1605. 8.

*Notas in Auli Gellii Noctes Atticas.* Aureliæ Allobrog. 1609.

*Seriem novam Proprii & Accidentis Logici*, contra Porphyrium. Pariſ. 1601. 8. apud Morellum.

*Commentarium in Civitatem Veri*, *à Bartholomæo del Bene*, Patricio Mediolanenſi verſu heroïco conſcriptam, ſeu *Notas in Ethicam Ariſtotelis* ad Nicomachum. Ibid. fol.

*Commentarium in Leges XII. Tabularum.* Ibid.

*Interpretationem novam & Methodicam in Juſtiniani Imp. Inſtitutionum libros* IV. Ibid. 1610. 8.

## THEODORUS MORETUS,

Antverpiæ natus anno 1602 è celebri familia Plantiniana, dein Societ. Jeſu adſcriptus, abſoluto ſtudiorum curriculo miſſus eſt in Bohemiam. Magiſterio Artium liberalium & Philoſophiæ inſignitus, docuit illic Ethicam triennio, Philoſophiam ſexennio, Theologiam Moralem quadriennio, Controverſias biennio; & ſacras Litteras quadriennio interpretatus eſt. Matheſin quoque Pragæ & Vratiſlaviæ per annos XIV. profeſſus: Vir in omni genere ſcientiarum apprimè verſatus, neque minus à pietate cæteriſque virtutibus commendatus. Demum cum primaria Societatis ſuæ munia per Bohemiam Sileſiamque obiiſſet, deceſſit Vratiſlaviæ die 6. Novembris 1667. Illius ſunt hæc.

*Propoſitiones Mathematicæ de celeri & tardo*, *naturæ & armorum.* 4. Pragæ 1635.

*Mathematici Tractatus de Fontibus artificialibus.* 4. 1641.

*Axiomata Philoſophiæ Chriſtianæ.* 12. Pragæ 1646.

*Vitæ Sanctorum qui particulari Officio coluntur in Regno Bohemiæ.* 4. Pragæ 1649.

*Allegoriæ & Soliloquia in Pſalmos.* 8. Antverp. 1658.

*Affectuoſa ſolitia morientium.* 12. Coloniæ 1662.

*Philalethes Marianus*, *contra calumnias cujuſdam Prædicantis in D. Virginem.* 4. Vratiſlaviæ 1661.

*Cathechiſmus Lutheri*, *ex ipſis verbis Lutheri Catholica loquentibus.* 12. Brigæ 1662. & alibi, Idiomate germanico.

*De principatu B. M. Virginis.* fol. Antverpiæ 1670. item Coloniæ 1671.

*De raro & denſo*, *& Tubo optico intra aquam.* 1660. Vratiſlaviæ.

*De imagine viſionis*, *& de admirando*

*ſpeculo concavo metallino tricubitali, confecto ab ipſo.* 4. Vratiſlaviæ. 1661.

*De ponderum gravitatione.* 4. Ibid. 1663.

*De magnitudine Soni.* 4. Ibid. 1664.

*De Æſtu maris Tractatus.* 4. Antverp. 1665.

*De Æſtu maris Poſitiones Mathematicæ*, quaſi Synopſis Tractatûs præcedentis. 4. Vratiſlaviæ 1665.

*De Luna Paſſchali, & Solis motu.* 4. Vratiſlaviæ 1666.

*Theſes hydroſtaticæ de prima ſuppoſitione Archimedis de innatantibus humido.* 4. Pragæ 1667.

*Oratio S. Sabbæ Abbatis*, è græco latinè reddita. 8. Vratiſlaviæ 1662.

## THEODORUS PETREIUS,

Campenſis, Tranſiſalanus, natus anno 1567. die 17. Aprilis in pro-feſto Paſſchæ, Swollæ ac Daventriæ litteris politioribus pro ætatis captu probè inſtructus, ac Coloniæ Philoſophi titulum & inſignia conſecutus, anno 1587. die 18. Maii Carthuſianorum ibidem inſtitutum profeſſus eſt. Exinde anno 1597. inſtitutus Vicarius in Domo Dulmaniæ quatuor annis officium hoc exercuit, inde reverſus Coloniam. Tum anno 1612. remiſſus Dulmaniam ad officium Prioris, bis etiam interfuit Capitulo generali, & quidem anno 1616. Collationem habuit ad Patres.

Verumtamen vitæ ſolitariæ in cellula ſua imprimis amans, librorumque lectionem & ſcriptionem cunctis officiis præferens, anno 1619. ad Colonienſem Carthuſiam rediit, reliquos vitæ dies piis operibus ac literarum ſtudiis conſummaturus. Deceſſit Coloniæ ſenior Domûs, anno 1640. die 20. Aprilis, ætatis LXXIII. converſionis LIV.

Multa ſcripſit; nonnulla ab aliis ſcripta Latinitate donavit, quò ad plures maneret utilitas: quædam etiam è SS. Patribus concinnavit, hæreticis noſtri temporis refutandis utilia, Eccleſiæ Orthodoxæ propugnandæ ac ſtabiliendæ neceſſaria. Illius generis ſunt:

*Confeſſio Gregoriana*, ex ſcriptis *D. Gregorii Magni.* Coloniæ, 1597. 8. apud Quentelium.

*Confeſſio D. Cypriani*, ac *Tertulliani.* 8. Pariſ. 1603. apud Nivellium.

*Confeſſio B. Leonis Magni.* Coloniæ 1604. apud. Mylium.

*Confeſſio D. Bernardi.* Ibid. 1606. apud Ant. Hieratum.

*Petri Dorlandi Chronicon Cartuſienſe*, *Notis* illuſtratum. Ibid. typis Cholini, 1608. 8.

*Bibliotheca Cartuſiana*, ſive Illuſtrium Ordinis Cartuſiani Scriptorum Catalogus. Ibid. 1609. 8. typis Hierati. Eandem Bibliothecam, uſque ad annum 1681. continuatam, typis edidit fol. Taurini in Pedemontio, *Carolus Joſephus Morotius*, Abbas Ord. Ciſterc. dein Salutienſis Epiſcopus.

*Silvæ Anachoreticæ* libri VI. cum Iconibus, à Raphaële ac Joanne Sadeleriis fratribus in æs inciſis. Iiſdem Schematibus dein uſus fuit Robertus Arnaldus d'Andilly in famoſa ſua editione gallica Vitæ SS. PP. Eremicolarum.

*Harmonica* IV. *Eccleſiæ occidentalis Doctorum Confeſſio*, Auguſtanæ, Wittenbergicæ, Smalcaldicæ & aliis Pſeudo-Euangelicorum Confeſſionibus oppoſita.

D. Brunonis *Cartuſianorum Patriarchæ Opera omnia*, ſtudio *Petreii*, prodiêre. fol. Ibid. 1611. typis Bern. Gualteri. Vide ſupra pag. 145.

*Chronologia ſummorum Pontificum & Roman. Impp.* 1626. Ibid. 4.

*Catalogus Hæreticorum*, ſeu de moribus & mortibus omnium propemodum Hæreſiarcharum, hæreticorum & Schiſmaticorum, quotquot à Chriſti

ævo ad ſuam hucuſque ætatem Eccleſiam Dei perturbarunt. 4. Coloniæ 1629.

E ſermone belgico in latinum tranſtulit,

*Demonſtrationem Fidei Orthodoxæ, Franciſco Coſtero S. J. auctore.* Coloniæ. 1607. apud Mylium.

*Conciones ejuſdem in anni totius Dominicas & Feſta.* Ibid. 1608. 4. apud Hieratum.

*Araneum Hæreticum Joannis David* S. J. Ibid. 1609. 12. apud Kinckium.

*Lapidem Lydium ejuſdem.* Ibid. 1613. in 12.

*Labyrinthum Hæreticorum ejuſdem.* Ibid.

## THEODORUS PULMANNUS,

Cranenburgius, Ditionis Clivenſis, primùm ſullonem Antverpiæ egit, ut de ſe ingenuè ipſe ſcribit Præfatione ad Auſonium: *Fato quodam* (inquit) *ad mechanicam artem ſui dejectus; quam etſi non aliter ac ſervus, in piſtrinum datus, nolens volens exercui hactenus, & adhuc exerceo, non poſſum tamen, ne nunc quidem ſenex, quas puer dilexi, deſerere literas.*

Otium nactus, omnes pœnè Poëtas Latinos ad veteres Codices comparavit, & Scholiis ex Turnebi Adverſariis, Victorii Variis, aliiſque illuſtravit, ac Plantini typis evulgavit, videl. *Virgilium, Horatium, Lucanum, Claudianum*, (cui adhærent *Aviani Æſopicæ Fabulæ*, à Pulmanno primùm editæ) *Juvenalis* ac *Perſii Satyras, Auſonium, Paulinum, Prudentium, Terentium, Boethium de Conſolatione Philoſophiæ, Suetonii XII. Cæſares.*

Denique *Poëtarum Flores*, ab *Octaviano Mirandula* collectos, floridiores & auctiores fecit, Belleri typis, 1568. 8. Antverpiæ.

Salmanticæ in Caſtellæ Regno diem vitæ clauſit extremum.

## THEODORUS PYBES DE ADAMA,

Ruremundæ apud Geldros patriciâ natus familiâ, litteris humanioribus in patria, Philoſophiâ Lovanii, Theologiâ Romæ imbutus fuit in Collegio Germanico, cujus toto ſeptennio alumnus fuit, indeque rediit S. Theol. Laureâ doctorali inſignitus. Cum per annos aliquot Theologiam in Abbatia de Sonnebeecke, Diœceſis Iprenſis, Canonicis Regularibus prælegiſſet, ad Paſtoratum civitatis Dunkercanæ ab Iprenſi Epiſcopo promotus eſt. Sed vitæ religioſæ deſiderio prævalente, Ordinem Ciſtercienſem in Dunenſi Abbatia profiteri prælegit. Hinc anno 1629. ad Prælaturam Prioratûs Waerſchotani Gandavi literis regiis promotus, quarto regiminis anno deceſſit, die 5. Novembris 1632.

Scripſit, apud Dunenſes exiſtens *De admiranda pariter & miraculoſâ primâ & ſecundâ Inventione corporis* B. Ideſbaldi, *III. Abbatis de Dunis, à recepto ibidem Ciſtercienſi habitu.* 4. Brugis, apud Guil. de Neve. 1624. Plura de aliis ejus MSS. vide apud Car. de Viſch. in Bibliotheca Ciſterc.

## THEODORUS ROSMER,

Moſæ-trajecti natus 9. Januarii 1575, dein Societat. Jeſu Sacerdos, duarum difficillimarum MiſſionumCaſtrenſis & Navalis Superior fuit, & Sereniſſimo Duci Neoburgico à Confeſſionibus. Edidit

*Paſtorem animas curantem*, ſeu *Inſtructionem ad Paſtores.*

*Meditationes de B. V. M.*, *a Thoma Villacaſtino compoſitas*, traduxit in linguam Flandricam. Antverpiæ.

Obiit Mechliniæ die 5. Novembris 1645.

## THEODORUS SCHREVELIUS,

Harlemius, Batavus, Scholę patriæ Rector, græcè latinèque doctiſſimus, primùm Collega datus fuit *Cornelio Schonæo*, Goudano (pag. 218.) ſuo olim præceptori : cui propter ingraveſcentem ætatem quieſcere juſſo, in regimine ejuſdem Gymnaſii anno 1607. ſucceſſit, ad arcana etiam Harlemenſis Reipublicæ admiſſus.

Poſt annos circiter XVI. verſo rerum cardine, à Rectoratu amotus, cedendum tempori & ſerviendum ſcenæ duxit. Nec diu pòſt, oblatum ſibi celebrioris Gymnaſii Lugduno-Batavi regimen acceptavit, inauguratus anno 1625. quod demum, jam ſeptuagenarius, favente Magiſtratu, in filium ſuum *Cornelium Schrevelium* (pag. 218.) tranſtulit anno 1642. Reverſus quaſi poſtliminio Harlemum, illuſtrandæ illius Hiſtoriæ totus incubuit : ac de patria optimè meritus, illius laudibus immortuus eſt circa annum 1648.

Scripſit heroïco verſu, *Trophæum Peluſiacum :* quo Harlemo-Batavos ob res in Peluſii (quod Ægypti opidum eſt, hodie Damiata) obſidione anno 1188. feliciter geſtas donavit Fridericus I. Imp. Harlemi, 1598. 4.

Ἀλεξικακον ſive *De Patientia libros IV.* Lugd. Batavor. typis Joan. Maire in 12. 1622.

Ejuſdem *Palæmon* ſive *Diatribæ Scholaſticæ & Orationum ſelectarum Syntagma*; Ibid. 1626. 8. typis Elzevirianis.

*Harlemum, ſive Urbis Harlemenſis incunabula, incrementa, fortuna varia in pace & bello, Hamorum & Aſelorum factio; Obſidiones, Reformationis cruda initia; conſilia politica, Viri docti, Statuta antiqua, Comitum Privilegia, Regimen Politicum, Eccleſiaſticum, Æconomicum, Militare & Scholaſticum.* 4. Lugduni Bat. 1647.

## THEODORUS SMISING,

Origine quidem Weſtphalus, nobilibus ortus parentibus, at longo incolatu & Profeſſione monaſticâ Belgis inſerendus venit. Fuit enim in Ordine FF. Minorum S. Theologię Lector Lovanii, & Provinciæ Flandrię Miniſter Rectorque, ſubtiliſſimi vir ingenii, judicii planè exacti & ſubacti, ac Scotiſtarum Neotericorum clariſſimus. Scripſit

*Commentariorum de Deo Uno & Trino* Tomos II. Antver. 1627. fol.

Obiit Lovanii die 22. Octobris 1626, annum agens 46, cum inſigni Sanctitatis famâ. Oſſa ejus poſtmodum juxta oſſa Venerabilis Viri F. *Adami Sasbout* ad pedem ſummæ aræ FF. Minoritarum terræ mandata ſunt. Caput vero in capſa lignea, juxta caput ejuſdem Sasboldi, ſuper chori oſtium collocatum eſt, cum ſequenti Epitaphio litteris aureis inſcripto.

„ Hìc ſpecta Viator Caput B. Me-
„ moriæ *F. Theodori Smiſing*, qui pro-
„ ſapiâ nobilis Weſtphalus, conſecra-
„ tione Sacerdos, profeſſione Mino-
„ rita, morum ſuavitate, ingenii ſub-
„ tilitate, profundâ humilitate cum
„ ſingulari eruditione conjunctâ, omni-
„ bus admirationi fuit. Hic cum la-
„ têre mallet, quam apparêre, S. P.
„ Franciſci Regulam profeſſus, poſt-
„ quam multos annos ſententiam Doct.
„ Subtilis enucleavit, atque Provin-
„ ciam hanc triennio rexit, ſcriptis
„ Orbi notis, in ætatis vigore ac ſan-
„ ctitatis opinione deceſſit. Oſſa illius
„ oſſibus F. *Adami Sasbout* juncta ſunt.

## THEODORUS STRAITMANNUS,

Geldrius, J. C. poſt luſtratas Italię Galliæque Academias Coloniæ in Ubiis larem fixit. Doctorem præceptoremque

que ſuum laudat *Cujacium*. Scripſit
*Harmoniam Titulorum Utriuſque Juris.*
*Conciliationes Legum Pandectarum*, Coloniæ, 1571. 8. apud Gymnicum.

## THEODORUS STUMPWICKIUS,

Harlemius, Batavus, Cartuſianus vixit Brugis, & Domui Zelemenſi apud Dieſtemium anno 1609. præerat. Dedit
*Deſcriptionem brevem mundanæ ac Religioſæ Vitæ ſibi oppoſitarum*, ordine Alphabetico, pro majori parte ex Speculo morali *Joannis Vitalis* S. R. E. Cardinalis. Inſeruit eam ſuæ Bibliothecæ Cartuſianę *Theodorus Petreius*.

## THEODORUS VAN COUWERDEN,

Gochenſis, Clivius, in Academia Duacena S. Th. Doctor anno 1620. renunciatus, ejuſdemque per annos plures Profeſſor Ordinarius, nec non Collegii Mottani Præſes, ſucceſſit anno 1649. *Georgio Colvenerio* S. T. D. celeberrimo, in Præpoſiturâ Eccl. Coll. S. Petri Duaci. Quin & Seminarii de Propaganda Fide ab eodem Colvenerio erecti, munificus extitit Con-fundator. E vivis exceſſit Duaci anno 1658.

Scripſit quædam contra librum Corn. Janſenii, unà cum Valentino Randour, (de quo infra) aliiſque Collegis Doctoribus Duacenis, & alia quædam, quæ hactenus non innotuerunt.

## THEODORUS VELIUS,

Volcardi filius, Hornanus Batavus, natus anno 1572, Medicinæ ſtudio a juventute incubuit, primò in Lugdunenſi Batavorum Academia, tum in Patavina apud Italos, in qua anno 1594. die 10. Octobris Doctoralem Medicinæ Lauream promeruit.

Patriæ Hornanç redditus, ut eſſet illi Medicus Ordinarius, in Senatorium quoque ordinem adlectus fuit, utroque munere functus laudabiliter; Vir græcè, latinè, gallicè, italiceque doctus.

*Weſtfriſiam*, latè ſumpto ejus vocabulo, verſibus heroïcis ac rotundis deſcripſit, editam Hornæ anno 1617. quam dein in rythmos flandricos tranſtulit ediditque *Joannes de Groot* J. C. Hornæ 1648. in 4.

Item *Chronicon Hornanum*, originem, incrementa, & caſus illius opidi referens; linguâ vernaculâ, primùm editum Hornæ anno 1604, dein a morte Authoris auctum, ibidem prodiit anno 1645. item 1648. in 4.

Obiit Velius in urbe ſua natali anno 1630. die 23. Aprilis ætatis 58. ſepultus ibidem in Ædc primaria, hoc Epitaphio ſibi-met-ipſi præſcripto.

✿ ✿ ✿

VELIUS *hîc recubat, forſan cui fata dediſſent*
*Nonnullum à ſtudiis nomen habere ſuis:*
*Pæonis Ars vetuit, dum multis millibus illum*
*Ægrorum medicâ cogit adeſſe manu.*
Ipſe ſibi P.
Obiit die XXIII. Aprilis,
Anno Dom. MDCXXX.

✿ ✿ ✿

Symbolo utebatur:
NE QUID TEMERE'.

## THEODORUS VERHOEVEN,

Amersfortius, Batavus, ſcholæ Gravienſis Gymnaſiarcha Catholicus, floruit circa annum 1550, ediditque
*Brevem Rerum Amersfortiarum & ſuccinctam Deſcriptionem.* Hanc antea MS. publicavit cum obſervationibus ſuis *Antonius Matthæus*, Jurium in illu-

ſtri Academia Lugduno-Batava Anteceſſor. 4. Lugd. Bat. 1693.

## THEODORUS WALLÆUS,

Inſulenſis, Ordinis Eremit. S. Auguſtini, Profeſſor Eloquentiæ in Collegio Lovanienſi; moritur anno 1635. XII. Kal. Octobres. Ediderat

*Orationes IV. De quattuor Noviſſimis:* item unam *in Laudem Sodalitatis corrigiatæ*, & alteram *de S. Monica.* Lovanii, typis Dormalii, 1631. 8.

*Divinæ Juſtitiæ Theatrum*, ſive *Mariam Othonis III. Imp. uxorem*, *Tragœdiam.* Ibid.

## THEODORUS A WEES,

Noviomagus, dum apud Ubios Eloquentiæ dat operam, diſſeruit, ediditque ibidem *Orationem in hujus temporis Politicos*, 1604. 4.

## THEODUINUS,

Sive DEODUINUS, gente Bavarus, Henrici III. Imp. conſanguineus, creatus anno 1046. Epiſcopus Leodicenſis ordine LIII. Scripſit ad Henricum Franciæ Regem,

*Epiſtolam de Corpore & Sanguine Domini*, contra *Brunonem* Epiſcopum Andegavenſem, & *Berengarium* ejus Archidiaconum. Ita *Claudius Robertus*, in ſua Gallia Chriſtiana, & *Aubertus Miræus* ad Sigebertum de Scriptoribus Eccleſ. cap. CLIV. Nam alii eamdem Epiſtolam *Durando* Epiſcopo adſcribunt. Extat autem in Bibliotheca PP. Lugdunenſi Tom. XVIII. pag. 531. & in Analectis Mabillonii Tomo IV. pag. 406.

Obiit hic Præſul anno 1075. ſepultus in Eccleſia Collegiata B. M. Huienſi, quam fundaverat.

## THEOFRIDUS,

Abbas Epternacenſis ordine XXIV. Ord. S. Benedicti, in ditione Luxemburgenſi, recreatiſſimi tum ingenii tum ſtili homo, ut legitur in Joanne Eneu, S. Theol. Doctore, & F. Joan. Scheckmanno libro 2. cap. 8. Geſtorum Trevirenſium, ubi & THIETFRIDUS ſcribitur, conſcripſit

*Vitam S. Willibrordi*, Fundatoris Cœnobii ſui, ibidem anno 739. die VII. Decembris vitâ functi. MS. Ibid. item apud Surium.

*Flores Epitaphii Sanctorum* libris IV. Luxemburgi, cum *Notis Joannis Roberti* S. J. 1619. 4.

*Sermones II. de Sanctorum reliquiis & veneratione.* Extant in Bibliotheca PP. Lugdun. Tomo VIII. pag. 587.

Obiit anno reparatæ ſalutis 1110. die 4. Aprilis.

## THEOPHILUS BERNARDINUS,

Sedanenſis, Gallus, è Societate Jeſu Theologiam Moralem & Controverſias docuit apud Belgas, ubi & proveƈtiorem ætatis ſuæ partem tranſegit, ſcripſitque

*De Perſeverantia: & ſpeculum Perfectionis Religioſæ.* Antver. typis Nutii, 1622. 4.

*Inſtitutionem Vitæ*, ſive *de optimo Vitæ Statu certam deliberandi viam.* Ibidem typis Plantinianis 1622. in 8.

*De SS. Florentio, ejuſque ſocio, Martyribus*, quorum reliquiæ Româ Atrebatum adveƈtæ, ibidem in Collegio S. J. religioſè adſervantur.

*De Virtutum acquiſitione.* gallicè. Tornaci, 1615. 12.

*Cynoſuram Chriſtianam*, ſive *de eligendo Vitæ Statu*, item Gallicè. Leodii, 1616. 12.

*Praxin bonarum intentionum*, gallicè, quam *Engelbertus Deſ-Bois* Namurcen-

sis dein Episcopus anno 1620. Viennæ Austriæ latinam reddidit, italicam vero *Augustinus Fornellus*, Romæ 1617.

Obiit Atrebati anno 1625. ætatis LVI. Religionis XXXII.

## THOBIAS ROELSIUS,

Medioburgensis sive Middelburgensis in Zelandia, Doctor Medicus, scripsit

*Epistolam ad Carolum Clusium de certis quibusdam plantis.* Subjungitur Historiæ rariorum Plantarum ejusdem Clusii.

## THOMAS CANTIPRATANUS,

Brabantus, Leeuwis S. Petri, celebri juxta Bruxellam municipio, è nobili genere natus est. *Cantipratani* nomen tulit à vico cognomine ac Cœnobio Cantipratensi, Ord. S. Augustini, vulgò *Cantimpré*, apud muros urbis Cameracensis tunc sito, in quo cum aliquando Canonicum Regularium habitum induisse verisimile est: tametsi natum eo in loco putet Aubertus Miræus in Originibus Canonicorum Regularium S. Augustini, ad annum 1186.

Cæterùm *Thomas* florentem tum maximè S. Dominici Ordinem, circa annum 1232. in Conventu Lovaniensi ingressus est: & Coloniæ Alberti Magni auditor, D. Thomæ Aquinatis condiscipulus (quem libro I. cap. XX. *nobilem adolescentem* vocat) Doctor Theologus est renuntiatus.

In patriam reversus, Supprior primùm & Lector fuit apud Lovanienses; pòst Nicolai Cameracensis Episcopi annos XXX. Suffraganeus fuisse existimatur. Sed alii scriptores id-ipsum negant, ac signanter *P. Guillelmus Seguier* Ord. Prædic. S. T. D. ad calcem *Insularum Belgic. Ordinis Prædic.* pag. 90. ac post eum P. *Echard* in sua Bibliotheca Tomo I. p. 250. ubi & Doctoratus ejus etiam in dubium revocatur.

Sunt etiam, inquit Trithemius, *qui scribant eum Græci sermonis habuisse notitiam, & libros Aristotelis, quorum jam usus in Scholis est, transtulisse.* Idipsum scribit in Catalogo Illustrium Virorum Germaniæ idem auctor, & Leander Albertus lib. IV. de Viris Illustribus Prædicatorum. Joannes verò Aventinus lib. VII. Annalium Bojorum *Huinrico Brabantino* versionem eam adscribit: nisi *Hainricum* illum & *Thomam* hunc unum & eumdem fuisse velis, quòd suspicatur Georgius Colvenerius in ejus Vita, & Brabantini nomine notiorem fuisse, quàm proprio. Sed nec illud prætermittendum, eumdem *Wilhelmum* dici à Christiano Massæo in Chronicis, ad annum 1269. de quo supra, & Colvenerius in Cantipratani Vita. Scripsit

*Vitam B. Christinæ*, Virginis, cognomento *Mirabilis*, quam obiisse scribit circa annum 1224. Apud Surium & Hagiogr. S. J. 23. Junii. Item

*Vitam B. Ludgardis*, Monialis Cistertiensis, in Aquiria Brabantiæ Cœnobio, libris III. Apud Surium Tomo III. VXI. Junii, sed mutato stilo; ut verò ab auctore ipso scripta legitur, ad S. Trudonem. Extat nunc edita in Actis SS. Junii per PP. Societ.

*Bonum Universale de Apibus* Libros II. in quèis Miracula & Exempla sui temporis enarrat. Duaci, 1597. 1605. & 1627. 8. typis Balt. Belleri, cum *Georgii Colvenerii* Theol. Duac. Notis, & Auctoris Vitâ. Eosdem in gallicum transtulit P. *Vincentius Williart*, Dominicanus Atrebas. 1650. Brux. in 4.

*De Natura vel causis Rerum*, libros XX. in quibus XIV. annos desudasse se refert Præfatione Operis de Bono Universali; exstiteruntque MSS. apud Georgium Colvenerium, S. T. D. Duac.

Adjecit idem auctor librum unum ad *Vitam B. Margaretæ de Oignies.* Aliaque plura scripsisse memoratur in præ-

fata Bibliotheca Scriptorum Dominican. P. Echard.

Sunt qui eidem adscribant *Vitam B. Mariæ Iprensis*, quæ annos XXI. nata, anno 1237. è vita decessit; nec stilus dissentit. Edidit eam cum Sanctis Ord. Prædicat. Hyacinthus Choquetius.

Cæterùm quo anno aut ætatis suæ, aut salutis generi humano partæ, *Thomas* obierit, adhuc incertum, neque ex Vita, quam ex Hagiologio Brabantinorum Joannis Gilemanni edidit Hiacinthus Choquetius, de Sanctis sui Ordinis agens, id liquet. Lipsius ait obiisse Lovanii die 15. Maii 1263. ibique inter Fratres Ordinis sui sepultum. Alii multò seriùs, nempe anno 1275. aut 1280. decessisse autumant.

## THOMAS DIACONUS,

Monachus Bergensis S. Winoci, Ord. S. Ben. descripsit *Bergensis opidi anno 1388, à Gallis direpti & accensi, ac Cœnobii sui calamitatem*. De quo incendio, deque captivitate Diaconi, primùm à Normannis, deinde à Burgundis, & tertiò ab aliis Gallis, Mejerus libro VIII. Annalium Flandriæ, ubi meminit quoque libelli à Diacono de hac sua calamitate scripti.

## THOMAS ERPENIUS,

Vulgò VAN ERPE, Batavus, nascitur Gorcomii, anno 1584. III. Idus Septemb. patre & matre Brabantis, Silvæducentibus. Prima litterarum tirocinia posuit Lugduni Batavorum, ibidemque studia absolvit Philosophica creatus anno 1608. Artium Doctor, simulque linguis Orientalibus dans operam, quod studium auspicatus erat potissimùm hortatu *Jos. Scaligeri*, qui jam tum facilè perspiciebat, quantum aliquando virum daturus esset. Unde institutâ peregrinatione in Galliam, Angliam, Germaniam, Italiamque, ubique admiratores sui invenit.

Venetiis Judæorum eruditorum ac Turcarum copiam nactus, præter Arabicam, etiam Turcicam, Persicam atque Æthiopicam linguas didicit, reversusque in patriam, Lugduni apud Batavos anno 1613. Linguæ Arabicæ & ceterarum Orientalium Professor à Curatoribus illius Academiæ constitutus fuit; Spartamque sibi oblatam egregiè adornavit, qua docendo, quà scribendo & excudendo, institutâ ab ipso *Erpenio* in propriis ædibus Typographiâ earumdem linguarum.

Vir fuit studii constantis & pertinacis, morum elegantiâ atque humanitate singulari præditus: talem certè ipse, quum anno 1621. ex itinere Gallico Lovanium deflecteret, coram expertum se fassus est Valerius Andreas in sua Biblioth. Belg. Uxorem duxerat anno 1616. *Jacobam Buys*, filiam Consiliarii in Curia Hollandica, è qua tres proles reliquit. Reges Hispaniæ atque Angliæ, itemque Archiepiscopus Hispalensis summam ejus in Linguis Orientalibus peritiam tanti æstimarunt, ut amplis honorariis propositis eum sibi addicere tentaverint. Sed vicit amor Patriæ, in qua constitutus fuit Interpres Litterarum aliorumque negotiorum, quæ inter Fœderatos Ordines & Principes Asiaticos aut Africanos gerebantur. Edidit

*Grammaticam Arabicam* libris V. explicatam. 1613. 4. typis Raphelingii.

*Annotationes in Lexicon Arabicum Franc. Raphelengii*, Ibid. 1613. fol.

*Proverbiorum Arabicorum Centurias* II. ab Arabe anonymo collectas & explicatas, cum sua & *Scaligeri* interpretatione ac *Notis*. 1614. 4. Item 1623.

*Locmani Sapientis Fabulas & selecta quædam Arabum Adagia, cum interpretatione Latina, & Notis*. Ibid. 1615. 8. typis Erpenii. Item Amstelodami 1636. & 1656. in 4.

*Testamentum Novum, Arabicè*, 1616. 4. ex Codice Monasterii S. Joannis in Thebaidos deserto; nunc Bibliothecæ Leidensis.

*Grammaticam Arabicam*, dictam *Giarumia*, cum versione *Erpenii*, & *Libellum de centum vocibus regentibus sive Linguæ Arabicæ particulis*, *Arabicè & Latinè*. Lugd. Bat. 1617 item 1636. 4. Prodierat jam ante Romæ typis Mediceis, sed admodum incorrecta.

*Canones de litterarum* Evi *apud Arabes naturâ & permutatione*. 1618.

*Rudimenta Linguæ Arabicæ*. Leidæ 1620 Paris. 1638. quibus Florilegium Sententiarum Arabicarum, ut & Clavim Dialectorum ac præsertim Arabicæ adjecit *Albertus Schultens* Groninganus, in Academia Lugdunensi Linguarum Orientalium Professor. Leidæ anno 1734 apud Luchtmans.

*Praxin Grammaticam*, & *Consilium de studio Arabico feliciter instituendo*. 1620. item 1628. Lugd. Bat. dein Paris. 4. 1638.

*Grammaticam Ebræam generalem* 1621. 8. Amstel. dein Genevæ 1627. item Lugd. Bat. 1659.

*Versionem & Notas ad Arabicam Paraphrasin in Euangelium S. Joannis*. Rostochii 1629.

*Grammaticam Chaldæam & Syram*. Amstel. 1628. in 8. Item Lugd. Bat. 1659.

*De peregrinatione gallica utiliter instituenda*, *Tractatum*. Lugd. 1631. in 12.

*Præcepta de lingua Græcorum communi*. 8. Lugd. Pat. 1662.

*Arcanum Punctationis revelatum*, sive De Punctorum vocalium & Accentuum apud Ebræos vera & germana antiquitate. 1624. 4.

*Orationes III. De Linguarum Ebrææ atque Arabicæ præstantia*. 1621.

*Pentateuchum* sive *Quinque libros Mosis*. Arabicè, 1622.

*Historiam Josephi Patriarchæ, ex Alcorano Arabicè*, cum Versione latina & *Notis*. Lugd. Bat. 1617. in 4.

*Psalterium Davidicum Syriacum*, cum versione latina *Erpenii*. Ibid. 4.

*Historiam Saracenicam Georgii Elmacini*, *à Machomete Pseudo-propheta usque ad initium Imperii Turcici*, Arabicè, cum versione Latina, Notis ac Tabulis Geographicis & Genealogicis *Erpenii*. 1622. fol. & Latinè tantùm, cum Notis, ibid. in 4. item Arabicè tantùm, in 8. Ibid. 1628.

Dum autem ulterius meditatur *Editionem Alcorani Arabicam, cum Notis*, item Bibliothecam Orientalem, moritur Leidæ anno 1624. ipsis Idibus Novembribus, triduo antè, in ipso Ordinum consessu, lue pestilentiali correptus, domumque delatus. Pro funere eum laudavit, quo-cum conjunctissimus vixerat, *Gerardus Joannes Vossius*. Plura quoque de *Thoma Erpenio*, ejusque scriptis vide apud Niceronum in Notitia Literaria Tomo V. Epitaphium ejus Leidæ ita habet.

THOMÆ ERPENIO,
Viro
In omni genere literarum eximio,
Orientalium Linguarum peritissimo,
earundemque in Alma Batavorum
Academia
Professori longè præstantissimo,
Librisque suis & Arabicis typis claro,
Vitæ integritate, pietate, probitate,
Modestiâ, morumque suavitate insigni:
An. M. D. LXXXIV. III. Id. Septemb.
Gorcomii in Batavis,
Bono egregio publici nato,
Ejusque incomparabili damno,
Lugduni Batavorum
In flore (heu) ætatis suæ
Idib. Novembris denato
An. M. D. C. XXIV.
JACOBA BUYESIA,
Amplis. & integerrimi
Hollandicæ Curiæ Senatoris
Joannis Buyesii
Monachodamensis J. filia,

Opt. & bene merenti conjugi
(Cum quo octennium ſine querela vixit)
Trium ex eo liberorum parens,
Contra votum mæſtiſſima poſuit.
Vale, vale dulciſſime,
Sit tibi terra levis.
Homo bulla. Ruit hora.

✣ ✣ ✣

*Legitur inſuper in Saxo ſepulchrali.*

THOMAS ERPENIUS
hîc
Fidelium
Reſurrectionem
Expectat.

## THOMAS FIENUS,

Joannis filius, itidem Medici, Antverpiæ natus eſt anno 1566. ipſo die, quem Salvator noſter abſoluto per mortem ſuam redemptionis myſterio ſacravit. Medicinæ operam potiſſimùm in Italia dedit, ubi præſtantiſſimos artis Medicæ Doctores, & ad æmulationem vetuſtatis eruditos audivit, *Hieronymum Mercurialem*, *Ulyſſem Aldrovandum*, *Joannem Coſtæum*, alioſque.

In Belgium reverſus anno 1593. primariam in Lovanienſi Academia Medicinæ cathedram, eodemque anno Lauream Doctoralem unà cum *Joanne Sturmio*, *Ger. Villerio* aliiſque adeptus fuit: factus inde Sereniſſ. Bavariæ Ducum ac Belgii Principum Medicus Cubicularius. Verùm redire maluit ad docendi provinciam vir præſtantiſſimus, & in Naturæ arcanis (unde artis ſuæ petit principia Medicus) ita verſatus, ut vix parem, ſuperiorem fortaſſis reperire fuerit neminem. Scripſit

*De Cauteriis & praxi eorum* libros V. Lovanii, 1598. 8. apud Zangrium, & Coloniæ, 1607. 8. apud Hieratum.

*De Viribus Imaginationis.* Lovanii, 1608. 8. apud Rivium. Leidæ 1635. & Amſt. 1658.

*De Cometa anni* 1618. Antver. 1619. in 8.

*De Viformatrice fœtus* librum ſingularem, quo oſtenditur contra Theologos quoſdam, Animam rationalem tertiâ die infundi. Ibid. 1629. 8.

*De Formatrice fœtus, adverſus Ludovicum du Gardin* Medicinæ Doctorem Duacenum. librum II. Lovanii 1624. in 8.

*Apologiam pro Animatione fœtus, adverſus Antonium Ponce Sanctæ Cruz*, Regis Hiſpan. Proto-Medicum. Ibid. 1629. in 8.

*Libros Chirurgicos XII. de præcipuis Artis Chirurgicæ Controverſiis*: nempe I. de Trepano ſive Apertione Cranii. II. de Depoſitione Cataractæ. III. de Depoſitione Ungulæ. IV. de Laryngotomia, ſive de ſectione Aſperæ Arteriæ. V. de Paracenteſi Thoracis. VI. de Paracenteſi Abdominis. VII. de Arteriotomia, ſive ſectione Arteriæ. VIII. de Hyſterotomatocia, ſive de ſectione fœtus ex utero viventis matris. IX. de Sectione Calculi. X. de Sectione Herniæ. XI. de Amputatione Membrorum externorum. XII. De Naſi amputatione ex carne brachii reſtitutione. *Opera poſthuma*, curis *Hermanni Conringii* Friſii, Med. Doct. primum edita, Francof. apud Tom. Matthiam Gotzium 1649. in 4.

*Diſputationem, an Cœlum quieſcat ac terra moveatur.* Liepſiæ.

*Semioticè, ſive de ſignis Medicis Tractatum.* Lugd. 1664. in 4.

Deceſſit anno 1631 Idib. Martii, æt. 64. ſepultus in D. Petri Lovanii.

## THOMAS GOZÆUS,

Bellomontanus Hanno, tertius in Scholis Artium Lovanii anno 1548. deinde primus Collegii Allobrogum, vulgo Sabaudiæ, Præſes, ac S. Th. Doctor renunciatus anno 1560. die XII.

Novemb. unà cum *Cunero Petri*, dein primo Leovardiensium Episcopo: ac paulò post ambo inter Facultatis Theologicæ Regentes adsumpti.

De *B. Augustini Operibus* optimè meritus est: quibus è MS. Codicibus recensendis & castigandis immortuus est anno 1571. die 8. Martii, apoplexiâ correptus in Abbatia Parcensi mensæ adsidens. *Gozæo* mortuo, *Joannes Molanus* Doctor Theol. manum iisdem Operibus admovit.

## THOMAS GRATIANUS,

Ordinis Eremit. S. Augustini per Belgium anno 1610. Præfectus Provincialis, Priorque Conventuum Leodiensis ac Tornacensis, optimè de Ordine suo meritus fuit. Edidit

*Anastasin Augustinianam*, sive *de Scriptoribus Ordinis Eremit. S. Augustini.* Antver. typis Verdussii, 1613. 8.

Decessit Antverpiæ anno 1627. XIII. Kal. Maii. professionis anno 55. apud suos in choro templi conditus.

## THOMAS HENRICI,

Luxemburgensis, S. Theol. Doctor & Professor in Academia Friburgensi, scripsit

*Doctrinæ Moralis libros* IV. potissimùm ex Senecæ & Plutarchi verbis, verè Christianis, concinnatos. Friburgi, 1628. 12.

## THOMAS HERBAIUS,

Frisius, J. C. & Ordinum Frisiæ Advocatus Fisci, vir, præter veterem & benè fundatam peritiam, Juris civilis anxiè diligens, edidit

*Rerum Quotidianarum* lib. 1. Arnhemii, 1614. 8. apud Jansonium. item 1697.

## THOMAS HERENTALIUS,

Brabantus, Ordinis Minorum Conventus Iprensis Guardianus, insignis eruditionis, & juris etiam peritiâ non vulgariter expolitus, patrio idiomate scripsit

*Speculum Vitæ Christianæ*, quo continentur Præceptorum Decalogi, Orationis Dominicæ & Sacramentorum Explanatio: latinè editum Antverp. 1549. 16. interprete *Tacito Nic. Zegero*, & Coloniæ, 1555. 8.

## THOMAS HYDUS,

Celeberrimi Collegii Wintonienſis in Anglia supremus Moderator; hinc fidei causâ ab hæreticis pulsus, primò Lovanii, demum Duaci constitit, ibique obiit anno 1597. Jacet in Ecclesia Sti. Jacobi in capella B. Mariæ Virginis sepultus. Scripsit

*Epistolam consolatoriam ad afflictos ob fidem Anglos.* Lovanii 1579.

## VENER. THOMAS A KEMPIS,

(Opidulo in agro & Diœcesi Coloniensi) cognomento MALLEOLUS, vulgò HAMERKEN, natus circa annum 1380. puer tredecennis Daventriæ ad Salam & artium liberalium & pietatis studia sectatus fuit in Collegio Fratrum Clericorum communiter viventium, sub disciplina *Florentii Radewini*, Fratrum Præfecti.

Inde Canonicis Regularibus in Monte S. Agnetis apud Zwollam, ditionis Trans-Isalanæ opidum, an. 1400. à fratre suo germano *Joanne*, qui primus titulo Prioris eidem Monasterio præfuit, adscriptus, probatusque per quinque annos, sexto demùm anno sacrum habitum induit, ac Religionem anno septimo professus est. In qua veri Religiosi omnes explevit numeros; functus Supprioris ac Procuratoris munere. Comis & affabilis omnibus, atque in primis vitæ innocentiâ sanctis-

moniaque conſpicuus erat; adeò ut plurimos ſui viſendi & audiendi cauſâ ad ſe attraheret.

Sermo illi omnis de Deo, ac ſacra Scriptura; cujus lectioni mirè addictus, Cellæque ſuæ ita amans fuit, ut hoc ſymbolum ſæpiùs uſurparet, libriſque inſcriberet: *In omnibus requiem quæſivi, ſed non inveni, niſi in angello cum libello.* Numquam otioſus, ſemper vel lectitabat aliquid, vel in communem uſum ſcribebat, vel pro inſtructione Fratrum commentabatur.

Obiit nonagenario major, VIII. Kal. Auguſti, anno partæ per Chriſtum ſalutis 1471. Profeſſionis LV. ſepultus in ambitu orientali Montis S. Agnetis.

Multa ſcripſit, à SS. Ignatio, Saleſio, Philippo Nerio, & Cardinalibus Bellarmino ac Baronio imprimis commendata, totiuſque orbis judicio ac teſtimonio comprobata, uno volumine excuſa, primùm Norimbergæ 1494. fol. deinde Pariſ. à Badio 1520. Venet. 1565. & 1569. Antverp. typis Nutii, 1574. & 1580. 8. ac tandem ex recenſione *Henrici Sommalii* S. J. qui libellos omnes diſtribuit in tres Tomos, ibid. 1615. 8. item Duaci, typis Belleri, 1635. 8.

TOMO I. continentur *Sermones ad Novitios XXX.*

*Sermones ad Fratres XLV.*

TOMO II. *De Imitatione Chriſti* libri IV. verè aurei: non latinè ſolùm, ſed & græcè, interprete *Georgio Mayr*, è Societ. Jeſu, Auguſtæ Vindel. 1615. item germanicè, gallicè per DD. Dubeuil, le Tourneux, Bellegarde, Choiſy &c. etiam eleganti rythmo gallico per *Petrum Corneille*, plus quam 32. vicibus editos. Hiſpanicè per P. Ludovic. Granatenſem, & Italicè, ſæpiùs prodiêre, imò & Bohemicè, interprete *Balthaſare Oſthovino*, Bohemo, è Societate Jeſu; Hungaricè, interprete *Petro Pazmani* ejuſdem Societ. S. R. E. Card. Arabicè interprete *Cœleſtino à S. Liduina* Carmelita Diſcalceato Belga; Turcicè, aliiſque linguis. Fama eſt, Regem Mauroceuſem, Religioſo cuidam ad aulam ſuam pro redimendis captivis adventanti, oſtendiſſe in Bibliotheca ſua *Imitationem Chriſti* in Turcicum vulgarem ſermonem tranſlatam: cui & teſtabatur Princeps Mahumetanus, ſeſe hoc Opuſculum omnibus aliis libris ſuis præferre.

Porro libros *de Imitatione Chriſti* celeberrimos, omniumque conſenſu piiſſimos, fruſtra contenderunt nonnulli *Venerab. Thomæ à Kempis* detrahere, ut eos vel *Joanni Gerſono* Theologo Gallo, vel *Joanni à Geſſen* ſeu *Gerſen* Abbati Vercellenſi Italo aſſignarent. Qui tamen eo ſcripti ſunt ſtylo, qui homini neque Gallo neque Italo, ſed Belgæ tantum poſſit competere. Ex: gr: cum cap. 1. Author pro dictione *memoriâ tenêre*, loquendi modum *ſcire exterius* adhibet; *ſi ſcires totam Bibliam exterius*; cum pro adjectivo *facilis*, utitur vocabulo *levis*, &c. quæ omnia fuſiùs explanavit *P. Heribertus Roſweydus*, S. J. in *Vindiciis Kempenſibus*.

Scripſit has anno 1627. contra *P. Conſtantinum Cajetanum*, Benedictinum Montis-Caſſini, qui ab anno 1616. libros de Imitatione Chriſti, ſub nomine *J. Gerſen* Romæ edi curaverat. Poſtmodum venerunt in ſubſidium Cajetani, *Franciſcus Walgrave*, Anglus, *Robertus Quatremaires*, *Franciſcus Delfau*, & *Joannes Mabillon*, Galli, omnes ex Ord. S. Benedicti; qui poſtremus inſuper Controverſiam omnem quæ de Authore librorum de *Imitatione Chriſti* hactenus fuit, deduxit hiſtoricè anno 1677. Extat rurſus inter Opera poſthuma Mabilloni, per Vincentium Thieullier ejuſdem Ord. Monachum collecta, Tomo I.

Inſuper *Joannes Launoius* Doctor Theologus Sorbonicus anno 1650.

*Diſſer-*

THOMAS KEMPENSIS, CANONICVS
REGVLARIS ORD. S. AVGVSTINI.

*Vita tibi in latebris ſemper fuit, inque libellis,*
*Nunc quoque ſi liceat delituiſſe velis;*
*O iubar, ò Belgi darum decus, ò noua priſcæ*
*Lux fidei, et vitæ lex imitanda piæ,*
*Magne Thoma, æterni conſtans imitator Ieſu,*
*Quod tua, vel Mauro iudice, ſcripta probant.*

*Max. Vrintius Gandensis.*

Digitized by Google

*Dissertationem* dedit *de Authore eorumdem librorum.*

Pro Thoma à Kempis scripsere imprimis *Jacobus Sirmundus*, S. J. pluresque Canonici Regulares Congregationis S. Genovevæ, quos inter *Joannes Fronteau*, Academiæ Paris. Cancellarius, edidit 1650. *Refutationem eorum quæ contra Th. Kempensis Vindicias scripsere Rob. Quatremaires & Joan. Launoy.* Accessit judicium supremæ Curiæ Parisiensis (*Arrestum*) datum 12. Febr. 1652. quo Canonicis Regularibus permissum fuit edere *Libros de Imitatione Christi*, apposito nomine *Thomæ à Kempis*; simulque prohibetur omnis editio sub nomine *Joannis Gersen.* Postmodum anno 1671. coram Archiepiscopo Paris. indictoque plurium eruditiorum arbitrorum conventu, producta fuere in favorem Benedictinorum Manuscripta XIII in quibus nomen *Jo. Gersen* notabatur.

Hæc & alia plura lege apud Mabillonum, loco supra citato. *Ludov. Ellies du Pin*, Tomo XI. Biblioth. Authorum Ecclesiast. cùm longâ Dissertatione singulorum utrimque attulisset discussissetque Judicia, incertum relinquit, quis verus sit *Librorum de Imit. Christi Author*: applicans Terentianum istud: *Incertior jam sum multò, quam dudum.*

Tandem ab annis non ita multis resuscitata fuit hæc controversia in Germania, inter P. *Thomam Erhard*, Benedictinum, qui libros *de Imitatione Christi* edidit anno 1724. sub nomine *Joannis Gersen de Canabaco Abbatis Vercellensis &c.* & *P. Eusebium Amort*, Ecclesiæ Colleg. ad S. Crucem Pollingæ Canonicum Regularem, Bibliothecarium, ac S. Th. Professorem, qui evulgavit *Plenam ac succinctam Informationem de statu totius Controversiæ, quæ de Authore libelli de Imitatione Christi, inter Thomæ Kempensis Canonici Regularis, & Joannis Gersenis Ordinis S. Ben. patronos, jam à centum annis agitatur; ubi simul utriusque partis argumenta juxta leges artis criticæ expenduntur.* Augustæ Vindelic. 1725. in 12.

Cæterum Latiniores fecit hos *Thomæ* libellos *Franciscus Artopæus* Tolensis; quod ante illum præstiterat *Sebastianus Castalio*, sed malâ fide: libro IV. qui de Sacramento Eucharistiæ tractat, impiè & sacrilegè sublato, prout hodiedum faciunt heterodoxi; licet ejusdem Authoris esse fateantur.

Prodiit etiam nuper Augustæ Vindelicorum, authore *P. Georgio Tusero*, Societatis Jesu, *Summa Theologiæ Mysticæ Venerabilis Servi Dei Thomæ à Kempis, Canonici Regularis S. August. ex IV. Libris de Imitatione Christi, servatis ubique ipsius Authoris verbis, accommodata tribus viis Vitæ spiritualis* &c. apud Ant. Bissonum. 1726. in 12.

In secundo autem Tomo Operum Thomæ à Kempis, extant etiam sequentia, pari semper stylo:

*Soliloquium Animæ.*
*Hortulus Rosarum.*
*Vallis Liliorum.*
*De tribus Tabernaculis.*
*De disciplina Claustralium.*
*De fideli Dispensatore.*
*Hospitale Pauperum.*
*Dialogus Novitiorum.*
*Spiritualia Exercitia Religiosorum, duplicia.*
*Doctrina Juvenum.*
*De vera cordis compunctione.*
*De Solitudine & Silentio.*
*De recognitione propriæ fragilitatis.*
*Epitaphium seu Enchiridion Monachorum.*
*Manuale Parvulorum.*
*De elevatione mentis ad quærendum summum bonum.*
*Alphabetum parvum Monachi in Schola Christi.*
*Consolatio Pauperum & infirmorum.*

*Orationes piæ ac devotæ.*
*De Mortificatione sui ipsius.*
*De Humilitate.*
*De Vita bona & pacifica.*
*De Vita boni Monachi.*
*Hymni & Cantica Spiritualia.*
Tomo III. *Vita B. Lidewigis Virginis.*
*Vita Gerardi Magni*, Institutoris Fratrum Clericorum in communi viventium: item *D. Florentii*, & discipulorum utriusque, *Joannis Gronde*, *Joannis Brincherinck*, *Luberti Berneri*, *Henrici Brune*, *Gerardi Zutphanienſis*, *Amilii Burani*, *Jacobi de Viana*, *Joannis Cacabi*, vulgò *Ketel*, *Arnoldi Schoonhovii.*

*Epiſtolæ VI.* utiles & religioſæ.

*Epiſtola* ejuſdem *De pia memoria Defunctorum* citatur à *Joanne Mauburno* in Roſeto Exercitiorum Spiritualium, Tit. XII. Alphabeto xxxv. ab aliquibus Gerſoni inſcripta: ſed patulum eſt (inquit Mauburnus) quòd non ſit ejus.

His poſtremò acceſſit *Chronicon Monaſterii S. Agnetis*, edente *Heriberto Roſweido*. S. J. Antverp. 1622. 8. apud Belleros fratres.

Oſſa Venerabilis *Thomæ à Kempis* circa annum 1672. juxta certiſſima indicia effoſſa, ac ex Monumento Cœnobii Montis S. Agnetis apud Swollam, ubi hactenus quieverant, Swollam religioſè tranſportata, in tuto ac religioſo loco, ubi gratum odorem non ſemel ſparſiſſe comperta ſunt, piè aſſervantur. Videantur Acta authentica, quæ *P. Daniel Papebrochius* in Paralipomenis ſuis ad Propylæum Maii pag. 108. inſeruit, veluti *digna, quæ poſterorum memoriæ commendentur, aliàs non facilè* (ut ait) *in Actis SS. locum habitura.*

## THOMAS LEONARDI,

Moſætrajectinus, ex Ordine FF. Prædicatorum S. T. D. Hic 22. ætatis ſuæ anno, raro exemplo, Duaci Philoſophiam docere cœpit, ejuſque repetitum curſum emenſus, ad Magiſterium ſtudii Lovanii, & Regentiam ſecundariam conſecutivè promotus fuit. Anno 1628. Licentiæ, & anno 1642. Doctoratûs gradum aſcendit, & biennio poſt in Magiſtrorum S. Theologicæ Facultatis Regentium, collegium, Lovanii cooptatus fuit. Præter orationem, & ſtudium nihil ei cordi erat. Undè ſextò ſtudiorum generalium in ſuo Ordine Regentiam laudabiliter obivit.

Ex continuis tot annorum ſtudiis, licet optimæ complexionis eſſet, in pertinacem ac deſperatum morbum incidit, à quo, ex medicorum conſilio, ſanari non poterat, niſi ſtudiorum interruptione. Eo igitur tempore, authoritate apoſtolicâ, in Priorem Bruxellenſem inſtitutus fuit anno 1636.

Cum jam Conventum Bruxellenſem binâ vice, totidem Lovanienſem ſummâ prudentiâ & manſuetudine rexiſſet, multos vitæ ſuæ annos, nempè a XXII. uſque ad LXVIII. (excepto tempore, quo Bruxellis præfuit) ſtudiis, ac eruditis diſputationibus, tum Duaci, tum Lovanii impendiſſet, anno 1668. in Provincialem electus fuit, eodemque anno in actuali viſitatione Conventûs Brugenſis obiit Kalendis Septembris, ætatis ſuę anno LXXII.

Scripſit *Theſaurum gratiarum ſacri Roſarii*, cum appendice *de Confraternitate SS. Nominis Jeſu.* Bruxellis typis Martini de Boſſuyt annis 1640. & 1643. Lovanii typis Hieronymi Nempæi anno 1646. Opuſculum hoc in gallicum vertit P. Thomas Parmentier S. T. Lic. Conventûs Branienſis.

Libellum, cui titulus: *Chriſtus crucifixus, ſive de perpetua cruce Jeſu Chriſti* Bruxellis typis Mart. Boſſuyt 1648. in 12. Lovanii typis Nempæi 1649, quem in flandricum vertit P. Joannes Blitterſwyck, Carthuſianus, Mo-

nialium ſui Ord. Brugis Oeconomus. In gallicum verò P. Traum Ord. Pręd. S. T. D. Gallus, Bruxellis habitans. Ibidem typis Martini Boſſuyt anno 1648.

*Angelici Doctoris D. Thomæ Aquinatis Sententiam de prima hominis inſtitutione, ejus per peccatum corruptione, illiuſque per Chriſtum reparatione, tribus libris comprehenſam, adverſus Joannem Georgium Dorſchæum, Doctorem Lutheranum, per 27. annos Profeſſorem Theologiæ, & Conſiſtorii Provincialis Aſſeſſorem primarium Roſtochii: qui gloriabatur, ſe Thomam* (AQUINATEM) *exhibere Confeſſorem veritatis Euangelicæ, Auguſtanâ* (uti aiebat) *Confeſſione repetitæ. Ad SS. D. N Alexandrum VII.* Bruxellis typis Baltazaris Vivien anno 1661. in folio. Horum Principum Mecklenburgenſium unus, mortuo Dorſchæo, cum Thoma Leonardi ad aquas Spadanas coram egit, & in Galliis laudatiſſimo exemplo, ejurato Lutheraniſmo, fidem Catholico-Romanam amplexus & profeſſus eſt.

Prohibitus fuit tamen liber iſte per S. Congreg. Indicis Romæ die 8. Martii 1662; eò quod Author inter alia abſque Apoſtolicæ Sedis licentia de Auxiliis divinæ Gratiæ pertractaſſet; ac etiam nonnulla addidiſſet (à pag. 126. uſque ad 134.) de Conceptione B. M. V. ejuſque Feſto, quæ SS. Pontt. Conſtitutionibus adverſantur. Factâ autem correctione permiſſus Romæ, die 18. Junii 1680.

*Confutationem cujuſdam libelli hæretici, cui titulus: Capucinus excaputiatus.* Quem ediderat Joannes ab Hamerſtede Miniſter Calviniſta Moſætrajecti. Prodiit hæc Confutatio Lovanii typis Hieronymi Nempæi anno 1662. in 8. ſuppreſſo tamen nomine Authoris: ne ab acatholicis Moſætrajectenſibus malè exciperetur. Sed nec propter hoc Author illius fuit ignotus: nam poſtea, dum conſanguineos inviſeret in eadem Civitate, ab adverſariis quæſitus, ad carceres deducendus, à fideli quodam Catholico admonitus, fugâ libertati ſuæ conſulere coactus fuit.

Quædam huic operi oppoſuit Hamerſtedius; ne primo ictu proſtratus videretur. Sed ſtatim ei reſpondit P. Mag. Leonardi in ſuo libello, cui titulum præfixit: *Unicæ Chriſti ſponſæ, id eſt, Catholicæ ſub Pontifice Romano Eccleſiæ integritas, & ſanctitas denuò aſſerta. Itemque Calviniſmus de violatæ myſtici thori fide clarè convictus . . . . . adverſus ſpuria vitulamina cujuſdam Joannis Hamerſtedii, Trajecti ad Moſam concionatoris pſeudo-reformati.* Lovanii typis Hieronymi Nempæi anno 1664. in 8.

Illius etiam operâ prodiere P. Marci de los Huertos Ordinis Prędic. *Quæſtiones in univerſam Dialecticam*, in plurimis emendatæ. Duaci typis Baltazaris Belleri anno 1622 in 8.

## THOMAS LINEUS,

Vulgò VLAS, Gelder, patriâ Bommelenſis, ſed Lovanii ſtudiorum cauſſâ agens, *Buſchius* ſive Silvæducenſis audire maluit, eò quòd tunc Bommelia Burgundicum jugum excuſſiſſet, ibidemque titulo Juriſconſulti anno 1536. donatus eſt. Fuit poſtmodum Domus Naſſovicæ Conſiliarius Bredæ. Scripſit

*Orationem in laudem Belli.* Pariſ. apud Wechelum, 1531.

*Annotationes in Inſtitutiones Juris Juſtiniani.* Francofurti 1553. fol. apud Egenolphum.

## THOMAS MASSOTTE,

Epiſcopalis Curiæ Leodienſis & S. Inquiſitionis Notarius pragmaticus, ſcripſit

*Speculationum Notarii Publici libros V.* Leodii, apud Guil. Sapidum, 1601. 8.


image
not
available

eum *Apologia pro Litaniis & cultu Sanctorum*, Bruxellæ, apud Velpium, 1598. Antverpiæ typis Plant. 1609. Notatur in Indice librorum prohib.

*Narrationem Expeditionis Sereniſſ.* ALBERTI *Archiducis ad Ambianum.* Bruxellæ, 1597.

*Legationem* Franciſci de Mendoza, Almirantii Aragoniæ, *ad Cæſarem, Poloniæ Regem, & Ferdinandum Archiducem.* Ibid 1598.

*Epiſtolam ad Sereniſſimum Rainutium Parmæ & Placentiæ Ducem, de Morte Alexandri Farneſii &c.* Mediolani, 1595. & Coloniæ, typis Arn. Mylii, 1598.

Collegit etiam *Orationes Funebres variorum in obitum Alexandri Farneſii*, Ducis Parmæ &c. Ibid.

Brabantico idiomate edidit *Domum Conſcientiæ, De modis & remediis rectè vivendi & moriendi.* Bruxellæ, 1620. apud Hub. Antonii.

*Reſponſum ad Quæſtiones controverſas inter Catholicos & Hæreticos.* Antverpiæ apud Verduſ. 1611.

*Veridicum Chriſtianum.* Ibid. 1611. & auctiùs Bruxellis, apud Hub. Antonii, 1616.

*Excitatorium Catholicum*; ad hæreticos. Lovanii, typis Flavii, 1612. 8. Et *Anatomiam* ſive *Apologiam pro eodem*, adverſus *Abrah. Coſterum*, Miniſtrum hæreticum, ſub nomine *Adriani van Loo.* Ibid. typis Haſtenii, 1619. in 4.

Poſtremò gallicè dedit *Inſtructionem & Praxin Militis Chriſtiani*, typis Plant. 1590. 12.

*Teſtamentariam diſpoſitionem & Codicillos*, in favorem ejuſdem. Lovanii, typis Haſtenii, 1622. 8.

## THOMAS STAPLETONUS,

Henfildanus, in Suſſexia Angliæ Provincia nobilibus natus parentibus, operam litteris dedit Cantuariæ & Wintoniæ: Philoſophiam Oxoniæ didicit & docuit. Donatus inde Canonicatu in Eccleſia Cathedrali Ciceſtrienſi, ſub Maria Regina, à morte ejuſdem, potiente rerum Eliſabethâ, unà cum parentibus trajecto mari Lovanium commigravit. Sacris hîc litteris, ut & Pariſiis poſtmodum, gnaviter incubuit; Romamque devotionis ergò profectus, Lovanium ubi rediit, mox animum ad ſcribendum applicuit adverſus peſtilentis cathedræ inſeſſores, & ſuæ gentis hæreticos.

Naſcente Academiâ Duacenâ Theologiam primò Aquicincti docuit, tum anno 1566. renunciatus eſt S. Theol. Doctor, unà cum gentili ſuo *Guilielmo Alano*, dein S. R. E. Cardinale & Machlinienſium Archiepiſcopo nominato, necnon *Joanne Rubo* & *Matthia Boſſemio*; cujus quadrigæ ſummam eruditionem ſcripta typis edita teſtantur. Cum eodem *Alano* Regius conſtituitur Profeſſor, & Canonicus in D. Amati, favente *Matthæo Galeno* Præpoſito. Duaco profugus ob tumultuantem iſtic plebem, iterum Romam adiit, rediitque, rebus Duaci compoſitis, ad Profeſſionem Theologicam: donec anno 1590. Lovanium ad Profeſſionem S. Scripturæ Regiis auſpiciis evocaretur, ubi & inter Octo-Viros S. Facultatis Regentes adlectus eſt.

Paulò poſt Decanalem dignitatem Eccleſiæ Hilvaribecanæ (in territorio Silvæducenſi) à Sanctiore Bruxellis Senatu obtinuit. Romam dein à Clemente VIII. Pont. ejuſque nepote Cardinale Aldobrandino evocatus eſt, galero Cardinalitio (ut dicebatur) aut aliâ certè magnâ dignitate donandus. Sed ſenio podagriciſque doloribus confectus, vitæ curſum conſummavit Lovanii anno 1598. die XII. Octobr. anno ætatis LXIII.

Multa ſcripſit, partim anglicè, partim latinè, in quibus & trium lin-

Digitized by Google

guarum Hebraïcæ, Græcæ ac Latinæ peritia non vulgaris, & pietas elucet Viri singularis, & ardens Catholicæ veritatis propugnandæ studium. Fuerunt illa primùm separatim edita, conjunctim verò Parisiis Tom. IV. 1620. fol.

Tomo I. *De Principiis Fidei doctrinalibus* libri XII.

*Defensio successionis Ecclesiasticæ.*

*Relectio Principiorum Fidei doctrinalium.*

*Defensio auctoritatis Ecclesiasticæ*, contra *Guil. Witakerum.*

*Triplicatio pro Ecclesiæ authoritate*, adversus eumdem.

Tomo II. *De Justificatione* libri XII.

*Speculum pravitatis hæreticæ.*

*Orationes Funebres*, *Academicæ*, *miscellaneæ*, *& Catecheticæ.*

*De Magnitudine Romanæ Ecclesiæ* libri II.

*De Primario subjecto potestatis Ecclesiæ.*

*De Conciliis & Primatu Pontificis Romani.* Extant denuo tres Tractatus præcedentes in Bibliotheca Maxima Pontificia P. Roccaberti Tom. XX.

*Propugnaculum Fidei primitivæ Anglorum.*

*De Protestantismo Dissertatio &c.*

Tomo III. *Antidota Euangelica. Antidota Apostolica in Acta Apostolorum. In Epist. Pauli ad Rom. & Epistolas II. ad Corinthios.*

Tomo IV. *Promptuarium Morale in Euangelia. Promptuarium Catholicum.*

*Tres* Thomæ, seu *Res gestæ S. Thomæ Apostoli*; *S. Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis ejusque Epistolæ*; *& Vita Thomæ Mori*, *ejusque Martyrium.*

Ejusdem Stapletoni est, sub nomine *Didymi Viridici Helfindani*, *Apologia pro Rege Catholico Philippo II. contra varias & falsas accusationes Elisabethæ Reginæ Angliæ.* in 12. Constantiæ apud Theod. Samium, anno 1591. Vide Placcium de Pseudonymis, pag. 604. Num. 1796.

Vitam *Thomæ Stapletoni* scripsit *Henricus Hollandus*, Anglus, S. Th. Licent. Duacenus, præfatis Operibus præfixam.

Sepultus est ad D. Petrum Lovanii, hoc Epitaphio.

Hic e regione sepultus est
Eximius D. ac Magister noster
Thomas Stapletonus,
Qui Ciceſtriæ in Anglia
Nobili loco natus,
Et Litterarum studiis
A parentibus addictus,
Cum in Collegiis Wiccamicis,
Primùm Wintoniæ, deinde Oxoniæ
Eum in Artium Liberalium
Disciplina cursum fecisset,
Ut magnam sui expectationem
Apud suos excitasset:
Ab ipso suo urbis Episcopo accitus,
Ecclesiæ Cathedralis Canonicus
Instituitur.
Sed paulò pòst,
Profanis hominibus
Omnes totius Angliæ Ecclesias
Per summum nefas invadentibus,
Eò quod ille in impias eorum Leges
Jurare constanter renuebat,
Loco cedere, & sibi fugâ
(Ut porerat) consulere coactus,
In has regiones concedens,
Duaci primùm constitit,
Ubi Catechisten ad tempus egit;
Donec tandem ad supremam
Magisterii dignitatem
Et Cathedram evectus,
Sacras Scripturas publicè
Summa cum laude interpretatus est.
Inde Lovanium
A sua Majestate Catholica evocatus,
In hac Academia
Sacræ Theologiæ Professor Regius,
In hac D. Petri Ecclesia Canonicus,
In Collegio Hiltvaribecensi
Decanus extitit.
Demum post quadraginta duos annos
In exilio transactos
(Quos ferè prælectioni

Aut ſcriptioni omnes impendit )
Ceſſit è vita,
Relictis laborum ſuorum monumentis,
partim Anglicè ad ſuos,
partim Latinè, in commune
totius Rei-publicæ bonum deſcriptis;
Quæ, quanta fuerit ejus induſtria,
Quanta animi pietas,
Quam accenſum Veritatis Catholicæ
propagandæ ſtudium,
Omnibus ea lecturis
Teſtatum facient.
Lovanii tandem in Brabantia
Sanctiſſimè diem ſuum obiit
XII. Octob. M. D. XCVIII.
Regnante in Anglia Elizabetha.

## THOMAS VERDONCK,

Turnhautanus, Canonicus Norbertinus Tungerloenſis, S. Theol. Lic. ejuſdemque Profeſſor in Romano S. Norberti Collegio, de Urbe nuncupato, ab Abbatia Tongerloenſi inſtituto; dein Paſtor Eccleſiæ B. M. Dieſtemii anno 1660. Evulgavit

*Orationem encomiaſticam in laudem S. Auguſtini.* Lov. 1646.

Item *Orationem*, cui titulus: *Norbertus Boanerges id eſt: Filius Tonitrui.* Lovan. 1647.

## THOMAS WORTHINGTON,

S. Theol. Doctor, Collegii Anglorum Duacenì Sacerdos alumnus, & poſtmodum tertius ejuſdem Præſes,

*Vetus Teſtamentum*, à Theologis hujus Collegii anglicè verſum, typis mandavit, Duaci 1609. & *Annotationes* per-utiles adjunxit. Hæc vulgo *Biblia Duacena* vel *Rhemenſia* vocantur, & ſola à Catholicis Anglis legi ſolent. Scripſit item

*Catalogum Martyrum in Anglia*, ab anno 1570. ad an. 1612.

*Anchoram Doctrinæ Chriſtianæ*, Anglicè &c.

Obiit in Anglia in agro Staffordiano anno 1626.

## THOMELLUS,

Elnonenſis Monachus ad S. Amandum, claruit anno 1070. Scripſit juſſu B. Rolandi Abbatis ſui,

*De Fundatione Cœnobii Elnonenſis, reparatione ac dedicatione:* & *De moribus Balduini Comitis*, ejuſdem reparatoris. Ex Chronico Elnonenſi MS. Vidit illud Mejerus, dum Annales Flandriæ ſcriberet.

## ☞ THOMELLUS,

Balduini cognomento Montani Flandriæ & Hannoniæ Comitis Secretarius, claruit circa annum 1070. ſcripſitque *Hiſtoriam Haſnonienſis Monaſterii* Ordinis S. Benedicti prope Valencenas. Hanc ex MS. Codice ejuſdem Abbatiæ primùm ediderunt anno 1717. PP. Benedictini Congregationis Gallicanæ S. Mauri Tomo III. Theſauri Anecdorum pag. 777.

Porro ſimilitudine nominum hallucinatum fuiſſe notant Valerium Andream, agentem de *Thomello* ſupra citato. Nam nullum habemus Elnonenſem S. Amandi Abbatem, Rollandum nomine, bene autem Haſnonienſem: neque Elnonenſis etiam Monachus extitit Thomellus, ſed Haſnonienſis.

Quin etiam ea quæ de Monaſterii ſui Fundatione ac Dedicatione, ac de Moribus Balduini Comitis ſcripto commendavit, Elnonenſi Cœnobio non conveniunt, ſed Haſnonienſi.

## TIALINGUS AB EYSSINGA,

Friſius, J. C. Franekerenſis, edidit.

*Commentarios* breves *in Inſtitutionum Juris Civilis* libros IV. Franek. 1594. 4.

## TILMANNUS BREDENBACHIUS,

*Matthiæ* filius (de quo ſupra) Embricenſis, è Cliviæ Ducatu, Doctor Theologus Colonienſis, Antverpiæ in D. Virginis, pòſt in D. Gereonis apud Ubios Canonicus, aſcetica quædam opuſcula edidit, & ab aliis conſcripta Latinitate donavit: ac patris exemplo *De negotio Fidei Epiſtolam* ſcripſit ad *Mart. Eiſingrenium*, cui in itinere Romano individuus comes fuit. Coloniæ, 1557.

*Antiperaſpiſten pro patris Hiperaſpiſte*, adverſus *Jacobum Andream*. Ibid. 1568. 4. apud Calenium.

*Modum extirpandarum hereſeón*. Ibid.

*Inſinuationem Divinæ Pietatis* libris V. Ibid. 1579. & 1588. 8.

*Collationum Sacrarum* libros VIII. Caſſiani & Cæſarii exemplo. Ibid. 1584. 1590. 1599. 8.

*Orationes de Purgatorio*, Ingolſtadii, 1566.

*Faſciculum Sacrarum Precationum*, ex Operibus *Lud. Bloſii*, Lætienſis Abbatis. Coloniæ, 1580. 12.

*Belli Livonici Hiſtoriam*, quod Dux Moſcoviæ adverſus Livones geſſit. Duaci, 1585. 8. & Colon. 1594.

E germanico verò ſermone latinè reddidit

*De Sacrilegorum vindictis & pœnis*, libellum. Coloniæ, 1565. 8.

*Mart. Eiſingreinii Apologeticum de certitudine Gratiæ*. Ibid. 1569.

*Michaelis Heldingi Epiſcopi Mersburgenſis, quondam Suffraganei Moguntini, Catechiſmum Catholicum in Conciones* 84. *diſtributum* &c. primùm latinitate donavit anno 1562. Coloniæ fol.

Obiit Coloniæ, anno 1587. pridie Nonas Majas.

## TILMANNUS AQUENSIS,

Ordinis B. M. Virg. de Monte-Carmelo, ſacram Theologiam Coloniæ docuit anno 1350, ſcripſitque, Trithemio teſte,

*In libros IV. Sententiarum.*
*In Euangelium Matthæi.*
*Quæſtiones Theologicas &c.*

## TIMÆUS FABER,

J. C. Leovardiæ Friſiorum anno 1578. natus, humaniorum litterarum diſciplinarumque tyrocinia & ſtili gravioris curam emenſus eſt in patria ac natali urbe. Hinc Juriſprudentiæ ſtudia Franekeræ tractavit, atque à diſceſſu Julii Beymæ, conſpirantibus in unum Curatorum ſuffragiis, ejuſdem Academiæ Anteceſſor conſtitutus eſt. Edidit

*Annotationum Juris* librum I. in quo Juris loca aliquot explicantur. Amſtelodami, typis Corn. Nicolai, 1608. 4.

*Diſputationes anniverſarias ad libros IV. Inſtitutorum Juris Juſtinianæi*. Lugd. Bat. 1612. & 1615. 4. & Franekeræ, 1622. 4.

Vitæ finem fecit anno 1623. XIII. Kal. Octobris, laudatus pro funere à Collega *Hectore Bouricio* J. C.

## TIMANNUS CUYCKIUS,

J. C. Harlemi natus eſt anno 1575. pridie Nonas Septembris: filius *Antonii Van Cuyck*, nepos *Jannis*, qui ambo fuerunt urbis Ultrajectinæ Conſules; ipſe vero ab anno 1611. Curiæ Provincialis ibidem Aſſeſſor, vivere deſiit anno 1625. ſepulturæ mandatus in Eccleſia S. Mariæ minoris. Dedit

*Annotationes ad Aymonis Cravettæ Reſponſa Juris*. Ultrajecti, 1623. 8. typis Joan. Dornii.

## TIMANNUS GESSELIUS,

Amersfortius, ſcholæ publicæ in patria ſub patre Conrector, dein Medicinæ

cinæ Doctor, ac Reipublicæ Neomagenſis Poliatros. Evulgavit

*Hiſtoriam ſacram & Eccleſiaſticam*, Ordine Chronologico digeſtam uſque ad annum 1625. (ſed veneno & invectivis contra Catholicos ſcatentem.) 4. Ultraj. 1659. Tom. II.

Item *Antiquam & veram fidem & ſolam ſervantem*, demonſtratam (ut Author ſibi imaginatur) *S. Scripturæ & SS. PP. teſtimoniis.* 4. Ultraj. apud Zylium 1664. Opus Romæ damnatum 15. Januarii 1714.

*Simplicitatem Fidei Chriſtianæ.* 4. Ultraj. 1666; ejuſdem genii, uti præcedens.

## TITUS A POPMA,

Eloſtanus, Friſius, *Sixti*, *Auſonii* & *Cypriani* frater, Coloniæ Philoſophicas & Mathematicas diſciplinas hauſit, indeque Lovanium deductus à matre, unà cum fratribus, Juriſprudentiæ operam dedit. Scripſit

*Tabulas in Sphæram & prima Aſtronomiæ elementa.* Coloniæ, 1569. 4. apud Theod. Graminæum.

*Caſtigationes in Epiſtolas Ciceronis ad familiares.* Antver. 1572. 16. apud Belleros fratres.

*Notas in Q. Aſconium Pædianum.* Coloniæ, 1578. 8.

*De Operis Servorum* librum ſingularem, typis Raphel. 1608. 8.

## TOSSANUS BRIDOUL,

Inſulenſis Flander, Societatis Jeſu, deceſſit in patria die 28. Julii 1672. Scripſit gallicè

*Gloriam mirabilium Deiparæ per ſingulos anni dies recurrentium.* 8. Inſulis 1640.

*Vitam Franciſci Cajetani Societ. Jeſu.* 8. Ibid. 1641.

*Vitam S. Florentii, Sacerdotis* 8. Lcodii 1653.

*Triumphum annuum Chriſti, per ſingulos anni dies.* 8. Inſulis 1659.

*Miracula à S. Franciſco Xaverio patrata Potami in Calabria.* Ibid. 1661.

*Itinerarium pro futura vita.* Ibid. 1663.

*Officinam ſacram piorum Artificum.* 12. Ibid. 1650.

*Illuſtre Noſocomium piorum cœcorum.* Ibid. 1670.

*Infernum clauſum per conſiderationem pœnarum damnatorum.* 12. Inſulis 1671.

*Paradiſum apertum per pietatem erga B. Virginem.* 12. Ibid. 1671.

*Scholam Euchariſticam ſtabilitam ſuper veneratione à brutis animalibus exhibitâ SS. Sacramento.* 8. Ib. 1672. Hæc etiam in Anglicum tranſlata prodiit Londini 1688.

## TURRIANUS LE FEBURE,

Duacenſis, natus anno 1608. dein Societ. Jeſu Sacerdos, ſcripſit gallicè

*Elogia Sanctorum*, in ſingulos anni dies. 8. Duaci 1639.

*Opuſcula varia.* Tom. II. 4. Duaci 1667.

*Vitam Cæſaris Cardinalis Baronii.* 8. Duaci 1668.

*Vitam B Bernardi Colnago Societ. Jeſu.* 8. Ibid. 1665.

*Vitam S. Franciſci de Borgia, olim Ducis Gandiæ.* 12. Ibid. 1671.

# V.

## VALENTINUS BISSCHOP,

BRugenſis Flander, natus anno 1586. dein Societatem Jeſu ingreſſus, vixit dudum Miſſionarius apud Batavos, ibique devixit anno 1636. Edidit linguâ vernaculâ,

*Encomium Virginitatis, & Inſtructionem Virginum Deo dicatarum*, Libris III. Antv. apud Verduſſ. 1625. & apud Joannem Cnobbaert 1626. & 1627. 8.

## VALENTINUS RANDOUR,

Hanno-Thulienſis, qui pagus eſt diſtrictus Bavacenſis, in Univerſitate Duacena quondam Regens Collegii Regii, dein anno 1633. S. Theologiæ Doctor renunciatus, ſimulque Profeſſor Regius, obiit ibidem anno 1653. Subortis in Belgio conteſtationibus, occaſione Libri Cornelii Janſenii Iprenſis Epiſcopi, Romæ condemnati, edidit pro ſua & Univerſitatis Duacenæ, erga Sedis Apoſtolicæ Decreta, obſervantia, hoſce libros.

*Veritas & æquitas Cenſuræ Pontificiæ Pii V. Gregorii XIII. Urbani VIII. ſuper Articulis LXXIX. damnatis*, propugnata conſtanter ac illuſtrata à Facultate Theologica Duacena antiquiore & recentiore: ſive *Antitheſes* deſumptæ digeſtæque ad Mentem S. Auguſtini, ex luculentis Commentariis Eximiorum Virorum DD. Guil. Eſtii & Franciſci Sylvii; quot ipſæ, tot rationes, cur Univerſitas Duacena Urbanam Bullam de his Articulis promptiſſimè acceptarit, in publicis Scholis promulgarit, iiſdemque affixerit. Duaci anno 1649. Cui libro ſequenti anno *Libertus Fromondus* S. T. D. Lovan. refutationem poſuit hoc titulo: *Lucerna Auguſtiniana* &c. (opus Romæ condemnatum.)

Oppoſuit autem *Randurius*; *Reſponſionem Seniorum Facultatis S. Theol. Duacenæ, adverſus Lucernam Auguſtinianam, ſane fumoſam ac famoſam, nempe ab Anonymo objectam contra Veritatem & æquitatem Cenſuræ* &c. fol. Duaci 1650.

Authore eodem prodiit: *Proteſtatio Doctorum S. Theol. Academiæ Duacenſis ad Leopoldum Archiducem, adverſus Cornelii Janſenii doctrinam: pro ſua erga Sedem Apoſtolicam & Bullam Urbani VIII. obſervantiâ.* Duaci 1648. Quam unà ſubſignarunt Doctores Theol. Georgius Colvenerius, Franciſcus Silvius, Theodorus Couwerden & Valentinus Randour.

*Epiſtolæ duæ Randuri Decani pro tempore S. Facultatis Theologicæ Duacenæ, ad Fulgentium*, (hoc eſt, Libertum Fromondum) *Emunctorii Lucernæ ſuæ authorem, ex Univerſitate Lovanienſi.* Datæ Duaci Kal. Auguſti & VI. Octobris 1650.

*Oratio contra Synopſin de Gratia*, (ſeu Catechiſmi de Gratia Pariſiis à quodam Janſeniano editi, atque è gallico latinè redditi per Samuelem Mareſium Calviniſtam Groninganum) *habita in Scholis Duacenis*, 14. *Maii* 1652. Ibid. in 4.

## VALENTINUS A STO. AMANDO,

Dictus in ſæculo BEECKMAN, Aloſtanus Flander, Ord. FF. B. M. de Monte Carmelo Religioſus, ac S. Theol. Profeſſor Lovanii, ſuique Ordinis Hiſtoriographus, & concionator facundus, tum Antverpiæ tum alibi libenter auditus. Fervente controverſiâ inter PP. Hagiographos Societatis Jeſu, & PP. Carmelitas; pro origine & antiquitate ſui Ordinis Eliani tuenda, ſuum quoque calamum ſtrinxit, ediditque ſequentia.

VALERIUS ANDREAS, DESSELIUS, I.U.D.
AC PROF. LOVAN. AUTHOR BIBLIOTHECÆ BELGICÆ
OBIIT 1656. ÆT. 68.

*Prodromus Carmelitanus*, sive P. Danielis Papebrochii Jesuitæ, Acta SS. colligentis, erga Ordinem Elianum sinceritas velitatim & remissè discussa, è majori Opere, *Helias Heroicus*, inscripto, excerpta. 8. Coloniæ Agripp. 1682.

*Heroïca Carmeli Regula*, à sancto Dei Propheta Elia, vitâ & exemplo tradita, ab Hierosolymitanis Patriarchis Joanne & Alberto conscripta, ab cujusdam mustei scriptoris (nempe P. *Papebrochii*) vilipendiis vindicata. 4. Colon. 1682.

*Pomum discordiæ*, sive diffidii inter P. Papebrochium origo, progressus, & fructus. 4. Ibidem.

*Harpocrates Jesuiticus*, Patrem Dan. Papebrochium Jesuitam salutaris silentii, debitæque Palinodiæ monens. 8. Ibid.

Vivere desiit Antverpiæ die 10. Januarii 1687.

## VALERIANUS REGNARTIUS,

Belga, Mathematicus, Romæ vixit, & ibidem edidit librum

*De Astrolabiorum & utriusque planisphærii, universalis & particularis, usu*, 1610. 4.

## VALERIUS ANDREAS,

Desselius, (*Desschel* Brabantiæ pagus, unà cum Molla municipio Balemioque Advocatiam ejusdem constituit) natus est anno 1588. v. Kal. Decembris. Litteris politioribus partim in patria, manuducente & docente *Valerio Houtio*, felici ingeniorum formatore, partim Antverpiæ institutus, triennium ibi totum *Andreæ Schotto*, Societ. Jesu Sacerdoti, viro doctissimo à manibus ac studiis fuit; qui illi ad Græcæ Linguę studium auctor & ductor. Hebraïcæ ibidem initia dedit *Joannes Haius*, Scotus, ex eadem Societate Theologus.

Philosophicis Duaci studiis navatâ operâ, vixit Antverpiæ in familia *Auberti Miræi* & *Francisci Scotti*; alteroque post anno Lovanium ad professionem Linguæ Sanctæ vocatus est, & Orationem auspicalem dixit in Auditorio Trilingui anno 1612. VI. Kal. Aprilis. Hîc Juris simul studia tractavit, & anno 1621. die XXII. Novembris supremum lauream Doctoralis titulum accepit, Regiusque Institutionum Imperalium Professor anno 1628. renuntiatus, demum anno 1638. II. Kal. Septembris Bibliothecæ Academicæ tunc recens institutæ Præfectus constitutus fuit: de cujus primordiis Orationem habuit auspicalem. Sed vel ob hoc solum æternâ memoriâ dignus, quod illustrium Scriptorum, quibus Belgium abundat, famam, editis eorum Elogiis, Librorumque Nomenclatore, perennaverit.

Duxerat ab anno 1621. uxorem *Catharinam Baecx*, Mechliniæ natam anno 1597. die 6. Maii, neptem *Adriani Baecx*, J.U.D. Lov. quę relictis filiabus duabus devixit anno 1640. die 27. Februarii, primа mortalium sepulta in sacello D. Carolo Borromæo dicato in D. Petri Lovanii.

Ipse autem *Valerius Andreas*, à viduitate electus iteratò Rector Magnificus, de Academia virisque Academicis optimè meritus, quorum Fastos descripsit, pluresque Commentarios, à se correctos, iteratis prelis subjici curavit, decessit Lovanii anno 1656. ætatis suæ LXVIII. Doctoratûs XXXV. Vir prisco morum candore & multiplicis doctrinæ laude supra omnem laudem. Sepultus in D. Petri Lovanii juxta conjugem sibi carissimam: laudatus pro funere à *Bernhardo Hymbachio*, Professore Historiarum Academico. Edidit aliquando

*Orthographiæ Rationem*, ab Aldo Manutio collectam primò, multis auctam. Cum libello

*De Ratione interpungendi ac Distinctionum Notis.* Duaci, typis Belleri. 1610. in 12.

*Petri Nannii in Artem Poëticam Horatii Commentarium* postumum, quem ex Prælectionibus ejusdem descripsit & supplevit. typis Plantin. 1603. 4. cum Horatio *Lævini Torrentii* Episc. Antv.

*Catalogum clarorum Hispaniæ Scriptorum.* 4. Moguntiæ 1607.

*Imagines Doctorum Virorum è variis gentibus, Elogiis brevibus illustratas* & à Val. Andrea publicatas. 12. Antv. 1611. fig. Porro hujus, ut & anterioris Opusculi, authorem postmodum pœnituisse apparet, cum neutrum in Bibliotheca sua Belg. velut suum recensuerit.

*De Initiis ac progressu Collegii Trilinguis Busleidiani; Deque Vita & Scriptis Professorum ejusdem Collegii.* typis Dormalii, 1614. 4.

*De Linguæ Hebraïcæ Laudibus, Antiquitate, Dignitate, Necessitate.* Ibid.

*Notas* uberiores *in Ibin Publii Ovidii Nasonis*, Poëma αἰτιολογικόν. Antver. 1618. fol. typis Nutii.

*Notas* breves *in Chimonopægnion* sive *Brumam Erycii Puteani.* Monachii 8. & Lovanii, 1622. 8. typis Hastenii.

*Dissertationem de Toga & Sago*, sive de litterata armataque militia. Coloniæ, 1618. 8. apud Kinckium, & Lovanii, typis Hastenii, 1625. 8. unà cum *Panegyri dictâ* D. Ivoni, *Jurisconsultorum & Togatorum Tutelari.*

*Topographiam Belgicam*: quâ Belgicæ seu Germaniæ Inferioris Provinciæ Urbesque breviter designantur.

*Bibliothecam Belgicam*: quæ Viros in Belgio Vitâ Scriptisque illustres continet, & librorum nomenclaturam. Lovanii, typis Henr. Hastenii, 1623. in 8. Ex hac editione exortum est bellum litterarium inter Authorem *Valer. Andream*, & *Franc. Swertium*; qui anno 1628. Antverpiæ edidit *Athenas Belgicas, sive Nomenclatorem Scriptorum inferioris Germaniæ.* fol. Præfando ad lectorem, item pag. 698. perstringit Swertius Valerium stylo nimium acerbo, quod in messem alienam involarit, quod leges amicitiæ violaverit, &c. Prodiit postmodum secunda hujus Bibliothecæ editio, Authore eodem *Val. Andrea*, duplo auctior, Lovanii typis Jacobi Zeghers, 1643, in 4.

Ac tandem, quasi tertiis curis, prodit hæc nostra *Bibliotheca Belgica*, è Nomenclatura *Val. Andreæ* potissimùm desumpta, quę tum ex aliis authoribus Bibliographis, tum è transmissis Elucubrationibus, & ipsa ad duplum excrevit: edita Bruxellis apud Petr. Foppens 1739. II. Vol. in 4.

*Fasti Academici Studii Generalis Lovanienſis*, in quibus & Cancellariorum, Conservatorum, Doctorum in qualibet Facultate series, Collegiorum fundationes, Præsides &c. Lovan. typis Corn. Coenestenii, 1635. in 4. dein curis amplioribus 1648. ibidem. Prohibiti tamen fuere hi Fasti per Congregationem Indicis Romæ die 13. Nov. 1662, donec correcti forent. Actum est annis nuperis de nova eorumdem *Fastorum* editione, meliore formâ & ad hæc usque tempora deducendâ, titulo Historiæ Universitatis Lovanienſis.

*Bibliothecæ Lovanienſis primordia*, cum *Oratione Auspicali* Kal. Octobr. anno 1636. habitâ & cum *Catalogo Librorum.* Ibid. typis Everardi de Witte 1638. 4. Opus meritò producendum, postea quam Bibliotheca ista, multis annis neglecta, denuo exurrexit anno 1720. è liberali donatione *Dominici Snellartii*, Canon. Grad. Antverpienſis.

*Synopsis sive Erothemata Juris Canonici*: libellus Lovanii sæpiùs editus, cui postmodum Programmata, Notas,

& Animadverſiones ſuas appoſuit *Adamus Struvius* J. U. Doctor Lutheranus, Jenæ anno 1675. (rurſum edita ibid. 1709. & Lipſiæ 1721.) ideoque Romę prohibita fuere Decreto Congreg. Indicis 19. Septembris 1679.

Præterea *Henrici Kinſchotii J. C. Reſponſa*, ſive *Conſilia Juris*, ceteraque Opera editioni adornavit. Ibid. typis Coeneſtenii, 1633. fol.

Item *Joannis Rami J. C. Commentarios methodicos ad Regulas J. U.* & Tractatum *de Analogia Juris & Facti.* Ibid. 1641. 4.

*Henrici Zoëſii & Petri Gudelini Commentaria in Jus Feudale*: item *Tractatus Gudelini de jure noviſſimo.*

*Henrici Caniſii Opera*, quæ de Jure Canonico reliquit, in librum V. Decretal. in Tit. *de Regulis Juris* lib. VI. *de differentiis juris utriuſque.*

*Zoëſii Commentarios ad Digeſta, Decretales, & Inſtitutiones Juſtinianæas*, additionibus auxit.

*Guillelmi Hannetonii de Jure Feudorum* lib. IV. cum Annotationibus brevibus *Pauli Chriſtinæi J. C.*, quibus & ſuas additiones adjecit.

*Lancelotti Inſtitutiones Juris Canonici.*

*Summa Juris Canonici*, ſummariis indicibuſque aucta.

*Andreæ Vallenſis Paratitla*, ſive ſummaria & methodica explicatio Decretalium Gregorii IX.

*Joannis Vendevillii Epiſcopi Tornacenſis Commentarius de principiis & æconomia librorum juris Canonici.*

Pluribus aliis Commentariis elucidandis, nempe *Mudæi*, *Corſelii*, tum etiam propriis ad Digeſta editioni parandis, ad extremos vitæ dies intentus fuit laborioſus *Valerius Andreas*: ſed communis fati lex conatus ejus reddidit imperfectos. Latent aliqua ejus MSS. apud abnepotem D. *de Coenen*, Vice-Conſulem Lovanienſem.

## VALERIUS GOUTHOVIUS,

Dordracenus, Batavus, patriciæ familiæ naſcitur anno 1577. primùm Trajecti ad Rhenum ſtudiis humanioribus initium dedit, hinc Coloniæ, Lovanii ac Dolæ, domumque reverſus animum Hiſtoriæ potiſſimùm patriæ illuſtrandæ adjecit. Obiit anno 1628. Dedit

*Chronicon antiquum & populare Hollandiæ* pluribus locis, præſertim Diplomatibus & genealogiis nobilium familiarum auctum, & cum Notis *Pet. Scriverii* excuſum Flandricè, primùm Dordraci 1620. dein Hagæ-Comitum 1636. in fol. Tandem Simon Van Leeuwen in vernacula ſua *Bataviæ antiquæ illuſtratæ*, *ſeu Chronici Hollandiæ* editione (anno 1685.) quidquid Gouthovius antea collegerat, hîc denuo inſeruit.

*Dordracenſis* adhæc *Urbis Deſcriptionem* abſolutam, quò minùs publici juris faceret, fata præpropera obſtiterunt.

## UBBO EMMIUS,

Grethæ, Friſiæ Orientalis vico, natus eſt anno 1547. patre *Emmone Dicken*, ibidem Miniſtro Lutherano, matre *Eliſâ Tjardâ*, Nordani Conſulis filiâ. Pueritiæ ac juventutis annos in ſcholis variis exegit, Embdæ, Bremæ, Roſtochii, atque Genevæ anno 1575. *Theodori Bezæ* auditor. Tum anno 1579. ſcholæ publicæ Nordanæ Rector conſtitutus, poſt biennium nuptias celebravit cum *Theclâ Tjabber*, eâque haud diu poſt defunctâ, ſecundas cum *Margaretâ à Bergen*, civis Embdani filiâ.

Reductâ verò poſtea Groningâ in poteſtatem Ordinum Fœderatorum, ad regimen Scholæ illius publicæ accitus eſt anno 1594. & in eo munere cum honore & fructu per annos xx. perſti-

tit, græcè latineque doctissimus, atque à Dordraceno ac Leovardiensi Magistratibus frustra ad scholas suas regendum invitatus: quia fidem dederat Groninganis, amploque salario remunerabatur.

Anno 1614. Illustres Frisiæ Ordines eum in Academiæ Groningensis initiis non solum ad Historiarum & Linguæ Græcæ Professionem, sed etiam ad primum illius Rectoratum magnificum capessendum evexerunt. Inter hæc, Princeps *Guilielmus Ludovicus*, Comes Nassovius & Frisiæ Gubernator, Viri hujus in consiliis dandis prudentiam sæpiùs expertus, eum ad se accersere, & per litteras in gravioribus negotiis consulere, in more positum habuit.

Tandem pulmonum ulcere correptus, sensim extinctus est Groningæ die 9. Decembris 1625, ætatis annum LXXIX. ingressus. Honorificum ei positum fuit monumentum in æde primariâ Groninganâ, additumque hoc Epitaphium, curante *Henrico Altingo*, *Emmii* quondam discipulo, & in Groningana Academia Theologiæ Professore.

Immortali Memoriæ
Clarissimi & pientissimi senis,
Ubonis Emmii,
Frisii Grethani:
Primi Academię Groninganæ
Rectoris,
Theologi sinceri, Philologi eximii,
Historici absoluti,
Viri prudentiæ singularis,
Qui per omnem vitam
Suâ sorte contentus,
Labore indefesso,
De Ecclesia, Republica, Patria
Quam-optimè meritus,
Verè piâ demum ac placidiss.
Morte defunctus,
Heic corpore quiescit.
Margareta à Bergen, vidua,
& liberi superstites,
Mœrentes H. M. P.

Vixit in terris ann. LXXVIII. dies IV.
Abiit in cœlos
Anno Christiano M. D. C. XXV.
Die IX. Decembris Jull.

Vitam ejus dedit *Martinus Hanckius*, de Scriptoribus Romanis, parte I. cap. 45. pag. 178. ubi & de scriptis *Emmii* disserit. Sunt autem hæc, pleraque Historiam Patriam illustrantia: in quibus tamen genium suum prodit, dum Ecclesiæ Romano-Catholicæ Antiquitates nititur obscurare.

*Opus Chronologicum novum, complectens Rerum Chronologicarum libros V. Canones Chronicos, & Chronologiam Romanam.* Groningæ 1619. in fol.

*Appendix Genealogica*, illustrando Operi Chronologico adjecta. Gron. 1620. fol.

*Vetus Græcia illustrata*, complectens Descriptionem Græciæ, res gestas Græcorum, statum Rerum-publicarum Græcarum. Lugd. Bat. apud Elzevirium. 1626. III. Vol. in 8. Tomus III. qui de Rebus-publicis agit, seorsim prodiit denuo apud Elzevir 1632. in 24. Totum autem hoc Opus insertum fuit per Gronovium Tom. IV. Thesauri Antiquitatum Græcarum.

*De Agro Frisiæ inter Amasum & Lavicam flumina, deque Urbe Groninga, in agro eodem, & de jure utriusque, Syntagma.* Groningæ 1605. in 8. iterumque ibidem 1646. *cum serie Magistratuum præcipuorum.*

*Rerum Frisicarum Historiæ Decas I.* Franek. 1596. in 8.

*Decas II.* Ibid. 1598.

*Decas III.* Ibid. 1599.

*Decas IV.* Arnhem. 1604.

*Decas V.* Groningæ 1607.

*Decas VI.* Lugd. Bat. 1616. Quæ omnes anno 1617. in novam auctioremque editionem coaluerunt, typis Elzevirianis in fol. cui pro *Decade VII.* accesserunt ejusdem *Emmii*

*De Frisia & Frisiorum Republica, de-*

*que civitatibus, foris & vicis inter Flevum & Vigurgim, flumina*, libri aliquot, cum Tabulis æneis.

Item *De Origine & Antiquitate Frisiorum, Veritatis Assertio*, contra Suffridum Petri, & Bernardum Furmerium. Iisdem typis Elzevirianis.

*Guilielmus Ludovicus Comes Nassovius*, seu de Vita, gestis & morte hujusce Comitis, Gubernatoris Frisiæ, Hollandiæ &c. cum schemate Genealogico Domûs Nassoviæ. Groningæ. 1621. in 4.

*Natales Academiæ, Illust. ac Potentûm Groningæ & Ommelandiæ Ordinum auspiciis erectæ in Urbe Groninga*; prout stylo *Ubbonis Emmii* primi ejusdem Rectoris, re recenti, accuratè consignati & descripti, in Archivis Academicis inveniuntur. Extant ad calcem libri, hoc titulo editi: *Effigies & Vitæ Professorum Academiæ Groningæ & Ommelandiæ.* Ibid. 1654. fol.

Addit P. Niceron Tomo XXIII. Notitiæ Virorum Literatorum pag. 45.

*Vitam & sacra Eleusina Davidis Georgii*, (de quo supra pag. 593.) *qui monstra pudenda errorum aut furorum veterum à se recocta mundo propinavit, ex libris ejus mysticis edita.*

Item *Responsionem ad Confutationem Danielis Hofmanni, quam contra Disputationes suas opposuit.* Herbornæ 1591. in 8.

*Historiam* quoque *Philippi Macedonum Regis*, quam ad annum XV. regni ejus deduxerat, aliquando edere meditabatur *Emmius*, in gratiam Ordinum Fœderatorum; ducto ab hoc Rege totam Græciam subjugare machinante, parallelo ad Philippum II. Hispan. Regem.

## VEDASTUS BIZE,

S. Th. Licentiatus & Ecclesiæ Fontanæ in Diœcesi Atrebatensi Parochus, scripsit

*De providentia Dei circa res temporales.* Duaci 1632. 8. apud Mart. Bogardum.

## UFFINGIUS, SIVE UFFO,

Worcomiensis, Frisius, Monachus Ordinis S. Benedicti in Cœnobio S. Ludgeri Vertinæ (vulgo *Werden*, in Germania) claruit circa annum millesimum. Scripsit

*Vitam S. Idæ, Viduæ*, 4. Septemb. apud Surium.

*Vitam S. Lucii*, Regis Britanniæ.

## VICTOR GELENIUS,

Ex erudita Geleniorum apud Colonienses familia, Ordinis FF. Minorum Capucinorum Scriptor ascéticus, ex Operibus *B. Joannis à Cruce* à se sæpius perlectis, evulgavit latinè

*Summam practicam Theologiæ mysticæ.* 4. Colon. 1646. & 1652.

## VICTOR GISELINUS,

Santfordiæ natus est, pago territorii Brugensis, Ostendæ proximo, anno 1543. (aliis 1549.) X. Kalendas Apriles. Primùm Brugis Flandrorum Litteris humanioribus operam dedit, & *Joannem Gelrium* præceptorem habuit: usus ibidem admodum familiariter *Arnoldo Laurentio Berchemo*, ex cujus etiam schedis suas in Prudentium Notationes locupletiores fecit.

Postea ad gravius aliquod studium arripiendum Lovanium venit. Vertente autem anno Parisios concessit: ubi in re Medica occupato alter effluxit annus, cùm concitatæ seditionis æstus è Gallia eum pepulit. Reducem itaque Lovanium habuit, ubi paullisper substitit.

Denique Dolæ apud Sequanos Medici Doctoris titulum cepit, *Lipsio* a-

micum publicè laudante, Oratione à Germanis editâ, cum aliis ejuſdem, quæ tamen *Lipſii* non ſunt. *Giſelini* verò animus ad humaniores litteras inclinabat magis, & libenter totum ſe iis voviſſet, niſi obſtitiſſet res anguſta domi.

Quantum itaque per horas ſucciſivas & curas graviores licuit, lectioni veterum Scriptorum, & præcipuè Chriſtianorum Patrum, tribuit: quorum pietate eruditâ confirmatus, ſtetit recto talo in turbis religionis jactatæ, nec ab Orthodoxa & Catholica fide dimoveri ratione ullâ aut ſuaſione potuit; tametſi à quibuſdam ad docendam in Academia Lcydenſi Medicinam ſub amplo honorario invitaretur. Bergenſe ſancti Winoci domicilium præelegit, ubi annos plures vixit & Medicinam factitavit. Condiſcipulus & æqualis fuit *Lipſii* & *Lernutii*, inter quos tres arctiſſimum amicitiæ vinculum, pluresque epiſtolæ mutuæ.

Obiit anno 1591. Diem autem & horam, quà moriendum ei eſſet, ex Artis Medicæ prognoſticis, litteris ad amicos miſſis, ipſe prædixerat. Scripſit

*Commentarium in Aurelium Prudentium*, ad MSS. codices reſtitutum. Antver. typis Plantin. 1564. 8.

*Notas & Chronologiam in Severi Sulpitii Opera*, cum MSS. comparata. Ibid. 1574. 8.

*Adagiorum Epitomen*, è *Junio*, *Gentio*, aliiſque, poſt *Eraſmum*. Ibid. 8.

*Epiſtolam de Hydrargyri uſu*, ad *Martinum Everartum*: typis Plantini, 1579. 8. cum *Joannis Fernelii* de Lue Venerea libro, à ſe primùm edito.

Reliquit *Carmina* varia, *Preces Liturgicas*, *Emendationes in Auſonium*, & moriens *Jano Lernutio* legavit: è quibus *Hymni Liturgici* editi ſunt à *Jacobo Lernutio*, Jani filio, Antver. typis Nutii, 1620. 12.

Laurentius Beyerlinck Antverp. Canonicus hoc ei cecinit Epitaphium.

*Cum nato certat Latonæ maſcula proles,*
*Vult ubi* VICTOREM *quilibet eſſe ſuum.*
*Phœbus ait, meus eſt: meus eſt, Epidaurius inquit:*
*Certant; Victorem vincit acerba quies.*

## VIGLIUS AB AYTTA, ZUICHEMUS,

Natus eſt in Barrhuſia, prædio paterno, ad medium à Leovardia Friſiæ metropoli lapidem, anno 1507. xv. Kal. Novembres, in ea familia quę inter Friſiæ primas & nobiliſſimas. *Zuichemi* cognomentum tulit ab avito ſimiliter prædio & municipio Zuichemenſi, agri Leovardienſis, ad primum ab urbe lapidem.

Primis litteris imbutus eſt Daventriæ, Hagæ-Comitum, Lugduni, & Lovanii circa annum 1522. uoi & Græcas in Collegio Trilingui Buſlidiano didicit, & prima Juris elementa accepit. Acceſſit ingenuæ indoli ingenium eminens, & ad ſumma quæque capaciſſimum. Studiorum formatorem, ac velut alterum patrem nactus fuit patruum *Bernardum Buchonem ab Aytta*, (olim Lovanii anno 1487. Primum in Scholis Artium, dein J. U. D. Senatorem Regium & & Hagienſis Eccleſiæ Decanum, qui anno 1528. deceſſit.)

Lovanio Dolam Sequanorum, circa annum 1526. conceſſit *Viglius*, ad majorem ingenii fructum capeſſendum; & per litteras *Deſiderio Eraſmo* innotuit: quæ illi in *Andreæ Alciati*, J. C. præſtantiſſimi, notitiam & amicitiam fores aperuêre. Itaque anno 1529. Avenionem ad Rhodanum fluvium ſe contulit; pulſumque inde ſæviente epidemicâ lue *Alciatum*, & Biturigas accitum, (poſtquam anno eodem, die octavo Maii, Valentiæ, quę Galliæ Academia eſt in Delphinatu non incelebris,

VIGLIVS ZVICHEMVS, FRISIVS, I.C.

*Atria Iustitiæ haud opus est servare dracones;*
*Pervigil est Diuæ Viglius ante fores.*
*Hinc illum ob vigiles animos, vigilesq; labores,*
*Præposuit summo Belgica Consilio.*

Fr. Raphelengius.

Digitized by Google

lebris, Doctoris insignia accepisset) secutus est. *Alciato* in Italiam revocato, cathedram ejus biennium tenuit & Biturigibus Jus Civile docuit.

Hinc in Italiam dum cogitat, celebres Germaniæ Academias visit: Friburgensem, & in ea *Desiderium Erasmum*, *Udalricum Zasium*, *Henricum Glareanum*; Basilcensem, in qua *Bonifacium Amerbachium*, *Sigismundum Gelenium* & *Hieronymum Frobenium*; Tubingensem, & inibi *Jacobum Jonam*, aliosque. Patavium ubi venit, *Franciscum Curtium* præceptorem habuit, & juvenis adhuc ac peregrinus (ut ipse alibi scribit) in Professorum numerum atque ordinem coöptatus est, anno 1532. atque Institutiones Justinianeas publicè prælegit, cum applausu fructuque audientium, ac stupore Italorum, hominis exteri ac Belgæ facundiam admirantium. Hîc annum unum substitit, & post XIV. annorum peregrinationem, patriæ amor animum subiit.

Dum redit, in itinere *Erasmum* Friburgi, *Frobenium* Basileæ de via salutavit, & Græcas Theophili Institutiones, è *Bessarionis Cardinalis* Bibliotheca Venetiis depromptas, typis ejusdem Frobenii edi curavit. In patriam reversum Franciscus Monasterienſis Episcopus anno 1534. Curiæ suæ constituit Judicem sive (ut vocant) Officialem; Carolus V. Cæsar anno 1535. Cameræ Imperialis Spirensis Assessorem; Guilielmus, Bavariæ Dux, 1537. Academiæ Ingolstadiensis Professorem, postquam similem conditionem sibi antea in Academia Regio-montana à Joachimo II. Marchione Brandeburgensi oblatam recusasset: quâ de re ipse ad Georgium Sabinum anno 1535. rationes suas perscribit, quò minùs adhuc è foro ad scholasticam illam docendi tranquillitatem redire tunc statuisset.

Post hæc, Maria, Belgicarum Provinciarum pro Carolo V. fratre Gubernatrix *Viglium* anno 1543 Belgio restituit, oblatâ Senatoriâ dignitate, in quocumque Consilio expeteret. Ac primùm quidem Assessor Consilii Sanctioris, tum eodem anno 1543 die 21 Maii ad Mechlinienſe Consilium nominatus, post paucos menses Mechliniâ Bruxellas, jubente Cæsare, ad Sanctius Consilium rediit, retento stipendio magni Consilii: indeque missus est Legatus in Germaniam ad Comitia Spirénsia.

Anno 1549 Kal. Januariis Carolus V. Cæs. *Viglium* Consilii Sanctioris Præsidem constituit; atque ut ejus authoritatem majori favore adjuvaret, Equestri eum honore insignivit. Postmodum quoque præfectus est illi, quod Consilium Statûs vocant, anno 1569. Fuit ad hæc Ordinis Aurei Velleris Cancellarius electus anno 1563. Postremò, elatâ uxore *Jacobâ Damantiâ*, Nicolai Brabantiæ Cancellarii sorore, Ecclesiasticum Statum amplexus est *Viglius*, ac Sacerdotio insignitus, *Lucæ Munich* ultimi Abbatis ad S. Bavonem Gandavi primùm Coadjutor, dein successor; primusque illius Ecclesiæ in Cathedralem evectæ Præpositus mitratus, à Cardinale *Antonio Granvellano* infulis insignitus fuit.

Ecclesiam suam piis fundationibus ac plurimis munimentis decoravit, Academiam Lovanienſem, structo sui nominis Collegio, non minùs liberaliter, quàm magnificè dotavit; natale solum novi Hospitalis beneficio perpetuò sibi demeruit. Tandem post longas vigilias, post indefessos labores, plenus dierum, plenus honorum, Regi fidus, patriæ carus, utilis omnibus, injurius nemini, magno sui relicto desiderio, decessit Bruxellis, anno 1577. postridie Nonas Maii, ætatis suæ LXX. sepultus in Ecclesia Cathedrali Gandavensi, in Mausolæo, quod construi ipse sibi vivens jusserat.

Moriens, condito paullò antè pridie Idus Martii Teſtamento, cognatos hæredeſque ſuos ita alloquitur: *Rogo autem enixè eoſdem, quos ego propriorum liberorum loco ſemper habui, ut amorem benevolentiamque fraternam inter ſe colere ac conſervare ſtudeant, mutuoque ſibi (ſi opus fuerit) adſiſtant, ac unuſquiſque honoris promotioniſque alterius curam eam, me mortuo gerat, quam ego vivens erga ipſos ſemper exhibui, hoc ipſis præcipuum Teſtamentum ac Mnemoſynon relinquens.* Quibus verbis videtur *Viglius*, Vir ſummus, alludere ad illa Salluſtii in Bello Jugurthino, ubi Micipſa: *Nunc quoniam mihi natura finem facit, per hanc dextram, per regni fidem, moneo obteſtorque, uti hos, qui tibi genere propinqui beneficio meo fratres ſunt, caros habeas; neu malis alienos adjungere, quàm ſanguine conjunctos retinere &c.*

Hoc illius Epitaphium extat in præfata Eccleſia Gandavenſi.

Admodum Reverendo Viro,
D. VIGLIO AB AYTA,
Zuichemo Friſio,
J. C. Clariſſimo,
Cathedralis hujus Eccleſiæ
I. Præpoſito Mitrato,
Aurei Velleris Cancellario,
Supremi Belgicæ Status
Et Sanctioris Concilii
Sub potentiſſ. Principibus
Carolo V. Imp. & Philippo II.
Hiſpp. Rege Præſidi ſummo,
Vigilantiſſimo, integerrimo.
Qui cum hanc Eccleſiam
Piis fundationibus,
Plurimis munimentis decoraſſet,
Academiam Lovanienſem,
Structo ſui nominis Collegio,
Non minus liberaliter
Quam magnificè dotaſſet,
Natale ſolum novi Hoſpitalis beneficio
Perpetuò ſibi demeruiſſet:
Tandem, poſt longas vigilias,
Poſt indefeſſos labores,
Plenus dierum, plenus honorum,
Regi fidus, Patriæque carus,
Utilis omnibus, injurius nemini,
Magno ſui relicto deſiderio,
Quievit in Domino
Anno M. D. LXXVII.
VIII. die Maii, ætatis ſuæ LXX.
Iſte vir fuit lector: ſed fuit.
Mirare, imitare,
Vigila,
Memor prudentiſſimi illius ſciti:
VITA MORTALIUM VIGILIA.

Adſcriptum dein fuit hoc Epitaphium honorarium.

*Qui curas Regum & regnorum pondera obivit*
*Pervigil, hoc dormit* VIGLIUS *in tumulo.*
*Parce pios, lector, manes turbare, quietem*
*Hæc poſt tot vigiles vindicat umbra dies.*
*At vigili* VIGLI *exemplo vigil eſſe memento:*
*Nil etenim vita eſt, ſit niſi vita vigil.*

Porrò Vitam ſuam ipſe *Viglius*, morum confidentiâ fretus, ſcripſit, & hinc Suffridus Petrus Decade XII. de Scriptoribus Friſiæ. E ſcriptis verò illius omnium manibus teruntur, probantur que ab omnibus,

*Commentarii in Titulos X. libri II. Inſtitut. de Teſtamentis.* Baſileæ, Lovanii & alibi. De quo libro verſus elegantes protulit *Guilielmus Martenus*, J. C. cujuſmodi de Amaſonide Marſi cujuſdam luſit aliquando Martialis:

*Sæpiùs in titulo memoratur* Viglius *uno,*
*Quàm levis in tota* Maynus *Jaſonide.*
Viglius *hinc Zephyris, & notus* Viglius *Euris,*
*Et ſua cum* Viglo *fama perennis erit.*

*Commentarius* in Tit. Digeſt. *De rebus creditis*; & ad Tit. *Cod. de Edicto D. Adriani tollendo*, quem Ingolſtadii prælegerat, excudit à morte *Viglii*, Coloniæ, Gymnicus, 1585. 8.

*Inſtitutiones D Juſtiniani, in Græcam Linguam, per Theophilum Anteceſſorem olim traductæ, ac nunc primum in lucem re-*

*ſtitutæ, curâ ac ſtudio Viglii Zwichemi Phryſii; quarum utilitatem abunde ejuſdem declarat Præfatio ad Opt. Max. Imp. Carolum quintum.* Originale eſt in Coll. Viglii.

Hic Codex MS. à Petro Cardinale Bembo è Bibliotheca Cardinalis Beſſarionis ſuppeditatus, cum multas haberet lacunas, & ſenſus hiulcos, ac non cohærentes ſatis ſententias ob exeſos caracteres; uſus eſt *Viglius* alio exemplari, quod pariter in dicto Collegio aſſervatur, & hunc præfert titulum:

*Deſcriptum exemplar ab Conſtantino natione Græco Venetiis anno 1533. ex Veteri Exemplari Jo. Baptiſtæ Ægnatii, ad uſum Viglii Zuichemii Phryſii.* Prodiit iterum Lovanii, typis Reſcianis, 4. 1536. cum Annotationibus *Petri Nannii*, Profeſſ. Litterar. Dum autem *Jacobus Curtius* eaſdem Inſtitutiones ſuâ quoque cum Paraphraſi edidiſſet: hinc orta eſt concertatio litteraria *Nannium* inter & *Curtium:* de quâ Viglius in Epiſtolâ; 10. Januar. 1537. & aliàs.

*Aſſertio Juris Imp. Caroli V. in Geldriæ Ducatu & Zutphaniæ Comitatu*, edita 1541. eodemque anno Antv. apud Mart. Neranum; à quibuſdam adſcribitur *Viglio:* ſed minus rectè. Edidit tamen, jubente *Nicolao Perenoto* Cæſaris Cancellario, Refutationem libelli, quem Ducis Clivenſis Legati oppoſuerunt præfatæ *Aſſertioni Juris Imp.* &c. Prodiit primùm germanicè, dein reddita latinè. Hunc credo eſſe librum ſequentem.

*Juſtificatio Rationum, ob quas Regina Hungariæ Belgii Gubernatrix, contra Ducem Cliviæ arma ſumpſit.* Antv. 1543. 8.

*Epiſtolæ Politicæ & Hiſtoricæ C. C. XXXIV. Viglii Zuichemi ad Joachimum Hopperum J. U. D. Rerum Status Belgii apud Philippum II. Hiſp. Regem Conſiliarium & magni ejus Sigilli Præfectum* (quæ ex teſtamento legavit Collegio ſuo) prodierunt Leovardiæ 1661. in 8. typis Henr. Rintii, curâ *Simonis Abbes Gabbema*, Friſiæ Hiſtoriographi & Archivorum Cuſtodis. De his vide judicium noſtrum, ſupra pag. 1097.

Ceteræ vero Epiſtolæ *Viglii*, majori longè numero, hodiedum ſervantur Manuſcriptæ Lovanii, in Bibliotheca Collegii Vigliani. E quibus aliquas edidit idem *Simon Gabbema*, *in Sylloge Epiſtolarum Virorum illuſtrium*, anno 1663. Harlingæ. Item novemdecim ex illis anno 1719. *Hugo Franciſcus Heuſſenius*, author Hiſtoriæ Eccleſiaſt. Belgii Fœderati, in ſua deſcriptione Epiſcopatûs Leovard. pag. 108. &c.

Porro novam omnium illarum *Epiſtolarum, cùm Viglii tum quorumdam ad illum* Collectionem, propediem editurus eſt *Cornelius Paulus Hoynck van Papendrecht* J. C. Eccleſiæ Metropolitanæ Mechlin. Canonicus Graduatus & Archipresbyter; *Epiſtolis* hiſce ad Codices MSS. Collegii Vigliani collatis, quarum quæ ad *Hopperum* ſcriptæ ſunt, manu propriâ Viglii ſæpius interpolatæ conſpiciuntur; reſtituto inſuper eo quo ſcriptæ ſunt ordine, additiſque ſingularum argumentis; ipſius etiam tùm Viglii geſta, tùm amicorum, quibuſcum habuit Litterarum commercia, eruditis Annotationibus illuſtrando.

Accedet & *Vita* ipſius *Viglii Zuichemi*, è vetuſto Codice MS. (qui modo eſt Bibliothecæ Cardinalis de Alſatia Archiepiſc. Mechlin.) iiſdem Notis Ampliſſ. D. *Hoynckii* elucidata; uti & *Viglii Commentarius, Rerum geſtarum tempore Ducis Albani, ſuper nova impoſitione ſeu Vectigali X. Denarii rerum venditarum:* hactenus MS.

Sunt & alia quædam MSS. *Viglii*, quæ in Collegio à ſe condito Lovanii adſervari dicuntur à Valerio Andrea; ut *De munere Juriſconſulti.*

*Conſilia*, ſeu *Reſponſa Juris.*

*Diarium Germanicum.*

*De Familiis Principum Imperii Germanici.*

*Mandata & Inſtructiones* variæ, datæ à *Viglio* ad Viros illuſtres.

*Tractatus Fœderum.*

*Teſtamentum* ejus &c.

*Narratio tumultuum Belgicorum ſub Duciſſa Parmenſi & Duce Albano*, fertur à *Viglio* gallicè olim ſcripta, atque è MS. in flandricum tranſlata & edita per D. H. circa ann. 1660; teſte Adr. Parſſio de Scriptoribus Batavis pag. 267. Sed præterquam quod Viglius teſtetur, ſe gallicè nunquam ſcripſiſſe, hæc narratio eſt putidum rapſodium, Viglio indignum.

## VINCENTIUS HENBERGIUS,

Patriâ Geldonienſis, Ord. Prædicatorum Theologus, Antverpiæ profeſſus, & Vicarius Liræ; obiit Antverpiæ 4. Julii 1634. Edidit

*Viridarium Marianum*, ſeptemplici Roſario & Exercitiis variis inſtructum. Antver. apud Gaſp. Bellerum, 1615. in 8.

*Roſarium Glorioſiſſ. Virginis* MARIÆ, per choros diſtinctum, ac 150. articulis Vitæ Chriſti, variiſque Hymnis & Orationibus exornatum.

*Apothecam ſpiritualem pharmacorum.* Ibid. apud. Aertſium

*Roſetum Spirituale*, & *Lectum floridum Sponſi*, vernaculo ſermone.

## VINCENTIUS KETELAER,

Medicus Batavus, edidit

*Commentarium Medicum de Aphthis noſtratibus, ſeu de Belgarum Sprauw.* 12. Leidæ 1672.

## VINCENTIUS DE ROOSE,

Gandavenſis, J. U. Licentiatus, in Provinciali Conſilio Flandriæ Cauſarum Patronus, celeberrimam ibidem Confraternitatem ſub invocatione S. Ivonis in Eccleſia Parochiali D. Michaelis inſtitutam confirmatamque anno 1677. Bullâ Innocentii XI. Pont. necnon Decreto Regio 1684, potiſſimùm promovit. Cujus quidem Confraternitatis primarium inſtitutum eſt, viduarum, pupillorum, pauperum, captivorum aliarumque miſerabilium perſonarum cauſſis gratis invigilare. Recenſuit unà plures Sanctos Juriſperitos, contra dictum vulgare, *quod S. Ivo Advocatus ſcalas traxiſſet in altum.* Inter quos XLII. recenſuit *Jacobum Heſſelium*, Curiæ Flandriæ Senatorem & Cameræ Rhenengarum Præſidem, qui die 4. Octobris 1577. à Rebellibus hæreticis, in odium fidei, extra portas Gandenſes ſuſpenſus fuit, cujuſque corpus poſt ſeptennium repertum integrum, ſumma cum ſolemnitate Gandavi in Eccleſia D. Michaelis digniore loco repoſitum fuit. Edidit,

*Imaginem Veri Advocati*, *Vitamque ejus moralem ac ſpiritualem, unà cum Regulis*, *Privilegiis & Indulgentiis Pontificiis ac Regiis*, *Confraternitati S. Ivonis conceſſis.* 4. Gandavi 1687.

## VINCENTIUS DE STOCHOVE,

Eques, Toparcha Stæ. Catharinæ, nobili apud Brugenſes familiâ genitus, ejuſdemque civitatis ſæpius Conſul. Dum eſſet junior, itinerandi cupidine adlectus, atque ab anno 1631. obſequiis Legati Regis Galliæ apud Imperatorem Turcarum addictus, varias per Europam, Aſiam & Africam peregrinationes aliaque aggreſſus eſt, eâque occaſione Jeroſolymam loca Servatoris noſtri ſanguine ac miraculis illuſtrata, nec non montem Synaï viſitavit &c. Hinc uſus Lemmate: *Omne ſolum viro patria eſt.* Harum peregrinationum Hiſtorias edidit gallicè, hoc titulo:

*Voiage du Levant*, *du Sr. de Stochove* &c. 8. Bruxellis apud Hub. Velpium,

1642. & iterum 1650. ac 1661. item flandricè, Brux. 1681.

*L'Ottthoman, ou Abregé des Vies des Empereurs Turcs, depuis Ottthoman I. juſques à Mahomet IV. à preſent regnant.* 12. Amſterdam 1665.

## VINCENTIUS THEODORICI DE BEVERWYCK,

Harlemius à loco profeſſionis dictus, Ord. Prædicat. Scholæ primùm Pariſienſis alumnus, dein die 13 Octobris 1517. renunciatus S. T. Doctor Lovanienſis, ibique Studiorum Regens, ſcripſit adverſus Deſiderium Eraſmum, titulo *Taxandri*, libellum, Eraſmi judicio indoctum, inſulſum & mendacem. Eum vide libro XIX. Epiſt. XC. & CXIII. veteris editionis. Ipſe verò Eraſmus repoſuit eidem Epiſtolam, titulo *Pertinaciſſimi obtrectatoris*, ut dicto libro ſcribit, Epiſt. XIII.

Item ex ejuſdem *Vincentii de Haerlem*, tunc S. Theol. Baccalaurei, recognitione editum eſt Pariſiis, 1514. in fol. Opus *Petri de Palude*, Patriarchæ Hieroſolymitani, *in librum IV. Sententiarum.*

Denique *tertiam Partem Summæ Theologicæ D. Thomæ Aquinatis*, cum excerptis, ſcoriis evulſis, quotationibuſque adjectis, unà cum *Petro de Noviomago* Ord. Prædic. Doctore Theologo recenſuit, ac prelo ſubjecit; Pariſiis typis Claudii Chevallon. 1514.

Per Diœceſin Ultrajectenſem hæreticæ pravitatis Inquiſitor à Generali Ordinis ſui Magiſtro conſtitutus, præmaturo fato è vivis creptus eſt, die 4. Auguſti 1526.

## VINCENTIUS WILLIART,

Atrebas, Ordinem Prædicatorum profeſſus in patria, vir pius, ſcriptor aſceticus & diſciplinæ regularis æmulator: ſed gallicæ dominationis impatiens. Unde cum Rex Ludovicus XIII. anno 1640. Atrebatum armis occupaſſet, (Conventu Dominicano, qui tunc extra muros erat, priùs diruto ac ſolo æquato) Willartius primùm recepit ſe Montes, tum Bruxellas, ubi tandem & finem ſcribendi habuit & vivendi 15. Julii 1658. Edidit autem, latinè partim & gallicè

*Aquam ſapientiæ Ordinis Prædicatorum, ſeu Venerabilis F. Humberti V. Magiſtri Ord. Præd. Expoſitionem in Regulam B. Auguſtini*; partim ex aliis ejuſdem operibus, partim ex D. Thomæ Aquinatis doctrina. Montibus apud Waudræum Tom. II. 1646. in 4.

*Prænuncios Antichriſti, ſeu hæreticos illuminatos, confuſos* &c. ex B. Henrici Suſonis ac Joannis Tauleri Operibus. Ibid. 1645. in 12.

*S. Euangelii precioſam margaritam*, ſeu S. Thomæ Aquinatis ſententiam ſuper Theologiam univerſam. Montibus 1645 in 4. ac Tornaci 1647.

*Memorial de l'Excellence du Pſautier de Jeſus & de Marie, dit Roſaire.* Atrebati 1636. item Bruxellis 1658 in 8.

*Les fruits dignes de penitence, faits par Marie Magdeleine.* Montibus, 1643. in 12.

*Les fruits de la parole de Dieu, faits par S. Vincent Ferrier.* Montibus 1644. in 12.

*Les fruits de l'oraiſon faits par S. Thomas d'Aquin.* Ibid. 1645. 12.

*Abregé de la Vie du ſaint Pape Pie V. de l'Ordre des FF. Preſcheurs*, Bruxellis, 1657. in 8.

*Le bien univerſel, où les abeilles miſtiques du celebre Docteur Thomas de Cantimpré*, Bruxellis, 1650. in 4. Verſio eſt ex latino Thomæ Cantimpratani, Ord. Prædic. de quo pag. 1131.

*Le bien univerſel, où les formis miſtiques de Jean Nyder* (Is erat natione Germanus, Ord. Præd. cujus librum latinè ediderat Colvenerius, S. T. D. Duac.) Bruxellis, 1656. 4.

Digitized by Google

## ULPIUS CISSÆUS,

Latinè *Hederaceum* dixeris, eò quòd Schalſemum, Friſię pagus juxta Franekeram, *Ulpii* noſtri natale ſolum, hederâ abundet) Græcarum primùm litterarum Profeſſor Erphordiæ: at gliſcente ibidem Lutheranæ ſectæ morbo, invidiæ cedens, ac patriæ redditus., Sacerdos & Eccleſiaſtes, obiit circa annum 1540.

*Heſiodi Opera & Dies* latinè reddidit, & verſum verſu expreſſit, cum Scholiis. Baſil. 1553. 8.

*Proverbiorum farraginem* collegit, poſt Eraſmum. Pariſ. apud Sonnium, 1571. fol. cum Eraſmi Chiliadibus.

Scripſit præterea *Elegiam gratulatoriam ad Henricum Saxoniæ Ducem.* Et quędam adverſus Lutherum.

*Cyprianus Vomelius*, qui illi Erphordiæ & in patria valde familiaris fuit, hoc Epitaphium ſcripſit.

ULPIUS *hîc recubat*, CISSÆÆ *gloria gentis*,
*Æternumque decus Franekaëra tuum.*
*Orantem Latio laudaſſet Tullius ore;*
*Uberis eloquii copia tanta fuit.*
*Nec fuerat Grayo leviter ſermone beatus,*
*Quin etiam græcè dicere promptus erat.*
*Claruit in patrio fœcundæ munere linguæ,*
*Et cives docuit cælica juſſa ſuos.*
*Regna ſuum poterat celebrare per extera nomen:*
*Poſtpoſuit noſtris ſed peregrina locis.*
*Terra parens igitur corpus venerabile nati*
*Molliter ut foveat, lector, amice, roga.*
*Nam mens ſancta viri fruitur te dulcis* JESU,
*Angelicos inter pſallit ovatque choros.*

## VOLCHERUS KOYTERUS,

Natus eſt Gröningæ apud Friſios anno 1534. Noribergæ vero honeſto ſtipendio conductus Medicinam exercuit: hinc expeditionem Gallicam ſecutus, caſtrenſis Medicus factus eſt, ut corporum diſſecandorum occaſione morborum abſtruſorum intima penetralia cognoſceret. Ibi dum egit, obiit Medicus, Chirurgus, & Anatomicus celeberrimus, anno 1600. ætatis ſuæ 66. Illius extant

*De oſſibus & cartilaginibus humani corporis, Tabulæ* cum *Explicationibus.* Bononiæ apud Johan. Roſſium, 1566. in fol.

*Externarum & internarum principalium humani corporis partium Tabulæ, atque Anatomicæ Exercitationes, Obſervationeſque variæ*; novis, diverſis, ac artificioſis figuris illuſtratæ. Norimbergæ, apud Theodorium Gerlachium, 1573. in fol. Lovanii, 1653. in fol.

*Diverſorum Animalium ſceletorum Explicationes*, Iconibus artificioſis & genuinis illuſtratæ; pro Appendice Anatomicarum Exercitationum prius editarum inſervientes. Extant cum lectionibus *Gabr. Fallopii* de partibus ſimilaribus, ab eodem *Volchero Koytero* collectis. Noribergæ, apud Theodoricum Gerlachium, 1575. in fol.

*Oſſium infantis hiſtoria.* Extat cum Henrici Eiſſonii Tractatu de Oſſibus. Groningæ, 1659. in 12.

## VOPISCUS FORTUNATUS PLEMPIUS,

Natus Amſtelodami x. Kalendas Januarii anno 1601. litteras humaniores doctus eſt Gandavi, Philoſophiam autem Lovanii, ibique quintus in Scholis Artium renunciatus in promotione anni 1620. Medicinæ principia hauſit Lugduni in Batavis: inde in Italiam profectus, Bononienſibus & Patavinis Profeſſoribus notus & carus, ſupremum in Medicina gradum conſecutus eſt Bononiæ.

Poſtea in patriam redux, civibus ſuis ſanandis operam aliquamdiu impendit, donec anno 1633. à Sereniſſ. Belgarum Principe ISABELLA Lovanium ad docendam Medicinam accitus eſt,

Digitized by Google

VOPISCUS FORTUNATUS PLEMPIUS AMSTELREDAMENSIS
PROFESS^OR IN ACADEM^IA LOVAN^IENSI A° CIↃIↃCXLVIII ÆTAT XLVI
ARS incubando semen inditum
dignum Vico FORTUNA nomen adjecit.
Quæ tecta cum Medicum expleant tibi excellenti
jures Galenum in PLEMPIO revixisse
TBorch pinxit: Paul. Pontius sculpsit.

eoque anno Doctoralem lauream ibidem ſuſcepit. Collegium Breugelianum aliquamdiu ut Præſes rexit : dein matrimonio junctus Annæ Mariæ Van Dive, è patricia apud Grudios familiâ.

Subciſivis horis ſæculo ſuo & poſtero utilis eſſe voluit, ediditque

*Tractatum de Muſculis*, belgico ſermone, in gratiam uſumque Chirurgorum. Amſtel. in 8.

*Anatomiam Cabrolii* in idem idioma converſam, Annotationibuſque auctam. Ibid. 1633. fol.

*Ophthalmographiam*, ſive *de Oculi fabrica, actione & uſu*, præter communem Medicorum ac Philoſophorum opinionem. Ibid. 1632. 4.

Acceſſerunt dein *Gerardi Guſchovii* Medicinæ Profeſſ. Animadverſiones in *Ophtalmographiam*, ad eaſque *Reſponſio Plempii*. fol. Lovanii 1659.

*Fundamenta* ſeu *Inſtitutiones Medicinæ* libris VI. Lovanii, typis Jacobi Zegers, 1638. & 1644. cum *Ophtalmographia*, fol. Item ibid. 1653. typis Nempæi, cum adjecto brevi *Apologemate* pro Authore, adverſus dicteria & ineptias cujuſdam Κυτρέου, authore *Daniele Vermoſtio* Medicinæ Licentiato & Polyatro Arſchotano.

Accedunt & *doctorum aliquot Virorum in Academia Lovanienſi Judicia de Philoſophia Carteſiana*.

*Antimus Coningius, Peruviani pulveris defenſor, repulſus à Melippo Protymo* 1655. in 8. Per *Coningium* intellige P. Honoratum Fabri, S. J. per *Protymum* vero Plempium opuſculi authorem.

*Animadverſiones in veram praxin curandæ Tertianæ propoſitam à Doctore Petro Barba* Ferdinandi Cardinalis ac Belgii Gubernatoris Archiatro. Ibid. 1642. in 4.

*Avicennæ* Canones Medicos ex Arabica lingua in Latinam tranſtulit. Lovan. apud Nempæum 1658. fol.

*De affectibus capillorum & unguium, Tractatus*, 4. Lovan. 1662.

*De Togatorum valetudine tuenda Commentarius*. 4. Bruxellis apud Franc. Foppens 1670.

Obiit proveſtâ jam ætate, Lovanii anno 1671. ſepultus illic in Templo PP. Auguſtinianorum, hoc Epitaphio.

D. O. M.

„ Franconi van Dive & Cat. Uutten-
„ Limmingen, Gregorio & Barbaræ
„ vanden Heetvelde Conjugibus, Ma-
„ joribus hic ſepultis, adjungi voluit
„ Anna Maria van Dive, Cornelii &
„ Catharinæ Vanden Zande filia, uxor
„ dilectiſſima Clariſſ. Dom. Vopisci
„ Fortunati Plempii, Patriciæ apud
„ Batavos familiæ, Medicinæ Doctoris
„ Profeſſoris primarii, & hujus Acade-
„ miæ IV. Rectoris, Viri toto orbe
„ celeberrimi Satis dixi.

„ Devixit illa VIII. Novembris
„ M. D. C. LXI. Hic XII. Decem-
„ bris M. D. C. LXXI. cineribus
„ uxoris conjunctus.

R. I. P.

## VORPERUS THABORITA,

In Rynſmageſta Friſiæ pago natus, primùm Paſtor Eccleſiæ patriæ, dein Canonicus Regularis S. Auguſtini in Thabor, juxta Snecam, ſcripſit latinè

*Chronicon Friſiæ*, libris III. ab exordio Gentis ad annum 1535. In quibus, inquit, Suffridus, & ordinem bonum in diſtinguendis rerum temporibus, & judicium ſummum declaravit in rerum ipſarum delectu, ne lectori fabulas obtruderet ac nugas. Lectum fuit MS. Hagæ-Comitis apud *Cornelium Dunum* J. C.

## URSIO,

Abbas Altimontenſis in Hannonii Monaſterii, Ordinis S. Benedicti, floruit anno 1054. & obiit anno 1079. Scripſit librum,

*De Inventione Corporis S. Marcelli Pont. Max. & Martyris :* quod ex Urbe ad Altum Montem translatum, ibidem tempore vastationis Hannoniæ sub terra fuerat reconditum. Extabat MS. in Alto-Monte, & Camberonæ in Hannonia : dein vero prodiit in Actis SS. Mensis Januarii Tomo II. pag. 9. per P. Bollandum Societ. Jesu Hagiographum.

## VULMARUS BERNARTIUS,

Eeckensis, Flander, ( *Eecke* vicus est agri Castetani, nomen habens à cava arbore, teste Meyero, in qua latuit S. Abbas Ulmarus. ) Lovanii promotus in Artibus anno 1528. inter Magistros tertius, è Pœdagogio Lilienli, in quo dein Philosophiam professus est. Tum SS. Canonum Professor extraordinarius, & in D. Petri Canonicus secundæ Fundationis, anno 1547. pridie Kal. Septemb. J. U. Doctor renunciatus est, ac nondum vertente anno ad Primariam Juris Canonici cathedram à S. P. Q. Lov. ...stus. Anno 1550. Ordinum Ecclesiastic. Belgii & Academiæ suæ nomine, ad Concilium Tridentinum, una cum Doctoribus Theologis missus est.

Scripsit, teste Swertio in Athenis Belgicis, *De Pœnis Canonicis*, & alia quædam.

Sexagenarius in fata concessit Lovanii anno 1570. die 23. Januarii, sepultus in D. Petri antearam S. Ivonis, hoc olim Epitaphio.

D. O. M.
Clariss. ac Doctiss. Viro
D. Vulmaro Bernartio, Eeckensi
Artium & J. U. Doctori
Et primario Professori
Juris Canonici,
Ab eo duos & XX. annos explicati,
Hujus Ecclesiæ Canonico,
Et Universitatis sextùm Rectori :
Qui, nomine Ordinis Ecclesiast.
Hujus regionis,
Concilio Tridentino interfuit;
Hæredes mœsti PP.
Obiit anno Domini M. D. LXX.
X. Kal. Febr. annos natus LX.
Relicto ad duorum Juris studiosorum
Alimentum, reditu LX. aureorum.
Ei pacem precare.

# W.

## WALRANDUS CAOULT,

DUacensis, Presbyter, & in Ecclesia S. Amati Sacellanus, edidit

*Miracula B. Virginis Deiparæ apud Tungros, Camberones & Servios in Hannonia.* Duaci 1600. 12. apud Boscardum.

## WALRANDUS OBERT,

Atrebatensis, patriciæ stirpis, in suprema Artesiæ Curia Consiliarius, scripsit accuratè & fideliter

*Tractatum de motibus, anno 1578 à rebellibus Geusiis Atrebati excitatis.* Exstat manusc. in Bibliotheca Vedastina.

## WALRICUS LITHODOMUS,

Vulgò STEENHUYSE, Delphius, Hollandus, Dordraci sive Dorethopoli, ut ipse appellat, ingenuorum aliquot puerorum Pædagogus & morum formator, ludum aperuit & bonas litteras docuit, magno juventutis Batavicæ bono. Edidit Dordraci, 1558. 8. apud Bonnium.

*Latinæ linguæ Crepundia* seu *Progymnasmata.*

*Progymnasmatum* altera pars *Syntaxeos* Præcepta continet & *Figuras.* Huic Epistolam præmisit, ad Bonifacium Pistorium Roterodamensem Gymnasiarcham, prolixam satis & elegantem, ac dignam legi.

## WANDELBERTUS,

Diaconus & Monachus Prumiensis, Ordinis S. Benedicti, in Diœcesi Trevirensi, claruit anno 850. sub Imp. Lothario, scripsitque

*Martyrologium*, heroïco carmine: quod *Venerabili Bedæ* hactenus adscribi solitum fuit (sed male,) imò & Tomo I. Operum *Bedæ* ab editoribus insertum. Vero auctori suo vindicavit *Joannes Molanus* Lov. 1568. in prima Usuardi editione. Notas de eodem doctissimas habet P. Sollerius S. J. Hagiographus in Præfatione ad Martyrologium Usuardi pag. XVI.

*Vitam S. Goaris*, Presbyteri, & *Miracula ejusdem*, teste Trithemio.

## WAZELINUS DE MOMALIA,

Equestri apud Hasbanos familiâ oriundus, Ord. S. Ben. Monachus in Abbatia S. Laurentii Leodii, cui dein Abbas præfuit annis XXI. Vir humanitate, animique candore & Ecclesiasticæ disciplinæ studio insignis. Obiisse dicitur III. Kal. Nov. 1149.

Illius extat *de Consensu Euangelistarum* liber, MS. ad S. Laurentium.

Ipsi quoque tribuitur à Mabillonio *Epistola W. Abbatis ad Flonensem Abbatem, de Continentia conjugatorum ante Communionem.* Tomo I. Analect. pag. 339.

## WASO,

E tenui fortuna ad summam dignitatem propriis evectus meritis: siquidem è Magistro Scholarum, Leodiensis Ecclesiæ Decanus, hinc Præpositus & Archidiaconus, tandem anno 1042. Episcopus. Scripsit ad Joannem Præpositum

*Epistolam de Officio Decani ac Præpositi*, quæ apud Chapeavillum, seu potius apud Anselmum in ejus Vita cap. CV. legitur. Epistola ejusdem ad Henricum Regem Franciæ memoratur cap. CIII. item ad Imperatorem cap. CVI. atque aliæ alibi.

Obiit sanctissimè anno 1048. ejusque sarcophago inscriptum fuit hoc breve sed glorioſum Epitaphium.

*Antè ruet mundus, quàm surgat* WASO *secundus*

## WENCESLAUS COEBERGHER,

Antverpiensis, Pictor & Architectus, lustratâ Italiâ, magistros coluit utriusque artis peritissimos, quibus non impar effectus, Antverpiam rediit. Inde Bruxellis larem fixit, à Sereniss. Archiducibus Alberto & Isabella, Consiliarii domestici, nec non Pictoris & Architecti titulis honoratus. Memorabile est, quod in Flandria occidentali apud *D*unkercam & Bergam S. Winoci bono publico præstitit, dum paludes fœtentes exsiccavit, & lacus plurimos in oceanum eduxit; ut ita aquę unde exeunt revertantur. Illius quoque industriâ erectum fuit magnificum in Monte-acuto Sacellum, Virgini Thaumaturgæ sacrum: aliaque templa ac Monasteria Bruxellis, & alibi.

Sed vel principaliter promovit institutionem Montium Pietatis in Belgio, sub auspiciis Archiducum, & accedente unanimi Archiepiscoporum, Episcoporum, Universitatum ac Theologorum assensu; quos inter non infimus fuit *Leonardus Lessius*, S. J. Unde & eorumdem Montium *Athlas* dictus fuit *Coebergius*, primusque Præfectus generalis designatus.

Hunc in finem evulgavit vernaculè *Apologiam ofte bescherm-redenen, teghen het kekelen van de onredelycke vyanden, ende oock de tegen-raeders van de Berghen van Bermhertigheyt.* 4. Mechlin. apud Henr. Jaeye. 1621.

Bruxellæ quoque præ manibus habuit opus insigne quadripartitum;

*De Architectura.*

*De Pictura & scriptura antiqua.*

*De imaginibus Deorum.*

*De Numismatis, seu mavis, Medaliis aut metallicis æneis, à Julio Cæsare ad Gallienum usque.* Quæ MSS. verisimiliter interierunt.

Naturæ debitum solvit Bruxellis, anno 1630. septuagenarius; ampliore encomio celebratus ab *Isaaco Bullartio* Tomo II. pag. 479. Academiæ Scientiarum & Artium. In sacello Portiunculæ apud FF. Minores extitit olim hoc ejus Epitaphium, anno 1695. per subsecutum à missilibus gallorum ignibus incendium, deletum.

Hic jacet sepultus
Dnus. WENCESLAUS DE COEBERGER,
Eques Auratus,
Toparcha S. Antonii,
Archiducum Architectus,
Et Montium Pietatis in Belgio
Generalis,
Mortuus anno M. D. C. XXX.

## WERNERUS A TESSCHENMAECKER,

Elverfeldiæ Ducatûs Montani oppido natus, Xanctis apud Clivios Calvinianæ sectæ Minister extitit: *Syncerus alioqui, modestus & candidus*; ut ait Valer. Andreas in Bibliotheca Belg. addens eum ad plures abiisse Vesaliæ Cliviorum anno 1638.

Primus ille ac solus hactenus extitit, qui patriæ suę, simul ac Cliviæ, Juliæ vicinarumque Ditionum res in formam *Annalium* redegerit, hoc titulo: *Historia Juliæ, Cliviæ, Montium, Marcæ Westphalicæ, Ravensbergæ &c.* fol. Arnemii. 1638. cui accedit *Leo Gelricus*; id est, Gelriacæ Historiæ quoddam compendium.

Præter vero hosce suos Annales, edidit Tesschemakerus, author Acatholicus; *Repetitionem brevem suæ Religionis &c. quæ ante seculum à Papatu reformata, in Cliviæ, Juliæ, Montium Ducatibus, cum attinentibus Comitatibus & Dominiis, hactenus ex verbo Dei tradita & conservata est.* Vesaliæ, anno 1633. secundum Calviniano. Cui libro, celebris JC. & Consiliarii olim Clivensis, *Conradi Heresbachii Vitam*, ejusdemque *Epistolam de Factione Anabaptistica Mo-*

Wenceslaus Coeberger
Architectus . ob. 1630.



Digitized by Google

*naſterienſi* adjunxit, *ſeu Prodromum* (ut ſcribit) *Annalium Eccleſiaſticorum*, necdum (quod ſciam) in lucem editos.

Porrò præfatos *Annales* ſive *Hiſtoriam Cliviæ*, *Juliæ*, *Montium* &c. denuo edi curavit, adjectiſque Annotationibus, Tabulis genealogicis, Codice Diplomatico, atque Indice locupletiſſimo illuſtravit *Juſtus Chriſtophorus Dithmarus*, J. U. D. Hiſtoriarum in Academia Viadrina Profeſſor Ordinarius, ejuſdem Academiæ Bibliothecarius, & Societatis Scientiarum Berolinenſis ſodalis. Fol. Francofurti & Lipſiæ 1721.

Adjecit poſtmodum, anno, nî fallor, 1727. idem Dithmarus, *Scriptorum Rerum Germanicarum Volumen, quo* Levoldi à Northof, (de quo ſupra pag. 818.) *Chronicon Marcanum, ex autentico MS. multò quam antea accuratius, aliique Scriptores ad res præcipuè Weſtphalicas pertinentes, hactenus inediti, unà cum Supplemento ad* Teſſchemakeri *prædictos Annales Cliviæ, continentur.* Fol. Francof. ad Oderam.

## WERNERUS TITIANUS,

Patria Juliacenſis, natus in pago Titz, adoleſcens Canonicorum Regularium S. Auguſtini Inſtitutum in Noveſienſi S. Mariæ Monaſterio ad Rhenum apud Duſſeldorpium ſuſcepit, in eoque ſic profecit, ut Marbacenſi in Alſatia Cœnobio præfectus ſit Prior; illudque laudabiliter adminiſtrabat, cum ſuum à Noveſienſibus ſolo æquatum accepit. Monaſterii ſui everſionem non magis doluit, quam ejus ad Colonienſe Corporis Chriſti factam conjunctionem à Priore Generali Congregationis Windeſemenſis: tametſi Wernerus Conventûs utriuſque creatus fuerit Prior. Demum poſt multa præclarè geſta Congregationis Windeſemenſis creatus anno 1608. Prior generalis, eidem dignitati immortuus eſt anno 1615.

Edidit *prolixos Annales Noveſienſes*, quos hactenus MSS. evulgarunt PP. Benedictini Congregat. S. Mauri anno 1729. in Collectione noviſſima Veterum Monumentorum Tom. IV. pag. 526.

## WESSELUS,

Sive Basilius Hermanni, cognomento Gansfortius, Groninganus, S. Theol. Doctor, ob linguarum Græcæ atque Hebraïcæ peritiam, *Lux Mundi* dictus, docuit eaſdem linguas Pariſiis & Baſileæ, *Joannem Reuchlinum* ſive *Capnionem*, alioſque; Theologiam verò Coloniæ, Pariſiis, Heidelbergæ. Verùm ortâ cum Theologis controverſiâ ſuper variis de Fide quæſtionibus, Academias deſeruit, & privatus ſibique deinceps vixit, paſſim etiam *Magiſter Contradictionum* appellatus.

Tantò eum promovendarum litterarum Hebraïcarum ſtudio flagraſſe accepimus, ut, cùm Romam profectus Nicolao V. Pontifici gratiſſimus eſſet, iſque ampliſſima *Weſſelo* munera offerret, his omnibus repudiatis unicum modò petierit & obtinuerit, Biblia Hebræa MSS. ſibi ut liceret è Bibliotheca Vaticana in Belgium aſportare.

Ex Operibus illius, quæ Lipſiæ, Antverpiæ, Baſileæ 1525. curis Mart. Lutheri; Arnhemii, 1614. & Marpurgi 1617. 4. excuſa ſunt, à Patribus Tridentinis in prima Claſſe plerique notantur.

*De Sacramento Euchariſtiæ & audienda Miſſa*, liber I.

*De Incarnatione Verbi, ejuſque Cauſis.*

*De amaritudine Paſſionis.*

*De Indulgentiis Papalibus*, liber I. qui & à *Von-der Hartio* inſertus fuit Hiſtoriæ Reformationis Germaniæ.

*De Igne Purgatorio.*

*De Providentia Dei.*

*De Juſtificatione per Chriſtum*

*De Poteſtate Eccleſiaſtica*

*De Statu & profectu animarum post hanc Vitam* &c.

Liber *de moribus veterum hæreticorum*, impressus Lipsiæ 1537. falsò illi à Val. Andrea adscribitur, nam Author illius est *Georgius Witelius*.

Mortuus est Groningæ, & sepultus ipso die S. Francisci, in templi choro non longè à summo altari, anno Incarnationis Dñi 1489. hoc Epitaphio.

*Pallida* WESSELI *Saxum hoc tegit ossa Magistri,*
*Philosophos inter qui lea fortis erat.*
*Illum lingua triplex, Hebræa, Pelasga, Latina,*
*Inclyta Doctorum scandere pulpta dedit.*
*Agrippina & Parisium duo regna Minervæ,*
*Sensere ingenii vimque decusque sui.*
*At laus una viro, quia* totum scibile *scivit,*
*Et vitio infectis malleus ipse fuit.*
*Arx Frisiæ cineres, Germania tollit honores.*
*Dic, ferat omnipotens, lector amice, animam.*

Vitam prolixiorem *Wesseli Groningani*, dedit Heusscnius, in Historia Episcopatuum Belgii Fœderati, ac signanter Groningani, pag. 19. ubi & & aliqualem *Apologiam pro fide ejus orthodoxa* adducit; quasi pro nihilo reputans omnes ejus declamationes contra irrefragabilem Sedis Apostolicæ authoritatem, & contra abusus Indulgentiarùm, Missarum &c. Rectiùs de *Wesselo* sensisse videtur Oudinus, Tomo III. de Scriptor. Eccles. pag. 2707. qui & Scripta ejus recensuit, & *Lutheri Antesignanum* appellari posse existimavit.

## WIBALDUS,

Civis & XXVII. Episcopus Cameracensis, successit Autberto, anno 965. Hic dominium temporale in civitatem Cameracensem ab Ottone Magno Imp. obtinuit, pro se haud diutinum: nam anno 969. ex Italia rediens, contracto ex itineris molestiis morbo, extinguitur. Scripsit *Tractatum De Alea regulari contra Aleam sæcularem*. Exstat in Historia Episcoporum Cameracensium, apud Flodoardum.

## WIBALDUS,

E Monacho Walciodorensi Ordinis S. Benedicti in Comitatu Namurcensi, electus annó 1130. Abbas Stabulensis ac Malmundariensis in Diœcesi Leodiensi, dein anno 1137. Abbas Cassinensis in Italia, ac demum Corbiensis in Saxonia ac S. R. I. Princeps; Vir obsummum ingenii prudentiæque talentum ad primaria sui ævi negotia adhibitus, Romanis Pontificibus æque ac Imperatoribus gratissimus.

Edidit *Volumen* 441. *Epistolarum*, è quibus varia Anecdota Historiam seculi XII. illustrantia erui possunt. E Codicibus MSS. Abbatiæ Stabulensis in lucem editæ fuerunt anno 1724. per Domnos Martene & Durand Monachos Benedictinos in Gallia Tomo II. amplissimæ suæ Collectionis Veterum Scriptorum ac Monumentorum.

Virum hunc, Galliæ Germaniæque decus, Butellię in Paphlagonia (uti tradunt Stabulensium Annales) Græcorum perfidia sustulit XIV. Kal. Augusti 1158. Ossa ejus anno sequente è Græcia Stabuletum translata sunt, agente Erleboldo, Wibaldi fratre ac successore in Abbatia Stabulensi, exequias celebrante Henrico Leodiensi Episcopo, appositoque hoc Epitaphio.

Deo & Ecclesiæ,
WICBALDUS,
Qui vixit, dum vixit,
Inter morales omnium Abbatum
Felicissimus,
Summo Pontifici, Imperatori
Et Principibus carissimus,
Exuvias corporis hic deposuit,
Universæ posteritati
Ob pietatem, diligentiam,
Et singularem zelum.

Digitized by Google



PERILLVSTRIS AC REVERENDISSIMVS D[OMINVS] PATER FR. GVILIELMVS HERINCX;
*quem Helmonda protulit Louanium ordo Fratrum Minorum educavit Provincia Germaniæ Inferioris Lectorem Jubilatâ summâ Theologicâ clarum, Custodem Custodum, ac secundò Ministrum Provincialem prospexit. Natio dein Germano-Belgica Commissarium Generalē secundò pariter esse: ac demum Ecclesia Cathedralis Iprensis Præsulem est amplexa; sed nono Residentiæ orbata, nondum expleto 58. ætat. An°.*

*Fr. Hieron. van Orley minorita pinxit.* *R. Collin Calcographi Reg. sculp. Bruxell.*

Digitized by Google

Maximè & perpetuò commendandus.
Tu qui post eum sedebis,
Fac idem, & vives.

## WILHELMUS HERINCKX,

Helmondæ Brabantiæ oppido, in partibus Sylvæducensium natus, Lovanii studiis Philosophicis eruditus in Pœdagogio Porcensi, anno 1636. sextum inter Magistros Artium, primæ (ut aiunt) Lineæ locum obtinuit. Arctioris dein vitæ desiderio Institutum Seraphicum FF. Minorum Recollectorum Lovanii professus est.

Variis in eo Ordine muniis perfunctus, pluresque in SS. Scripturarum ac S. Theologiæ professione emensus annos, primùm Germaniæ Inferioris iteratò Minister Provincialis, dein Definitor generalis, Missionum Hollandiearum Præfectus, nec non Commissarius per Angliam, Scotiam atque Hiberniam renunciatur. Postremò Episcopus Iprensium XII. Bruxellis in Ecclesia FF. Minorum inauguratus fuit 24. Octobris 1677.

Verùm quæcumque sibi ex regimine Præsulis sui prospera augurabantur Diœcesani, mors invida præripuit die 17 Augusti anno 1678. ætatis suæ 59. dum è prima visitatione Furnensi reverteretur. Virtutes ejus ac animi dotes toti penè Europæ ab ipso peragratæ innotuerant, raram facundiam ac prædicandi divini verbi zelum omnis populus mirabatur, omnimodam vero eruditionem Opera in lucem edita perpetuò testabuntur; nempe

*Summa Theologiæ Scholasticæ & Moralis, ad mentem S. Bonaventuræ Doctoris Seraphici.* Fol. IV. Vol. Antverpiæ apud Petr. Bellerum anno 1678. & iterum 1704. Quibus plura alia evulgare conceperat, tum Theologica, tum Statuta pro bono Diœcesis suæ regimine. Sepultus fuit ante summum altare suæ Cathedralis, hoc Epitaphio.

D. O. M.
Hîc situs est
GUILIELMUS HERINCKX,
Episcopus Iprensium XII.
E Seraphicâ D. Francisci Familia
Ob virtutem & omnimodâ eruditionem
Ad has Insulas assumptus.
Eximias Viri dotes Europa,
Quam pene omnem
Cum præcipuo Ord. sui munere obivit,
Cum fructu sensit,
Quibus fulgentem plus gemmis mitram
E sede concionatoria
Spectandam præbuit
Accurrenti & sibi gratulanti
Populo Iprensi universo.
Raptus est XVI. Kal. Septembris
M. D. C. LXXVIII.
Nondum decimo sui Pontificatûs
Mense elapso. R. I. P.

## WILLEBRORDUS BOSSCHAERTS,

Bergizomius, Canonicus Regularis Norbertini Ordinis, in Tongerloensi Cœnobio apud Brabantos, S. T. B. F. atque Professor, vir accuratè doctus, & in sacra profanaque Historia juxtà versatus; qui nunquam induci potuit, ut curam pastoralem susciperet, ne propriæ salutis aleam subiret. Unde ad extremum halitum Chartis impalescens, Mechliniæ tandem in refugio Tongerloensi animam placidè Deo reddidit, die 25. Julii 1657. ætatis anno LXXX. religiosæ Professionis LVII.

Differuit in congregatione annua Pastorum ejusdem Monasterii, *De Initiis & progressibus Monasticis.* 1619.

*De Vita contemplativa & activa.* Lovanii 1620. 4.

*De Candido habitu candidi Ordinis Præmonstratensis* 1621.

*De Ordine Præmonstratensi Clericali seu Canonico.* 1622. 4.

*De Laudibus B. Siardi, Horti B. M. in Frisia Abbatis*, 1623. typis Hastenii. 4.

*De Natura Veritatis*, ad Symbolum Cœnobii ſui, VERITAS VINCIT. Ibid. apud Maſium, 1624. 4.

*De Microcoſmo*, ſive *Humani corporis fabrica*. Ibid. apud Haſten. 1626. 4.

*Vitam B. Siardi*, & Tranſlationem Reliquiarum ejuſdem ad Cœnobium Tongerloenſe, flandricè edidit. Antverp. apud Verduſ. 1625. 8.

Meditabatur *Chronicon Cœnobii Tongerloenſis*, poſtea auctum, & editum ab Ant. Sandero in Brabantia Illuſtrata.

Item *Vitam S. Suitberti*, ſcriptore *Marcellino*, quam Surius edidit mutato ſtilo, cum luculentis Annotationibus, in quibus errores multos detegit ex corrupta & malæ fidei hiſtoria.

*Exegeſin D. Auguſtini in Paſſionem Dominicam*. Lov. 1645 in 4.

*Diatribam de primis Veteris Friſiæ Apoſtolis; ſive Diſſertationes* 156, quibus eorum anni, actus, res, perſonæ, loca, tempora in eorum actis occurrentia, diſcutiuntur, illuſtrantur, erroreſque ab aliena manu illapſi refelluntur. 4. Mechlin. 1650.

*Enchiridion de Actis S. Patris Auguſtini, ex Voluminibus ejus collectis, cum Appendice de Tranſlationibus ejuſdem Præſulis*. Mechlin. 1647. in 8.

*Feria ſexta, ſive ejus dignitas, ac opera ſacra ejuſce diei*, collecta ex S. Script. probatiſque Autoribus, cum explicatione. 8. Mechl. apud Jaye 1653. Boſſchartius hîc imitatus eſt Abbatem ſuum *Aug. Wichmannum*, qui *de Sabbatiſmo* ſcripſerat.

## WILLEBRORDUS SNELLIUS A ROYEN,

Lugduno-Batavus, *Rudolphi Snellii* Mathematum Profeſſoris, ex *Machtilde Corneliâ* filius, natus anno 1591. puer a patre litteris deſtinatus atque imbutus, dum idem Juri eum admotum cupit, ipſe animi ſui impetum ſecutus impenſiùs Mathematum ſtudia amavit, eo profectu, ut, vix decimo-nono ætatis anno expleto, Ptolomæi Magnæ Conſtructionis ſive Almageſti libros tres priores publicè fuerit interpretatus.

Hinc in Germaniam Galliamque ſuſceptâ peregrinatione, Herbipoli *Adriano Romano*, Pragæ *Tychoni Brahæo*, *Joanni Keplero*, *Othoni Valentino*, Altorfii *Joanni Prætorio*, aliiſque alibi rerum Mathematicarum ſcientiâ tunc excellentibus, innotuit. Domum reverſus, ubi per quadriennium integrum induſtriam ſuam ſtudiumque Curatoribus Academiæ probaſſet, anno 1613. parenti rude donato in Profeſſione Matheſeos ſufficitur. Scripſit

*De Re Nummaria* librum, typis Raphelengii, in 8. addito Joſ. Scaligeri ſimilis argumenti libro.

*Eratoſthenem Batavum*: De terræ ambitu, ejuſque vera quantitate.

*Obſervationes Haſſiacas*.

*De Cometa anni* 1617. Leidæ, 1619. 4.

*Cyclometricum*: De Circuli dimenſione, ſecundùm Logiſtarum abacos, deque uſu ejuſdem. Ibid. 1621. 4.

*Typhin Batavum*, ſive *de Navium curſibus & Re navali*, typis Elzevirii, 1624. 4.

E græco vertit *Apollonii Pergæi* libros *De Sectione determinata, de rationis & ſpatii deſectione*.

E Flandrico verò interpretatus eſt *Hypomnemata Mathematica Simonis Stevini*, Brugenſis, de quo ſupra.

Moritur anno 1626. pridie Kal. Novembres, florente 35. annorum ætate, laudatus pro funere à *Gilberto Jacchæo*. Sepultus Leydæ in templo D. Petri, hoc Epitaphio.

D. O. M.
Et Poſteritati ſacrum.
Clariſſ. Doctiſſimoque Viro Domino
WILLEBRORDO SNELLIO A ROYEN,
Mathematicorum in Batavis ocello,
Et in Academia,

Quæ hîc celeberrima,
Mathematum Profeſſori
Quà-quà verſum celeberrimo,
Solertiſſimo, digniſſimo, meritiſſimo:
Nec non
Lectiſſimæ caſtiſſimæque Matronæ
MARIÆ DE LANGE,
Conjugi chariſſimæ,
Hoc qualecumque Mnemoſynon.
Debitæ erga parentes obſervantiæ
Τεκμήριον, ſive indubitatum ſignum,
Liberi mœſti poſuere.
Denatus XXXI. Octob. M.D.C.XXVI.
Denata XI. Novemb. M.D.C.XXVI.

## WOLTHERUS HENRIQUES A STREVESDORFF,

Noveſii Montenſis Ducatus oppido haud procul Colonia natus, in Urbe Agrippinenſi Ordinem FF. Eremitarum S. Aug. profeſſus, atque in antiquâ illâ Univerſitate S. Theologiæ Doctor creatus, fuit & ſacræ Facultatis Decanus, Conventus ſui Prior, Provinciæ Viſitator, nec non Thuringiæ atque Saxoniæ Vicarius ac Commiſſarius Generalis.

Anno 1634. ab Electore Archiepiſcopo Moguntino, *Anſelmo Caſimiro Wambold*, deſignatus eſt Erfordienſis ſive per Thuringiam ac Saxoniam Suffraganeus, conſecratus titulo Epiſcopi Aſcalonitani. Ad hæc, Præpoſitus Eccleſiæ Collegiatæ B. M. V. Erfordiæ, ad S. Petrum Moguntiæ Scholaſticus, Præpoſituſque Regularis Cœnobii S. Benedicti in Geling.

Poſtmodum à Suecis per Germaniam graſſantibus Erphordiâ pulſus, anno 1644. & ſequentibus Moguntiæ Religionis opera atque Pontificalia peregit. Vir & eruditione & munſiorum amplitudine ſummè illuſtris; atque ab Electoribus Moguntinis & à Leopoldo Guilielmo Archiduce Auſtriæ ad intima adhibitus conſilia. Prelo dedit

*Defenſorium D. Thomæ Aquin.* ab Ægidio Romano olim compoſitum. Colon. 1624.

*De Sodalitate Cincturatorum.* Ibid. 1628.

*Explicationem Miſſæ.* 1620.

*Exercitium hebdommadale*, de Vita, Paſſione & Reſurrectione Domini. 1630.

*De Jure & Juſtitia*, Coloniæ 1632.

*Primatem Magdeburgenſem*, ſive ſeriem Archiepiſcoporum Magdeburgenſium. Coloniæ 1633.

*Lampadem ſalutis, cum emunctorio* 1651.

Item MS. *Caſus Conſcientiæ*, & quædam alia.

Obiit plenus dierum die 7. Maii 1674. ætatis 86. funeratus Moguntiæ in templo Ordinis ſui, ante aram principem. Laudatus in exequiis, eleganti Oratione, ab *Adolpho Godefrido Voluſio*, dein Epiſcopo Diocletianopolitano, atque in Suffraganeatu Moguntino ſucceſſore. Epitaphium, quod Præſul *Streveſdorpius* ſibi ipſi fecerat, ita habet.

Ad Lectorem.
Quid agam, requiris? Tabeſco.
Scire quis ſim, cupis!
Fui WOLTHERUS,
Vapor & fumus.
Vitæ quæ fuerint condimenta,
Flagitas? rogas?
Labor, dolor, luctus,
Servire aliis, ſuſtinere invidias,
Æmulationes, deſpectus, degradationes,
Perſecutiones non curavi.
Quos habui charos, pleroſque ſepelivi.
Raro, ſubinde tamen,
Amicum ſincerum vel candidum videre,
Experirique dignus fui.
Fictos, doloſos, mel ex ore ſpumantes
In corde venenum habentes,
Nactus pluries fui.
Siſte Viator.
Nil ſtabile ſub ſole eſſe cogita.
Hîc opta, cineres placidâ cum pace quieſcant, atque mihi ſiquidem ſit.
Requies animæ.
Ora, quæſo, Deum opt. max.

# Z.

## ZACHARIAS LIPPELOUS,

ANtverpianus, è J. U. Baccalaureo factus Cartusianus Coloniæ Agrippinæ in Ubiis ante ætatem moritur; anno ætatis XXXIII Professionis XII. Domini 1599. XII. Kalendas Decembres.

In compendium redegit, ediditque Coloniæ Tom. IV. 8. *Vitas Sanctorum*, collectas à *Laurentio Surio*, ejusdem instituti Religioso, quibus limam addidit *Cornelius Graesius*, itidem Cartusianus.

## ZACHARIAS ROTHUS,

Vulgò Rotz, Flander, è vico de Caneghem territorii Gandavensis, Societatis Jesu Sacerdos, curæ & saluti proximorum totus intentus; quapropter opida, pagos, nosocomia, & quælibet alia loca promptus alacerque adibat; & in primis Maseika Eburonum urbs ad Mosam huic salutem suam debet. Scripsit

*Catecheticas Lectiones XII.* gallicè ac flandricè. Leodii, 1598.

*Doctrinæ Christianæ* libros IV. iisdem linguis.

Obiit Lingæ, opido Westfaliæ tunc recens à Marchione Spinula occupato, anno 1606. mense Movembri.

## ZACHARIAS SILVIUS,

Medicus Roterodamensis, recensuit additâ suâ Præfatione, *Scholam Salernitanam*, sive de conservanda valetudine Præcepta Metrica; authore *Joanne de Mediolano* (hactenus ignoto) cum luculenta & succincta *Arnoldi Villanovani* in singula Capita Exegesi. Roterod. apud Arn. Leers. 1649. item 1667. in 12. Hagæ-Com. 1683.

Item *Joannis Heurnii Praxin* accuratè recensuit, & edi procurávit.

## ZEGERUS VAN HONTSUM,

Antverpianus, S. Theol. Licent. Canonicus Graduatus & Pœnitentiarius Ecclesiæ Cathedralis in patria, ubi & decessit die 19. Januarii 1643. Edidit

*Declarationem veridicam, Quod Begginæ nomen, Institutum & Originem habeant à* S. Begga, *Brabantiæ Ducissa.* Antver. 1628. 8. oppositam Historicæ Disputationi de eadem re *Petri Coens*, qui reposuit in eamdem Declarationem Notas.

## ZUEDERUS A CULEMBURGO,

Vir nobilis, haud dubiè Culemburgus, aut Gelrus Culemburgiis obstrictus, & (si indicia non fallunt) ex stirpe & prosapia Dominorum de Culemburg; scripsit vernaculè *Origines Culemburgicas ab exordio Dominii usque ad ann.* 1494. Has primùm evulgavit *Antonius Matthæus* inter Veteris Ævi Analecta; Tomo VI. antiquæ editionis, ac Tomo III. novæ, 1738.

IN-

# INDEX SCRIPTORUM BELGICORUM,

Prout ad Provincias ſingulas, & ad locum natalem cujuſque, quantum fieri potuit, referuntur. Adſunt Icones eorum, qui aſteriſco * notantur.

## §. I. BRABANTI.

### BRUXELLENSES.


ADrianus Spiegelius, Med. Doct.
Ægidius Faber, Ord. Carm.
Ægidius Periander.
* Andreas Veſalius, Med. Doctor.
Antonius Gheens, Canon. Regul.
Antonius Sexagius, J. C.
Antonius Baert, J. U. D. Duac. Conſil. Mechl.
* Aubertus Miræus, Hiſtoricus.
Bonaventura Speeckaert, Capucinus.
Carolus ab Aremberg, Capucinus.
Carolus Boiſot, Abbas Sonnebec.
Carolus de Boiſſchot, Ord. S. Aug.
Carolus Franc. Amounet, Minimus.
Carolus Hyacinth. Puteanus, Dominic.
Carolus Philippus Hattron, J. C.
Carolus Scribanius, S. J.
Cornelius à Breda, Hiſtoricus.
Cornelius Curtius, Auguſtinianus.
Daniel à Vlierden, Medicus.
Engelbertus Des-bois, Epiſcopus Namurcenſ.
Franciſcus Aguillon, S. J.
Franciſcus à Dongelberghe, Conſiliarius Brabantiæ.
Franciſcus Henric. de Kinſchot, Brabantiæ Cancellarius.
Fredericus de Marſſelaer, Conſul.
Gabriel Van Bemmel, J. C.
Georgius Bruxellenſis, Philoſophus.
Guilielmus à Blitterſwyck, Conſiliarius Mechlin.
Guilielmus de Pretere, S. J.
Guilielmus Spoelbergh, Minorita.
Guilielmus Stanihurſtus, S. J.
Guilielmus Taſſelon, S. T. D. Auguſt.
Guilielmus Van de Velde, Phil. Prof. Lov.
Henricus de Bruxellis, Monach. Affl.
Henricus Coſterius, Theologus.
Henricus Sant-Ægidianus, Abbas Ord. S. Ben.
Henricus Smeyers, Theologus.
Hermannus Hugo, S. J.
Jacobus Franquart, Architectus.
Jacobus Honoratus Durandus, S. J.
Joannes Bapt. Caſtelet, Theologus.
Joannes Bapt. Van Helmont, Medicus.
Joannes Bapt. Houwaert, Philologus.
Joannes Bapt. de Vaddere, Canonicus Anderlecht. Hiſtoricus.
Joannes Bapt. Mauriſſens, Heraldus.
Joannes Bapt. de Taſſis, Hiſtoricus.
Joannes Benzius, Philologus.

Joannes Bochius, Philologus.
Joannes Brunius, Carmelita.
Joannes de Bruxella, Abbas Alnenſis, Ord. Ciſt.
Joannes Gilemans, Canon. Regul.
Joannes Gratian. Gregorii, Canon. Anderl. Hiſtoricus.
Joannes Lamberti, J. C.
Joannes Mauburnus, Canon. Regul. Abbas &c.
Joannes Miræus, Epiſc. Antverp.
Joannes de Veſalia, Medicus.
Joannes Van Uffels, J. C.
Jodocus Bacherus, Hiſtoricus.
Jodocus à Caſtro, Minorita.
Jodocus Vander Linden, Theol. Archipresbyter Mechlin.
Julius Cæſar de la Coulture S. J.
Ludovicus Bromannus, Poëta.
Ludovicus Jacobi, S. J.
Marcus Maſteleyn, Canon. Regularis.
Martinus Lipſius, Canon. Regul.
Maxæmilianus Habbequius, S. J.
Nicolaus van Aelſt, Iconographus.
Nicolaus Boonaert, S. J.
Nicolaus Heems, de Capella, J. U. D. Lovan.
Nicolaus Oudaert, J. C. Canonicus Mechlin.
Odo Malcotius S. J.
Paulus Cronendalius, Senator.
Paulus Ferdinandus Chiffletius, Ord. Ciſterc.
Petrus de Bruxella, aliàs Crocaert, Ord. Prædic.
Petrus de Bruxellis, Theologus.
Petrus Lucius, Carmelita.
Petrus Malpæus, Dominicanus.
Petrus Antonius Peckius, Carthuſian.
Petrus Piſtoris, Canonicus Regul.
Philippus Allegambe, S. J. Hiſtoric.
Philippus Elſſius, Auguſtinianus.
Philippus Taiſne, S. J.
Philippus Hanneton, ſupremus Audienciarius.
Philippus Marnix à Sta. Aldegonde, Calviniſta.
Philippus Numan, Secretarius.
Philippus Veuſels, Conſiliarius.
Raphaël Sadeler, Chalcographus.
Roverus Pontanus, Carmelita.
Simon de Fierlant, Brabantiæ Cancellarius.
Stephanus Ydens, Canonicus.
Tacitus Nicolaus Zegerus, Minorita.
Thomas Saillius, S. J.

### Ex agro Bruxellensi.

Adrianus Dullaert, *ex Weert.*
Ægidius Breedyck, Canon. Regularis *Ex Anderlechto.*
Andreas Maſius, J. U. D. *Ex Lennick.*
Antonius Van Berchem, Canonicus Reg. *ex Fura Ducis.*
Arnoldus ab Iſſcha, Ord. FF. Min.
* Justus Lipsius, Prof. Hiſt. Lovan. *Iſcani.*
Henricus Culens, Paſtor, *ex Cortembergh.*
Joannes Malderus, S. T. D. Epiſc. Antverp.
Thomas Cantipratanus, Ord. Prædic. *Leeuwenſes S. Petri.*
Vener. P. Joannes Rusbrochius, Canon. Regul. *ex Ruysbroeck.*
Guilielmus à Ruysbroeck, aliàs de de Rubriquis, Ord. Min. Hiſtoric.
Jodocus ab Aſſcha, Carmelita.
Jodocus Badius, Typographus Pariſienſis.
Petrus à Rivo, S. T. D. Lovan. *Aſcani.*
Jodocus ab Almaraz, Bogardus, *ex Londerzeel.*
Laurentius Van Beneden, Paſtor, *ex Grimberghe.*
Nicolaus Neelſius, S. T. D. Ordinis Prædic. *ex Campenhout.*

## LOVANIENSES.

Adrianus Hofſtadius, Ordinis FF. Min.

Adrianus Romanus, Mathemat.
Ægidius de Lovanio, Canon. Regul.
Amandus Fabius.
Antonius Kersbeeckius, Ord. S. Aug.
Bartholomæus Mercator.
Cajus Antonius Hopperus, Præp. S. Petri.
* Cornelius Gemma, Medic. Doct.
Cornelius Wytfliet, J. C.
Dionyſius Triverius, Medicus.
Florentius Vander Haer, Hiſtoricus.
Franco Calabre, Abbas Villarii.
Gaſpar Berus, Ordinis B. M. Carmel.
Gerardus Gooſſens, Med. Doctor.
Gregorius Bertolf, Præſes Conſilii Friſiæ.
Gregorius Tegnagel, J. U. D.
Guilielmus de Bont, J. U. D. Decanus D. Petri.
Henricus Baerſius, Typographus.
B. Henricus de Calstris, Ord. Prædicat.
Henricus Garetius, Medicus
Henricus Gravius, S. T. Doctor.
Henricus de Loe, Fund. Pœd. Porci.
Henricus à Pomerio, Canon. Regul.
Hermannus Vander Heyden, Medicus.
Hubertus Scuteput, Canon. Reg.
Jacobus de Laet.
Joannes Auguſt. Baccherius, Auguſtinianus.
Joannes Bertelius, Abbas Epternae.
Joannes Briſſelius, S. J.
Joannes Caligator, Poëta.
Joannes à Caſtro, Theologus.
Joannes Coſterius, Canon. Regul.
Joannes Franciſcus, Grammaticus.
* Joannes Garetius, Canon. Regul.
Joannes Heſſelius, S. T. D. Lovan.
Joannes de Lovanio, Monachus Ciſterc.
Joannes de Lovanio, Carthuſianus.
Joannes Maſius, Abbas Parcenſis.
Joannes Molanus, S. T. Doctor Lov.
Joannes à Myrica, Carthuſianus.
Joannes Rivius, S. T. D. Ord. S. Auguſtini.
Joannes Roucourt, Theol. ac Paſtor.
Joannes Stevens, Canon. Regul.
Joannes Viringus, Med. Doctor.
Joannes Viringus, S. J.
Joannes Vlimmerius, Prior ad S. Mart.
Libertus de Paepe, Abbas Parcenſis.
Ludovicus Medardus, Canonicus.
Ludovicus de Schore, J. U. D. Præſes ſanctioris Conſilii.
Martinus Petrimannus, Parcenſ. Præm.
* Nicolaus Nicolii, Grudius, Poëta
Nicolaus de Winghe, Canon. Reg.
Petrus Beauſardus, Med. Doctor.
Petrus Claſenius, J. U. Doctor.
Petrus Divæus, Hiſtoriographus.
Petrus Impens, Canon. Regul.
Petrus Peckius, Brabantiæ Cancellarius.
Petrus Puerorum, Dominicanus.
Petrus Vander Aa, J. U. D.
Servatius Myricanus, Minorita.
Thedoricus Malcotius, Theol.

## DOCTORES LOVANIENSES. Theologi.

* Adrianus VI. Pont. Max. Ultrajectinus.
Ægidius de Bailleuil, Lillerienſis.
Ægidius Faber, Carmelita.
Ægidius Wallius, Brugenſis.
Albertus Joannis, Ord. Carmelitarum.
Antonius Dave, Cinacenſis.
* Auguſtinus Hunnæus, Mechlin.
* Christianus Lupus, Iprenſis Ord. S. Auguſt.
* Cornelius Jansenius, Hulſtenſis, Epiſcopus Gandenſis.
* Cornelius Jansenius, Leerdam. Epiſcopus Iprenſis.
Cunerus Petri, Epiſc. Leovard.
Embertus Everaerts, Arendonc.
Euſtachius à Zichenis, Ord. S. Dom.
* Franciscus Sonnius, Epiſcopus Antver. & Silvæduc.
Georgius Maigretius, Ord. S. Aug.

Godefridus Striroyde, Ordin. Prædic.
Godeſchalcus Roſemundus, Eyndov.
Guilielmus ab Angelis, Sylvæduc. Epiſc. Ruræmond. nominatus
* Guilielmus Estius, Gorcomienſ.
Guilielmus Fabricius, Noviomag.
* Guilielmus Lindanus, Dordrac. Epiſcopus Rurem. & Gand.
Guilielmus Mercerus, Athenſis.
Guilielmus Taſſelon, Bruxell. Ordinis S. Aug.
Heimericus de Campo, Colonienſis.
* Henricus Cuyckius, Epiſc. Rur.
Henricus Gravius, Lovanienſis.
Henricus Lancilottus, Mechlinienſis, Ordinis S. Auguſt.
Henricus Rampen, Huenſis.
Henricus à Zoemeren, Doctor Pariſ. & Lov.
Jacobus Bayus, ab Atho.
Jacobus a Castro, Epiſ. Ruræm.
Jacobus Comans, Gelder.
Jacobus Janſonius, Amſtelod.
* Jacobus Latomus, Cambron. Hanno.
Jacobus Speccq, Antverp.
Jacobus Veldius, Brug. Ord. S. Aug.
Joachimus ab Oprode, Antverp. Epiſcopus Hebronenſ.
Joannes Bapt. Verjuys, Antv. Ord. Prædic.
Joannes de Beets, Ord. Carmelit.
Joannes de Bomalia, Ord. Prædic.
Joannes de Bononia, Siculus.
Joannes Briardus, ab Atho.
Joannes Caramuel a Lobcowits, Hiſpanus, Ordinis Ciſtercienſis, dein Epiſcopus Vigefanenſis, &c.
Joannes Clarius, Tungrenſis.
Joannes Driedo, Turnhautanus.
Joannes Hentenius, Ord. Prædic.
Joannes Heſſelius, Lovanienſis.
Joannes Lenſæus, Athenſis.
Joannes Leonardi, Haſſelius.
Joannes Malderus, Epiſc. Antv.
Joannes Molanus, Lovanienſis.
Joannes Paludanus, Mechlin.
Joannes Paſſchaſius, Ord. Carmel.
Joannes Sinnigh, Corcag. Hibernus.
Joannes Varenacker, Flander.
* Joannes Wiggers, Dieſtenſis.
Jodocus Raveſteyn, Tiletanus.
* Libertus Fromondus, Haccur.
* Martinus Balduini Rithovius, Epiſcopus Iprenſis.
Martinus Dorpius, à Naeltwyck.
* Martinus Steyartius, Vicarius Apoſtolicus Silvæducenſis.
* Michael Baius, Athenſis.
* Petrus Bacherius, Gand. Ord. Præd.
Petrus Curtius, Epiſc. Brugenſis.
Petrus Damaſus De Coninck, Brugenſis, Ordinis S. Auguſtini.
Petrus à Rivo, Aſcanus.
* Ruardus Tapperus, Enchuſanus Academiæ Cancellarius.
Samuel Loyaerts, Attenhovius.
Thomas Gozæus, Bellomontanus.
Thomas Leonardi, Ordinis Prædicatorum, Moſæ-Traject.
Thomas Stapletonus, Anglus.
Vincentius Theodorici à Beverwyck, Ordinis Prędic.

## DOCTORES J. U.

Adrianus de Prooſt, Gandenſis.
Andreas Vallenſis, Andanenſis.
Antonius Perezius, Hiſpanus.
Arnoldus de Lalaing.
Balduinus Henrici, Ziriczæus.
* Boetius Epo, Friſius.
Diodorus Tuldenus, Silvæducenſis.
Elbertus Leoninus, Bommelius.
Franciſcus à Craneveldt, Noviom.
Franciſcus Goethals, Brugenſis.
* Gabriel Mudæus, Brechtanus.
Gerardus Corſelius, Leodienſis.
Guilielmus De Bont, Lovanienſis.
Guilielmus Maſius, Leendanus.
Henricus de Piro.
* Henricus Zoeſius, Amersfortius
Joachimus Hopperus, Friſius.
Joannes Benningius, Amersfortius.
Joannes Molinæus, Gandenſis.

Joannes Noyens, Turnhautanus
Joannes Ramus, Goesanus.
JOANNES VENDEVILLE, Episc. Torn.
* Joannes Wamesius, Leodiensis.
Ludovicus Carrio, Brugensis.
LUDOVICUS DE SCHORE, Præses Sanctioris Consilii.
Maxæmilianus Wittebort, Montens.
* NICOLAUS EVERARDI, Middelb. Præses magni Consilii Mechlin.
Nicolaus Heems, de Capella, Bruxell.
Petrus Clasenius, Lovanienſis.
Petrus Gudelinus, Athensis.
* Petrus Peckius, Zirickzæus.
* Petrus Stockmans, Antverpiensis.
Petrus Vander Aa, Lovanienſis.
Radulphus à Beringhen.
Regnerus Tegnagelius, Arnhem.
Robertus de Lacu, Gandensis.
Stephanus Weymsius, Transmosanus.
* VALERIUS ANDREAS Desselius.
Vulmarus Bernartius, Casletensis.

## MEDICINÆ DOCTORES,

* Cornelius Gemma, Frisius.
Cornelius Scutius.
Gabriel Ayala, Hispanus.
Hieremias Triverius, Gerardimont.
Jacobus Bogardus.
Joannes Sturmius, Mechlin.
Joannes Viringus, Lovan.
Justus Velsius, Hagæ-Comitans.
Nicolaus Biesius, Gandensis.
Nicolaus de Boussut.
Petrus Beausardus, Lovanienſis.
Petrus Castellanus, Gerardimont.
Petrus Pierius à Smenga, Frisius.
Rainerus Gemma, Frisius.
Thomas Fienus, Antverpiensis.
* Vopiscus Fortunatus Plempius, Amst.

## EX AGRO LOVANIENSI.

### ARSCHOTANI.

JOannes Van Craesbeeck, Ord. Cisstercienſis.
Maxæmilianus ab Eynaten, Scholasticus Antverpiensis, Theol.

### DIESTHENSES.

Adrianus Moerbecanus, Ord. Præmonst.
Albertus Herlemannus.
Arnoldus Joannis.
Faustinus Cranius, Capucinus.
Gaspar Gellius, Ord. Præmonst.
Godefridus Striroyde, S. T. D. Ord. Præd.
Jacobus Typotius, J. C.
Joannes Beer, sive de Palude, Gymnasiarcha.
Joannes de Brecht, Can. Regul.
Joannes de Blaer, Benedictinus.
Joannes Cornelii, Canonicus Regul.
Joannes Cryterius, S. T. D. Ordinis S. August.
Joannes à Meerhout, Can. Regul.
Joannes Sweertius, Carthusianus.
* JOANNES WIGGERS, S. T. D. Lov.
Laurentius Campester, Scholarcha.
* Nicolaus Clenardus, Philologus.
* NICOLAUS ESSCHIUS, Pastor Begg.
Petrus Dorlandus, Carthusianus.

### THENENSES.

Guilielmus à Thenis, Ord. Prædic.
Joannes de Beetz, Ord. Carmel. S. T. D.
Petrus Impens, Canon. Regul.
Sebastianus Tichon, Canonicus.
Joseph Geldolphus à Ryckel, *ex Oirbeeck*, Abbas S. Gertrudis Lovan.
Samuel Loyaerts, S. T. D. Lovan. *ex Attenrode.*
Joannes Drusius, Abbas Parcensis, *ex Cumptich*
Georgius Colvenerius, S. T. D. Duac. *ex Glempe.*
{ Guilielmus Lupus, Prof. Lovan.
{ Petrus Lupus, Carmelita, S. T. D. Lovanienſis, *ex Goitsenhove.*
Pipinus Rosa, Ord. Prædic. Episc. Salubr. Suffragan. Mechl. *ex Landen*
{ Bartholomæus Petri, S. T. D. Duaci.
{ Martinus Groeneschilt, Canonicus Tungerl. Ord. Præm. *ex Linter.*

Ludovicus Bivordanus, Canon. Reg. *ex Roda S. Petri.*
Tertius Damianus Vissenacus, Medicus, *ex Vissenaecken.*
Eustachius de Rivieris, Ordinis Præd. S. T. D. Lovan.
Franciscus Zichemius, Ordinis FF. Min. *Zichemienses.*

## WALLO-BRABANTI NIVELLENSES.

Balduinus des-Hayes, Canonicus.
Cornelius Donthier, Ord. FF. Min.
Franciscus Mosschus, Historicus
Joannes Tinctor, J. U. D.
Maximilianus Lenglez, Ord. FF. Min.
Petrus Regis, Ord. FF. Min. Theol.
Gosuinus de Bousut, Monachus Villariensis.
Nicolaus de Bousut, Med. Doctor Lov. *ex Bousut.*
Joannes de Bomalia, Ordinis Prædic. S. T. D. *ex Boumal.*
Vincentius Hensbergius, Ord. Prædicat. *Geldenienſis.*
Guilielmus du-Payx, Abbas Floreff. *Gemblacenſis.*
Joannes Stannifex, Philosophus, *ex Goſſelies.*
Joannes du Monceaux, S. J. *Hannutenſis.*
Gerardus de Jacea, Historicus, *ex Jeauche*
Franciscus à Burgundia, Vir nob.
Hermannus à Burgundia, *de Fallais.*
Petrus Montanus, Buretius, Ord. FF. Min. *ex Peruwez.*

## ANTVERPIENSES,

Abraham Gorlæus, Historicus.
* Abraham Ortelius, Geograp.
Adrianus Adriani, S. J.
Adrianus Blict, J. C.
Adrianus Van Lyere, S. J.
Adrianus Van Meerbeeck, Histor.
Adrianus Scholiers, Poëta.
Adrianus de Witte, S. J.
Ægidius de Smidt, S. J.
Alexander Carolus Trognesius.
Alexander Graphæus J. C.
Anna Bynsia, filia devota.
* Ven. Mater Anna a S. Bartholomæo, Carmelitana.
Antonius Anselmo, J. C.
* Antonius Van Dyck, Pictor
* Antonius Sanderus, Historicus.
Antonius Thysius, Hæreticus.
Augustinus Sabothius, Ord. S. Aug.
* Augustinus Wichmans, Abbas Tong.
* Balthazar Ayala, J. C.
Balthazar Basseliers, Ord. FF. Min.
Balthazar Corderius, S. J. Theol.
* Balthasar Moretus, Typogr.
Benedictus Remigius Noydens, Ord. FF. Min.
Bernardus Bauhusius, S. J. Poëta.
Gaspar Barlæus, Historicus Calvin.
Casperius Gevartius, J. C.
* Christophorus Butkens, Abbas S. Salv. Gencalog.
* Christophorus Plantinus, Typ.
Cornelius Ghistelius, Poëta.
Cornelius Grassius, Carthusianus.
Cornelius de Jode, Cosmographus.
Cornelius Martinius, Lutheranus.
Cyprianus Crousers, Capucinus.
Damasus à Ligno, Ord. Prædic.
Daniel Bombergus, Typographus.
Daniel Eremita, Philologus.
David, aliis Salomon Haecx, Canonicus. *Add. p. 229. Obiit 7. Februar. 1656.*
David à Mauden, Pastor.
David Michael Regius, Bogardus.
Dominicus Custos, Chalcographus.
Elias Putschius, Philologus.
Elias à S. Theresia, alias Wils, Carmelita Discalc.
* Emanuel Van Meteren, hæreticus, Historicus.
Emanuel Rodriguez, Augustin.
Emanuel Sueyro, Historicus.
Eutichius de Cordes, Abbas Ordinis S. Ben. in Italia

Franciſcus Van der Dilſt, J. C.
Franciſcus Goubau.
Franciſcus l'Hermite, S. J.
Franciſcus de Licht, Presbyter.
Franciſcus Mennens, Presbyter.
Franciſcus Paludanus, Ord. Min.
Franciſcus Scottus (bis)
Franciſcus de Smidt, S. J.
* Franciscus Sonnius, Epiſcopus Antverpienſis.
Franciſcus Sweertius, Hiſtoricus.
Franciſcus Vander Veken, S. J.
Franciſcus Woverius.
Fredericus de Marſſelaer, Hiſtoricus.
Gabriel Ayala, Medicinæ Doct.
Gaſpar Jongelinus, Abbas Ordinis Ciſterc. Hiſtoricus.
Gaſpar Schuermans, Poëta.
Gaſpar Verſtockt, Ordinis Ciſterc.
Georgius Vivien, J. U. D.
Gerardus de Antverpia, Theol.
Gerardus Candidus, Hiſtoricus.
Gerardus à Wolſchaten.
Godefridus Bullionius, Marchio Antverp.
Godefridus Vereycken, Medicus.
Guilielmus Bolognino, Canonicus ac Theol. *Add. pag* 393. *Obiit* 24. *Octobris* 1669.
Guilielmus Heſius, S. J. Poëta.
Guilielmus Marquis, Medicus.
Guilielmus Mennens, J. C.
Guilielmus vanden Nieulant, Pictor.
Guilielmus Oonſelius, Ordinis Prædic.
Henricus Adriani, Paſtor.
Henricus Comans, Minimus.
Henricus Engelgrave, S. J.
Henricus Kifelius, Poëta.
Hermannus Leomelius, Theologus.
Hieronymus Coxie, Iconographus.
Hieronymus de Meyere, Ord. FF. Minorum.
Hubertus Phaleſius, Benedictinus.
Jacobus Aurata, Scholarcha.
Jacobus de Bie, Chalcographus.
Jacobus Bordincx, Med. Doctor, Lutheranus.
Jacobus Colius.
Jacobus Eyckius, Poëta.
Jacobus Gherinus, Medicus.
Jacobus Libens, S. J. Poëta.
Jacobus à Logenhagen, Birgittinus.
Jacobus Seghers, Ord. Ciſterc.
Iacobus Speecq, S. T. D. Lov.
Iacobus Stratius, S. I.
Iacobus Tirinus, S. I. Prof. S. Script.
Iacobus Wemmers, Ord. Carmelit. Epiſcopus Caïri.
Ianus Gruterus, Calviniſta.
Ignatius Derkennis, S. I. Theol.
Ioachimus Fortius, Ringelbergius, Philologus.
Ioachimus ab Oprode, S T. D. Epiſc. Hebron. Suffraganeus Ultraj.
Ioachimus à Puteo, Bogardus.
Ioannes Aſcanius Bochius, I. C.
Ioannes Aſſeliers, I. C.
Ioannes Bapt. Engelgrave, S. I.
Ioannes Bapt. Grammaye, Hiſtoricus.
Ioannes Bapt. Lambertinus, Hiſtoric.
Ioannes Bapt. Verjuys, S. T. D. Ord. Prædic.
Ioannes Bapt. Uwens, S. I.
Ioannes Bellerus, Typographus.
Ioannes à Boſco, Ord. FF. Min.
Ioannes Brantius, I. C.
Ioannes Carolus de la Faille, S. I. Mathematicus.
Ioannes Carolus Schets, I. C. Conſiliarius, & Epiſc. Tornac. nominat.
Ioannes Charles, I. U. D. Conſiliarius Mechlin. tandem Minorita.
Ioannes Coutereels, Arithmeticus.
Ioannes Florianus, Poëta.
Ioannes Godſcalcus, Gymnaſiarcha.
Ioannes de Laet, Hiſtoricus.
Ioannes à Lapide, Ordinis Præmonſt.
Ioannes Van der Linden, Cellita.
Ioannes Malderus, Epiſc. Antv
Ioannes Miræus, Epiſc. Antverp.
Ioannes Moretus, Typographus.
Ioannes Van Parys, S. I.
Ioannes Schalck, Bogardus.
Ioannes Tacquet.

Ioannes Thuys, Notarius.
Ioannes Wierts, I. C.
Ioannes Woverius, I. C. Philologus.
Iodocus Deimarets, S. I.
Iodocus de Weerdt, Penſionarius.
Iosephus de Bergaigne, Ordinis FF. Min. Archiepiſc. Camerac.
Iuſtus Blancwaltius, Theol. Canon.
Lævinus Brechtus, Minorita.
* Lævinus Torrentius, II. Epiſc. Antverp.
Laurentius Beyerlinck, Archipresbyter, Hiſtoricus.
Lazarus Marquis, Medicus.
Leo Meyerus, Præpoſ. Harlebac.
Leonardus à S. Franciſco, Carmelita Diſcalc.
Ludovicus Nonnius, Medicus.
Ludovicus Woverius, Poëta.
Macarius Havermans, Religioſus S. Mich. Theologus.
Macarius Simeomo, Abbas S. Michaelis.
Marcus Cornelius Martini, Philoſ.
Marius Ioannes Godtſcalcanus, Bogardus.
Martinus Antonius Delrio, S. I.
* Matthæus Weſenbecius, I. U. D. Lutheranus.
Melchior Barlæus, Poëta.
Michael Van der Haghen, Poëta.
Nicaſius Baxius, Auguſtinianus.
Nicolaus Clericus, Secretarius Antv.
Paulus Ryſtius, Ordinis Prædic.
Petrus Ægidius, I. C. Urbi à Secretis.
Petrus à Boexelaer, Ord. Ciſterc.
Petrus Carpenterius, Scholarcha.
Petrus Coens, S. T. L. Canonicus.
Petrus Dems, Carthuſianus.
Petrus Frarin.
Petrus Godefridi, Bogardus.
Petrus Heynſius, Poëta.
Petrus Mallants, Dominicanus.
* Petrus Paulus Rubens, Pictorum Apelles.
Albertus Rubenius, I. C. & Antiquar.
Petrus Scholierius, Poëta.
* Petrus Stockmans, I. U. D. Lov. Senator Brab. &c.
Petrus Wemmers, Ord. Carmel.
Petrus Weſenbecius, I. U. D. Luther.
Philippus Hoefwinckel, Ord. Præm.
Philippus Nigri, I. Epiſc. nominatus.
Philippus Nutius, S. I.
Philippus Rubenius, Urbi à Secretis.
Polycarpus de Hertoghe, Ord. Præm.
Richardus Verſtreganus, Hiſtoricus.
Robertus Sweertius, Plebanus.
Samuel Quickelbergius, Medicus.
Theodorus Gallæus, Sculptor.
Theodorus Moretus, S. I. Mathem.
Thomas Fienus, Medic. Doctor Lov.
* Wenceſlaus Coeberger, Architectus.
Zacharias Lippeloo, Carthuſianus.
Zegerus Van Hontzum, Canon. Pœnitentiarius.

## EX MARCHIONATU ANTV.

### LIRANI.

Guilielmus Huysmans, Prof. Lovan.
Ioannes Boucquet, Ord. Prædic.

### BERGIZOMENSES,

Ægidius Everardus, Med. Doctor.
Daniel Petri, Canonicus Regul.
Everardus Bergenſis, Medic. Doctor.
Ioannes Latomus, Canonicus Regul. Hiſtoricus.
Ioannes à Meyen.
Lambertus de Rycke, Miniſter Calv.
Marcus Zuerius Boxhornius, Hiſtor. Profeſſ. Leidenſis.
Thomas de Rouck, Conſul.
Willebrordus Boſſchaerts, Canonicus Tungerloenſis, Hiſtoricus.

### BREDANI.

Adamus Keſelius, Poëta.
Antonius Buſſennius, Medicus.
Gerardus de Breda, Carthuſianus.
Guilielmus Abſelius, Carthuſianus.

Hubertus

Hubertus Rietmaeckers, Medicus.
Ioannes de Hegelsom, Presbyter.
Joannes Baerlenus, Ordinis Prædic. *ex Baerle.*
* Leonardus Lessius, S. J. Theol.
* Gabriel Mudæus, J. U. D. Lovan.
Joannes Custos, Gymnasiarcha, *ex Brecht.*
Jodocus Van der Heyden, Gymnasiarcha, *ex Calmpthout.*
Cornelius Kilianus, Typographus. *ex Duffel.*
Gummarus Cranius, Pastor ac Poëta, *de Wavria S. Catharinæ.*
Guilielmus de Hilderniſſe, Ord. FF. Carmel. Theologus. *Ex Hilderniſſe.*
Adrianus de Veteri-Busco, Benedict. *ex Oudenbosch prope Bredam*
* Ioannes Stadius, Philologus, *ex Loenhaut.*
Laurentius Rosendalius, Carthusianus, *ex Roosendael.*
Cornelius à Santvliet, Ord. S. Bed.
Ioannes à Santvliet, Medicus, *ex Vico cognomine.*
Gerardus Vorsselman, Med. Doctor, *ex Sundert.*

## CAMPINIENSES.

Embertus Everaerts, S. T. D. Lov. *ex Arendonck.*
Andreas Gennepius, Philologus
Augustinus Wils, Philologus.
Hieronymus Elenus, I. C *ex Balen.*
Remmerus Valerius, Pastor.
* Valerius Andreas, J. U. D. ac Bibliographus. *ex Desschel*
Petrus à Thymo, Historicus, *ex Ghierle.*

## GELENSES.

Cornelius Ooms, Decanus Gandav.
Gregorius Silvanus, Gymnasiarcha.
Ioannes Ludolphus Craeywinckel, Canonicus Tungerloensis.
Ioannes Maierius, S. T. D. Ordinis Carmelit.

## HERENTALIENSES.

Gerardus Sellius, Philologus.
Petrus Herentalius, Ord. Præm. Hist.
Petrus Memmius, Medicinæ Doctor.
Thomas Herentalius, Ord. FF. Min.

## HOOGHSTRATANI.

Antonius de Lalaing, Comes.
Antonius Schorus, Philologus.
Arnoldus de Lalaing, J. U. D.
Emericus Andreæ, Abbas S. Mich.
Iacobus de Brouwer, S. T. D. Duac. Ord. Prædic.
Iacobus Hooghstratanus, S. T. D. Colon. Ord. Prædic.
Michael Hillenius, Typographus.

## MOLLENSES,

Godefridus Wreys, S. T. L. Canon. Mechlin.
Jacobus Buyens, Ord. Prædic.
Ioannes Coenen, S. T. L. Relig. Tongerloensis.
Ioannes Hoybergius, Prior Corsendoncanus.
Petrus Gerardus, Augustinianus.

## TURNHAUTANI.

Cornelius t'Sas, Theologus.
Henricus Kinschotius, J. C.
Ioannes Driedo, S. T. D. Lovan.
Ioannes Fienus, Medicinæ Doctor.
Ioannes Gevartius, I. C. Canonicus.
Ioannes Noyens I. U. D. Lovaniensis.
Martinus à Turnhout, Ord FF. Min.
Matthias Gertman, S. T. D. Duac.
Petrus Loyex, Pastor.
Thomas Verdonck, Ord. Præmonst.

## SILVÆDUCENSES,

Arnoldus ab Aken, Presbyter.
Arnoldus Havensius, Carthusian.
Balduinus Van Berlicum, Poëta.

Diodorus Tuldenus, J. U. D. Lovan.
Dominicus Schenckelius, Medicus.
Franciſcus Mercator, Paſtor.
* Franciscus Sonnius, I. Epiſc.
Gerardus Cannyſius, Gymnaſiarcha.
Gisbertus Masius, IV. Epiſc.
Godefridus Francken, S J.
Gualterus Tangerius, J. C.
Guilielmus ab Angelis, S. T D. Lov.
Guilielmus de Somere, Ordinis Præd.
Henricus Agylæus, J. C.
Henricus Boort, Poëta.
Henricus Van den Leemputte, Vicarius generalis Silvæducenſis.
Henricus Priem, Gymnaſiarcha.
Hieronymus Verlenius, Theologus.
Jacobus ab Oudenhoven, Hiſtor. Calv.
Ioannes ab Aſſeldonck, Theologus.
Ioannes Berckelaer.
Ioannes Boden, Canonicus.
Ioannes Chryſoſt. Vander Sterre, Abbas S. Michaëlis Antverp.
Ioannes Ciermans, S. I. Mathemat.
Ioannes Floragius, Poëta.
Ioannes de Haze, S. I. Theol.
Ioannes Lantfortius à Turnhout, Gymnaſiarcha.
Ioannes Neevius, Presbyter.
Ioannes Richardus Oſſanæus, I. U D.
Ioannes Werdenus, Presbyter.
Iosephus de Bergaigne, Ordinis FF. Min. ultimus Epiſc.
Lambertus Berchemius, Scholarcha.
Lambertus Thomas Schenckelius, Gymnaſiarcha.
Lambertus à Valle, Theologus
Laurentius Metsius, II. Epiſcop.
Ludovicus Lindanus, Poëta.
* Martinus Steyaert, S. T. D. Vicarius Apoſtolicus.
Matthias Vornius, Gymnaſiarcha.
Nicolaus Tuldenus, I. C. Scabinus.
Nicolaus Zoesius, V. Epiſcopus.
Petrus Bruxelius, S. I.
Petrus Lokemans, Paſtor.
Petrus Vladeraccus, Philologus.
Simon Pelegromius, Guilielmita.
Theodorus Amydenus, I. U. D. Rom.

## EX AGRO SILVÆDUCENSI.

Gerardus Iacobi, Hiſtoricus.
Henricus Van-der-Weyden, Paſtor.
Ioannes Iacobs, Can Brug *ex Aſten.*
Arnoldus Oridrius, Philologus.
Laurentius Nagelmaecker, Theol. Archidiac Mechlin. *ex Bergeyck.*
Martinus Breſſerus, S. J. Theol *Ex Boxtel.*
* Emundus Dintherus, Hiſtoricus, *ex Dinther.*
Simon Verepæus, Canonicus Silvæducenſis, Philologus, *ex Dommel.*
Henricus Herpius, Ord FF. Minorum Theologus, *ex Erp.*
Godeſchalcus Roſemondus, S. T. D. Lovanienſis, *Eyndhovienſis.*
Chriſtophorus Vladeraccus, Philolog.
Ioannes Van Geffen, Poëta.
Ioannes Slootanus, Ordinis Præd. Theologus, *ex Geffen.*
Henricus Caſtricius, Philologus, *ex Geldorp.*
Antonius Torrentinus, Philologus.
* Georgius Macropedius, Philologus, *ex Gemert.*
Arnoldus Olorinus, ſeu Swaens, Decanus Gertrudisb. *ex Goirle*
Ioannes Bueckelius, Theol & Paſtor.
Philippus Boeſtius, Theol. & Paſtor.
* Wilhelmus Herincx, è Minorita Epiſc. Iprenſis, *Helmondani.*
Antonius Hemertanus, ſive Hulſtius, *ex Hemert.*
Guilielmus Fabius, Medicus.
* Ioannes Goropius, Hiſtoricus.
Ioannes Lange crucius, Theol. & I.C.
Martinus Becanus, S. I. Theologus. *Hilvaribecani.*
Guilielmus Maſius, I. U. D. Lovan. *ex Leend.*

Cornelius Hanegrave, Canon. Tong.
Iacobus Vivarius, Poëta.
Ioannes Huberti, Theologus & Consiliarius Brab. *ex Loemel.*
Goſwinus Hexius, Carmelit. Epiſc. Hierapolit. *ex Loenhout.*
Gerardus Otthonis, S. I. *ex Maeren.*
Godefridus à Mierlo, Epiſc. Harlem.
GUILIELMUS AB ENCKEVOIRT, S. R. E. Cardinalis, *Mierloënſes.*
Adrianus Crommius, S. I. Poëta.
Henricus de Merica Canonicus Reg.
B ODULPHUS, Can. Ult. *Oirſchotan.*
Adrianus de Poirtres, S. I. Poëta
Leonardus Buck, Canon. Regul.
* Nicolaus Eſſchius, Paſtor Beggin. Dieſtenſis, *Ooſterwicani.*
Gerardus à Veltwyck, Theſaurarius Aurei Velleris, *ex Raveſtein.*
Henricus Marcelli, S. I *ex Roſmalen.*
Godefridus, Presbyter.
Godefridus van Santvoort, Canonicus Antverp. *ex Rhoda S. Odæ.*
* Martinus Balduini Rithovius, Epiſcopus Iprenſis.
Petrus Bruheſius, Med. *ex Rythoven.*
* Franciſcus Sonnius, Epiſcopus Antverpienſis & Silvæducenſis, *ex Son.*
Dionyſius Mudſaerts, Canonicus Tungerloenſis, Ord. Præmonſtratenſis, *ex Tilburg.*
Henricus à Zoemeren, S. T. D. Lov. *ex Zoemeren.*

## MOSÆ-TRAJECTINI.

ADulphus Happart, Mon. Bened.
Andreas de Trajecto, Monachus Bened.
Bernardus de Moſætrajecto, Carthuſianus.
Chriſtianus Bouwens, Sacerdos.
Chriſtianus Furnius, ſeu Iſſchyrius, Philologus.
Franciſcus Iacobi.
Gerardus de Marbais.
* Hubertus Loyens, Secr. Conſ. Brab.
Ioannes Trajectinus, Monachus Olivet.
Ioannes Dillen, I. C.
Ioannes Ramirez, S. I.
Matthæus Herbenus, Poëta.
Nicolaus Cruſenius, S. T. D. Ordinis S. Auguſt.
Paulus Roſmer, S. T. D. è S. I.
Theodorus Roſmer, S. J.
Thomas Leonardi, S. T. D. Lov. Ordinis Prædic.

✣ ✣ ✣

## §. II. LIMBURGENSES,

ÆGidius Synegorus, Philologus.
Franciſcus Byrſæus, Philologus.
Franciſcus Piroulle, Theologus
* Gilbertus Fuſchius, alias Philaretus, Medicinæ Doctor.
Guilielmus Brochæus, S. I.
Ioannes Fleming, Poëta.
Petrus Lansbergius, Poëta.
Remaclus Fuſchius, Medicus & Can.

## EX AGRO LIMBURGENSI.

Ioannes Bollandus, S. I. *ex Tulio monte.*
Ioannes Deckherus à Walhorn, I. C. Conſiliar. Bruxell. *Falcoburgenſis.*
Ioannes Roſenthal, S I. *Rolducenſis.*
Matthias Hauzeur, Ord. FF. Min. Theol. *Hervienſis. Add. pag.* 874. *Obiit Leodii* 12. *Octob.* 1676.
Stephanus Weymſius, I. U. D. Lov. *ex Voerda, ſeu Foro S. Petri.*

✣ ✣

## §. III. MECHLINIENSES.

ADrianus Marius Nicolaus, I. C.
Antonius Smetius, Theologus.
Antonius Sucquet, S. I.
* Auguſtinus Hunnæus, S. T. D. Lov.
Auguſtinus Reymarius.
Carolus à Grobbendonck, S. I.
Chriſtophorus de France, Epiſcopus Audomar.
* Chriſtophorus Longolius, I. U. D.
Cornelius Lancilottus, Ord. S. Aug.

Cyprianus Rorus, Muſicus.
Florentius ab Hanſwyck, Capucinus.
Franciſcus Coſterus, S. J. Theol.
Franciſcus Monachus, Ord. FF. Min.
Franciſcus Vervoort, Ord. FF. Min.
* Franciscus Zypæus, I. C. Archidiaconus Antverp.
Gerardus Van Herdegom, Canon. Tungerloenſ. Ordinis Præmonſtrat.
Guilielmus à Mechlinia, Abbas S. Trudonis.
Henricus Batenus, S. T. D. Pariſienſis.
Henricus Lancilottus, S. T. D. Ord. S. Auguſtini.
Henricus Luytens, Canonicus
Henricus Zypæus, Abbas Oudenburgenſ. Ordinis S. Ben.
Ioachimus Rolandus, Medicus.
Ioannes Ant. à Gurnez, Congreg. Oratorii.
Ioannes Bernartius, J. C.
Ioannes Caron, Benedictinus.
Ioannes Domyns, Paſtor, Hiſtoricus.
Ioannes Faber, I. C.
Ioannes à Malinis, Carmelita.
Ioannes à Mechlinia, dictus Hulshout, Carmelita.
Ioannes Neevius, Auguſtinianus.
Ioannes Paſſchaſius, Carmelita, S. T. D. Lovan.
Ioannes Sturmius, Med. Doct. Lovan.
Ioannes Varennius, Prof. Lovan.
Ioannes Verbrugghe, Paſtor.
Joannes a Wachtendonck, Archiepiſcopus Mechlinienſis.
Jodocus de Rycke, Ordinis FF. Minorum, Miſſionarius Americanus.
Lambertus Vander Burch, Decanus B. M. Ultrajecti.
Laurentius Haechtanus, Philologus.
Martinus à S. Trudone, Canon. Reg.
Matthias Hovius, Archiepiſcopus Mechlin.
Nicasius a Woerda, I. U. D. Colon. cœcus.
Paulus Chriſtinæus, I. U. D. Syndicus Magiſtratûs.
Petrus Van Buſcum, Can. Gand. Theol.
Petrus Crabbius, Ordinis FF. Min. Theologus.
Petrus Croon, Canon. Regul.
Petrus Cuypers, I. C. Syndicus.
Petrus à S. Trudone, Prior Generalis Canonicorum Regular.
Philibertus Bruſſelius, Mechliniæ & ſanctioris Conſ. Senator.
Philippus Couplet, S. I. Miſſionarius Sinenſis.
* Rembertus Dodonæus, Med. Doctor Lugd. Bat.
Rolandus Machlinienſis, Medicus.
Rumoldus Coſterus, Minorita.
Rumoldus Stenemola, Senatûs Hollandiæ Actuarius.
Servarius Smets, Auguſtinianus.
Thomas Ryetius, Medicus.

## ARCHIEPISCOPI ET CANON. MECHLINIENSES

Guilielmus ab Enkevoort, S. R. E. Cardinalis, Præpoſ.
Antonius Perrenot, S. R. E. Cardinalis, I. Archiepiſcopus.
Guilielmus Alanus, S. R. E. Cardinalis Archiepiſcopus nominatus.
Lævinus Torrentius, Archiepiſcopus nominatus.
Matthias Hovius, Mechlin. III. Archiepiſcopus.
Ioannes Wachtendonck, Mechlinienſis VI. Archiepiſcopus.
Pipinus Roſa, Suffraganeus Mechlin.
Hieronymus Buſlidius, Fundator Tril.
Henricus Luytenius, Canonicus.
Nicolaus Oudaert, Officialis.
Joannes Hugo Quarré, Presbyter Orat.
Cornelius t'Sas, Canonicus.
Laurentius Nagelmaker, Archidiac.
Laurentius Neeſen, Præſes Semin.
Godefridus Wreys, Pœnitentiarius.
Ioannes Huberti, de Loemel.
Petrus à Rivo, S. T. D. Lov.

Digitized by Google

Philippus Nigri, Decanus, dein Episcopus Antverp.

## PRÆSIDES ET SENATORES MAGNI CONSILII.

Adrianus Nicolai Marius, Mechlinienſis.
Ægidius Stalins, Gandenſis.
Antonius Baert, J. U. D. Bruxellenſis
Balthaſar Ayala, Antverpienſis.
Carolus Philippus Hatron, Bruxellenſis.
Diodorus Tuldenus, J. U. D. Sylvæducenſis.
Everardus Nicolaius, Præſes Conſ.
Franciſcus à Craeneveldt, Noviomagenſis, J. U. D.
Georgius Rataller, Leovardius.
Georgius à Tempſeca, Brugenſis.
Gerardus Mulertus, Ultrajectinus.
Guilielmus à Blitterſwyck, Bruxell.
Guilielmus Cripius, Delphenſis.
* *Omiſſum erat in ejus elogio Munus Conſiliarii Mechlin*
Hieronymus Buſlidius, fundator Collegii Trilinguis Lovanienſis.
Hieronymus de France, Duacenſis.
Joachimus Hopperus, Friſius, J. U. D.
Joannes du Bois, Gandenſis.
Joannes Carolus Schets, dein nominatus Epiſcopus Tornacenſis.
* Joannes Carondelet, Archiepiſcopus Panormitanus &c.
Joannes Charles, J. U. D. Tandem Minorita.
Lambertus à Briarde, Præſes Conſ.
Ludovicus de Schore, Præſes ſanctioris Conſilii.
* Nicolaus Everardi, Middelburgenſis J. U. D. Lov. Præſes Conſil.
Nicolaus du Fief, Epiſcopus nominatus Atrebatenſis
Petrus Cuypers, Mechlinienſis.
* Petrus Peckius, Ziricz. J. U. D. Lov.
Petrus Peckius, Lovan. dein Brab. Cancellarius.
Philibertus Bruſſelius, Mechlinienſis.
Philippus Nigri, dein Epiſc. Antv.
Philippus Wielandt, Præſes Conſilii Flandriæ.
Simon de Fierlant, dein Brab. Cancel.
* Viglius Zuichemus, Friſius, dein Sanctioris Conſilii Præſes.

❖ ❖ ❖

## §. IV. FLANDRI.

### BRUGENSES,

* ADolphus a Meetkercke, J. U. D. Præſes Conſ. Fland.
Adrianus Baltin, I. C.
Adrianus Schrieckius, Hiſtoricus.
Adrianus Stratius, I. C.
Adrianus Van der Burch, I. C.
Ægidius Schoondonck, S. I.
Ægidius Wallius, S. T. D. Lov.
Ægidius Wytſius, I. C.
Ambroſius de Woeſtine, Ordinis S. Benedicti.
Andreas Hoius, Hiſt. Prof. Duaci.
Andreas Ketelius, Poëta.
Anſelmus de Boodt, Medicus.
Antonius à Burgundia, Decanus.
Bartholomæus de Brugis, Medicus.
Bonaventura Vulcanius, hæreticus.
Cæſar Habrechtus, I. C.
Carolus Fernandus, Benedictinus.
Cornelius Bartholomæi, Canon. Reg.
Cornelius Henricus Mathiſius, M. D.
Cornelius Scutius, Medicinæ Doctor.
* Dominicus Lampſonius, Poëta.
Emanuel de Aranda, I. C. Hiſtoricus.
Franciſcus Goethals, I. U. Doctor.
Franciſcus Gomarus, Theol. Calvin.
* Franciſcus Lucas, Th. Dec. Audom.
Franciſcus Mileman, S. I.
Franciſcus Plante, Miniſter Calvin.
Franciſcus Tant, Ord. FF. Min.
Georgius Caſſander, Theologus.
Georgius à Tempſeca, I. U. Doctor.
Gregorius à S. Vincentio, S. I. Mathematicus.

B. Gualterus de Brugis, Epiſc. Pictav.
Guido Laurinus, I. C.
Guilielmus Iennyn, Poëta.
Guilielmus Malineus, I. C.
Guilielmus Taelboom, Theol. Archidiac. Audomar.
Guilielmus Zenocarus, I. C.
Henricus Mathiſius, Medicus.
Hubertus Audejans, Pœnitent. Brug.
Iacobus Blasæus, Epiſc. Namurcenſis & Audomarenſis.
Iacobus à Brugis, Carmelita.
Iacobus Curtius, I. C.
Iacobus Drieſſchius, Prior Guilielm.
Iacobus Fontanus, I. C.
Iacobus Lernutius, Poëta.
* Iacobus Pamelius, Epiſc. Audomarenſis nominatus.
Iacobus Suſius, S. I.
Iacobus Veldius, S. T. D. Auguſtin.
Ianus Lernutius, Philologus.
Ioannes ab Arundine, Carmelita, Epiſc. Usbitenſ. Suffrag. Traject.
Joannes de Brugis, Mathematicus.
* Ioannes Carondelet, Archiepiſcopus Panormit. &c.
Ioannes Caſenbrotius, Calviniſta.
Ioannes Delrio, Decanus Antverp.
* Ioannes Van Eyck, Pictor.
Ioannes Ferdinandus, Muſicus &c.
Ioannes de Flandria, Præpoſ. S. Donat. Epiſc. Leod. &c.
Ioannes Iennyn, Paſtor, Canon. &c.
* Ioannes Ludovicus Vives, Hiſp. Theol. & Philologus.
Ioannes Otho, Philologus.
* Ioannes Rommel, I. C.
Ioannes Smoutius, Presbyter.
Ioannes Van der Straeten, Ord. FF. Minorum.
Ioannes de Tollenaere, S. I.
Ioannes Van Torre, I. C.
Ioannes Vaſæus, Hiſtoricus.
* Iodocus Damhouderus, I. C.
Ioſeph à S. Barbara, Carmelita Diſcalc.
Lubertus Hautſchildt, Abbas Eeckh.
Lucas Fruterius, Philologus.
Ludovicus Carrio, I. U. D. Lovan.
Ludovicus de Schildere, S. I.
Marcus Gheeraerts, Pictor.
Marcus Laurinus, Philologus.
Marcus Laurinus, Decanus S. Donat.
Margareta Austriaca, Belgii Gubernatrix.
Marius Voet, Vir Conſularis.
Martinus Everaerts, Medicus.
Matthias Lambrecht, III. Epiſcopus Brugenſis.
Nicolaus Lampſonius, Dec. S. Dion. Leod. Poëta
Nicolaus Mulierius, Calviniſta, Medicinæ Doctor.
Nicolaus Romæus, S. I.
* Nicolaus Rommel, J. C.
Nicolaus Suſius, S. I.
Olivarius Vredius, Genealogiſta.
Perſevaldus Belligemius, cœcus natus, Prof. Pariſ.
Petrus Burrus, Philologus.
Petrus Colvius, Philologus.
Petrus Curtius, I. Epiſcopus.
Petrus du Fay, S. T. D. Ord. Præd.
Petrus Damaſus de Coninck, S. T. D. Ordinis S. Auguſt.
Petrus Gerardus, Poëta.
Petrus Pontanus, cœcus, Prof. Pariſ.
Philippus de Maldeghem.
Philippus Poelarius, Decanus Harleb.
Philippus Sueveelius, S. I.
B. Robertus de Brugis, Abbas Dunenſis ac Claræval.
Rodolphus Brugenſis, Mathemat.
Simon Stevinus, Mathematicus.
Tertius Anſelmus Opitius Adornes, Conſul.
Valentinus Biſſchop, S. I.
Vincentius de Stochove, Conſul.

## E FRANCONATU BRUGENSI.

Carolus Rotcas, I. C.
Ioannes Uyt-ten-hove, Ord. Præd.
*Ardemburgenſes.*

Ægidius de Dammis, Ordinis Ciſt.
Iacobus à Mcellandt, I. C. malè vocatus *Uyllen-ſpiegel Dammenſes.*
Cyprianus à S. Maria, aliàs Plouy, Carmel. Diſcalc.
Robertus Montanus, Medicus.
Thomas Montanus, Medicus. *Dixmudani.*
Melchior Neipius, Paſtor. *ex Bredene*
Georgius Caſſander, Th. ſuſpectus.
Petrus Clobardus, ex Schoondycke, *ex Caſſandia.*
Albericus Thoſanus, Ordinis Ciſterc. *ex Ter Doeſt.*
Arnoldus van Geluwe, Ruſticus eruditus, *ex Hardoye.*
Arnoldus Gerardus.
MATTHIAS LAMBRECHT, Epiſcopus Brugenſis, *ex S. Laurentii.*
* Jacobus Rævardus, J. C. *ex Liſſeweghe.*
Adrianus Chilius, *ex Maldeghem.*
Lævinus Apollonius, Hiſtoricus. *Middelburgenſis.*
* Franciſcus Modius, Philologus.
Joannes Aldenburgius, Carmelita, *Oudenburgenſes.*
Ioannes Geldrius, Poëta. *ex Ruiſſelede.*
Victor Giſelinus, Philologus, *ex Santvoorde.*
S. REMBERTUS, Archiepiſcopus Hamburgenſis & Bremenſis, *Thoraltenſis.*
Martinus Smetius, Antiquarius, *ex Weſtwinckel.*

## GANDAVENSES.

ADrianus Crucius, S. I.
Adrianus de Prooſt, I. U. D. Lov.
Adrianus Todeſchinus, Miles.
Adrianus Vlaccus, Mathematicus.
Ægidius Burgundius, I. C.
Ægidius à Gandavo, Theologus.
Ægidius Stalins, I. C.
Ambroſius à Gandavo, Ordinis Ciſt.
Andreas Papius, Philologus.
Anſelmus Van Hulle, Pictor.
* ANTONIUS SANDERUS, Hiſtoricus.
Antonius Walæus, hæreticus.
Arnoldus Boſtius, Carmelita.
Balduinus de Beer, Canonicus.
BALDUINUS, Comes Flandriæ.
Balduinus Ronſſæus, Medicus.
Balduinus Van der Piet, I. U. Doctor.
Carolus de l'Eſpinoy, Conſiliarius.
Carolus Van Hoorn, Auguſt. S. T. D.
* Carolus Langius, Philologus.
CAROLUS V. Imperator.
Carolus Rym, J. U. D.
Carolus Smyterius, J. C.
Carolus Uyttenhovius, Philologus.
Chriſtophorus Van Heurne, Hiſtoric
Cornelius Camerarius, Philologus.
Cornelius Gualterius, Canonicus.
* CORNELIUS JANSENIUS, I. Epiſc.
Cornelius Luminæus à Marca, Ordinis S. Benedicti
Cornelius Manilius, Poëta.
* Daniel Heinſius, Philologus Calvin.
David Lindanus, Hiſtoricus.
Dionyſius Harduinus, I. U. D.
Eligius Eucharius, Philologus.
Franciſcus Goethals, I. U. D.
Franciſcus Nieulandt, Gymnaſiarcha Lovan.
Georgius Caſtellanus, Hiſtoricus.
Gerardus Rym, Abbas S. Petri.
Gilbertus de Ovis, Ordinis Prædicat.
Gisbertus Winckelius, S. I.
Giſlenus Hammius, Carthuſianus.
Guilielmus Borluut, I. C.
Guilielmus Rycquius, Poëta.
* GUILLIEMUS LINDANUS, II. Epiſc.
Guilielmus Ruchius, Presbyter.
HENRICUS FRANCISCUS VAN DER BURCH, V. Epiſc.
Henricus à Gandavo, aliàs Goethals, Archidiaconus Tornacenſis.
Henricus de Seelin, Poëta
Hilarius Bertulphus, Poëta.
Jacobus Comelinus, typographus.
Iacobus Hammius, I. C.
Iacobus de Somere, Medicus.
Iacobus Zevecotius, Poëta.
Ignatius Dyckerius, Auguſtinianus.

Ioachim Martinus Gregorius, Medic.
B. Joannes Agnus, Dominicanus.
Ioannes de Bloys, Conſiliarius.
Ioannes du Bois, Sindicus.
Ioannes Bunderius, Ordinis Prædic.
Ioannes Carnarius, Medicinæ Doctor.
Ioannes Demophylax, Carmelita.
Ioannes Divitis, ſive Ryckius, Carthuſianus.
Ioannes Drabbe, Boni-collius, Poëta.
Ioannes Dullardus, Philoſophus Pariſ.
Ioannes de Gandavo, Philoſophus.
Ioannes Havrçus, Vir Conſularis.
Ioannes de Hollander, Genealogiſta.
Ioannes Lautens, I. C.
Ioannes Molinæus, J. U. D. Lovan.
Ioannes Olivarius, I. C. Prof. Duac.
Ioanna Othonia, Poëta.
Ioannes Rycquius, I. C.
Ioannes Sanderus, Medicus.
Ioannes Schepperus.
Ioannes Uyttenhove, Ordinis Præd.
Ioannes Waltherus, Conſiliarius.
Ioannes de Wilde, Poëta & Orator.
Iodocus de Ghiſtella, Pro-Conſul.
Iodocus Kerckhovius, Gymnaſiarcha.
Iodocus Lambertus, Typographus.
Iuſtus Harduinus, Poëta.
Iuſtus Ryckius, I. C. Canon. S. Bav.
Lævinus Ammonius, Carthuſianus.
Lævinus Hulſius, Mathematicus.
Lævinus Goethals, Philologus.
Lævinus Pontanus, I. U. D. Duac.
Lævinus Sanderus, S. I.
* Lævinus Torrentius, Ep. Antv.
Laurentius Van den Hane, I. C.
Leodegarius Cardon, S. T. L. Paſtor.
Ludovicus de Blaſere, Hiſtoricus.
Ludovicus Blaviſlos, Poëta.
Ludovicus Lautens, Paſtor.
Marcus à Vaernewyck, Hiſtoricus.
Martinus de Buſſchere, Auguſtin.
Martinus Micronius, Medicus.
Maxæmilianus Vrientius, Secretarius Gand.
Michael Van Hecke, S. T. D. Duacenſis, Ordinis S. Auguſtini.
Michael Paludanus, S. T. D. Lovan. Ordinis S. Auguſt.
Michael Zachmoorter, Theologus, Paſtor &c.
Nicolaus Bieſius, Medicinæ Doctor Lovan.
Nicolaus Uutenhovius, Præſes Conſilii Flandr.
Niverius Langius, Benedictinus.
* Petrus Bacherius, Ordinis Prædic. S. T. D. Lovan.
Petrus Maſſenus Moderatus, Muſicus.
Petrus Montanus.
Petrus Ryckius, J. C.
Petrus Van Waesberghe, I. C. & Hiſt.
Philippus Epiſcopius, Poëta.
Philippus de l'Eſpinoy, Genealogicus.
Philippus Kersbelius, Carmelita.
Philippus Lansbergius, Mathematicus, Calviniſta.
Philippus Mouske, aliàs Meuſe, Epiſcopus Tornacenſis.
Philippus Wannemakers, Ord. Præd.
Philippus Wielandt, Præſes Conſilii Flandr.
Richardus Pottelsberghe, Poëta.
Robertus de Lacu, J. U. D. Lovan.
Rolandus Heelaut, Ordinis Ciſterc.
Simon Gandenſis, Abbas S. Bertini Ordinis S. Benedicti.
Simon Kerckhovius, Canonicus Eccleſiæ Cathedralis.
Vincentius de Rooſe, I. C.

## EX CASTELLANIA GANDAVENSI.

Zacharias Rotz, S. I. *ex Caneghem.*
Paſſchaſius Juſtus, Medicinæ Doctor, *Eclonienſis.*
Sebaſtianus Auguſtus Neuzenus, I. U. D in Germania, *ex Saftinghen.*
* Martinus Steyaert, S. T. D. Lovanii, Vicarius Sylvæducenſis, *ex Somerghem.*

## IPRENSES,

ANdreas Gerardus Hyperius, hæreticus.
Balduinus Cabilleau, S. I.
Carolus Van Houcke, Archidiaconus.
Carolus Van Houcke, S. I.
Carolus Wyckius, Ordinis S. Domin.
* Christianus Lupus, S. T. D. Lov. Ordinis S. Augustini.
* Cornelius Jansenius, VII. Epis.
Dominicus Vuiſtekius, I. C.
Franciſcus Amelry, Carmelita.
Giſlenus Bulteel, Conſul.
Guilielmus Becanus, S. I. Poëta.
Hugo a S. Victore, Abbas Canonicorum Regularium.
Iacobus de Codt, S. I.
Iacobus Ymmeloot.
Ioannes Iperius, Abbas S. Bertini, Hiſtoricus.
Ioannes Juvenis, Medicus.
Ioannes Navigheer, Canonicus.
Isidorus Bulteel, Generalis Ordinis Carmelitarum Diſcalc.
Ludovicus Ioſephus Huvetterus, Canonicus.
* Martinus Balduini Rithovius, I. Epiſcopus.
Oliverius Bonartius, S. I.
Oneſimus de Kien, Capucinus.
Petrus Dathenus, apoſtata ac prædicutius.
Petrus Ponetus, Carmelita.
* Petrus Simonis, II. Epiſcopus.
Salomon Faber, Poëta.
* Wilhelmus Herincx. XII. Epiſc.

## EX CASTELLANIA IPRENSI.

Georgius de Halluin, Vir Nobilis.
* Philippus de Comines, Vir Nob. Hiſtoricus, *Cominienſes.*
Franciſcus Van Hondeghem, Min.
Iacobus Caſtrius, Medicus.
Ioannes Deckerius S. I. Theologus, *Haezebroecani.*
Iacobus Gaius, Philologus.

Iacobus Navarchus, S. I.
Paſſchaſius Zouterius, Philologus, *Hondiſcotani.*
Iacobus Nicolaius, *Loenſis.*
Iacobus Cruquius, Philologus, *Meſſinenſis.*
Sidronius Hoſſchius, S. I. Poëta, *ex Merckhem.*
Andreas Eligius Baccherius I. U. D.
Ludovicus Makebyde, S. I. Theol. *Poperingani.*
Chriſtianus Maſſæus, Hiſtoricus.
Matthæus Pillaert Abbas Claræval. *Warneſtonienſes.*
Guilielmus Lapidanus, Benedictinus, *ex Werwicke.*

## ALDENARDENSES.

GEorgius Cabeliau, Ord. S. Bened.
B. Jacobus Lacopius, Ordinis Prædicatorum Martyr Gorcom.
Ioannes Gheeſdalius, *ex Berchem*, Poëta.
Ioannes Druſius, Theologus Calvin.
Ioannes Mahusius, Ord. Min. I. Epiſcopus Daventrienſis.
Ioannes Royardus, Ordinis FF. Min.
Lævinus Crucius, Paſtor, Philolog.
Matthias Caſtellanus, Poëta.

## ALOSTANI.

ANtonius Van Torre, S. I.
Arnoldus Merſmans, Minorita.
Bartholomæus Battus, Lutheranus.
Cornelius Graphæus, I. C.
Franciſcus à Schonenberg, Decanus Eccl. S. Martini.
Gabriel Janſenius, Scholarcha.
Georgius Colvenerius, S. T. Doctor Duac. Fundator Collegii &c.
Guilielmus Branteghem, Carthuſ.
Henricus Brucæus, Mathematicus.
Ioannes Coſterius, Theol. & Paſtor.
Ioannes Crucius, Paſtor.
Ioannes Sauterus, Profeſſor Lovan.
Iuſtus Balbianus, Med. Doct. Calvin.
Vener. P. Laurentius Musgese-

lius, è Decano Carthusianus.
Nicolaus Stopius, Poëta.
* Petrus Coecke, Pictor.
Petrus à Rivo, S. T. D. Lovan.
Petrus Silvius, Philologus.
Petrus Silvius, Guilielmita.
Petrus Wastelius, Ord. Carmelitarum, S. T. D. Duac.
Theodoricus Martinus, Typographus.
Valentinus à S. Amando, alias Beeckman, Carmelita.

EX AGRO ALOSTANO.

Ægidius Topiarius, Ordinis Prædicatorum, *ex Aspeiaer.*
Arnoldus Laurentius, Poëta. *Ex Berchem.*
Hieremias Triverius, Medicinæ Doct. Lovaniensis, *ex Braeckel.*
Petrus Silvius, S. I. *ex Hauthem S. Livini.*
Henricus Smetius, Poëta & Medicus, Lutheranus, *ex Lede.*
Adrianus Damantius, Poëta, *ex Lemberghe.*
Guilielmus Moerbecanus, Ord Præd. Archiepiscopus, *Ex Moerbeecke.*
Petrus Hamerius, S. J. *ex Munte.*
Hermes Houwaert, Ord. FF. Min.
Joannes Dumæus, Ord. FF. Præd.
Laurentius Ghiffene, Philosophus, *Rothnacenses.*
Matthæus Scornaius, Abbas Ninovienſis, *ex Schoorisse.*
Laurentius de Mets, Augustinianus, *ex Sotteghem.*

BALLIOLANI.

Ægidius de Coninck, S. J. Theologus.
Antonius, Jacobus } Meyerus, ex Vleteren.
Franciscus Thorius, Medicus.
Guilielmus Coornhuysius, Præses Consilii Flandriæ.
Ioannes Strazelius, Professor Parisiis.

CASLETANI.

Anianus Coussere, Monachus Benedict.
Carolus Virulus, Philosophus Lovan.
Guilielmus de Landsheere, S. I.
Ioannes Gya, Phil. Professor Paris.
Nicasius Ellebodius, Medicus.
Petrus Pomeranus, Philologus.
Stephanus Comes Bellocastius, Poëta.
Ludovicus de Berquin, hæreticus, *ex Zuut-berquin.*
Vulmarus Bernartius, I. U. Doctor Lovan. *ex Eecke.*
Michael & Remigius Driutii, *ex Volckerinchove*; prior I. U. D. Lovanii, alter Episcopus Brugensis, quorum Scripta interciderunt.

CORTRACENSES.

Andreas Pevernage, Musicus.
Guilielmus Quickelbeen, Medic.
Ioannes David, S. I.
Iodocus Andries, S. I.
Iustus Iudocus Deculeo, I. C.
* Cornelius Ianſenius, Episc. Gand.
* Petrus Simonis, Episc. Iprensis.
Ioannes Coens, S. T. L.
Ioannes David, dein S. I. *Pastores Cortracenses.*

EX CASTELLAN. CORTRAC.

Ioannes Castelius, Pastor Somerghem: *ex Geluwe.*
Everardus Montanus, S. I. *ex Menenensis.*
Carolus Vermander, Pictor, *ex Meulebeecke.*

DONSANI vulgo DEINSE.

Ægidius Beetsbruggius, J. C.
Guilielmus Baudartius, Calvinista.

DUNKERCANI.

Antonius Silvius, Philologus.
Cornelius Duplicius Schepperus, J. U. D.
Guilielmus Martenus, J. U. D. Præ-

ſes Conſ. Luxemburgenſis.
Iſidorus à S. Joſeph, Carmelita Diſc.
Lambertus à Briaerde, Præſes Conſilii Mechlinienſis.
Petrus Paulus Kerckhovius.

## FURNENSES.

ANdreas de Boye, S. J.
* Carolus de Viſch, *ex Bulſcamp*, Ordinis Ciſtercienſis Hiſtoricus.
Chriſtianus Cellarius, *ex Iſemberghe*.
B. Elias de Coxida, Abbas Dunenſis.
Franciſcus Nanſius, *ex Iſemberghe*, Philologus.
Joannes Boudins, Philologus.
Joannes Juncherus, Canonicus Regul.
Joannes de la Salle, Poëta.
Joannes van Schore, Abbas Furnenſis, *ex Stevinskercke*.
Maillardus Vulderius, J. C. Conſiliarius Gand.
Paulus Leopardus, Gymnaſiarcha, *ex Iſemberghe*.
Petrus Cellarius, *ex Iſemberghe*.
Petrus Dacquet, Medicus.
* Petrus Bertius, è Theologo Calvin. Catholicus, *ex Beveren*.

## GERARDIMONTENSES.

JOannes Stullius, Medicus.
Hieremias Triverius, *ex Braeckel*, Medicinæ Doctor Lov.
Joannes Van Waesberghe, Hiſtoricus
Jodocus Schollaert, Poëta.
Laurentius Cuypers, Ordinis Carmel.
Laurentius Metsius, II. Epiſc. Sylvæducenſis.
Marcus Nevianus, Medicus.
Odo Cambier, Monachus Affligem.
Petrus Caſtellanus, Med. Doct. Lov.

## GRAVELINGANI.

FRanciſcus Gautran, S J.
Joannes Macarius, Canon. Hiſtoricus.
Petrus Lanſſelius, S. J.
Petrus Ligneus, J. C.

## HULSTENSES,

ADrianus Butius, Monachus Dunenſis, Ord. Ciſterc.
* Cornelius Jansenius, Epiſcop. Gandavenſis
Godefridus ab Hulſt.
Joannes Brando, *ex Hontenesſe*, Monachus Dunenſis.
Joannes Gerulphus, Carthuſianus.

## NEOPORTUENSES.

COrnelius Duplicius Schepperus, J. U. Doctor.
Jacobus Marchantius, Hiſtoricus.
Joannes Sareyeus, Gymnaſiarcha.
Jodocus Clichtovæus, S. T. D. Pariſ.
Hieronymus Clichtovæus, Theolog. Pariſienſ.
Petrus de Waghenare, Ordinis Præmonſtratenſis, Hiſtoricus.

## NINOVIENSES.

BAlduinus, Abbas Ord. Præm. ibid.
Joannes Deſpauterius, Gymnaſiarcha.
Petrus Cobbaert, Religioſus Præm.
Petrus Meganch, Philologus.

## TENERAMUNDANI.

BEnedictus de Bacquere, Ordinis Ciſterc.
Cornelius Columbanus Vrancx, Abbas S. Petri Gand.
Jacobus Macdertius, J. U. Doctor Leidenſis Calvin.
* Joannes Livinæus, Theol. Cantor Antverp.
Joannes à Teneramunda, Carthuſianus.
Roſiana Coleners, Poëtria.

## TILETANI.

GUilielmus Bibautius, Generalis Ordinis Carthuſianorum.
Guilielmus Pantinus, Medicus.
Guilielmus Simonius, Hiſtoricus.
Jodocus Raveſteyn, S. T. D. Lovan.

Martinus Baccius, Theol. Archipresbyter Iprensis.
Petrus Pantinus, Decanus D. Gudilæ Bruxellis, Theologus.
* Petrus Simonis, Episc. Iprensis.
Joannes Varenacker, *ex Ruysſede*, S. T. D. Lovan.
Jodocus Hondius, *ex Wacquene*, Cosmographus.

WASIANI,

* Gerardus Mercator, Mathematicus, *Rupelmondanus.*
Jeremias Piersenæus, J. C. Consiliarius Gandavensis.
Joannes Beverus, aliàs Sirjacobs, Philosophus, *ex Beveren.*
Jodocus Velaræus, Gymnasiarcha, *ex Verrebroeck.*

WINOCIBERGENSES,

Cornelius Perduccius, S. J.
Jacobus Yertzweirts, Poëta.
Jacobus Volcardus, Philologus.
Joannes Aendevoet, Theologus.
Maxæmilianus le Dent, S. J. Theol.
Nicolaus Bazelius, Medicus.
Petrus Curius, Gymnasiarcha.
Thomas Rius.
Jacobus Slupcrius, *ex Herzeele.*

❖ ❖ ❖

## §. V. GALLO-FLANDRI.

### INSULENSES.

Adrianus Roulerius, Poëta.
Ægidius Bavarius, S. J.
Ægidius de la Coulture.
Alanus de Insulis, Episc. Autisiodorensis.
B. Alanus de Insulis, Ord. Cist.
Alardus Le Roy, S. J.
Antonius le Pippre
Balthasar de Avila, Generalis Ord. Minimorum.
Dominicus Baudius, Historicus Calvin.
Franciscus Bonæ Spei, aliàs Crepin, Ordinis Carmelitarum Theol.
Franciscus Haemus, Gymnasiarcha.
Franciscus le Roy, S. J.
Franciscus la Ruc, Med. Doctor.
Gualterus de Castellione, Præpositus Tornac.
Guilielmus le Maitre, Medicus.
Hieronymus Du Mortier, Poëta.
Hubertus le Clercq, Poëta.
Hyacinthus Chocquet, S. T. D. Duac. Ordinis Prædicatorum.
Hyacinthus Schellens, Ordinis Prçd.
Jacobus Hautin, S. J.
Jacobus Hugues, Theologus, Canon.
Jacobus du Jardin, S. J.
Jacobus de la Porte, Augustinianus.
Jacquemantius Grelæus, Poëta.
Joannes de le Cambe, dictus Gantois, Ordinis FF. Min.
Joannes Capetius, ex agro Insul. Canonicus D. Petri.
Joannes Carpentarius, Gymnasiarcha.
Joannes Couvillon, S. I. Theologus.
Joannes Huchon, ex agro Insulensi, S. T. Doctor ac Pastor Insulis.
Joannes de Monstrerolio, Præpositus S. Petri Insulis.
Joannes le Roux, Genealogista.
Ioannes de Seur, Genealogista.
Joannes Silvius, Med. Doctor Duac.
Joannes Six, Episc. Audomar.
Joannes Vendeville, Episcopus Tornacensis.
Joannes Vincart, S. J.
Joannes Wacterloop, ex agro Insulensi, S. T. Doctor Duacenus.
Letbertus, Canonicus Insulis, dein Abbas S. Rufi.
Mathias Lobelius, Medicus.
Michael Francisci, Ord. Præd. Episc. Salubriensis.
Nicolaus Parent, Ordinis Cistercicnsis.
Nicolaus Du Toict, S. J.
Petrus le Clercq, Ordinis Prædicat.
Petrus Insulensis, Minorita.
Petrus le Monnier.
Petrus Oudegerst, Historicus.

Petrus Pennequin, S. J. Theologus.
Philippus Gualterus de Castellione, Episcopus.
Quintinus Durctius, Benedictinus.
Rogerius Hangouart, Prœses Cameræ Rationum.
Stephanus l'Archier, sive Lancier, Augustinianus.
Theodorus Wallæus, Augustinianus.
Tossanus Bridoul, S. J.

## EX AGRO INSULENSI.

Bernardus Everardus, Poëta.
Martinus l'Hermite, S. J.
Petrus Hassardus, Medicus.
Philippus Montanus, S. T. D. Parisiis, *Armenterianι.*
Adam de Basseia.
Bonaventura, Capuc. aliàs le Pippre.
Eligius Bassæus, Capucinus, in seculo dictus Facon. ✠ 25. Novem. 1670. *Bassæani.*
* Aegerius Gislenus Busbequius, Historicus.
Petrus Meganch, Philologus.
* Philippus de Commines, Historicus, *Cominienses.*
Joannes Bourgesius, Medicus & Mathematicus, *ex Houplines.*
* Franciscus Raphelengius, Professor & Typographus Leidensis, *Lannoius.*
Joannes Faber, S. T. Doctor Ordinis Prædic. *ex Carvin l'Espinoy.*
Joannes Roserius, Pastor, *Orchiacensis.*
Raimundus de la Dessous, Ordinis Prædicatorum, *Turconiensis.*

## TORNACENSES.

Adrianus de Boulogne, S. J.
Ægidius de Muisis, Abbas Ordinis S. Benedicti.
Alulphus, Ordinis S. Benedicti.
Amandus de Castello, Ordinis S. Ben.
Andreas Catulle, J. C. Canonicus & Archidiaconus.
Baldericus, Episcopus.
Carolus de Landas, J. C.
Dionysius de Villers, Canonicus & Cancellarius.
S. Eleutherius, Episcopus.
S. Eligius, Episcopus.
Gervasius Tornacensis, Canonicus.
Guibertus de Tornaco, Ordinis FF. Minorum Theologus.
Guilielmus Haneton, J. U. Doctor.
Guilielmus Fillatre, Episcopus
Guilielmus de Tornaco, Ordinis Prædicatorum Theologus.
Guilielmus de Tornaco, Monachus S. Martini.
Henricus, Tornacensis Canonicus.
Hermes le Clercq, S. J.
Hermes le Clercq, Medicus.
Jacobus Muevin, Abbas S. Martini.
Jacobus de Partibus, (*Despars*) Med. Doctor Paris. Canonicus Thesaur. Tornacensis. *Omissus. Obiit circa annum 1465. scriptis medicis clarus.*
Jacobus Rogerius, Poëta.
Jacobus Simonis, S. J.
Joannes à S. Amando, Canonicus.
Ioannes Boucher, S. T. D. Archidiac.
Ioannes Carolus Schets, Episcopus nominatus.
Ioannes Cousin, Canonicus.
Ioannes Cotreau, S. T. D. Archidiac.
Ioannes du Blioul, Minorita
Ioannes d'Ennetieres, Vir Nobilis.
Ioannes de la Haye, Canonicus.
Ioannes Morocourt, Carthusianus.
Ioannes Paludanus, Philologus.
Ioannes Le Pessier, S. I.
Ioannes de Pratis, Episcopus.
Ioannes Tinctor, Canonicus.
Ioannes Vendeville, Episcopus.
Laurentius Landmeter, Canonicus Tongerlocnsis, Ordinis Præmonstr.
Laurentius Pratanus, Canonicus.
Ludovicus Fidelius, Canonicus.
Ludovicus Masurius, Calvinista.
Maria d'Ennetieres, mulier erudita.
Maximilianus Villani a Gandavo, Episcopus.
Nicasius à S. Theresia, dictus de la

Foſſe, Carmelita Diſcalceatus.
NICOLAUS DU FIEF, Canonicus, Conſiliarius, Epiſcopus Atrebat. nominatus.
Nicolaus de Formanoir.
Petrus Bard, Cœleſtinus.
Petrus de Cambry, Hiſtoricus.
Petrus Coretus, Canonicus.
Petrus Liebart, I. C.
Petrus de Male, Canonicus, Hiſtoric.
Petrus Mourcourt, Paſtor.
PHILIPPUS MOUSKE, alias Meuſe, Epiſcopus.
Proſper Stellartius, Auguſtinianus.
RADBODUS, Epiſcopus.
Simon de Tornaco, S. T. D. Pariſ.
STEPHANUS, Epiſcopus.
Thomas le Roy, Benedictinus.
Iuſtus ab Aſſumptione, dictus Roger, Carmel. Diſcalc. *Anthonienſis.*

## DUACENI.

ANdreas Crocquetius, S. T. D.
Andreas le Vaillant, Abbas S. Eligii.
Antonius l'Aubegeois, S. J.
Arnoldus Raiſſius, Hiſtoricus.
Arnoldus Wion, Benedictinus.
Claudius de Carnin, Paſtor.
Clemens Prus, Ord. Minimorum
Franciſcus Pollet, Iuris-Conſultus.
Guilielmus Caourſin, Hiſtoricus.
Hieronymus Commelin, Typograph.
Hieronymus de France, J. U. D.
Iacobus le Saige, Eques Jeroſol.
Ioanna de Cambry, Monialis aſcetica.
Joannes Caillet, S. I.
Ioannes Crombecius, S. J.
Ioannes Fabri, Epiſc. Carnot. & Abbas S. Vedaſti.
Ioannes Hannart, Presbyter Orat.
Ioannes à S. Laurentio, Profeſſor L. Græcæ.
Margareta Trigault, Monialis Benedictina.
Nicolaus Brontius, I. C.
Nicolaus Trigault, S. I. Miſſion. Sin.
Paulus Montius, I. C. & à Secretis
Petrus Colpinus, S. T. Doctor.
Petrus Vande-Clæus.
Philippus Broide, I. U. Doctor.
Placidus à S. Thereſia, Carmel. Diſcalceatus.
Raphael de Bello-campo, Benedictin.
* ROBERTUS GAGUINUS, Generalis Ordinis SS. Trinitatis.
Rumoldus du Mortier.
Simon Caulier, *Flinenſis*, juxta Duacum.
Turrianus le Febure, S. I.
Walrandus Caoult, Presbyter.

## S. T. DOCTORES DUACENI.

ANdreas Crocquetius, S. T. D. Ordinis Prædicatorum.
Bartholomæus de los Rios, S. T. D. Ordinis S. Auguſtini.
Bartholomæus Petrus, Lintrenſis.
Carolus Van Hoorn, Ord. S. Auguſt.
Carolus Veron, Ordinis S. Auguſt.
* FRANCISCUS RICHARDOT, Epiſcopus Atrebatenſis.
* FRANCISCUS SILVIUS, Branienſ.
Gaugericus Hiſpanus, ſive l'Eſpagnol, Congregationis Orat.
Georgius Colvenerius, Aloſtanus.
* GUILIELMUS ALANUS, S. R. E. Cardinalis.
* GUILIELMUS ESTIUS, Gorcom.
Guilielmus Seguier, Ordinis Prædic.
Hiacinthus Chocquet, Ordinis Præd.
Jacobus Bonfrerius, S. J.
Jacobus de Brouwer, Ordinis Præd.
Joannes Deſ-pierres, Ordinis S. Ben.
Joannes Farinart, Abbas Cambronenſis Ordinis Ciſtercienſis.
Joannes de Gallemart, Framerienſis.
Joannes Huchon, ex Anneulin.
Joannes Præpoſitus, Atrebas, S. J.
Joannes Rubus, Athenſis, Cancell.
Joannes Waeterloop, ex Anneulin.
Leander à S. Martino, Benedictinus Anglus.
Ludovicus Bertr. Loth, Audomarens.

fis, Ordinis Prædicatorum.
* Matthæus Galenus, Zelandus.
Matthæus Kellisonius, Anglus.
Matthias Bossemius, Amstelodamus.
Matthias Gertman, Turnhoutanus.
Matthias Navæus, Hasbanus.
Michael Van Hecke, Gandavensis, Ordinis S. Augustini.
Nicolaus Neelsius, Ordinis Prædicat.
Petrus Colpinus, Duacensus.
Petrus Pennequin, Insulensis, S. J.
Petrus Wastelius, Alost. Ord. Carm.
Philippus Montanus, Armenteriensis.
Philippus du Trieu, ex Havré, S. J.
Richardus Bristous, Anglus.
Richardus Hallus, Anglus.
Richardus Smithæus, Anglus, Præpositus S. Petri.
RICHARDUS SMITHÆUS, Anglus, Episc. Chalcedonensis.
JACOBUS SMITHÆUS, Anglus, Episcopus Callipolitanus.
Theodorus Van Couwerden, Gochtensis, Clivius.
Thomas Stapletonus, Anglus.
Valentinus Randour, Hanno-Thulensis.

## J. U. DOCTORES DUACI.

ARnoldus Baert, Bruxellensis.
Balduinus Vander Piet, Gandens.
- Boëtius Epo, Frisius.
Claudius Brieourt, Cameracenas.
Franciscus Goethals, Brugensis.
Hieronymus de France, Duacensis.
JOANNES VENDEVILLE, Episcopus Tornacensis.
Lævinus Pontanus, Gandensis.
Philippus Broide, Duacenus.
Richardus Vitus, Anglus.

## MEDICINÆ ET ARTIUM DOCTORES.

ANdreas Hoyus, Brugensis, Professor Historicus.
Joannes à S. Laurentio, L. Græcæ Professor.
Joannes Olivarius, Gandensis, Eloquentiæ Professor.
JOANNES MIRÆUS, dein Episcopus Antverpiensis.
Joannes Silvius, Medicinæ Doctor.
Ludovicus du Gardin, Valencenensis, Medicinæ Doctor.
Simon Caulier, Rhetorices Professor.

✿ ✿ ✿

## §. VI. CAMERACENSES.

ÆGidius Carlerius, S.T.D. Dec.
Ægidius Nettelet, S.T.D. Dec.
Carolus Colôma, Gubernator.
Claudius Bricourt, J.U.D.
Engelbertus Lamelin, Medicus.
* Enguerandus Monstrelet, Historic.
FRANCISCUS BUISSERET, Archiepisc.
Fulbertus, Canonicus.
Gerardus de Florines, Episcopus.
Godefridus de Fontibus, Episcopus.
Guiardus de Lauduno, Episcopus.
Guido de Collemedio, Episcopus.
Halitcharius, Episcopus.
Henricus de Arena, Canonicus.
HENRICUS FRANCISCUS VANDERBURCH, Archiepiscopus.
Joannes le Charpentier, apostata, Historicus.
Joannes de Lillers, J. C.
Joannes Pisanus, Mathematicus.
Joannes Schottus, Aurei Velleris Cancellarius.
JOSEPHUS DE BERGAIGNE, Archiep.
Julianus de Ligne, Presbyter.
LUDOVICUS DE BERLAIMONT, Archiepiscopus.
Ludovicus Foulon, Canonicus.
MAXIMILIANUS A BERGIS, I. Archiepiscopus.
B. ODO, ex Abbate S. Martini Tornacensis, Episcopus Cameracensis.
PETRUS DE ALLIACO S. R. E. Cardinalis, Episcopus Cameracensis.
Petrus Cameracensis, Canonicus Regularis S. Auberti.
PETRUS DE LEVY, Episcopus.

Robertus de Croy, Episcopus.
Sebastianus Scrofa, Medicus.
Thomas Cantipratanus, dictus à quibusdam Suffraganeus Camerac.
Wibaldus, Episcopus.

❖ ❖ ❖

## §. VII. HANNONES.

### MONTENSES.

Antonius la Chauchie, S. J.
Antonius Duetius, Philologus.
Antonius Ruteau, Ord. Minimorum.
Balduinus, Comes Hannoniæ.
Benedictus Ruteau, Ordinis S. Bened.
Carolus Malapert, S. J.
Franciscus Buisseret, Archiepiscopus Cameracensis.
Georgius Galopin, Ordinis S. Ben.
Georgius Languerant.
Gilbertus, Præpositus S. Waldetr.
Jacobus Guisius, Ordinis FF. Minorum, Historicus.
Joannes Brisselot, Ordinis Carmelitarum, Archiepiscopus Arborens.
Joannes Despiennes du Fay, Præpositus Namurcensis.
Jodocus de Harchies, Medicus.
Julianus Waudræus, Poëta.
Maxæmilianus Wittebort, J. U. D. Lov.
Nicolaus de Guise, Historicus.
Nicolaus Pottier, Historicus.
Orlandus Lassus, Musicus.
Petrus Cospeau, J. C.
Petrus Matthiæ, S. J.
Philippus Bosquier, Ord. FF. Min.
Philippus Brasseur, Historicus.
Philippus Cospeau, Episcopus Lexovienſis, &c.
Philippus Fromont, Benedictinus.
Philippus de Harchies, Medicus.
Philippus de Monte, Musicus.
Robertus de Hautport, Historicus
Servatius Clavius.

### VALENCENENSES.

Antonius d'Outreman, Abbas S. Joannis.
Franciscus de la Croix, S. I.
Henricus d'Outreman, I. C.
Henricus de Vicq, J. C.
Jacobus le Boucq, Genealogista.
Iacobus de Rantre, J. C.
Joannes Berotius, Historicus.
Joannes Carthenius, S. T. D. Carmel.
Joannes à Condato, Carmelita.
Joannes de la Fontaine, Philologus.
* Joannes Froissard, Historiographus.
Joannes Harennius, Calvinista.
Joannes Rasoir, Decanus B. M.
Joannes Vivianus, Antiquarius
Ludovicus du Gardin, Medicinæ Doctor Duacenus
Petrus le Boucq, Historicus
Petrus d'Outreman, S. J.
Philippus d'Outreman, S. I.
Raimundus de Hezecques, S. T. D. Ordinis Prædicatorum
Robertus Maqueriau, Historicus
Rolandus Bouchier, Carmelita
Simon le Boucq, Historicus
Antonius Alard, Ordinis Prædicatorum. *Prætermissus. Obiit* 1628. *Vide Bibliothecam Prædicatorum.*
Philippus Petit, Ordinis Prædicatorum, *Buccinienſis*
Carolus Veron, S. T. D. Augustinianus, *Crispinienſis.*
Joannes Bouteiller, Regis Galliæ Consiliarius, *ex Mortagne.*

### ANGIANI.

Gabriel Colins., Ordinis Præmonstratenſis
Iacobus Angianus, Vir nobilis.
Iacobus de Angia, Ordinis Prædic.
Ioannes de Ecoute, Thesaurarius S. Petri Insulenſis.
Iulianus Hassard, Ordinis Carmel.
Nicolaus Burgundius, I. U. Doctor, Consiliarius Brabant.
Petrus Colins, Historicus.
Petrus Humbecanus, Ordinis Carmelitarum S. T. Doctor
Sydræus Scotus, Gymnasiarcha.

Ludo-

Ludovicus Overdats, Medicus Bruxellis. *Addit.*

## ATHENSES.

GUilielmus Mercerus, S. T. Doctor Lovanienſis.
Guilielmus Montanus, S. J.
Jacobus Louchier, Benedictinus
Jacobus Niger, Minorita
Joannes Lans, S. J.
* Joannes Taiſnier, Mathematicus.
Joannes Zwallard, Prætor.
Julianus Foſſetier, Hiſtoricus.
Ludovicus Hennepin, Minorita.
Nicolaus Rebbius, S. T. Doctor
Petrus Corctus, Canonicus Tornac.
Petrus Gudelinus, J. U. D. Lovan.

## EX AGRO ATHENSI.

Arnoldus Lenſæus, Medicus.
Joannes Briard, S. T. D. Lov.
Joannes Lenſæus, S. T. D. Lov. *Belliolani.*
* Jacobus Latomus, S. T. D. Lov.
Jacobus Latomus, Poëta, *Cambaronenſes*
Jacobus Bayus, S. T. D. Lovan.
* Michael Bayus, S. T. D. & Cancellarius Lovan.
Petrus du Bay, J. C. *Melinenſes.*
Gaugericus Rivius, J. C.
Joannes Farinart, Abbas Cambron.
Joannes de la Haye, S. J. Theol.
Philippus Bouchy, S. J. *Servienſes, ſive ex Chievres.*
Joannes Prichefius, Abbas Vicon. Ordinis Præmonſtratenſis, dein Minorita, *Tongrenſis.*
Joannes Rubus, S. T. D. & Cancell. Duacenſis, *Vletanus.*

## BELLIMONTENSES,

JOannes Schohier, Genealogiſta.
* Vener. Ludovicus Blosius, ex agro Bellimont. Abbas Lætienſis.
Michael Anglicus, Poëta.
Thomas Gozæus, S. T. D. Lovan.

## BAVACENSES.

ÆGidius Waulde, S. T. L. Hiſtoricus
Guilielmus de Louvegnies, Abbas Præmonſtratenſis
Valentinus Randour, *Thulienſis*, S. T. D. Duac.

## CONDATENSES.

GOdefridus de Fontibus, Epiſcopus Cameracenſis.
Ioannes à Condato, Carmelita.

## HALLENSES.

BArtholomæus ab Aula, Theol.
Guilielmus Philippi, Phil. Prof.
Ioannes Coens, S. T. L. Paſtor Cortraci
Ioannes Polman, *ex Tubiſe*, Theologus

## MALBODIENSES.

ANdreas Tricquet, S. I.
Ioannes Bourgeſius, S. I.

## SONEGIENSES.

MIchael Cuvelier, S. I.
Servatius de Layrueltz, Abbas B. M. in Nemore, Ordinis Præm.

### Ex aliis locis Hannoniæ.

Balduinus *Aveſnenſis*, Hiſtoricus.
Balduinus Willot, S. I. *Binchienſis.*
* Franciscus Silvius, S. T. Doctor Duaci.
Ioannes Baſtonier, Benedictinus ac Carthuſianus, *Branienſes.*
Henricus Willot, Ordinis FF. Min. *Epiſcopo Fontanus.*
Ioannes Gallemart, S. T. Doctor Duaci: *ex Frameries.*
Philippus ab Eleëmoſyna, Abbas Bonæ-Spei, *ex Harveng.*
Philippus du Trieu, S. T. D. è S. I. *ex Havré.*
Stephanus Brouſtin, Paſtor, *ex la Hamayde.*

Ægidius de Leſſinia, Ordinis Præd.
Iulianus Aurelius Havrech, I. U.D. *Leſſinenſis.*
Ioannes Houdanus, Philologus, *Luthoſanus*
Iacobus Leſſabæus, Hiſtoricus, *Marchianenſis.*
Ioannes Soteaulx, Theologus, *ex Montigny.*
Hubertus ab Aſſonleville, Benedictinus.
Iacobus Froyus, Abbas Haſnonienſis, *ex Raiſmes.*
Martinus le Brun, Abbas Gerardimontenſis, *ex Roiſin*

✠ ✠ ✠

## §. VIII. LUXEMBURGENSES.

Bernardus de Luxemburgo, Dominicanus
Carolus à Mansfeldt, I. C. Decanus Bruxell. ad S. Gudilam
Conradus Veecrius, Hiſtoricus
Everardus Mercurianus, S. I. Præpoſitus Generalis.
Euſtachius Wiltheim, Prçſes Conſilii
Guilielmus Hardigny, S. I.
Guilielmus Martenus, Præſes Conſilii
Henricus Mameranus, Typographus
Henricus Samerius, S. I.
Ioannes Benningius, I. U. D. Præſes Conſilii
Ioannes Picardi, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus Ratiſponenſis nominatus
Ioannes Ruſſim, Ordinis Prçdicatorum
Ioannes Guilielmus Wiltheim, S. I.
Nicolaus Mameranus, Poëta
Philippus Schoville, S. I.
Remaclus Arduenna-Florenas, Poëta
Remaclus de Vaulx
Rodolphus Clutius, Ordinis Prædicatorum
Thomas Henrici, S. T. Doctor.

## E Ducatu LUXEMBURGENSI.

Guilielmus Lamormaini, S. I. Confeſſarius Cæſareus.
Henricus Lamormaini, S. I.
Henricus Philippi, ex fano S. Huberti S. I.
Ioannes Roberti, *Arduennates.*
Bartholomæus Latomus, I. C. ac Theologus
Hieronymus Buſlidius, I. U. D. fundator Collegii Trilinguis
Nicolaus ab Elcheraidt, Epiſcopus Aſcalonit. Suffraganeus Erfurd. *Arlunenſes.*
Antonius Dionyſii, *Durbutenſis*
Engelbertus Oliverius
Henricus Buſchey, Ord. FF. Min.
Ioannes Oliverius, S. I. Baſtonienſes
Ægidius de Monin, S. I. *Adde.* ✠ 1624
Stephanus Rauſinus, I. U. D. Conſul Leodienſis, *Bellorami.*
Ioannes Macherentinus, S. I. *ex Macheren*
Nicolaus Vernulæus, Theol. & Profeſſor Hiſtoricus Lovanii, *ex Robelmont*
Laurentius de la Roche, Abbas Aureæ Vallis, Ordinis Ciſtercienſis
Henricus Hyvæus S. T. D. Ordinis S. Auguſtini, ex pago d'Hyve, juxta oppidum Rupenſe, *Rupenſes*
Petrus Binsfeldius, Theologus, Epiſcopus Azotenſis ac Suffraganeus Trevirenſis, *Incerti loci*

✠ ✠ ✠

## §. IX. NAMURCENSES.

Anſelmus, Decanus B. M.
Antonius Havet, Epiſcopus
Engelbertus Des-bois, Epiſcopus
Franciscus Buisseret, Epiſcopus
Franciſcus de Hamal, S. I.
Guilielmus Paradis, Decanus B. M.
Iacobus Blasæus, Epiſcopus.

Digitized by Google

Ioannes à S. Huberto, Minorita
Leonardus Berton, S. I.
Nicolaus Turlot, Præpositus, Theol.
Petrus Hontoy, Minorita.
Petrus Marin, Canonicus.
Andreas Vallensis, J. U. Doctor Lovanienſis, *Andanenſis.*
Antonius Davroult, S. J. Theol. *Bovinienſis.*
Rodolphus, Abbas Trudonenſis, Ordinis S. Benedicti, *Monaſterienſis ad Sabim.*

❖ ❖ ❖

## §. X. ARTHESII.

## ATREBATENSES.

ADamus, Epiſcopus Morinenſis
Adamus le Boſſu, Ordinis Ciſt.
Adrianus Faber, S. T. L.
Adrianus Hecquet, Ordinis Carmelit.
Ægidius Bucherius, S. J.
Alardus Gazæus, Benedictinus
Alexander Major, Canonicus
Andreas Denys, S. J.
Angelinus Gazæus, S. I.
Antonius Havet, Epiſc. Namurc.
Antonius Lanquier, Ord. Carm.
Auguſtinus Bontemps, Benedictinus
BALDERICUS RUBEUS, Epiſc. Tornac. Chronologus.
Balduinus de Glen, Abbas Hennin.
Carolus de Blendecq, Benedictinus.
Carolus de Bonnieres, Baro d'Auchi.
* Carolus Cluſius, Med. Doctor Calv.
Chriſtophorus de France, Epiſcopus Audomarenſis
Claudius Deſpretz, I. C.
Claudius Doreſmieux.
Dionyſius de Berſaeques, J. C.
Ferdinandus de Cardevacque.
* FRANCISCUS BALDUINUS, I. U. D.
Franciſcus Bouchault, Ord. S. Ben.
Franciſcus Doreſmieux, Abbas S. Elig.
Franciſcus Moneæius, Poeta & Hiſt.
Franciſcus Potel, Carmelita
* FRANCISCUS RICHARDOT, Epiſcopus Atrebatenſis
Gaſpar de Bavincourt, Abbas Ordinis S. Benedicti
Guilielmus Aſſonleville, J. C.
Guilielmus Gazet, Hiſtoricus.
Guilielmus Piſcis.
Guilielmus de Rebreviettes.
Henricus Carlerius, Doctor Medicus.
Jacobus Atrebas; Abbas, ex Ordine Præmonſtratenſi
Iacobus Bourgeſius, Ordinis SS. Trinitatis.
Iacobus Clericus.
Iacobus Damianus, S. J.
Jacobus de Marquais, Abbas Ordinis S. Benedicti
Ioannes Bertoul, Ordinis SS. Trinit.
Ioannes Boſquillon, Ordinis FF. Min.
Ioannes Carpenterius, Poëta.
Ioannes Criſpinus, typographus, Calvinianus.
Ioannes du Flos.
Ioannes Godart, Ordinis SS. Trinit.
IOANNES LE JEUNE, S. R. E. Cardinalis.
Ioannes Major, S. I.
Ioannes Præpoſitus, S. I. Doctor Theol.
Ioannes Salanus, Medicus.
IOANNES DE RELY, S. T. D. Epiſcopus Andegavenſis. *Omiſſus*; ✠ 1498. *vide Launoy Hiſtoriam Gymnaſii Navarræ, pag. 595.*
Ioannes Silvius
Ioannes de le Val, I. C.
Iſaac Bullart, Montis Piet. Rector
LAMBERTUS, Epiſcopus Atrebatenſis
Laurentius Bonetus, Philologus
Martinus Franeus, Præpoſitus &c.
MATTHÆUS MOULLART, Epiſcopus Atrebatenſis.
Maxæmilianus Thieulaine, Monachus S. Vedaſti.
Maxæmilianus Vignacourt, Hiſtoricus
Nicolaus le Borgne, Hiſtoricus
NICOLAUS DU FIEF, Epiſcopus nominatus

Nicolaus Gazæus, Ord. FF. Min.
Nicolaus Godin, Medicus
Nicolaus Goſſon, I. C. Calvinianus
Nicolaus du Haupas, Medicus
Nicolaus le Sueur, I. C.
Nicolaus de le Ville, Cœleſtinus
PAULUS BOUDOT, Epiſcopus.
Petrus Bruneti, Canonicus *Add pag. 958. Obiit anno 1451. die 28. Aprilis.*
Petrus de Fenin, Hiſtoricus.
Petrus de Maſures, J. C. Conſiliarius
Petrus Philicinus, Theol. & Poëta
PETRUS DE RANCHICOURT, Epiſcopus
Philippus Meyerus, Hiſtoricus
Pontus Payen, Hiſtoricus
Robertus, Archidiaconus
Robertus Obrizius, *ex Hermauville*, Canonicus
Robertus Britannus, Philologus
Robertus Groſpré, Medicus
Simon le Couvreur, Carmelita
Vincentius Williart, Ordinis Præd.
Walrandus Obert, Conſiliarius
Guilielmus Altarius, *Carolo-montanus.*
Gaſpar Lanthovius, Presbyter, *ex Vimy* juxta Atrebatum.

## AUDOMARENSES.

ANdreas Couvreur, Ordinis FF. Minorum
Antonius Balinghem, S. J. Theol.
Antonius Obert, Medicus
Antonius Stratius, S. J.
BRUNO D'AFFRINGUES, Prior Carthuſiæ Generalis.
Carolus du Canda, Ordinis Præm.
Chriſtianus à S. Audomaro, Mathemat.
CHRISTOPHORUS DE FRANCE, Epiſcopus.
Claudius Dauſquius, Canon. Tornac.
* FRANCISCUS LUCAS, Decanus Eccleſiæ Cathedralis
Godefridus le Coiſpelier, Benedictinus
Guilielmus Seguier, S.T.D. Ordinis Prædicatorum
Hubertus Raoul, Abbas Clari-mariſci
JACOBUS BLASÆUS, Epiſcopus
Iacobus Malbrancq, S. I. Hiſtoricus
* IACOBUS PAMELIUS, Epiſcopus Nominatus
Ioannes Malpæus, Medicus.
Ioannes Des-loix, S T. Doctor Ordinis Prædicatorum, *ex Tournhem.*
IOANNES SIX, Epiſcopus.
Iulianus Grand-ami.
Ludovicus Bertrandus Loth, S.T.D. Ordinis Prædicatorum.
Martinus du Cigne, S. I. Philologus
Martinus Couvreur, S. I. Theol.
Panagius Salius, Poëta
PAULUS BOUDOT, Epiſcopus.
Petrus Bonvoiſin, S. I.
Petrus des-Nourices, S. I.
Petrus Pictor, Canonicus.
Petrus Taffin, S. I.
Petrus Waloncapellius, Ordinis FF. Minorum.
Richardus Hallus, Anglus, Canon.
Simon Ogerius, Poëta.

## AERIENSES.

ANtonius Coquellus, Poëta.
Carolus Muſart, S. J.
Franciſcus à Montmorenci, S. I.
Guiardus de Moulins, Decanus.
Guillielmus Gallandius, Philoſophus.
Ioannes Humetz, Presbyter.
Ludovicus Breſinius, Hiſtoricus
Petrus Eulardus, S. I. Theologus
Petrus Gallandius, Profeſſor Pariſiis.
MATTHÆUS MOULLART, *ex pago S. Martini*, Epiſcopus Atrebatenſis

## BAPALMENSES.

ANtonius l'Eveſque.
Gaſpar de Bavincourt, Abbas Ordinis S. Benedicti.
Ioannes Bernard, Ordinis Prædic.
Robertus Segard, I. C.

## BETHUNIENSES.

ANtonius Des-Lions, S. I.
ANtonius de Povillon, Abbas S.

Auberti
Everardus à Bethunia, Philologus
Federicus Jamot, Medicinæ Doctor.
Guilielmus de Warlincourt, Poëta.
Ioannes Buridanus, Professor Parisiis.
Ioannes Dauffalus, I. C. Consiliarius.
Ioannes Surius, S. I.
Ioannes Surquet, Historicus

## HESDINIENSES.

Joannes de Hesdinio, Ordinis S. Ioannis Jerosolymitani
Michaël Hoyerus, Augustinianus
Philippus Hannotel, S. I.
*Addit.* Ioannes Parvi, Ord. FF. Min.

## LENSIENSES.

Eustachius Lensius, Ordinis Præmonstratensis.
Gaugericus l'Espagnol, sive Hispanus, S. T. D. Duacensis.

## LILLERIENSES.

Ægidius de Baillœuil, S. T. Doctor Lov.
Andreas Herby, Canon. Atrebatensis
*Corrige erratum Brug.*

## MORINENSES.

Drogo, ex Monacho Benedictino Episcopus.
Gualterus, Archidiaconus.
Gotselinus, Monachus S. Bertini.
Joannes le Jeune, Episcopus, S. R. E. Cardinalis.
Ioannes Molinet, ex agro Bolonien-si, Historiographus
Joannes Tabary, Episcopus.
Lambertus de Ardres, Pastor, Historiographus
Lambertus, Ghisnensis, I. Episcopus Atrebat.
Matthæus, Archidiaconus.
Philippus de la Chambre, Episcopus, S R. E. Cardinalis.
Philippus Nigri, I. Episcopus nominatus. Antverp.
Richardus de Capella, Præpositus B. M. Brugis.

## SAN-PAULINATES.

Ferreolus Locrius, Historicus
Hugo Froideval, Medicus
Petrus de Croix, S. T. D. Ordinis Prædicatorum.
Philippus Belvaletius, Poëta.
Philippus Caverellius, Abbas Vedastinus, Ordinis S. Benedicti.

## §. XI. GELDRI.

## RUREMUNDENSES.

Ælius Everardus Vorstius, M. D.
Bernardinus Surius, Ordinis FF. Minorum
Franciscus Fabricius, Medicus.
Guilielmus ab Angelis, Episcopus nominatus
* Guilielmus Lindanus, I. Episc.
* B. Dionysius a Ryckel, Prior Carthusianorum.
* Henricus Cuyckius, II. Episc.
Iacobus a Castro, III. Episcopus.
Iacobus Dyck, S. I.
Ioannes Corverus.
Ioannes Murmellius, Philologus
Petrus Gilkenius, I. U. D. ac Prof.
Reinerus Budelius, I. U. Doctor
Theodorus Graminæus, Mathematicus
Theodorus Pybes de Adama, Ordinis Cistercienſis.
Ioannes de Straelen, Theol. Colon.
Peregrinus Pullenius, Canon. Rurem. Sacerdos piiſſ. *ex Stralen.*
Theodoricus Adamæus, Historicus, *ex Swallenbergh.*

## GELDRIENSES.

Adolphus Schulckenius, S. T. D.
Antonius Fries.
Gerardus Mathisius, S. T. Doctor
Guilielmus Veldius, Canonicus Reg.
Ioannes Boenerus, Ordinis FF. Min.
Ioannes à Ryswyck, Poëta.

Matthias à Croonenborg, Ordinis FF. Minorum.
Matthias Zelhorst, è Ministro Catholicus
Sibertus à Beca, Carmelita
Theodorus Straitmannus, I. C.

## VENLONENSES.

* ERycius Puteanus, Historiarum Professor Lov.
Goswinus Henrici, Ordinis Prædicatorum Theologus
Henricus Kispenning, Theologus
* Hubertus Coltzius, Antiquarius
Matthias Bonerus, J. C.
Theodorus Dalenius, Ord. Crucif.

## WERTHENSES.

Ewaldus Gallus, Scholarcha
Iacobus Marinus, Scholarcha
Ioannes Servilius, Philologus.
Petrus Langenius, Scholarcha.
Iacobus Comans, S. T. Doctor Lov.
* Jacobus Merlo-Horstius, Pastor piissimus, *Ex Horst in Pelandia.*

## VENRADIENSES.

Godefridus Henschenius, S. J. Hagiographus.
Godefridus à Lith, Ordinis S. Crucis
Lambertus Gruterus, Suffraganeus Moguntinus.
Rogerius à Venreay, Canonicus Regularis.

## ARNHEMII.

Albertus Kivet, Carthusianus.
Andreas Vermaedius, S. I.
Arnoldus Slichtenhorst, Historicus
Carolus Gallus, Calvin. Theol.
Christophorus Brouwerus, S. J.
Everardus Reidanus, Historicus.
Fredericus à Sande, J. C.
Gerardus Broeckelaer, Canon. Silv.
Gerardus Falcoburgius, Poëta.
Gerardus Geldenhaurius, Historicus.
Gisbertus Schevichanus, S. I.
Gisbertus ab Ysendoorn, *ex Ede* juxta *Arnhem.* Philosophus.
Henricus Aquilius, Historicus.
Joannes à Sande, J. C.
Lambertus Goris, J. C.
Regnerus Tegnagelius, I. U. D. Lov.
Theodorus Marcilius, Prof. Paris.
Petrus Apherdianus, Gymnasiarcha. *Wageningensis.*
Gerardus S. T. Doctor Coloniæ
Petrus Guinellus, sive Winellius, *Harderwicenses.*

## NOVIOMAGENSES.

ANtonius à Koninckstеyn, Ordinis FF. Minorum
Arnoldus Nylen, Episc. Groninganus.
Arnoldus Trichtius, Philologus.
Bernardus Sellius.
Daniel Santbechus, Mathematicus.
Engelbertus Cultificis, Ordinis Præd.
Franciscus à Craneveld, J. U. D. Lov.
Ioannes Smith, Antiquarius.
Gerardus Busæus, S. T. L.
Gerardus de Iode, Mathematicus
Godefridus Driellius, Theologus
Guilielmus de Berchem, *ex Duysle.*
Guilielmus Fabricius, S. T. D. Lov.
Guilielmus Gentius, J. U. D.
Henricus Canisius, J. U. D. Ingolstadiensis
Iacobus à Triest, Theol. & J. C.
Ioannes Bronchorstius, Mathematicus
* Ioannes Busæus, S. I. Theol.
Justus Meierus, I. U. D. Lutheranus.
Laurentius Uwens, S. J. Theol.
Paulus Van de Berghe, S J. Theologus
Petrus Busæus, è S. I. Theologiæ Doctor
* Vener. P. Petrus Canisius, Apostolus Germaniæ.
Ioannes Iordanæus, Presbyter
Petrus Faber, S. T. D. Ord. Prædicat.
Petrus de Greve, I. U. Doctor
Petrus Roest, S. T. D. è S. J.

Rodolphus de Noviomago, Ordinis Prædic.
Theodorus à Wees, Professor Colon.

## BOMMELII.

Elbertus Leoninus, J. U. D. Cancellarius Gelriæ.
Gerardus Moringus, Theol. Cathol.
Gisbertus Masius, Episcopus Silvæducensis
Guilielmus Cup, I. U. Doctor
Henricus Bommelius, Congreg. FF. D. Hieronymi.
Thomas Lineus, vulgo Vlas, I. C.
Ioannes Pesselius, S. T. D. Ordinis Prædic. *Tilanus.*

## BURANI.

Amilius Buranus, Congreg. Vitæ comm.
Iodocus Lommius, Medicus
Obertus Giphanius, I. U. D.
Reinerus Sarcerius, Gymnasiarcha, ex agro Burano.

## CULEMBURGENSES.

* Henricus Cuyckius, Episcopus Ruremundensis
Zuederus à Culemburg, Historicus.

## GRAVIENSES.

Andreas Helmondanus, Philologus
Antonius Hermannus Gogava, Mathematicus.
Dorotheus Loeffius, S. I.
Gaspar Harteveldt, Canonicus.
Gerardus Rodolphus, Canonicus.
Gualterus Ruysius, Ordinis Prædic.
Guilielmus Verheyden, Calvinista.
Henricus Erfmers, Monachus Bened.
Henricus Gravius, seu Vermolanus, S. T. D. Ordinis Prædicatorum
Iacobus Verheyden, Calvinianus.
Iacobus Axonius, I. U. Doctor.
Ioannes Piscinarius, Poëta.

* * *

## §. XII. HOLLANDI.

## ALCMARIANI.

Adrianus Metius, Medicinæ Doctor
Adrianus Schoorcel, ex agro Alcmar.
Cornelius Drebelius, Medicinæ Doct.
Cornelius Vander Woude, Historicus
Iacobus Coren, I. C.
Nannius Forestus, Consiliarius.
Pancratius à Castricum, I. C.
* Petrus Forestus, Medicus
* Petrus Nannius, Prof. Lovan.

## AMSTELODAMENSES,

* Alardus, Amstelodamensis, Theologus Catholicus.
Albertus Eufrenius, Poëta
Arnoldus Senguerdius, Philosophus
Bernardus Dessennius, Med. Doctor
Cornelius Crocus, Soc. Iesu.
Cornelius Dunius, I C.
Cornelius Giselbertus Plempius, I.C.
Cornelius Haemrodius, Historicus
Eilhardus Verius, Historicus
Fredericus de Vry, Consul.
Gaspar Kinschotius, Poëta.
Gaspar Verhorst, Carthusianus
Gerardus Schaap, Consul.
Gisbertus Horstius, Medicinæ Doctor
Guilielmus Janfonius Blaeuw, Typographus
Henricus Laurentii Spiegelius, Poëta.
Iacobus a Castro, Episcopus Ruremundensis.
Iacobus Janfonius, S. T. D. Lovan.
Iacobus Laurentii, Minister Calvin..
Ioannes Blaeuw, Typographus.
Ioannes Bodæus à Stapel, Medicus.
Ioannes Christenius, I. U. D.
Ioannes Cloppenburg, Theol. Doct. Calvinianus
Ioannes Hermannus Crul, Poëta.
Ioannes Van Horne, Medicinæ Doct.

Digitized by Google

Ioannes Vander Laen, S. I.
Ioannes Monſenus, Presbyter
Ioannes Orlers, Hiſtoricus, Conſul.
Ioannes Riſerius, S. I.
Ioannes Sartorius, Philologus
Matthias Boſſemius, S. T. D. Duac.
Maximilianus Sandæus, S. I. Theol.
Melchior Fokkens, Hiſtoricus
Nicolaus Cannius, Presbyter & Paſtor
Nicolaus Everhardi, I. U. D.
Nicolaus Fontanus, Medicus
Octavius Worſt, Capucinus
Petrus Cabeliauw, Theol. Calvin.
Petrus Hooft, Hiſtoriographus
Petrus Opmeerus, Hiſtoricus Cathol.
Petrus Pauwius, Medicinæ Doctor
Pompeius Occo
Romerus Viſſcher, Poëta
Sebaſtianus Petri, Carthuſianus
Simon Epiſcopius, Theologus Arminianus.
Theodorus Coornhert, I. C. ac Theol.
* Vopiſcus Fortunatus Plempius, Medicinæ Doctor Lov.
Ioannes à Theſſalia, *ex Inſulâ Texel.*

## DELPHENSES.

* ADAMUS SASBOLDUS, Ordinis FF. Min. Theologus
Adolphus Vorſtius, Medicinæ Doctor
Ægidius Delphius, S. T. Doctor.
Arnoldus Pagius, Poëta.
Chriſtianus Adrichomius, Sacerdos
Cornelius Grotius, I. U. Doctor.
* CORNELIUS MUSIUS, Sacerdos & Martyr.
Cornelius Pynacker, ex vico prope Delphos, I. U. Doctor
Franco Burgerſdicius, ex vico Lirenſi prope Delphos, Philoſophus
Fredericus Vander Mye, Medicus
Guilielmus Cripius, Cancell. Gelriæ.
Guilielmus Grotius, I. U. Doctor
GUILIELMUS NASSOVIUS, Princeps Orangiæ, Reipublicæ Fundator.
Hugo Blotius, I. C.
* HUGO GROTIUS, Hollandiæ Syndic.
Iacobus Crucius, Philologus.
Iacobus Eyndius, Poëta.
Joannes à Bruck, aliàs David Georgius, hæreſiarcha
Ioannes Delphius, Coëpiſcopus Argentinenſis.
Ioannes Fenacolius, Miniſter Calvin.
Ioannes Godſcalcus Yſerman.
Iſaacus Vander Mye, S. I.
Martinus Hortenſius, Mathematicus
Michael Voſmerus.
Nicolaus Kinſchot
Petrus Grotius, J. C.
Petrus Vromans, I. C.
Philippus Baldæus, Calvin. Miniſter
* PONTUS HEUTERUS, Presbyt. Hiſt.
Regnerus de Graef, Medicinæ Doctor
Simon Van Groeneweghen Van-der Made, I. U. Doctor
Walricus Lithodomus, vulgò Steenhuyſe, Gymnaſiarcha.

## DORDRACENSES.

ABraham Mylius, Miniſter.
Adrianus Bleyenburg, I. C.
Balduinus Junius, Ordinis FF. Min.
Bertholdus ab Akelaken, I. C.
CORNELIUS ADRIANI, Ordinis FF. Minorum, Eccleſiaſtes.
Cornelius à Someren, I. U. Doctor
Damaſus Blyenburgius, Poëta.
Daniel Iongtys, Medicinæ Doctor
Dionyſius Voſſius, Hiſtoricus
Franciſcus Voſſius, Poëta
* GUILIELMUS LINDANUS, Epiſcopus Ruremundanus & Gandenſis.
Guinandus Rutgerſius, Philoſophus
Hermannus Oem, Theologus, Paſtor
Iacobus Eyckius, I. C. Hiſtoricus
Ianus Rutgerſius, I. C.
Ioannes Beverovicius, Medicinæ Doct.
Iacobus Lydius, Miniſter Calvin.
Iaonnes à Naarſſen, Poëta.
Ioannes à Someren, I. C.
* IOANNES DE WITT, Ordinum Fœderatorum Advocatus, ſeu Penſionarius

Lam-

Lambertus Van den Boſch, Hiſtoricus
Margareta à Godewyck, Poëſios, Muſices &c. perita.
Matthæus Van Balen, Hiſtoricus.
Matthæus Dordracenſis, aliàs Matthias Weenſſen, Ordinis Minorum
Matthæus Voſſius, Hiſtoricus
Paulus Merula, Hiſtoriarum Profeſſor
Petrus de la Faille, è Miniſtro Catholicus.
Petrus à Godewyck, Poëta.
Rochus Honardius, Conſiliar. Holl.
Valerius Gouthovius, Hiſtoricus.

ENCHUSANI.

Antonius Antonides Vander Linden, Medicinæ Doctor
Egbertus Vanden Hooft, Hiſtoricus
Joannes Antonides Vander Linden, Medicinæ Doctor
Gerardus Brandt, Hiſtoricus.
Lucas Aurigarius, Geographus.
* Ruardus Tapperus, S. T. D. & Cancellarius Lovan.

GORCOMIENSES.

Abraham Kemp, Hiſtoricus.
Franco Eſtius, Poëta.
Gerardus de Boot, Medicinæ Doctor
* Guilielmus Estius, S. T. D. Lovan. ac Duac.
Henricus Gorcomius, S. T. D. Col.
Hugo Boxelius, J. U. D.
Joannes de Bruyn, Phil. Profeſſor Ultrajecti.
Joannes van Gorcum, Presbyter.
Joannes Neercassel, Epiſcopus Caſtorienſis, Vicarius Apoſt.
Theodoricus Pauli, aliàs Franconis, Canonicus Regularis.
Thomas Erpenius, Linguarum Orient. Profeſſor Leidæ.

GOUDANI.

Adrianus Cools, S. J.
Adrianus Mangotius, S. J.
Albertus Hermannus, Poëta
Arnoldus Durſtenius, Poëta
Cornelius Aurelius, Canon. Reg.
Cornelius Looſe, aliàs Callidius, Theologus Cathol.
Cornelius Schonæus, Poëta
Florentius Schoonhovius, Poëta
Franciſcus Goudanus, Canon. Regul.
Gerardus Stempelius, Mathematicus.
Guilielmus à Gouda, Ord. FF. Min.
Guilielmus Hermannus, Canonicus Regul.
Henricus à Gouda, S. T. D. Ordinis S. Auguſtini
Hermas Lethmatius, S. T. D. Pariſ.
Jacobus Goudanus, S. T. D. Ordinis Prædicatorum
Ioannes Franciſci à Cortgena, Hiſtor.
Petrus Corneliſſonius Bockenbergius, Hiſtoricus, apoſtata.
Petrus Slupicius, Ordinis FF. Min. juxta Gaudam natus.
Reinerus Snoyus, Medicus
Theodoricus Gerardus, Medicus.

HAGIENSES.

Ælius Franciſcus Vander Wiele.
Arnoldus Vinnius, J. U. Doctor
Conſtantinus Hugenius, Poëta.
Cornelius Blocchius, Canon. Regul.
Cornelius de Bye, Auguſtinianus.
Engelbertus Kenniphoven, S. T. L. Paſtor
Franciſcus Vranck, Conſiliarius
Guilielmus Gnaphæus, ſeu Fullonius, Poëta
Guilielmus Goeſius, Senator.
Guilielmus II. Hollandiæ Comes, ac Rex Roman.
Iacobus Golius, Prof. Linguæ Arabicę
Ioannes Van Heemskerck, Senator.
Ioannes Hemelarius Canonicus Antverpienſis. *Add p. 656. Obiit Antv. 6. Novembr. 1655.*
Ioannes Secundus Nicolaius, Poëta.
Ioannes Stalpaert Vander Wielen, Paſtor, S. T. D.
Iuſtus Velſius, Med. Doctor Lovan.
Luctatius Petreius, Andreades, Poëta
Matthias Vander Hoeve, Hiſtoricus.

Petrus Bort, J. C.
Petrus Cornelius Brederodius, I. C.
Petrus Schenckelius, Auguſtinianus.
Ioannes Meurſius, *Loſdunenſis prope Hagam*, Philologus & Hiſtoricus.

## HARLEMENSES.

Albertus Ioannis, Carmelita.
Auguſtinus van Teylinghem, S.I.
Bartholomæus Conrardi, Canon. Reg.
Cornelius Schrevelius, Philologus.
Florentius Harlemenſis, Carthuſianus.
Gaſpar Stolckwyck, Presbyter.
Georgius Benedicti à Werteloo, Poëta
Godefridus a Mierlo, II. Harlemenſis Epiſcopus.
Henricus Cogmans, Medicinæ Doctor
Ioannes Albertus Bannius, Presbyter
Ioannes Bapt. Hanſenius, J. U. D. Toloſanus. *Add. Obiit anno* 1614.
Ioannes Gaelius, I. C.
Ioannes Guilielmi, S. I.
Ioannes Hoornbeeck, Theologus Calvinianus.
Ioannes Hugo à Linſchoten, Hiſtor.
Ioannes Surenus, Hiſtoricus.
* Laurentius Costerus, Typographiæ inventor
Nicolaus Harlemenſis, Hiſtoricus
Nicolaus Vander Hoogh, I. U. D.
Nicolaus a Nova-terra, I. Epiſcopus Harlemenſis.
Petrus à Montfort, Poëta
Petrus Schonæus, Medicinæ Doctor
Petrus Scriverius, Hiſtoriographus
Philippus Gallæus, Chalcographus
Salomon Ampſing, Calviniſta
Simon Hermannus, Carmelita.
Theodorus Harlemius, Carthuſianus.
Theodorus Schrevelius, Gymnaſiarcha
Theodorus Stumpwickius, Carthus.
Timannus Cuyckius, J. C.
Vincentius Theodorici à Beverwyck, Ordinis Prædicatorum S. T. D.

## HEUSDANI.

Gisbertus Voet, Theologus Calviniſta.
Godeſchalcus Stewechius, Hiſtoricus
Ioannes Vos, Prior Generalis Windeſem. Canon. Regul.
Nicolaus à Waſſenaer, Med. Doctor
Paulus Voet, J. U. D. Ultrajecti.

## HORNANI.

* Adrianus Junius, Med. Doct.
Albertus Verlanius, Poëta.
Dorotheus Walravius, Poëta.
Guilielmus Cornelius Schoutens, Navarchus.
Iacobus Ceratinus, Presbyter.
Ioannes Cools, Hiſtoricus.
Ioannes Foreſtus, I. C. Conſiliarius Hollandiæ.
Nicolaus Bulius, Medicus, Prætor &c.
Petrus Hogerbetius, Medicinæ Doctor
Petrus Junius, Hiſtoricus.
Rumoldus Hoogerbeets, Conſiliarius Holland.
Simon Walravius, Paſtor.
Theodorus Velius, Poëta.

## LUGDUNO-BATAVI.

Adrianus Tollius, Med. Doctor.
Cæſarius à S. Bonaventura, Carmelita Diſcalceatus.
Carolus Dematius, Theol. Calvin.
Cœleſtinus à S. Luduina, aliàs Golius, Carmelita Diſcalc.
Cornelius Petrus, Medicus.
Cornelius Schrevelius, Gymnaſiarcha
Cornelius à Swanenburg, I. U. D.
Engelbertus Schut, Poëta
Florentius Leydanus, Ordinis Min.
Franciſcus Douſa, Philologus
Franciſcus Duſſeldorpius, Sacerdos Theologus.
Franciſcus Raphelengius, Franciſci Typographi Leid. filius.
Georgius Merula.
Gerardus Tuningius, J. U. D.
Guilielmus Coddæus, Prof. L. Hebr.
Guilielmus Piſo, Medicus
Jacobus Bontius, Medicus
Ioannes Arnoldus Corvinus, I. U. D.

Ioannes Gerbrandus, Carmel. Hiſtor.
Joannes Meurſius, filius, Hiſtoricus
Iſaacus Voſſius, Philologus, Hiſtoricus &c.
Nicolaus Heinſius, Philologus.
Nicolaus Stochius, Gymnaſiarcha
* Otho Vænius, Poëta, Pictor &c.
Petrus Blomevenna, Carthuſianus
Petrus à Matre Dei, aliàs Bertius, Carmelita Diſcalceatus.
Philippus de Leydis, Vicarius Ultrajectinus
Simon Van Leeuwen, I. C.
Willebrordus Snellius, Mathematicus

## DOCTORES AC PROFESSORES ACADEMIÆ LUGDUN.

### In Theologia.

Franciſcus Junius, Burdigalenſis
Franciſcus Gomarus, Brugenſis
Feſtus Hommius, Friſius
Iacobus Arminius, Veteraquinas
Simon Epiſcopius, Amſtelodamus.
Antonius Walæus, Gandenſis.
Antonius Thyſius, Antverpienſis
Iacobus Triglandius, Vianenſis
Carolus Gallus, Arnhemienſis
Conſtantinus l'Empereur ab Oppyck
Ioannes Cocceius, Bremenſis
Petrus Cabeliauw, Amſtelodamus
Ioannes Hoornbeeck, Harlemenſis
Chriſtophorus Wittichius, Sileſius
* Petrus Bertius, Flander, à Beveris
Ioannes Polyander à Kerckhoven
Ioannes Uyt-ten-bogaert, Ultraject.

### In Jure.

Cornelius Neoſtadius, Brilanus
Cornelius Grotius, Delphenſis.
Julius Beyma, Doccumenſis
Thomas Zoeſius, Amersfortenſis
Everardus Bronchorſtius, Daventrien.
Gerardus Tuningius, Leydenſis.
Cornelius Pynacker, Delfenſis.
Cornelius à Swanenburg, Leydenſ.
Petrus Cunæus, Vliſſingenſis
Arnoldus Vinnius, Hagienſis
Iacobus Maeſtertius, Teneramundanus
Bernhardus Schotanus, Friſius.

### In Medicina.

* Petrus Foreſtus, Alcmarienſis
Ioannes Heurnius, Ultrajectinus
* Rembertus Dodonæus, Mechlin.
Petrus Pauwius, Amſtelodamus
* Carolus Cluſius, Atrebas.
Ælius Everardus Vorſtius, Ruremun.
Ottho Heurnius, Ultrajectinus
Adolphus Vorſtius, Leidenſis.
Ioannes Antonides Van-der Linden, Enchuſanus
Franciſcus de le Boe Silvius, Hanov. Germanus
Ioannes Walæus, Medioburgenſis
Ioannes Van Horne, Amſtelodamenſis.

### Philosophiæ, Historiæ et SS. Linguarum Prof.

* Joſephus Juſtus Schaliger, Gallus
* Iuſtus Lipſius, Iſſcanus
* Ianus Douſa, Nortwicanus
Rudolphus Snellius, Veteraquinas
* Daniel Heinſius, Gandenſis
Gilbertus Jacchæus, Schotus.
Paulus Merula, Dordracenus
Caſpar Barlæus, Antverpienſis
Franco Burgerdicius, Liranus Delphius
Jacobus Golius, Hagienſis
Dominicus Baudius, Inſulenſis
Joannes Meurſius, Loſdunenſis
Gerardus Ioannes Voſſius, Waſſenburgenſis Clivius
Marcus Zuerius Boxhornius, Bergizomenſis
Georgius Hornius, Germanus
Joannes Druſius, Aldenardenſis
* Franciſcus Raphelengius, Lannoienſis, Gallo-Flander.
Guilielmus Coddæus, Leidenſis.
Thomas Erpenius, Gorcomienſis
Petreius Tiara, Worcomius Friſius
Bonaventura Vulcanius, Brugenſis

Willebrordus Snellius, Leidenſis
Iacobus Rævius, Daventrienſis
* Claudius Salmaſius, Gallus
Janus Bodecherus Banningius
Joannes Cluverius
Joannes Fredericus Gronovius, Hamburgenſis
Ludovicus de Dieu, Vliſſingenſis

## ROTERODAMENSES.

* ADRIANUS A WALENBURCH, Epiſc. Adrianopol. Suffraganeus Colonienſis.
Arnoldus Kievit, J. C.
Arnoldus Geilhoven, Canon. Reg.
* DESIDERIUS ERASMUS, Theologus
Guilielmus Dyemenus, J. C.
Jacobus Back, Medicinæ Doctor
Jacobus Braſſica, aliàs Cools.
Iſaac Bullart, Hiſtoricus
* PETRUS A WALENBURCH, Epiſc. Myſienſis, Suffragan. Colon.
Zacharias Silvius, Medicus

## SCHOONHOVII.

ANtonius [Gisbertus] de Schoonhovia, Canon. Brug. Hiſtor.
* Chriſtophorus Longolius, J. C. & Hiſtoricus
Jacobus à Weſterbaan, Toparcha de Brandwyck apud Schoonhov.
Joannes à Schoonhoven, Carmelita.
Joannes de Schoonhovia, Canon. Reg.
Martinus Gerardi Viſſcherus, Canon. Regul.
Nicolaus Schoonhovius.

## VETERAQUENSES.

* COrnelius Valerius, Linguæ latinę Profeſſor Lov.
Gerardus de Roo, Hiſtoricus
Jacobus Arminius, Theol. Doct. Calv.
Joannes Lydius, Miniſter Calvin.
Joannes Palæonydorus, Carmelita, Theologus
Rodolphus Snellius, Linguæ Græcæ Prof. Leidenſ.

## EX ALIIS LOCIS HOLLANDIÆ

Rutgerus à Boetzelaer, *Aſperenſis.*
Cornelius Neoſtadius, J. U. D. *Brilanus.*
Antonius Hovæus, Abbas, Ord. S. Benedicti
Guilielmus Heda, Præpoſ. Ultraj. Hiſtoricus.
Theoderus Egmondanus
NICOLAUS A NOVA-TERRA, I. Epiſc. Harlem. *Egmondani.*
Adrianus, Carthuſianus.
Nicolaus Buſius, Decanus Hilvaribec. *Gertrudimontani.*
* CORNELIUS JANSENIUS, Epiſcopus Iprenſis.
FLORENTIUS RADEVINUS, Inſtitutor Clericorum Vitæ Comm. *Leerdamenſes.*
Janus Bodecherus Banningius, Prof. Leidæ, *ex Looſdrecht.*
Rodolphus Dier, è Congregatione FF. Vitæ Communis
Theodorus Cortehoevius, *Mudani.*
Arnoldus Vander Meer
Martinus Dorpius, S. T. D. Lov.
Petrus à Naeldwyck Medicinæ Doctor, *Naeldwycani.*
Franciſcus Douza
Georgius Douza
Janus Douza, pater & filius
Theodorus Douza, *Noortwycani*
Cornelius Claes, Hiſtoricus. *Purmerendanus.*
Gerardus à Schiedam, Carthuſianus
Martinus à Schiedam, Carthuſianus
Petrus de Vos, Ordinis S. Auguſt. S. T. Doctor, *Schiedamenſis.*
Emanuel Swertius, Hiſtoricus.
Martinus Pilius, U. J. Doctor, *Septimontii.*
Gisbertus Lappius a Waveren, Medicinæ Doctor, *Weſopienſis.*
Conſtantinus l'Empereur, Theol.
Florentius Brouckhorſtius, S. I.
Janus Hautenus, J. C. *aliique incerti loci.*

* * *

## §. XIII. ZELANDI.

### MIDDELBURGENSES.

ARnoldus Helius, Poeta.
Cornelius Herls, Chirurgus.
Hugo Favolius, Medicus
Jacobus Antonii, J. C. Vicarius Episcopi Cameracensis.
Joannes Goedaert, Pictor.
Joannes de Mey, Theol. & Medicus.
Joannes Walæus, *ex Koudekerke*, Medicinæ Doctor
Matthias Martinius de Waucquier, Philologus
* NICOLAUS EVERARDI, *ex Gripskercke*, J. U. D. Lov. Præses magni Consilii Mechlin.
Nicolaus Hoghelandius, Abbas B. M. Ordinis Præmonstr.
PAULUS MIDDELBURGIUS, Episcopus Forosempron. in Italia
Petrus Capitaneus, Medicinæ Doctor.
Theobaldus de Hoghelande, Medicus
Tobias Roelsius, Doctor Medic.

### GOESANI.

COrnelius Baersdorp, Medicus
Daniel Miverius, Medicus
Gaspar Barzæus, S. J. Apost. Indiarum
Jacobus Lansbergius, Medicus.
Joachimus Polites, Philologus
Joannes Ramus, J. U. Doctor Lovan.
Leonardus Marius, S. T. D. Colon. Pastor Amstelod.
Petrus Stratenus, J. C. ac Poëta.

### VERIENSES.

VEner. P. Bartholomeus à Middelburgo, Ordinis FF. Minorum.
Cornelius Battus, Medicus
Guilielmus Apollonius, Calvinista
Maxæmilianus Vrientius.

### VLISSINGENSES.

Abraham Mellinus, Minister Calv.
Ludovicus de Dieu, Professor Lugduno-Bat.
Petrus Cunæus, J. U. D. Professor Lugduno Bat.
Quintinus Weytsen, J. C. Consiliar.
Regnerus Vitellius, Poëta

### ZIRICZEENSES.

ADrianus Hofferus, Poëta.
Ægidius Aurifaber, Carthusianus
Amandus, Ordinis FF. Minorum.
Andreas Lemnius, Medicus.
Balduinus Henrici, J. U. D. Lovan.
Cornelius Liens, Medicus.
David Theodor. Plaseer, Medicus.
Dominicus Janssen-boy, Ord. Præd.
Franciscus à Zandicq.
Guilielmus Lemnius, Medicus
Guilielmus Teelinck, Calvinista
Jacobus Zovitius Driessicharus, Poëta.
Jason Pratensis, Medicinæ Doctor.
Lævinus Lemnius, Med. D. Canonicus
Nicolaus Janssen-boy, Ord. Præd.
* PETRUS PECKIUS, J. U. D. Lovan. & Consiliarius Mechlin.

### EX ALIIS LOCIS ZELANDIÆ.

Jodocus Larenus, Minister Calvin. *Arnemudanus.*
Adrianus Barlandus, Historicus
Hubertus Barlandus, Medicus, *ex Baarland*
CUNERUS PETRI, Episcop. Leovard.
* JACOBUS CATS, Holland. Pension.
Matthias Cats, Ordinis FF. Min. Theol. *Brouwershavii.*
Ioannes Reygersbergius, Historicus, *ex Corigeo*
Franciscus Pistorius, Canon. Regul.
Petrus à Rezen, Historicus, *Tolenses.*
* MATTHÆUS GALENUS, S. T. D. Duac. *West-Capellius.*
Guilielmus Ægidius, Mathematicus, *ex Wissekercke*

*Incerti loci.*

Bartholomæus Caversinus, Canonicus
Cornelius Martinius, Historicus

Henricus Danckerts, Hiſtoricus
Joannes Wierus, Medicinæ Doctor

* * *

§. XIV. ULTRAJECTINI.

Adelboldus, Epiſcopus.
Adrianus Hoogerbeets, I. C.
* Adrianus VI. Pont. Max.
Albertus Leonius, I. U. D.
Amilius Stoocke, Hiſtoricus
Antonius de Boechoven, I. C.
Antonius Cantius, Philologus
Antonius Sebastianus Minturnus, Epiſcopus in Italia
Arnoldus Buchelius, Hiſtoricus
Arnoldus Eyckius, Philologus
* Benedictus Haeftenus, Præpoſitus Aſſlig. Ord. S. Bened.
Bernardus, Clericus
S. Bonifacius, Archiepiſc. & Mart.
Chriſtianus Bruningius, Philologus
Chriſtianus à Rodenburg, I. U. D.
Conradus, Epiſcopus
Cornelius Laurimannus, Poëta
David Gorlæus, Philoſophus
Everardus Foeck, Decanus S. Salvat.
Franciſcus Haræus, Presbyter S. T. L.
S. Fredericus, Epiſc. & Martyr.
Fredericus Schenck, I. Archiep.
Gerardus Mulertus, I. C.
Gerardus à Veltwyck, Theſaurarius Aurei Velleris.
Gerardus à Waſſenaer, I. U. D.
Gisbertus Blochovius, Carthuſianus.
Gisbertus Lappius à Waveren, Hiſtor.
* Guilielmus Canterus, Philologus
Guilielmus ab Enckevoirt, S. R. E. Cardinalis, Epiſcopus, &c.
Guilielmus à Radelant, Præſes Conſil.
Guilielmus Vorntken, Prior Generalis Windeſem. Can. Reg.
Guilielmus de Wael à Vroneſtein, S. I.
Gybertus Longolius, Medicus.
Henrica ab Erp, Abbatiſſa de Vrouwen-Clooſter, juxta Ultraj.
Henricus Regius, Medicinæ Doctor
Heribertus Roſweydus, S. I. Hagiogr.
Iacobus Van Heumen, Paſtor ac Theologus
Ioachimus Baecxius, Presbyter Theol.
Ioachim ab Oprode, S. T. D. Epiſcopus Hebron. Suffraganeus
Goſwinus Hexius, Epiſcopus Hierapol. Suffraganeus
Ioannes ab Arundine, Epiſcopus Uſbitenſ. Suffraganeus.
Ioannes à Beka, Canon. & Hiſtoricus
Ioannes Cauchius, Vir Conſularis.
Ioannes Cnyf, I. Epiſc. Groning.
Ioannes Cotovicius, I. U. D. Hiſtor.
Ioannes à Gouda, S. I.
Ioannes Heſius, Presbyter
Ioannes Heurnius, Medicinæ Doctor Leidenſis.
Ioannes Honorius Van Axel, de Seny, I. C. Romanus
Ioannes Veldenarius, Hiſtoricus
Ioannes Uyttenbogaert, Theol. Profeſſor Calvin.
Ioannes Weſterburgius, Miniſter Calvinianus.
Ioannes Wintershoven, S. I.
Ioannes Wittius, Canonicus.
Iuſtus Heurnius, Miniſter Calvin.
Lambertus Vander Burch, Decanus B. M. V. Ultrajecti
Lambertus Velthuyſen.
Marſilius ab Inghen, S. T. D. Heidelberg.
Martinus Schoockius, Prof. Hiſtor.
Oliverius Hattemius, è Miniſtro Catholicus.
Otho Zylius, S. I.
Otho Heurnius, Medicinæ Doctor.
Paulus Montanus, I. U. D. Conſiliar.
Petrus Bor, Hiſtoriographus.
Petrus Valckenael de Zyl, Prior Canon. Regul.
Philippus Morus, Canonicus.
Radbodus, Epiſcopus Ultrajectinus
Regnerus à Manſfelt, Profeſſor Ultraject.
Richardus Heſius, S. I.
Theodoricus ab Haghen, Aſtrologus

Theodoricus de Wit, Theol. Catholicus
Theodorus Canterus, Conſiliarius.

## DOCTORES ET PROFESSORES ACADEMIÆ ULTRAJECT.

### In Theologia.

Gisbertus Voetius, Heuſdanus
Carolus de Maats, Leydenſis
Ioannes Hoornbeeck, Harlemenſis
Andreas Eſſenius, Bommelienſis
Matthias Nethenus, Rezenſis.

### In Jure.

Antonius Matthæus, ſenior, Herbornenſis
Bernardus Schotanus, Friſius
Cyprianus Regneri ab Ooſterga, Swollanus
Paulus Voet, Heuſdanus.

### Im Medicina.

Ysbrandus à Diemerbroeck, Montfortius
Henricus Regius, Ultrajectinus

### In Philosophia et SS. Linguis.

Arnoldus Senguerdius, Amſtelodamus
Daniel Voet, Heuſdanus.
Martinus Schoockius, Ultrajectinus
Ioannes de Bruyn, Gorcomius
Regnerus à Manſelt, Ultrajectinus.

## AMERSFORTII.

Arnoldus Verhellius, Philoſophus
Cornelius Amerfortius, Canon. Regularis
Everardus de Amersfordia, Theol.
Gerardus Zoes, S. I.
Godefridus Steeghius, Medicus.
* Henricus Zoesius, J. U. D. Lov.
Iacobus Tymæus, S. T. D. Colon.
Jacobus Vluggius, Poëta.
* Ioannes a Barnevelt, Penſionarius Reip. Batavorum
Ioannes Benningius, J. U. D. Lov.
Ioannes Gerulphus
Michael ab Iſſelt, Paſtor & Hiſtoricus
Nicolaus ab Eſtveldt, Capucinus.
Nicolaus Zoesius, Epiſc. Silvæd.
Paulus Busius, Penſionarius Reip. Batavorum.
Petrus Montanus, Poëta.
Theodorus Verhoeven, Gymnaſiarcha
Timannus Geſſelius, Calviniſta.

### E dominio Ultraiect.

Isbrandus à Diemerbroeck, Med. D. Ultraj.
Lambertus Hortenſius, Hiſtoricus, *Montfortii.*
Gerardus Liſtrius, Medicus
Hermannus Ryd, Theologus, *Rhenenſes*
Ægidius Athacker, S. Theologiæ Profeſſor, *ex Vreeſwyck.*
Jacobus Triglandius, Theol. Calvin. *Vianenſis.*

* * *

## §. XV. FRISII.

## LEOVARDIENSES.

Alardus Auletius, Medic. Doctor
Arnoldus Cathius, S. J.
Bernardus Gerbrandus Furmerius, J. U. Doctor
Cunerus Petri, I. Epiſcopus.
Dominicus Arumæus, J. U. Doctor Ienenſis.
Edo Neuhuſius, Philologus.
Feſtus Hommius, *ex Hielſum*, apud Leovardiam, Theol. Calv.
Georgius Rataller, Præſes Conſilii Ultrajectini.
Hildebrandus Goffredus, *ex Huſum* apud Leovard. Paſtor.
Hector Bouricius, J. U. Doctor
Iacobus Bouricius, J. C.
Ioannes Baſius, J. C.
Ioannes Fungerus, Philologus.
Joannes à Leovardia, Minorita.
Ioannes à Sande, Præſes Conſ. Friſ.
Ioannes Guilielmus Velſius, Medic.

Menelaus Winſſemius, Med. Doctor
Pierius Winſſemius, Hiſtoriographus Friſiæ.
Regnerus Sixtinus, J. U. Doctor.
Reinerus Neuhuſius, Philologus
Sibrandus Leo, Ord. Præmonſtrat.
Simon Abbes Gabbema, Hiſtoriographus Friſiæ
Suffridus Petri, Hiſtoricus.
Timæus Faber, I. C.
* VIGLIUS AB AYTTA, Zuichemus, Præſes Conſilii Sanctioris, &c.

BOLSWARDIENSES.

Franciſcus Statius Advortenſius Triumpho, Presbyter.
Iacobus Theodardus Sartorius, Presbyter
Petrus Bolswardienſis, Ord. S. Auguſt.
Sibrandus Tetardus Siccama, Secret.

DOCCUMENSES.

Cornelius Kempius, Hiſtoricus
Gemma Friſius, Medic. Doct. Lov.
Henricus à Bra, Medicinæ Doctor
Hermannus à Doccum, Theol. Paſtor
Julius à Beyma, J. U. Doct. Conſiliar.
Leo ab Aitzema, Hiſtoriographus
S. LUDGERUS, *ex Virum*, prope Doccumum, Epiſcopus Monaſter.

ELOSTANI, VULGO ILST.

Auſonius à Popma, J. C.
Cyprianus à Popma, Philologus.
Martinus Iſtanus, Carmelita
Sixtus à Popma, I. U. D. Dolanus
Titus à Popma, I. C.

FRANEKERANI.

BErnardus Schotanus, à Sterringa, I. U. Doctor
Georgius Paſor, Linguæ Græcæ Prof.
Henricus Rhala, I. U. Doctor
Henricus Schotanus, I. U. Doctor.
Martinus Lydius, Doctor Theol. Calviniſta
Nicolaus Amama, I. U. Doctor
Reinico Freſinga, Hiſtoricus.
Sextus Arcerius, Medicinæ Doctor
Sixtinus Amama, Doctor Theol. Calviniſta
Tacho à Glins, I. U. Doctor.
S. FREDERICUS, Epiſcopus Ultraj. ab Adelen caſtro agri Francker.
Ulpius Ciſſæus, Linguæ Græcæ Prof.

SNECANI.

ALbertus Hero, Theol. Cathol.
Aluinus, Hiſtoricus.
Cajus Antonius Hopperus, Præpoſitus Lovan.
Cornelius de Snekis, Ord. Prædic.
Dominicus Bendixius, I. Archidiaconus Leovardiæ
Folkerus Simonis, Hiſtoricus
Haringus Sifridi Synnama, *ex Hagis* prope Snekam. I. U. D.
Henricus Thaborita, Canonicus Regul. prope Sneeam.
Iacobus Adamus, Scholarcha.
JOACHIMUS HOPPERUS, I. U. D. Conſilarius Regius
Regnerus Bruitſma, Medicus.
Volperus Thaborita, Canon. Regul.

EX ALIIS LOCIS FRISIÆ.

Martinus Hamcomius, Hiſtoricus, *Folleganus.*
Ioannes Saxonius, I. C. *ex Hattenſtede.*
Marcus Lycklama, I. U. D. Franck. *ex Nyeholdt.*
Petrus Tidrichius, Philologus, *Paſcanius.*
* BOETIUS EPO, I. U. D. Lovan. ac Duac. &c. *Rhordahuſanus.*
Petrus Pierius à Smenga, Medicinæ Doctor Lovan.
Petrus Schotanus à Sterringa Medic. Doctor, *Schotani.*
Petrus Talpa, Medic. Doctor, *ex Stellincwerve.*
Andreas Cornelius, Hiſtoricus
Cappidus Sacerdos, Hiſtoricus
Nanno, Philoſophus, *Stavrienſes.*

Alber-

Albertus Meierus, Hiſtoricus, *Strant-Friſius.*
Cyprianus Stapertius, J. U. D. *Vomelius.*
Fredericus ab Inthiema, I. C.
Petreius Tiara, Medicinæ Doctor Franek. ac Linguæ Græcæ Prof.
Uffingius, ſive Uffo, Monachus Benedict. *Worcumienſes.*

FRISII INCERTI LOCI.

Ælgius Eduardus Leon, Poëta
Andreas Ranter.
Antonius Guntherus, Medicus
Auguſtinus Dodo
Boëtius ab Holdinga, Hiſtoricus
Dethardus Horſtius, J.C.
Dominicus Acronius, Hiſtoricus
Eilardus ab Alma, Poëta
B. EMO, Abbas Horti Floridi, Ordinis Præmonſtratenſis
Erneſtus Eremundus, Hiſtoricus
Foppius Suetonius ab Aezema, J. U. D.
Franciſcus Meinardus, J. U. D.
Hajo Hermannus, J. U. D.
Henricus Friſo, Carthuſianus.
Hermannus à Folckersheim.
Hermannus Follinus, Medicus.
Hermannus Meyerus, J. C.
Hero ab Inthiema, J. C.
Idſardus Gravius, Presbyter.
Jenco à Douma, Hiſtoricus
Ilico Ummius, Butiades, J. U. D.
Joannes Acronius, Medicus
Joannes Arcerius Theodoretus.
Joannes Vlieterpius, Hiſtoricus
Joannes Vredeman, Architectus
Kempo à Martena, V. N. Senator.
Laurentius Friſius, Medicus
B. MENKO, Abbas Werumenſis
Occo Searlenſis, Hiſtoricus
Pomponius Ellama, J.C.
RADBODUS, Epiſcopus Ultraject.
Regnerus ab Ellama, Medicus.
Richardus Lubbæus, Wiebelsburanus.
Rodolphus Battingius, Mathemat.
Saxmundus & Ulmarus, Legiſlatores.
S. SIBRANDUS, Abbas Horti B. M.
Sibrandus Lubbertus, *ex Langewode*, Theologus Franekeranus.
Sixtus ab Hemminga, Bellocomenſis, Aſtrologus.
Stephanus Ubelius, Schoningenſis
Suffridus Sterckenburg.
Theodoricus Ulſenius, Medicus.
Theodorus Euroteles, Poëta.
Thomas Herbaius, J. C.
Tialingus ab Eyſinga, J. U. D.
Eggericus Beninga, Hiſtoricus.
Ubbo Emmius, Grethanus, Hiſtoriographus. *E Friſia Orientali.*

❖ ❖ ❖

## §. XVI. TRANSISALANI.

JAcobus à Wynshem.
Joannes Picardt, Hiſtoricus
S. MARCELLINUS, Tranſiſalaniæ Patronus.
Arnoldus de Reygher, J. U. D. ex Tubantia, Toparcha in Glabeck
Robertus à Beeck, Poëta

### DAVENTRIENSES.

ALexander Hegius, Philologus.
Everardus Balck, J. U. D.
Everardus Bronchorſtius, J. U. D.
Gerardus Brunus, Theol. Cathol.
B. GERARDUS MAGNUS, Clericorum Vitæ Comm. Inſtitutor
Gerlacus Petri, Canon. Regularis.
Guilielmus Hachuſanus, Philologus
Jacobus Daventrienſis, Geographus
Jacobus Rævius, Hiſtoricus
Joannes à Daventria, Ord. FF. Min.
Joannes Dorrius, Poëta
Joannes Faber, Ord. Prædic.
JOANNES MAHUSIUS, I. Epiſcopus
Joannes Sinthemius, Congreg. S. Hieronymi.
Lambertus Ludolphus Pythophæus, Philologus
Ortuinus Gratius, Profeſſor Colon.

Petrus Holtzemius, Medicinæ Doctor
Petrus Reidanus, Medicus
Philippus Rovenius, Archiepiscopus Philipp. Vicarius Apostol. Belgii Fœderati.

## CAMPENSES.

* Albertus Pighius, Theologus Cathol.
Hermannus Cruserius, J. U. D.
Joannes Campensis, Prof. Lovanii
Joannes Campensis, Carmelita
Marcus Gualterus, Gymnasiarcha
Quirinus Chrysochæus, Historicus
Stephanus Winandus Pighius, Historicus
Theodorus Petreius, Carthusianus.

## ZWOLLENSES.

Arrnoldus ab Haersolte, J. C.
Cyprianus Regneri ab Oosterga, I. U. D. ac Prof.
Franciscus Sonsbekius, J. C.
Hermannus Torrentinus, Theol.
Lubbertus Bernerus, Clericus Vitæ Comm.
Paulus Busius, J. U. D. ac Prof.
Theodorus de Arck, Presbyter Vitæ Comm.
Henricus Vulpius, Mathematicus. *Lingensis.*
Jacobus Middendorpius, Theol. Colon. *Oldensalienſis.*
Cornelius Schultingius, Theol. Cath. *Steenwicanus.*

✣ ✣ ✣

## §. XVII. GRONINGANI

Arnoldus Nylen, Episcopus.
Gerardus Loppers, ex pago *Lopersum*, Philologus.
Gerardus Synellius, Abbas B. M. in Norda.
Hieronymus Verrutius, J. C.
Hugo Heltelius.
Jacobus Altingius, Theol. Doct. Calv.
Joannes Cnyp, I. Episcopus
Joannes Freithagius, Medicinæ Doct.
Joannes Lemmigo, Historicus.
Joannes Loppers.
Regnerus Prædinius, *ex Winssum*, Theol. acatholicus.
* Rodolphus Agricola, *ex Baſſelt*, Theologus ac Philologus.
Thadæus Weringa, S. J.
Wesselus, seu Basilius Gansfortius, Theologus, in fide suspectus
Volckerus Koyterus, Medicus Norimbergensis.

✣ ✣ ✣

## §. XVIII. ZUTPHANIENSES.

Arnoldus à Boecop, S. J.
Conradus ab Aechtevelt, Poëta
Egbertus Spitholdius, S. T. L. Plebanus Antv.
Gerardus Zerbolt, Clericus Vitæ Comm.
Joannes Voerthusius, Præp. Davent. Historicus
Marcellus Francheimius, J. U. D.

✣ ✣ ✣

## §. XIX. LEODIENSES.

Abacuc Raymundi, J. C.
Adelmannus, Episcopus
Adrianus de Fleron, Canon. S. Lamb.
Ægidius Colley, Ord. S. Crucis.
Ægidius Guillion.
Ægidius Leodicensis, Ord. Cist.
Ægidius Rasyr, Poëta.
Albertus à Limborgh, J. U. D.
Algerus, Canonicus & Monachus.
Aloysius à Limborgh, Abbas S. Æg.
Amelgardus, Historicus.
Anselmus, Scholasticus.
Arnoldus Paludanus, Ord. FF. Min.
Arsenius Leodicensis, Ordinis S. Ben.
Balduinus de Vaulx, J. U. D.
Barbara Porquin.
Bartholomæus le Ducquet, J. U. D.

Bartholomæus Fiſen, S. J. Hiſtoricus
Bartholomæus Honorius, Ordinis Præmonſtratenſis.
Bonaventura Dernoye, Ordinis FF. Minorum.
Carolus Ferdinand. de Vlierden, J.C.
Carolus de Mean, J. C. Clariſſim.
Daniel Raymundi, Hiſtoricus.
Eckebertus, Clericus Eccl. Leod.
Eraſmus à Chokier, J. U. D.
Franco, Scholaſticus.
Georgius ab Austria, Epiſc. Leod.
Georgius Halonius, Poëta.
Georgius Thourinus, Can. S. Lamb.
Gerardus Corſelius, J. U. D. Lov.
Gerardus Leodienſis, Ordinis Ciſt.
Gerardus Rondellus, Canon. S. Lamb.
Gisbertus Conventinus Corſelius
Godeſchalcus, Canon. S. Lamb.
Gregorius Daineffe, Ordinis S. Auguſt.
Guilielmus Van den Boſſche, Medicus
Guilielmus Parent, Medicus.
Henricus Farneſius, J. U. D.
Henricus Paludanus, Minorita.
Hermannus à Woeſtenraedt, Ordinis Cruciferorum
Hirnandus, Archidiaconus Leodienſ.
Hilgerus à Burgis, } Suffraganei
Hubertus Leonardi, }
Hubertus Thomas, Hiſtoricus.
Jacobus de Hemricourt, Hiſtoricus
Jacobus Lobetius, S. J.
Jacobus Rotarius, Can. S. Dionyſii
Ida, ſeu Ideletta de Gré.
Joannes Banelt, Ordinis S. Crucis.
Joannes Baptiſta à Glano, S. T. D.
Joannes le Bel, Canon. S. Lamb.
Joannes Bon-enfant, Canon. Regul.
Ioannes de Caſtilione, Archidiaconus.
Joannes Chapeaville, Archidiaconus, Vicarius generalis &c.
Joannes Ernestus a Chokier, Canon. S. Lamberti, Vicar. Gener. &c.
Joannes Erardus Foullon, S. J.
Joannes Faber Omalius, J. C.
Joannes de Flandria, Leodienſis Epiſcopus.
Joannes Fredericus à Chokier, Canon. S. Lamberti
Joannes Galleit.
Ioannes Heinsbergius, Epiſcopus
Ioannes Henricus Manigart, Theol.
Ioannes Holonius, S. J.
Ioanues Horrion, S. I.
Ioannes Hocxſemius, Scholaſt. Leod. Hiſtoricus.
Ioannes Lamboy, Canon. Regularis.
Ioannes Leonius, S. I.
Ioannes Marchinellus, Carmelita.
Ioannes Oranus, S. I.
Ioannes Politus, Poëta.
Ioannes, Presbyter, Hiſtoricus
Ioannes du Rieu.
* Ioannes Wamesius, I. U. D. Lov.
Iſaac de Malmedy, Hiſtoricus.
Lambertus le Begue, Presbyter, Inſtitutor Begginarum.
Lambertus Jegher, Theologus
Lambertus Leodienſis, Monachus Benedictinus S. Laurentii,
Lambertus Parvus, Monachus S. Iacobi.
Lambertus à Stipite, Monachus S. Laurentii &c.
Lambertus de Vlierden, Hiſtoricus
Lambertus de Vlierden, filius, I. C.
Laurentius Leodicenſis, Monachus S. Laurentii, Benedict.
Ludovicus à Caſtro, Ord. FF. Min.
Ludovicus Radoux, I. C.
Ludovicus de la Tour, Carthuſianus
Maria de Succa.
Martinus Conſtantini, J. C.
Matthias Chefneux, Ord. S. Auguſt.
Matthias à Corona, S. T. D. Ordinis Carmelitarum.
Matthias de Gruty, J. C.
Nicolaus de Borre, Paſtor.
Nicolaus, Scholaſticus S. Lamb.
Nicolaus Oranus, Ord. FF. Min.
Nicolaus Plenevaux, Ordinis S. Aug.
Nicolaus à Poculo, Ord. FF. Min.
Nicolaus Verlaye
Notgerus Epiſcopus.

Otgerus à Vivariis
Paſſchaſius Berſelius, Benedictinus.
Paulus Dueſius, S. T. Doctor S. I.
Petrus de Halloix, S. J. Theologus.
Petrus de Mean, J. C.
Petrus Stevartius, Vicarius generalis &c. S. T. Doctor
Philippus à Quercu.
Ratherius, Epiſcopus
Renatus Franciſcus de Sluze, Canon. S. Lamberti.
Stephanus, Epiſcopus.
Stephanus Rauſinus, Conſul Leod.
Theodatus, Carmelita.
Theoduinus, Epiſcopus.
Thomas Gratianus, Auguſtinianus
Thomas Maſſotte, Notarius.
Wazo, Epiſcopus.

## HASSELETANI.

Ægidius Paeſmans, tertii Ordinis S. Franciſci.
Vener. P. Franciscus Titelmannus, Capucinus
Gaſpar Ammonius, Ordinis S. Auguſtini
Henricus Drieſius, Ord. S. Auguſt.
Henricus Jaupen, Ord. S. Auguſt.
Henricus Ionghen, Ord. FF. Min.
Joannes de Haſela, Ordinis Prædic.
Joannes Leonardi Haſſelius, S.T. Doctor Lovan.
Ioannes Mantelius, S. T. D. Ordinis S. Auguſt.
Matthias Pauli, Ordinis S. Auguſtini
Melchior Daelhemius, Ord. S. Aug.
Gerardus, Prior Carthuſianorum Colon. *Hamontanus.*
Andreas Alenus, Poëta.
Godefridus Wendelinus, Hiſtoricus, *Herckani.*
Stephanus Stapels, S. J. *ex Herckenrode.*
Joannes Fredericus Lumnius, Paſtor Beginarum, *ex Lummen.*
* Vener. P. Dionysius a Leewis, Carthuſianus, *ex Ryckel.*

## MOSÆCANI.

Nicolaus Neſſelius, Theol. Paſtor, Canonicus
Rutgerus Reſcius, Linguæ Græcæ Profeſſor Lovan.
Hannardus Gamerius, *ex Hemert*, agri Moſæcani.
Leonardus Franciſcus Dinghens, Medicus
Radulphus à Rivo, Hiſtoricus, *Breani.*
Auguſtinus Fabius, Canon. Regul.
Joannes à Valle, Theologus.
Radulphus à Beringhen, Decr. Doctor Lovanii, *Beringi.*
Gerardus Voſſius, S. T. D.
Joannes Boſchius, Medicus
Joannes de Heeſtert, Canon. Regul.
Ioannes Peeckius, Ord. S. Bened. Abbas. *Borchlonii.*
Joannes Ant. Peltanus, Ord. Præmonſt.
Theodorus Ant. Peltanus, S. J. Doctor Theol. Ingolſtad. *Ex Pelt.*
Joachimus Brulius, Ord. S. Auguſt. *ex Vorſt.*

## TRUDONENSES.

Franciſcus Wennius, Prior Parcenſis, Ordinis Præmonſtr.
Florus, Monachus ad S. Trudonem
Guilielmus Herckenroy, Canon. Regularis.
Guilielmus Sprecuwen, Canon. Reg.
Henricus Mettecoven, J. C.
Hieronymus Puteanus, J. U. D.
Jacobus à Gruitrode, Carthuſ. ex vico apud Trudonopolim
Joannes Bruſthemius, Ord. Minorum
Joannes Leo Placentius, Ord. Min. Hiſtoricus.
Laurentius Neeſen, Præſes Seminarii Mechlin. Theol.
Philippus de Ghering, Med. Doctor.
Cornelius Cornelii a Lapide, S. J. Theologus, *ex Buteld.*

## TUNGRENSES.

Arnoldus Heſſels, Canon. Regul.
Arnoldus Luydius, S. T. Doctor Colon.
Bartholomæus Macharii.
Chriſtianus Cleynen, Canon. Reg.
Gerardus Witten, Canon. Reg.
Henricus Fleſſers, Paſtor.
Henricus ab Heer, Medicus.
Joannes Clarius, S. T. D. Lovan.
Ioannes Donckels, Canon. Regul.
Ioannes Luydius, Theologus
Ioannes Reys, Canon. Regul.
Ioannes Voets, Canon. Regul.
Ioannes Weſſels, Canon. Regul.
Ioannes Witmeckers, Canon. Regul.
Laurentius Nicolarts, I. C. Canonicus Cathedralis Leodienſis.
Libertus de Hauthem, Prior Canonicorum Regularium
Libertus de Hauthem, Clericus Vitę Communis
Lucius Tungrenſis, Scriptor vetuſtus
Martinus Borckens, Poëta.
Matthæus de S. Joanne, Canonicus Regul.

## EX AGRO LEODIENSI.

Godefridus Bullionius, Rex Jeroſolymorum
Georgius Maigretius S. T. D. Lov. Ord. S. Auguſtini. *Bullonienſes*
Joannes Guidonius, Philologus, *Caſtiletenſis*
Antonius Dave, S. T. D. Lov. *Cinacenſis.*
Amandus Gilſelius, Philologus
Antonius Goffart, S. T. D.
Chriſtophorus de Mattrée.
Dionyſius Coppée, Poëta.
Simon Magnus de Ramlot, I. C. *E. Condruſio*
Iacobus Marchantius, Paſtor, Theol.
*. Vener. P. Petrus Marchantius, Ordinis FF. Min. Theologus *Couvinienſes.*
Guilielmus Marci, S. I.
Henricus Sommalius, S. I.
Iacobus Bonfrerius, S. T. D. è S. I.
Petrus Bouille, S. I. *Dionantenſes.*
Gerardus, Epiſcopus Camerac. *Florinenſis.*
Michael Malcorps, Religioſus Heiliſem. Ordinis Præmonſt. *Foſſenſis.*
* Libertus Fromondus, S. T. D. Lovan. *Haccurianus.*
Matthias Navæus, S. T. D. Duaci
S. Godegrandus, Epiſcopus Metenſis, *ex Hasbania*
Andreas Fabricius, Theologus, *ex Hodege.*
Gualterus Paulus, S. T. D. è S. I.
Henricus Rampen, S. T. D. Lov.
Laurentius Mclart, Conſul.
Philippus Berlaimontius, S. J. *Huienſes.*
Guilielmus Cordier, Poëta, *Lobbienſis.*
Ioannes Hentenius, S. T. D. Lov. Ord. Prædic. *ex Naline*, apud *Thudinium.*
Philippus Bebius, S. J. *ex Otreppe*
Bartholomæus d'Aſtroy, Ord. Min. *ex Spontin.*
Nicolaus de Remouchamps, I. C. *Stabulenſis*
Matthias Lamberti, Ordinis Ciſtercienſis *Thudinienſis.*
Paſſchaſius Gardier Bertrandus. *Vervianus.*
Antonius Ghenardus, Canonicus S. Lamberti, *Viſetenſis.*

* * *

## §. XX. GERMANI.

## AQUISGRANENSES.

Albertus, Cuſtos Eccl. B. M.
Godefridus Candelarius, Carmelita
Guilielmus de Aquiſgrano, Canonicus
Ioannes Bramimart, Carmelita S. T. D
Ioannes Gluel, Carmelita
Iodocus Beiſſelius, I. C.

Matthias Aquenſis, Theol. Colon.
Matthias Zittardus, S. T. D. Ordinis Prædic.
Rutgerus Rulandus, I. U. Doctor
Tilmannus Aquenſis, Carmelita.

COLONIENSES.

* ANDREAS GAILL, J. U. Doctor
Antonius Dulckenius, Carthuſ.
Arnoldus Mylius, Typographus
S. BRUNO, Carthuſianus.
Cæſarius, Heiſterbacenſis, Ciſterc.
Everardus à Billich, Carmelita, Suffraganeus Colon.
Franciſcus Burchart, I. U. Doctor
Georgius Brunus, S. T. Doctor
Gerlacus Vinitor, Cæremon. Mgr.
Godefridus, Monachus S. Pantaleonis
Heimericus de Campo, S. T. D. Col.
Henricus Cornelius Agrippa, Medicus, Necromanticus
Hermannus Crombach, S. I.
Hermannus Hermes, I. U. Doctor
IOANNES ADAMUS SCHALL, S. I. Miſ.
Ioannes Fredericus Mateneſius, Theol.
IOANNES GROPPERUS, S. R. E. Cardinalis
* IODOCUS VONDEL, Poëta apud Batavos celeberr.
Martinus Henriquez à Streverſdorf, Hiſtoricus.
Petrus Michael, S. I. Theol.
* PETRUS PAULUS RUBENS, Pictor excellens
Philippus Rubenius, I. C.
SALVIANUS, Presbyter, ſæculo V. clarus.
Victor Gelenius, Capucinus.

EX ELECTORATU COLONIENSI.

* ANNA MARIA à SCHUERMAN, mulier doctiſſima.
Ludovicus Hilleſemius, Vir Conſularis, *Andernacenſis.*
Fredericus Hiltropius, I. C.
Leonardus Rubenius, Benedictinus; *Aſſindienſes.*
Ieannes Brugmans, Ord. FF. Min.
* MARTINUS DUNCANUS, Theologus & Paſtor.
* Vener. P. THOMAS A KEMPIS, Canonicus Regul. *Kempenates.*
Matthias Bredenbachius, Theol. *Kerpenſis*
Guilielmus Hamerius, Ordinis Prædicatorum.
Hermannus Thyræus, S. J.
Matthæus Hoen, S. T. Doctor
Petrus Thyræus, S. I. Theol.
WOLTHERUS HENRIQUEZ A STREVERSDORPF, Ordinis S. Auguſtini Epiſc. Aſcalon. *Noveſienſes.*
Ioannes Polch, Theologus, *Ex Reimbach*
Ioannes Sleidanus, Hiſtor. Luther.
Ioannes Sturmius, Philologus, Calvin. *Sleidani.*
Ioannes Claubergius, Philoſ. Prof. *ex Sollinghen.*

E DUCATU CLIVIÆ.

Egbertus Hop, I. C.
Henricus Sedulius, Ord. FF. Min.
Ioannes Grevius, Calvinianus.
Ioannes Melas, *Clivienſes.*
Reinerus Solenander, Medicus, *ex Buderich.*
Theodorus Pulmannus, Gymnaſiarcha *Cranenburgenſis.*
Ioannes Tybius, Hiſtoricus.
Petrus Cudſemius, è Prædicutio Catholicus, *Duisburgenſes.*
Arnoldus Freithagius, Med. Doctor
Arnoldus Poſſenbruchius.
Everardus Waſſenbergius, Hiſtoric.
Henricus Elverich, S. I.
Regnerus Mercator, Theologus & Paſtor.
Tilmannus Bredenbachius, Canon. Antv. & Colon. *Embricenſes.*
Ioannes Pupper, Theologus.
Theodorus van Couwerden, S. T. D. ac Cancell. Duacenſis, *ex Goch.*
Henricus Æger, ſeu Kalcar, Carthuſianus
Jacobus Caniſius, S. I. *Kalcarienſes.*

Antonius Deusingius Med. Doctor
Arnoldus Mylius, Typographus, *Moerssenses.*

Henricus Uranius, Gymnasiarcha
Joannes Stalens, Pastor
Iodocus à Dudinck, Canonicus
Matthias Nethenus, Theol. Calvin.
Stephanus Nathen, condictus Spormacher, I. U. D. ac Prof. Colon. *Rezenses.*

Arnoldus Heimricus, Historicus
Henricus Ryswich, J. U. D.
Hermannus Grethus, Canonicus.
Ioannes Wintherus, Canonicus
S. Norbertus, Archiepisc. Magburg. &c. *Xantlenses.*

Arnoldus Haldrenius, S. T. D.
Gerardus de Neufville
Ioannes Niellius, I. U. D.
Ioannes de Vesalia, Theologus, hereticus
Petrus à Well, J. C. *Vesalienses.*

## JULIACENSES.

Christianus Ischyrius, Philologus.
Hermannus Comes Nuenarius
Ioannes Cæsarius, Medicus
Ioannes Gamans, S. I. *Nuenarius.*
Petrus à Beeck, Canon. Historicus.
Petrus Merssæus Cratepolius, Ordinis Min. Historicus.
Petrus Matzenradius, Pastor
Stephanus Iuliacus, S. T. D. Ordinis FF. Min.
Wernerus Titianus, *ex Titz* prope Iuliacum, Congreg. Windes. Prior Generalis.

## DUSSELDORPII.

Joannes Bredenbachius.
Ioannes Dusseldorpius, Carmelita.

### Ex aliis Ducatuum Juliæ ac Montium locis.

Paulus Chimorrhæus, Poëta, *Beeckensis.*

Wernerus à Tesschemaecker, Historicus, *ex Elverfeld.*

Guilielmus Nakatenus, S. J.
Ioannes Buchlerus, Gymnasiarcha, *Glabdacenses.*

Guilielmus Insulanus, Menapius, *Grevibroecanus*

Ioannes Heinsbergius, Episc. Leod.
Petrus à Streithagen, Canonicus. *Heinsbergii.*

Matthias Quadus, Geographus, *Kinkelbacensis.*

Franciscus Agricola, Theologus, *Lonensis, apud Aldenhoven*

Antonius Cornelius, Orator, *ex Linnich.*

Levoldus à Northoff, Canon. Leod. Historicus, *Marcanus.*

Bernardinus Vetweys, Ordinis FF. Min. Theol.
Franciscus Fabricius, Gymnasiarcha

Henricus Putzius, S. J.
Ioannes de Duren, Ordinis FF. Min.

Matthias Putzius, S. I.
Michael Herbrant, Carmelita. *Marco-durani.*

Andreas à Streithagen, *ex Mertzenhausen.*

Adamus Contzen, S. I. Theologus, *Monsavienfis.*

Ioannes Leurenius, S. I.
Severinus Binius, S. T. D. Colon. *ex Randenraet.*

Renatus Hensæus, Carthusianus, *ex Scherpenseel.*

Hermannus Sittardus, Ordinis Prædic. *Sittardienfis.*

Gerardus Ioannes Vossius, Historic.
Henricus Wickius, Professor Colon. *Wassemburgenses.*

### Ex aliis locis Germaniæ:

Alexander Hegius, Monasterienf.
Antonius Matthæus, Hassus, I. U. Doctor Groningæ.

S. Burchardus, Episcopus Wormac. Hassus.
Carolus Magnus, Imp.
Carolus Quintus, Imp.
Christophorus Wittichius, Silesius, Theol. Calvin. Leydensis.
Conradus, Suevus, Episcopus Ultraj.
Conradus Gochlenius, Westphalus, Professor Lovan.
Eginhardus, è Franconia, Historicus
Franciscus de le-Boe-Silvius, Hanovienf. Med. Doctor Leyd.
Franciscus Junius, Heidelbergensis, Historicus.
Georgius Hornius, è Palatinatu, Historicus.
Georgius Pasor, Ellaræ-Nassovius, Linguæ Græcæ Prof.
Henricus de Coesveldia, Westphalus, Carthusianus
Iacobus Alting, Heidelbergensis, Doctor Theol. Calvinianus
Joannes Amos Comenius, Moravus, Philologus. *Add. obit. Amstelod. anno* 1671.
Ioannes Cocceius, Bremensis, Doctor Theol. Calvinianus.
Ioannes Fredericus Gronovius, Hamburg. Historicus.
Ioannes Jacobus Wissembach, Nassovius, I. U. Doctor.
Ioannes Isaacius Pontanus, Historicus
Ioannes Lydius, Francofurt. Calvinianus.
Ioannes Pelsius, Westphalus, Syndicus Lovan. Univ.
S. Ludgerus, Frisius, Episc. Monasterienfis.
Marsilius ab Inghen, S. T. D. Heidelberg.
Nicolaus Vedelius, è Palatinatu, Theologus Calvinianus Franek.
Ortuinus Gratius, è Ditione Monaster.
Petrus Gruterus, Philologus, è Palatinatu.
S. Rembertus, Flander, Archiepisc. Hamburg. & Bremens.
Vener. P. Theodoricus a Monasterio, Ordinis FF. Minorum.
Theodorus Smising, Westphalus, Ordinis FF. Minorum.
Theoduinus, Episc. Leodiensis, gente Bavarus.

❖ ❖ ❖

## §. XXI. GALLI.

Adrianus Amaury, Suessionensis.
Ægidius de Roya, Ordinis Cist.
B. Alanus de Rupe, Ord. Prædic.
Anastasius Cochelet, Maseriens. Carm.
Ansegisus, Abbas Fontanellæ
* Bernardus de Mongaillard, Abbas Aureæ Vallis
* Christophorus Plantinus, Turonensis, Typographus.
Claudius du Vivier, Pontisarensis, Minimus.
Franciscus de Bar, Picardus, Relig. Aquicinct. Ordinis S. Ben.
B. Fulco, Archiepisc Remensis.
B. Guerricus, Abbas Igniacensis, Ordinis Cistercienfis.
Hariulphus, è Pontivio, Monachus Benedictinus & Abbas.
Hugo a S. Victore, Abbas Canon. Regul. Parisiis
Iacobus de Vitriaco, S. R. E. Cardinalis Episc. &c.
Ioannes Boucher, S. T. Doctor, Pastor Parisiis, dein Archidiac. Tornac.
Ioannes Fabri, Episcopus Carnot.
B. Gualterus de Brugis, Episc. Pictav.
Joannes Mauburnus, Abbas Livriacensis, Ordinis S. Aug.
Ioannes Parvi, Ordinis Min. S. T. D. gente Normannus
Ioannes Polyander à Kerckhoven, Metensis, Calvinista
Ioannes Tabary, Lemovix, Episc. Morinensis
* Josephus Justus Scaliger, Agennenf. Professor Leidensis.
Ludovicus Guillard, Episcopus Tor-

Tornacenſis &c.
Nicolaus Georgius, Lothar. Ord. Pr.
Nicolaus Gorranus, Ordinis Prædic.
B. Odo, Aurelianenſis, ex Abbate S. Mart. Tornac. Epiſcopus Camer.
Petrus de Alliaco, S.R.E. Card. Epiſcopus Camerac.
Petrus Doré, Aurelianenſis, Ord. Prædicatorum.
Petrus de Levy, Epiſcopus Camerac.
Philippus de la Chambre, S.R.E. Cardinalis
Richardus à Waſſebourg, Archidiaconus Virdun.
Sugerus, Abbas S. Dionyſii primarius Galliæ Miniſter.
Theophilus Bernardinus, Sedanenſ. S. I.

## BURGUNDI.

ANatolius de Barres, Salinenſis
Antonius Garnier, Veſuntinus.
* Antonius Perrenot, S.R.E. Cardinalis, Archiepiſc. Mech. &c.
Claudius Chiffletius, I. U. Doctor
* Claudius Salmasius, Burgundus, Philologus
* Franciscus Richardot, Epiſcopus Atrebat.
Guilielmus Fillatre, J. U. D. Lov. Epiſcopus Tornacenſis
Iacobus Ranzonier, S. I.
Ioannes Balinus, Presbyter
* Ioannes Carondelet, Archiepiſc. Panormit. &c.
Joannes Iacobus Chiffletius, Medicinæ Doctor, Hiſtoricus
Ioannes Chiffletius, J. U. Doctor, Canonicus Tornac. & Hiſtoricus.
Ioannes Grivellus, Senator Regius
Ioannes Hugo Quarré, Præpoſitus Oratorii Belgici.
Ioannes Iacobus Courvoiſier, Ordinis FF. Minimorum.
Ioannes Sylvagius, Cancellarius Burg.
Iulius Chiffletius, J. U. D. Canonicus Veſunt. Hiſtoricus.
Laurentius Chiffletius, S. J.
Nicolaus Jacquerius, Ordinis Præd.
* Oliverius Marcanus, Hiſtoric.
Paulus Boudot, Epiſc Audom. & Atreb.
Philippus Chiffletius, Canonicus Veſontinus.

❖ ❖ ❖

## §. XXII. ANGLI.

S. Bonifacius, Archiepiſcopus & Martyr.
Chriſtophorus Davenportus, ſeu Franciſcus à S. Clara, Minorita
* Guilielmus Alanus, S.R.E. Cardinalis, Archiep. Mechl.
Joannes de Mandeville, Medicus.
Leander à S. Martino, S. T. Doctor Duaei, Ordinis S. Benedicti.
Matthæus Kelliſonius, S. T. Doctor Remenſis ac Duacenus
Odoardus Weſtonus, Londinenſ. S.T. Doctor Duac.
Richardus Briſtous, S. T. D. Duac.
Richardus Brougton, Theol. Duac.
Richardus Hallus, S.T. Doctor, Canonicus Audomarenſis
Richardus Smithæus, S. T. Doctor ac Cancellarius Duacenſis
Richardus Smithæus, Epiſcopus Chalcedon. Vicar. Apoſtol. Angliæ
Richardus Vitus, J. U. Doctor Duac.
Robertus Klarke, Carthuſianus
Robertus Tourner, Cancellar. Ingolſt.
Thomas Hydus, Theologus Duac.
Thomas Worthington, Theol. Duac.
Thomas Stapletonus, S. Theol. Doctor Duacenſis ac Lovanienſis.

## HIBERNI.

FLorentius Conrius, Ordinis Min. Archiep. Tuamenſis
Hugo Vardæus, Ordinis Minorum.
Joannes Sinnigh, S. T. Doctor Lov.
Richardus Arſdekin, S. J. Theol.
Richardus Stanihurſtus, Hiſtoricus.

## SCOTI.

GIlbertus Jacchæus, Med. Doctor
Jacobus Cheyneus, Canon. Tornacenſis.

§. XXIII. HISPANI.

* Venerab. Mater Anna a Sto. Bartholomæo, Carmelitana
Antonius Pereſius, J. U. Doct. Lov.
Bartholomæus de los Rios y Alarçon, S. T. D. Ordinis S. Auguſtini
* Benedictus Arias Montanus, S. T. Doctor
Carolus Colôma, Vir nobilis.
Chryſoſtomus Henriquez, Ord. Ciſt.
Franciſcus Horantius, Minorita, Epiſc. Ovetenſis
Gabriel Ayala, Medicinæ Doctor.
Joannes Caramuel a Lobcowits, S. T. D. Lovan. Epiſcopus Vigeſanenſis &c.
* Joannes Ludovicus Vives, Theologus & Philologus.
Matthæus Adrianus, Medicus.

§. XXIV. ITALI.

Chryſoſtomus Sanctius, Hiſtoricus
Hilduinus, Archiepiſc. Mediolan.
Joannes de Bononia, Siculus, S. T. Doctor Lovanienſis.
Ludovicus Guichardin, Hiſtoricus.

§. XXV. FOEMINÆ ILLUSTRES.

Anna Bynſia, Antverpienſis
* Anna Maria a Schuerman, Batava
Vener. Mater Anna a S. Bartholomæo, Carmelitana
Barbara Porquin, Leodienſis
Cornelia Adrichomia, Monialis Batava.
Henrica ab Erp, Abbatiſſa, Ordinis S. Benedicti.
Ida, ſeu Ideletta de Gré, Leodienſis.
Joanna de Cambry, Duacena, Monialis ac Recluſa.
Ioanna Othonia, Gandenſis.
Margareta Auſtriaca, Gubernatrix Belgii.
Margareta Godewyck, Dordracena.
Margareta Trigault, Duacena, Monialis Ord. S. Benedict.
Maria d'Ennetieres, Tornacenſis.
Maria de Succa, Leodienſis.
Roſiana Coleners, Teneramundana.


# SCRIPTORES BELGICI.

## EX RELIGIOSIS IN BELGIO ORDINIBUS.


§. I. AUGUSTINIANI.

Antonius Kersbeeckius, S. T. D.
Arnoldus Oliverius
Auguſtinus Sabothius.
Bartholomæus de los Rios, S. T. D Duac.
Bartholomæus de Usinghen, Ep.
Carolus de Boiſſchot
Carolus Van Hoorn, S. T. Doctor.
Carolus Veron, S. T. D.
* Christianus Lupus, S. T. D. Lov.
Cornelius de Bye, S. T. D.
Cornelius Curtius, Hiſtoricus.
Cornelius Lancilottus, S. T. D.
Emanuel Rodriguez
* Franciscus Richardot, Epiſc. Atrebat.
Gaſpar Ammonius, S. T. D.
Georgius Maigretius, S. T. D. Lov.
Gregorius Daineffe, S. T. D.
Guilielmus de Aquiſgrano, S. T. D.

Guilielmus Denys.
Guilielmus à Flandria.
Guilielmus Taſſelon, S. T. D. Lov.
Henricus Driſius
Henricus à Gauda, S. T. D.
Henricus Hyvæus, S. T. D. *Add. pag. 450. fuiſſe natum in pago de Hyve juxta oppidum Rupenſe in Arduenna, & dele Inſulenſem.*
Henricus Jaupen
Henricus Lancilottus, S. T. D. Lov.
Iacobus de la Porte
Iacobus Veldius, S. T. D. Lov.
* Iacobus Zevecotius
Ignatius Dyckerius, S. T. D.
Joachimus Brulius, S. T. D. *Add. ſuo loco, obiiſſe Bruxellis 29. Junii 1653.*
Joannes Auguſtin. Baccherius.
Joannes Bapt. à Glano, S. T. D.
Joannes Chryſoſtomus Loots.
Joannes Cryterius, S. T. D.
Joannes Mantelius, S. T. D.
Joannes Neevius.
Joannes Rivius, S. T. D.
Laurentius de Mets
Martinus de Buſſchere
Matthias Chefneux
Matthias Pauli
Melchior Daelhemius
Michael Van Hecke, S. T. D. Duac.
Michael Hoyerus.
Michael Paludanus, S. T. D. Lovan.
Nicaſius Baxius
Nicolaus Cruſenius, S. T. D.
Nicolaus Plenevaux
Petrus Damaſus de Coninck, S. T. D. Lovan.
Petrus Gerardi
Petrus Schenckelius, S. T. D.
Petrus de Vos, S. T. D.
Philippus Elſſius
Proſper Stellartius
Servatius Smets.
Stephanus l'Archier
Theodorus Wallæus
Thomas Gratianus
Woltherus Henriquez a Strevesdorpf, Epiſc. Aſcalon. Suffragan. Mogunt.

## §. II. BENEDICTINI.

*Affligemienſes.*

* Benedictus Haeftenus, Præpoſitus Franco, Abbas II.
Gerardus, Monachus.
Guilielmus Affligemienſis
Guilielmus à Mechlinia, dein Abbas S. Trudonis.
Henricus de Bruxellis
Henricus Zypæus, Præpoſitus
Hubertus Phaleſius
Odo Cambier
Simon, Monachus.

*Aldenburgenſes.*

Anianus de Couſſere, Abbas
Arnoldus Wion, Hiſtoricus
Gaſpar de Bavincourt, Abbas
Georgius Cabeliau, Hiſtoricus
Hariulphus, Abbas
Henricus Zypæus, Abbas.

*Altimontenſes.*

Hubertus ab Aſſonleville.
Joannes Briſſelot, Abbas, Archiep. &c.
Philippus Fromont.
Urſio, Abbas.

*S. Amandi.*

Balduinus Dionyſius
Gilbertus, Decanus & Monachus
Guntherus, Hiſtoricus
Hermannus Hertanius
Hucbaldus, Abbas
Ildephonſus Goetgebuer
Lotharius, Sacrita
Milo, Hiſtoricus
Thomellus, Hiſtoricus.

*Aquicinctini.*

Alexander, Abbas
Franciſcus de Bar
Gaſpar de Bavincourt
Ioannes Deſpierres, S. T. D. Duac.

*S. Bavonis Gand.*

Ioannes Faius, Abbas
Niverius Langius, Prior
Oliverius Longus, Prior.

*S. Bertini.*
Antonius de Berghes, Abbas
Folcardus, Monachus
Fulcuinus, dein Abbas Laubiensf.
B. Fulco, Abbas, dein Archiep.
Gotfelinus, Monachus, Historicus
Guilielmus Fillatre, Abbas, dein Episcopus
Ioannes, Monachus, pag. 580.
Ioannes Iperius, Abbas, Historicus
Simon Gandensis, Abbas.
*Cluniacenſis.*
Algerus, Leodiensis.
*S Dionysii, apud Montes Hann.*
Benedictus Ruteau.
*S. Dionysii, in Gallia.*
SUGERUS, Abbas, Regni Gall. Admin.
*Epternacenſes.*
Antonius Hovæus, Abbas
Ioannes Bertelius, Abbas
Theofridus, Abbas.
*Egmondani.*
Antonius Hovæus, Abbas
Guilielmus Jacobi
Guilielmus Procurator
Ioannes Weentius, Abbas
Nicolaus Kolyn, Historicus.
*Florinenſes.*
Gonzo, Abbas
B. Guibertus, Abbas.
*Fontanellæ in Gallia.*
Anſegisus, Abbas
Eginhardus, Abbas
*Gemblacenſes.*
Anſelmus, Abbas.
B. Guibertus, Abbas
Joannes Baſtonier, Prior
Joannes à Paſtura.
Ludovicus Sombechus, Abbas
Olbertus, Abbas.
SIGEBERTUS, Historicus.
*S. Gerardi, Bronienſes.*
Gerardus Sorius
Nicolaus de Laine, Abbas
*Gerardimontenſes.*
Martinus le Brun, Abbas
Quintinus Duretius.
*S. Giſleni.*
Andreas Marocquin.
Georgius Galopin
MATTHÆUS MOULLART, Abbas, Epiſc. Atrebat.
*Haſnonienſes*
Andreas Crocquetius, S. T. Doctor
Iacobus Froius, Abbas
Thomellus, Historicus.
*S. Huberti.*
Adulphus Happart.
*S. Jacobi Leodii.*
Cornelius à Santvliet, Historicus
Joannes de Blaer, Prior
Lambertus Parvus, Historicus
Olbertus, Abbas
Reinerus, Prior
Stephanus, Abbas.
*S. Joannis, Ipris*
Petrus Reynier, Prior
*S. Laurentii, Leodii.*
Adrianus à Veteri Buſco.
Ioannes Peeckius, Abbas
Ioannes Stabulanus
Lambertus, Leodicenſis
LAMBERTUS A STIPITE, Decret. Doctor
Laurentius, Leodicenſis
Paſſchaſius Berſelius
Reinerus.
B. RUPERTUS, dein Abbas Tuitienſ.
Wazelinus de Womalia, Abbas
*Lobienſes.*
Adelboldus, Epiſcopus Ultraject.
Anſo, Abbas.
Auguſtinus Bontemps.
S. Burchardus, Epiſc. Wormac.
Fulcuinus, Abbas
Herigerus, Abbas
Hilduinus Taſſon, Abbas, & Archiepiſcopus Mediolanenſis.
Ratherius, Epiſc. Veron. ac Leod.
Stephanus, Epiſc. Leod. & Abbas.
*Lætienſis.*
* Vener. LUDOVICUS BLOSIUS, Abbas.
*Marchianenſis.*
Amandus de Caſtello, Abbas

Andreas Sylvius.
Carolus de Blendecq
Gualbertus, Hiſtoricus
Joannes Caron.
Joannes Marchianenſis.
Raphael de Bellocampo.

*S. Martini Colon.*

Leonardus Rubenius.

*S. Martini Tornac.*

Ægidius de Muiſis, Abbas.
Alulphus, Monachus & Cantor.
Ambroſius de Woeſtine, Prior.
Guilielmus de Tornaco.
Herimannus, Abbas
Jacobus Louchier
Iacobus de Marquais, Abbas
Jacobus Muevin, Abbas
Joannes Baſtonier, dein Carthuſianus
Matthias Grenet
B. Odo, primus Abbas & Inſtaurator, dein Cameracenſis Epiſcopus
Thomas le Roy, Prior.

*Montis Caſſini, in Italia.*

Arnoldus Wion, Brugenſis
Arſenius, Leodienſ. Abbas S. Pauli Romæ, S. M. Florentiæ &c.
Godefridus le Coiſpelier, Audomar.
Eutichius de Cordes, Autv. Abbas S. Juſtinæ.

*S. Petri Gandavi.*

Baudemundus, Abbas
Cornelius Columbanus Vranx, Abbas.
Cornelius Luminæus à Marca.
Eginhardus, Abbas
Everelmus, Abbas
Gerardus Rym, Abbas.

*S. Pantaleonis Colon.*

Godefridus, Monachus.
Henricus Erſmers.
Renatus Henſæus.
Rodolphus, Abbas.

*Prumienſes.*

Potho, Monachus
* Regino, Abbas
Wandelbertus, Monachus.

S. Sepulchri, *Cameraci.*

Radulphus, Monachus.

*Spanheimienſis in Germania.*

Andreas de Trajecto.

*Stabulenſis.*

Wibaldus, Abbas clariſſimus.

*Trudonenſes.*

Antonius de Berghes, Abbas.
Donatus, Diaconus.
Florus, Magiſter & Monachus.
Guikardus, Monachus
Guilielmus à Mechlinia, Abbas
Rodolphus, Abbas
Stephelinus
Theodoricus, Abbas, Hiſtoricus.

*Tuitienſes.*

B. Rupertus, Abbas.

*Vedaſtini.*

Alardus Gazæus
Franciſcus Bouchault
B. Fulco, Abbas, dein Archiepiſc.
Gnimannus, Hiſtoricus
Hayminus, Hiſtoricus
Joannes Fabri, Abbas, dein Epiſc. Carnotenſis
Maxæmilianus Thieulaine
Philippus Caverel, Abbas
Philippus de Latre.

*Angli Duaci.*

Leander à S. Martino, S. T. Doctor.

*S. Vincentii Cenoman.*

Carolus Fernandus.

*Walcioderenſes.*

Robertus, Abbas
Wibaldus, dein Abbas Stabulenſis.

*Werdinenſes.*

Uffingius, ſeu Uffo, Hiſtoricus.

*Winocibergenſes.*

Drogo, qui & forte fuit Epiſc. Morinenſis.
Guilielmus Lapidanus
Petrus Waloncapellus, Prior
Thomas Diaconus.

## §. III. BOGARDI.

Ægidius Paeſmans.
David Michael Regius.
Joachimus à Puteo
Joannes Schalck.

Jodocus ab Almaraz
Marius Joannes Godtscalcanus
Petrus Godefridi, Provincialis &c.

§. IV. BIRGITTINI.

Jacobus à Logenhagen

§. V. CANONICI REGULARES.

*S. Ægidii Leodii.*
Aloysius à Limborgh, Abbas.
*Amerfortis.*
Cornelius Amersfortius.
*S. Auberti Cameraci.*
Antonius de Povillon, Abbas.
Ioannes Bucherius.
Ioannes le Charpentier, apostata
Lambertus Watreloz, Historicus
Petrus Cameracensis.
*Aroasiæ in Artheſia*
Gualtherus, Prior.
*Bethleem, apud Lovanium.*
Bartholomæus Conrardi, Prior.
Henricus de Merica, Prior
Hubertus Scuteput.
Iacobus Rotarius
Ioannes Cornelii
Ioannes de Heeſtert
Ioannes Hunæus, Prior
Petrus Impens, Prior, Historicus.
*Bois-Seigneur-Isaac.*
Joannes Schottus, Prior, Aurei Vell. Cancellarius.
*Corſendoncani.*
Joannes Beer, sive de Palude
Ioannes Hoybergius, Prior
Ioannes à Meerhout
Joannes Reys.
Leonardus Buck
Radulphus à Rivo.
*Dumetum apud Wormatiam.*
Rogerius à Venracy.
*S. Eligii apud Atrebatum.*
Andreas Le Vaillant, Abbas.
Arnulphus à Monte S. Eligii.
Euſtachius.
Franciſcus Doreſmieux, Abbas.
Joannes de Feucy, Abbas
*Franckendael, in Germania.*
Guilielmus Veldius.
*S. Gertrudis Lovanii.*
Ioſeph. Geldolph. à Ryckel, Abbas.
*S. Genovevæ Pariſiis.*
Stephanus, ex Abbate Epiſc. Tornac.
*Gorcomienſes.*
Theodoricus Pauli, aliàs Franconis.
*Heilo, in Hollandia.*
Fredericus ab Heilo.
*Hemſdonck in Hollandia.*
Cornelius Aurelius.
*Hagæ-Marianæ.*
Antonius Hemertius, sive Hulſtius.
*Heyniacenſes.*
Balduinus de Glen, Abbas.
Joannes de Feucy, Abbas.
Robertus de Malebrancque, Abbas.
*S. Joannis Valencenis.*
Antonius d'Outreman, Abbas.
*Leodii S. Leonardi.*
Joannes Bon-enſant
*S. Martini Lovanii.*
Ægidius de Lovanio
Ioannes Coſterius, Prior
* Ioannes Garetius, Theologus
Ioannes Iunchærus, Prior
Ioannes Latomus, Prior Throni juxta Herendalium
Ioannes Vlimmerius, Prior.
Martinus Lipſius, Theologus
Martinus à S. Trudone.
Nicolaus de Winghe, Theologus.
Petrus Croon, Prior
Petrus Impens
Petrus a S. Trudone, Generalis Capituli Windeſemenſis
*Mons S. Agnetis apud Swollam.*
Franciſcus Pittorius, Tolenſis
Joannes Mauburnus, dein Abbas &c.
* Vener. Thomas a Kempis.
*Oigniacenſes, in Namurc.*
Iacobus de Vitriaco, S. R. E. Cardinalis, Epiſcopus &c.
*Ordinis S. Crucis.*
Ægidius Colley.
Gerardus Geldenhaurius, apoſtata.
Godefridus à Lith, Prior Venlon.

Hermannus à Woeſtenraedt, Prior Leodienſis
Joannes Banelt
Theodoeus Dalenius

*Ordinis S. Guilielmi.*

Jacobus Drieſſchius, Prior Brugis
Petrus Silvius, Prior Aloſti.
Simon Pelegromius, Prior Silvæd.

*Phalempinienſes.*

Franciſcus Pietin, Hiſtoricus
Paſſchaſius Balduinus.

*Quercetani Brugis.*

Cornelius Bartholomæi, Hiſtoricus.
Lubertus Hautſchildt, Abbas.

*Rubeæ Vallis.*

Antonius Gheens.
Arnoldus Buderick
Joannes Gilemans, Hagiographus

*Septem-Fontium.*

Ægidius Breedyck, Prior
Ægidius Diepenborrius.
Ambroſius Pontanus
Henricus à Pomerio, Prior
Marcus Maſteleyn, S. T. L. Prior.

*Thabor prope Sneeam, Friſiæ.*

Henricus Thaborita
Petrus Bolſwardienſis, Fr. Laïcus
Vorperus Thaborita.

*Tongrenſes.*

Arnoldus Heſſels.
Matthæus de S. Joanne
Auguſtinus Fabius
Nolmannus Calckens
Chriſtianus Cleynen.
Gerardus Witten
Ioannes Witmeckers
Guilielmus Herckenroy, Prior
Guilielmus Spreeuwen.
Henricus Halmaele, Prior
Libertus de Hauthem, Prior
Ioannes Donckels, Prior
Joannes Lamboy
Ioannes Weſſels, Prior
Ioannes Reys, I. Prior
Ioannes de Roeſt.
Ioannes Voets, Prior
Petrus Heligerius.

*Steyn apud Gaudam.*

* Desiderius Erasmus
Franciſcus Goudanus
Guilielmus Hermannus.

*S. Victoris Pariſiis.*

Hugo à S. Victore, Abbas.

*Viridis Vallis.*

Antonius van Berchem, Prior.
Arnoldus Geilhoven.
Carolus Boiſot, dein Abbas Sonnebec.
Daniel Petri, Prior.
Guilielmus Jordaens.
Henricus à Pomerio, Prior
Ioannes de Bercht.
Ioannes Junchærus
Ven. Fr. Joannes de Leeuwis, ſive *Cocus bonus.*
Ven. P. Joannes Ruyserochius, I. Prior & fundator.
Ioannes de Schoonhovia.
Ioannes Silicæus.
Ioannes Stevens
Ludovicus Bivordanus
Marcus Maſteleyn, S. T. L.
Petrus Piſtoris.

*Watenenſes, Diœc. Audom.*

Ebrardus, Canonicus.

*Ultrajectini.*

Cornelius à Beeck, Prior
Cornelius Blochius, Prior
Petrus Valckendael de Zyl, Prior.

*Windeſemenſes.*

Gerlacus Petri
Guilielmus Vornken, Prior
Henricus à Maude
Ioannes à Buſco, ſeu Buſſchius
Ioannes Schutken
Ioannes Vos, Prior, Generalis
Wernerus Titianus, Generalis
Petrus à S. Trudone, Generalis.

## §. VI. CAPUCINI.

Bonaventura Baſſeanus.
Bonaventura Speeckaert
Vener. P. Carolus ab Aremberghe
Cyprianus Crouſers
Eligius Baſſæus

Fauſtinus Cranius.
Florentius ab Hanſwyck.
Vener. P. Franciscus Titelmannus.
Nicolaus ab Eſtveldt.
Octavius Worſt
Oneſimus de Kien.
Victor Gelenius.

§. VII. CARMELITÆ Calceati.

Adrianus Hecquet, S. T. D.
Ægidius Faber, S. T. Doctor
Albertus Joannis, S. T. Doctor
Anaſtaſius Cochelet, S. T. Doctor
Antonius Lanquier, Concionator
Arnoldus Boſtius, Theologus
Everardus a Billich, Epiſc. Cyr.
Franciſcus Amelry
Franciscus Bonæ Spei, aliàs Crepin, Theologus
Franciſcus Potel
Gaſpar Berus
Gerardus Terlingh
Godefridus Candelarius.
Goswinus Hexius, Epiſc. Hierapol.
Guilielmus de Hilderniſſe.
Henricus Dolendorpius.
Hilgerus a Burgis, Epiſc. Buduan.
Hubertus Leonardi, Epiſc. Dar.
Iacobus à Brugis.
Iacobus Reimolanus, aliàs Keymolen.
Jacobus Wemmers, Epiſc. Mempheos.
Ioannes Aldenburgius
Ioannes ab Arundine, Epiſcopus Uſbitenſis.
Ioannes Barath.
Ioannes de Beetz, S. T. D. Lovan.
Ioannes Brammart, S. T. D. Pariſ.
Joannes Brisselot, Epiſc. Beryth. & Archiepiſc. Arborenſis
Ioannes Brunius
Ioannes Campenſis, Theologus
Ioannes Carthenius, S. T. Doctor
Ioannes Demophylax.
Ioannes Duſſeldorpius.
Ioannes Gerbrandus, de Leidis.
Ioannes Gluel
Ioannes Majerius, S. T. Doctor
Ioannes à Malinis
Ioannes Marchinellus
Ioannes Hulshout, à Mechlinia
Ioannes Palæonydorus
Ioannes Paſſchaſius, S. T. D. Lov.
Ioannes à Schoonhoven
Ioannes Simonis.
Iodocus ab Aſſcha
Iulianus Haſſard
Laurentius Cuypers
Martinus Iſtanus
Matthias à Corona, S. T. Doctor
Michael Herbrant
Michael à S. Auguſtino, aliàs Ballaert
Nicolaus Simonis
Petrus Humbecanus, S. T. Doctor
Petrus Lucius
Petrus Lupus, S. T. D. Lov.
Petrus de Molle
Petrus Ponetus.
Petrus Waſtelius, S. T. D. Duacenus
Petrus Wemmers
Philippus Kersbelius
Rolandus Bouchier
Roverus Pontanus.
Sibertus à Beka
Simon le Couvreur
Simon Hermannus
Theodatus, Leodienſis
Tilmannus Aquenſis
Valentinus à S. Amando, dictus Beeckman.

CARMELITÆ Discalceati.

Ven. Mater Anna a S. Bartholomæo
Cæſarius à S. Bonaventura
Cœleſtinus à S. Luduina
Cyprianus à S. Maria
Elias à Sta. Thereſia
Joannes Chrysostomus a S. Matthæo, Epiſcopus Aſpahamenſis &c.
Ioſeph à S. Barbara
Isidorus a S. Dominico, Generalis Ordinis
Iſidorus à S. Ioſeph

Iuſtus

Iuſtus ab Aſſumptione
Leonardus à S. Franciſco
Nicaſius à S. Thereſia
Petrus à Matre Dei
Placidus à S. Thereſia.

## §. VIII. CARTHUSIANI.

ADrianus N. Gertrudimontanus
Ægidius Aurifaber, Zirickzæus
Albertus Kivet, Veſalienſis
Antonius Dulckenius, Colonienſ.
Arnoldus Havenſius, Gandav. olim S. J.
Bartholomæus à Moſę-Trajecto, Ruremondenſis.
S. Bruno, Carthuſiæ Fundator
Bruno d'Affringues, Prior Gener.
Cornelius Graſſius, Colonienſis
* Vener. P. Dionysius à Ryckel, Ruremund.
Everardus, Prior Zelemenſis
Florentius Harlemius, Prior Lovan.
Gaſpar Verhorſt, Prior Campenſis
Gerardus de Breda, ex Capella B. M.
Gerardus Eligius, Bruxellenſis
Gerardus Hamontanus, Prior Colon.
Gerardus à Schiedam, Prior Ultraject.
Gisbertus Blochovius, Colonienſ.
Gisbertus Theodorici à Rutenberg, Ultraject.
Giſlenus Hammius, Gandenſis.
Goſwinus de Beka, Gandenſis
Guilielmus Abſelius, Prior Brugenſ.
Guilielmus Bibautius, Prior Generalis.
Guilielmus Branteghem, Liranus
Henricus de Coeſveldia, Gertrudim.
Henricus Friſo.
Henricus Kalcarienſis, Prior Coloniæ
Henricus de Loe, Prior Bruxellis, Fundator Pœd. Porci Lov.
Henricus Prudens, Prior Brug. & Silvæduc.
Henricus de Piro, Legum Doctor.
Hermannus de Petra.
Iacobus à Gruitrode, Prior Leodii.
Iacobus Moſander, Colonienſis.
Ioannes Baſtonier, Tornac.
Ioannes Divitis, Gandavenſis.
Ioannes Gerulphus, Lovan.
Ioannes de Lovanio, Antverp.
Ioannes Morocourt, Prior Valencenis
Ioannes à Myrica, Bruxell.
Joannes Swertius, Colonienſis
Ioannes Teneramundanus.
Iodocus Graeſſius, Veſalienſis
Lævinus Ammonius, Gandav.
Vener. P. Laurentius Musgeselius, Capellæ B. M.
Laurentius Roſendalius, Leodienſ.
Ludovicus de la Tour, Leodienſ.
Martinus de Schiedam, Ultraject.
Petrus Blomevenna, Prior Colonienſ.
Petrus Daems, Liranus.
Petrus Dorlandus, Zelemienſis
Petrus Mallants, Antverp.
Petrus Antonius Peckius, Capellæ B. M.
Renatus Henſæus, Juliacus.
Robertus Klarke, Anglus, Neoport.
Sebaſtianus Petri, Capellæ B. M.
Theodoricus Loerius, à Stratis, Col.
Theodorus Harlemius, Colon.
Theodorus Petreius, Colon.
Theodorus Stumpwickius, Zelem.
Zacharias à Lippeloo, Colon.

## §. IX. CISTERCIENSES.

*Alnenſes.*

BOnaventura Wauſtry
Ignatius Huart
Ioannes de Bruxella, Abbas
Matthias Lamberti
Reginaldus de Alna.

*Aureæ Vallis.*

Laurentius de la Roche, Abbas
Ægidius Leodicenſis
* Bernardus de Mongaillard, Abbas
Iacobus de Vaux.

*S. Bernardi ad Schaldim.*

Gaſpar Verſtockt
Ioannes Van Craesbeeck.

*Boneffienſis.*

Ioannes Pignewart.

*Bodeloenſis.*

Rolandus Heelaut.

*Cambronenſes.*
Balduinus Moreau, dein Abbas &c.
Ioannes d'Aſſignies, dein Abbas &c.
Joannes Farinart, Abbas, S. T. D.
*Ciſtercienſis.*
B. Alanus de Inſulis.
*Claræ vallis.*
Adam Atrebas, Epiſcopus Morinenſ.
Alanus de Inſulis, Epiſcopus Autiſiod.
Matthæus Pillaert, Abbas.
B. Robertus de Brugis, Abbas.
*Clari-Mariſci.*
Bernardus, Monachus
Hubertus Raoul, Abbas
Ludovicus Taleſius.
*Dunenſes, & Thoſani*
Adrianus Butius
Ægidius de Dammis
Ægidius de Roya
Albericus Thoſanus
Benedictus de Bacquere
* Carolus de Viſch, Hiſtoriographus
B. Elias de Coxida, Abbas
Ioannes Brando
IOANNES CARAMUEL, S. T. D. Lov. Epiſ. Vigefanenſis &c.
Matthæus Pillaert, dein Abbas Clar.
B. Robertus de Brugis, I. Abbas Dunenſis, dein Clarevallenſis.
Theodorus Pybes de Adama, dein Prior Waerſchotanus.
*Heiſterbacenſis.*
B. CÆSARIUS
*Hortenſis, in Hiſpania.*
Chryſoſtomus Henriquez.
*Igniacenſis in Gallia.*
B. Guerricus, Abbas.
*Laudenſis.*
Nicolaus Parent.
*Molinienſis.*
Philippus Montanus.
*Nizellenſis.*
* Bernardus de Montgaillard, Abbas
Joannes d'Aſſignies, Abbas.
*S. Salvatoris, Antverp.*
* CHRISTOPHORUS BUTKENS, Prælatus
Gaſpar Jongelinus, Abbas &c.
Jacobus Seghers, Prior
Petrus à Boexelaer.
*De Spina, in Hiſpania.*
Ambroſius de Gandavo.
*Vallis-Cellenſis.*
Adamus le Boſſu.
*Villarienſes.*
B. Cæſarius, Heiſterbacenſis; hic Prior.
Franco Calabre, Abbas
Goſwinus de Boſſut
Ioannes Currificis
Joannes de Lovanio
Ioannes Delvaux.
Paulus Ferdinandus Chiffletius
Radulphus.
Servatius Gillet.

## §. X. COELESTINI.

NIcolaus de le Ville, Atrebas, Prior Heverlcæ.
Petrus Bard, Tornac. Prior Pariſiis.

## §. XI. FF. CONGREGATIONIS S. HIERONYMI &c.

AMilius Buranus
Arnoldus Trichtius
Chriſtianus Maſſæus, Warneton.
Florentius Radevinius
* Georgius Macropedius
B. GERARDUS MAGNUS, Fundator.
Gerardus Zerbolt. Zutphanius
Henricus Bommelius, Gelder.
Ioannes Sinthemius, Daventr.
Lambertus Berchemius, Sylvæduc.
Libertus de Hauthem, Tongrenſ.
Lubertus Bernerus, Zwollenſ.
Ludovicus Blaviſlos, Gandenſis
Petrus Vladeraccus, Silvæduc.
Reinerus Sarcerius, Solmendanus
Rodolphus Dier, Mudanus
Theodoricus de Herxen
Theodorus de Arck, Zwollenſ.
Theodorus Cornelius Bergius.

## §. XII. DOMINICANI FLANDRO-BELGÆ.

ÆGidius Topiarius
ARNOLDUS NYLEN, Episcopus Groninganus
Carolus Hyacinthus Puteanus.
Carolus Wyckius
Cornelius à Snekis, S. T. Doctor
Damianus à Ligno
Dominicus de Flandria, S. T. Doctor
Dominicus Janssen-boy.
Engelbertus Cultificis
Eustachius à Zichenis, S. T. D. Lov.
Gerardus N Provincialis.
Gilbertus de Ovis.
GODEFRIDUS A MIERLO, Episcopus Harlemiensis
Godefridus Striroyde, S. T. D. Lov.
Goswinus Henrici.
Gualterus Gravius, sive Ruysius
Guilielmus Hamerius, S. T. D.
GUILIELMUS MOERBECANUS, Archiepisc. Corinthiensis.
Guilielmus Oonselius
Guilielmus de Somere
Guilielmus à Thenis
B. HENRICUS de CALSTRIS, Vir nobilis, Conventûs Lovan.
Henricus Gravius, S. T. D.
Henricus Zittardus, S. T. Doctor
Hiachintus Schellens.
Jacobus de Brouwer, S. T. D. Duac.
Jacobus Buyens.
Jacobus Hooghstratanus, S. T. Doctor Colon.
B. JOANNES AGNUS, Conv. Gandens.
Joannes Baerlenus, S. T. D.
Joannes Baptista Verjuys, S. T. D. Lovan.
Joannes Boucquet, S. T. Doctor
Joannes Bunderius
Joannes Christophorus
Joannes Dumæus
Joannes Faber, S. T. D.
Joannes de Hasela
Joannes Pesselius, S. T. Doctor
Ioannes Slootanus, S. T. D.
Joannes Uyt-ten-hove, de Ardemburgo
Joannes Uyt-ten-hove, Gandensis
Matthias Zittardus, S. T. D. Colon.
Nicolaus Janssen-boy
Nicolaus Neelsius, S. T. D. Duac.
Paulus Rystius
* Petrus Bacherius, S. T. D. Lovan.
Petrus de Bruxella, aliàs Crokaert, S. T. D.
Petrus du Fay, S. T. Doctor
Petrus Faber, S. T. D. Paris.
Petrus Malpæus
Petrus Puerorum
Petrus Wannemakers
PIPINUS ROSA, Episcopus Salubr.
Rodolphus de Noviomago
THOMAS CANTIPRATANUS, quibusdam dictus Suffragan. Camerac.
Thomas Leonardi, S. T. D. Lov.
Vincentius Theodorici à Beverwyck, S. T. Doctor Lovan.

## DOMINICANI GALLO-BELGÆ.

ÆGidius à Lessinia
ANTONIUS HAVET, Episcopus Namurcensis.
B. ALANUS DE RUPE.
Bernardus de Luxemburgo
Guilielmus Seguier, S. T. D. Duac.
Guilielmus de Tornaco, S. T. D.
Hiacynthus Chocquetius, S. T. D. Duac.
Joannes Bernard.
Joannes de Bomalia, S. T. D. Lovan.
Joannes des-Loix, S. T. D.
Joannes Faber, S. T. D.
Joannes Hentenius, S. T. D. Lovan.
Joannes Picardi, nominatus Episcopus Ratisponensis
Joannes Russim.
Ludovicus Bertr. Loth, S. T. D. Duac.
MICHAEL FRANCISCI, Episc. Salubr.
Nicolaus Georgius.
Nicolaus Gorranus, S. T. D.
Nicolaus Jacquerius
Petrus le Clercq

Philippus Petit
Raimundus de Ladeſſous.
Raimundus de Hezecques, S. T. D.
Petrus de Croix, S. T. D.
Petrus Doré, S. T. Doctor
Rodolphus Clutius.
Vincentius Henſbergius
Vincentius Williart.

## §. XIII. MINIMI.

ANtonius Ruteau
BALTHASAR DE AVILA, Generalis
Carolus Franciſcus Amounet.
Vener. P. Claudius du Vivier
Clemens Prus.
Henricus Comans
Joannes Jacobus Courvoiſier.

## §. XIV. MINORITÆ.

* ADAMUS SASBOLDUS
Adrianus Hoſtadius
Amandus Ziriczeenſis
Antonius à Koninckſtein
Arnoldus ab Iſſcha
Arnoldus Merſmans.
Arnoldus Paludanus.
Balduinus Junius
Balthazar Baſſeliers
Bartholomæus à Middelburgo.
Benedictus Remigius Noidens.
Bernardinus Surius
Bernardinus Vetweys
CORNELIUS ADRIANI, concionator celebris
Florentius Leydanus
Franciſcus Van Hondeghem
Franciſcus Monachus.
Franciſcus Nicolai.
Franciſcus a Nieuwenhove
Franciſcus Paludanus
Franciſcus Vervoort
Franciſcus Zichemius
Franciſcus Tant
Gerardus Vervoeſt
GRIPHON, Patriarcha in Monte Lib.
B. GUALTERUS DE BRUGIS, Epiſc. Pictavienſis in Gallia
Guilielmus à Gouda
Guilielmus à Ruysbroeck
Guilielmus Spoelbergh.
B. HENRICUS HERPIUS.
Henricus Sedulius
Hermes Houwaert
Hieronymus de Meyere
Ioannes Bonerus
Ioannes à Boſco
Ioannes Brugmans
JOANNES CNYF, I. Epiſc. Groning.
Ioannes Contractus
Ioannes à Daventria
Ioannes de Duren
Ioannes à Leovardia
JOANNES MAHUSIUS, Epiſc. Davent.
Ioannes Leo Placentius
Ioannes Vander Stracten.
Iodocus à Caſtro
Iodocus de Rycke, Miſſion. Americ.
JOSEPHUS DE BERGAIGNE, Archiepiſc. Camerac.
Lævinus Brechtus.
Martinus à Turnhout
Matthæus Dordracenſis, aliàs Matthias Weenſſen
Matthias Cats, Theologus
Matthias à Croonenborg
Mauritius Philippy
Petrus Crabbius, Concil. Collector.
Petrus Merſſæus Cratepolius, Fr. Minor Conventualis
Petrus Slupicius
Rumoldus Coſterus
Servatius Myricanus
Tacitus Nicolaus Zegerus
Thomas Herentalius
* WILHELMUS HERINCX, dein Epiſc. Iprenſis.

## MINORITÆ GALLO-BELGÆ.

ADrianus Huberti
Andreas Couvreur
Bartholomæus d'Aſtroy. *Add. pag.* 123. ✝ *Leodii 6. Decembr.* 1681. *ætat.* 79.
Bonaventura Dernoye

Cornelius Donthier
Franciſcus Regius.
Guibertus de Tornaco, S. T. Doctor
Guilielmus Bernardi
Henricus Buſchey
Henricus Paludanus
Henricus Willot
Jacobus Blazæus, Epiſc. Namurc. & Audomar.
Iacobus Guiſius, Hiſtoricus.
Jacobus Niger
Ioannes Boſquillon
Ioannes de le Cambe, dictus Gantois
Iaonnes du Blioul.
Ioannes à S. Huberto.
Ioannes Prichesius, antea Abbas Viconienſis
Ludovicus à Caſtro, Conventualis
Ludovicus Hennepin
Matthæus Martinus
Matthias Hauzeur, *Add. pag.* 874. ✠ *Obiit Leodii* 12. *Octobr.* 1676.
Maxæmilianus Lenglez.
Nicolaus Gazæus
Nicolaus Oranus. *Add. pag.* 917. ✠ *Leodii*, 7. *April.* 1634. *æt.* 62.
Nicolaus à Poculo.
Petrus Hontoy
Petrus Inſulenſis
* Petrus Marchantius, Theologus
Petrus Montanus Buretius
Petrus Regis
Philippus Boſquier.

Exteri.

Chriſtophorus Davenportus, Anglus
Florentius Conrius, Hibernus, Archiep. Tuamenſis.
Franciscus Horantius, Epiſc. Ovetenſis, Hiſpanus.
Hugo Vardæus, Hibernus
Joannes Parvi, S. T. D. Normannus. *Nota tamen: Minoritas contendere multis argumentis, Joannem hunc fuiſſe Theologum ſæcularem.*
Stephanus Juliacus, S. T. Doctor
Vener. P. Theodoricus a Monasterio
Theodorus Smiſing, Theol. Lovan.

## §. XV. ORATORII D. JESU CONGREGATIO.

Gaugericus Hiſpanus, vulgo l'Eſpagnol, S. T. D. Duac.
Ioannes Antonius à Gurnez, Mechl.
Ioannes Hannart, Duacenſis.
Ioannes Hugo Quarrè, S. T. Doctor primus Præpoſitus, Canon. Mechl.
Joannes Neercassel, Gorcomienſ. Epiſcopus Caſtorienſis.
Jodocus Van der Linden, Bruxell. Archipresbyter Mechlin.
Oliverius Florentius Waeterloop, Aſpricoll.

## §. XVI. PRÆMONSTRATENSES.

*Averbodienſes.*

Adrianus Moerbecius.
Ægidius Vocchtius
Robertus Lamberti

*Bonæ-Spei.*

Guilielmus de Louveignies, dein Abbas Generalis Præmonſtr.
Philippus ab Eleëmoſyna, Abbas.

*Belli-reditus.*

Lucas, Abbas
Eraſmus Ghoyde, Præpoſitus S. Gerlaci. *Add. p.* 264. *Obiit* 5. *Julii* 1612.
Joannes de Warnant. *Add. p* 753. *dein Abbas Belli-reditus; obiit anno* 1418. *die* 6. *Maii.*

*Dommartinenſis.*

Carolus du Canda, Hiſtoricus

*Bernenſis.*

Theodoricus.

*Floreffienſes.*

Bartholomæus Honorius
Gaſpar Gellius
Guilielmus Dupaiſius, Abbas
Hugo, Floreff.
Petrus Herentaliùs, Prior.

*Furnenſes.*

Ioannes Becardus.
Ioannes Van Schore, Abbas

Petrus de Waghenare, Hiſtoricus.
*Horti B. Mariæ in Friſia.*
B. Emo, Abbas
B. Menko, Abbas
S. Sibrandus, Abbas
*Grimbergenſes*
Joannes à Lapide, Prior
*Ludlmenſes.*
Sibrandus Leo, Hiſtoricus.
*B. Mariæ in Nemore.*
Servatius Layrueltius, Abbas.
*S. Michaelis Antv.*
Emericus Andreæ, Abbas.
Franciſcus Schottus
Joannes Ant. Peltanus
Joannes Chryſoſt. Vander Sterre, Abbas
Leonardus Schoofs
Macarius Havermans, Theologus.
Macarius Simeomo, Abbas, S. T. L.
S. NORBERTUS, Fundator
Policarpus de Hertoghe.
*Middelburgenſes*
B. JACOBUS LACOPIUS, Martir Gorc.
Nicolaus Hooghelandius, Abbas.
*Mons S. Martini.*
Jacobus, Abbas.
*Ninivenſes.*
Balduinus, Hiſtoricus
Gabriel Colins
Mathæus Scornius, Abbas
Petrus Cobbaert, S. T. L.
*Parcenſes.*
Franciſcus Wennius, Prior. *Add.* ✠ 1647.
Joannes Druſius, Abbas
Joannes Maſius, Abbas
Libertus de Paepe, Abbas
Martinus Petrimannus.
*Tongerloenſes.*
* Auguſtinus Wichmans, Abbas
Cornelius Hanegrave
Dionyſius Mudſaerts
Gerardus Drunæus
Gerardus Van Herdegom
Ioannes Coenen.
Ioannes Ludolph. Van Craeywinckel.
Ioſephus Riyius
Laurentius Landmeter
Marcus Antonius Bigato.
Martinus Groeneſchilt, Præp. Herent.
Philippus Hoeſwinckel
Thomas Verdonck
Willebrordus Boſſchaerts.
*Truncinienſis.*
Guilielmus, Abbas.
*Viconienſes*
Adrianus David
Euſtachius Lenſius, Abbas in Gallia.
Ioannes Prichefius, Abbas.
Nicolaus à Montigny, Abbas Caſtelli S. Martini.

## §. XVII. SOCIETATIS JESU.

ADrianus Adriani
Adrianus Cools
Adrianus Crommius
Adrianus Crucius
Adrianus Van Lyere
Adrianus Mangotius
Adrianus de Poirtres, Poëta.
Adrianus de Witte
Ægidius de Coninck, Theologus
Ægidius Schoondonck
Ægidius de Smidt
Andreas Ægidianus
Andreas de Boye
Andreas Schottus
Andreas Vermaedius
Antonius Sucquet
Antonius Van Torre
Arnoldus à Boecop
Arnoldus Cathius
Auguſtinus Van Teylinghem
Balduinus Cabilleau, Poëta
Balthazar Corderius, SS. PP. Collector
Bernardus Bauhuſius, Poëta
Carolus à Grobbendonck
Carolus Scribanius.
CORNELIUS CORNELII A LAPIDE
Cornelius Crocus.
Dorotheus Loeffius
Florentius Brouckhorſtius
Franciſcus Aguillon
Franciſcus Coſterus

Franciſcus l'Hermite
Franciſcus Mileman
Franciſcus de Smidt
Franciſcus Vander Veken, S. T. D.
Gaſpar Barzæus, Miſſion. Apoſtol.
Gerardus Montanus
Gerardus Otthonis
Gerardus Zoes
Gisbertus Winckelius
Godefridus Francken
GODEFRIDUS HENSCHENIUS, Hagiographus.
Gregorius à S. Vincentio, Mathemat.
Guilielmus Heſius
Guilielmus de Landsheere
Guilielmus Stanihurſtus
Guilielmus de Pretere
Guilielmus de Waal à Vroneſteyn
Henricus Engelgrave
Henricus Marcelli
HERIBERTUS ROSWEYDUS, Hagiographus
Hermannus Hugo
Jacobus de Codt
Jacobus Dyck
Jacobus Honoratus Durandus
Jacobus Libens
Jacobus Navarchus
Iacobus Stratius
Iacobus Suſius.
Iacobus Tirinus, S. Scrip. Prof.
Ignatius Derkennis
Ioannes Baptiſta Engelgrave
Ioannes Baptiſta Uwens
JOANNES BOLLANDUS, Hagiographus
Ioannes Briſſelius
* Ioannes Buſæus, S. T. D.
Ioannes Carolus de la Faille, Mathem.
Ioannes Ciermans
Ioannes David
Ioannes Deckerius
Ioannes à Gouda
Ioannes Guilielmi, Harlemius
Ioannes de Haze
Ioannes Vander Laen
Ioannes Van Parys
Ioannes Ramirez
Ioannes Riſerius.
Ioannes de Tollenaere
Ioannes Viringus
Ioannes Wintershoven
Iodocus Andries
Iſaacus Vander Mye
Julius Cæſar de la Coulture
Lævinus Sanderus
Laurentius Chiffletius
Laurentius Uwens.
* LEONARDUS LESSIUS, Theologus
Ludovicus Jacobi
Ludovicus Makeblyde
Ludovicus de Schildere
MARTINUS ANTONIUS DELRIO, antea Senator Brabant.
MARTINUS BECANUS, Theologus
Martinus Breſſerus
Maxæmilianus le Dent.
Maxæmilianus Habbequius
Maxæmilianus Sandæus
Nicolaus Romæus
Nicolaus Suſius
Odo Malcotius
Oliverius Bonartius
Otho Zylius
Paulus Van den Berghe
Paulus Roſmer, S. T. D.
Petrus Bruxelius
Petrus Hamerius
Petrus Lanſſelius.
Petrus Silvius
Philippus Allegambe, Hiſtoriographus
Philippus Couplet, Miſſionarius apud Sinenſes.
Philippus Taiſne
Philippus Nutius
Philippus Suevezelius
Richardus Arsdekin, Hibernus.
Richardus Heſius
Sidronius Hoſſchius, Poëta
Stephanus Stapels
Thadæus Weringa
Theodorus Antonius Peltanus, S. T. D.
Theodorus Moretus, Mathematicus
Theodorus Roſmer
Thomas Sailly

Valentinus Biſſchop.
Zacharias Rothus.

## SOCIETATIS JESU
### Prov. GALLO-FLANDRIÆ.

ADrianus de Boulogne
Ægidius Bavarius
Ægidius Bucherius
Ægidius du Monin.
Alardus le Roy
Andreas Denys
Andreas Tricquet
Angelinus Gazæus
Antonius Davroutius
Antonius Balinghem
Antonius la Chauchie.
Antonius Des-lions
Antonius Laubegeois
Antonius Stratius
Balduinus Willot
Bartholomæus Fiſen, Hiſtoricus
Carolus Malapert
Carolus Muſart
Claudius Maillard
Cornelius Perduccius
EVERARDUS MERCURIANUS, S. J. Præpoſitus Generalis
Franciſcus de la Croix
Franciſcus Gautran
Franciſcus de Hamal
Franciſcus à Montmorency.
Franciſcus le Roy
Gualterus Paullus
Guilielmus Brochæus
Guilielmus Hardigny
Guilielmus Lamormaini
Guilielmus Marci, Coadjutor
Guilielmus Montanus, Coadjutor
Henricus Lamormaini
Henricus Philippi
Henricus Samerius
Henricus Sommalius
Hermes Le Clercq
Jacobus Bonfrerius, S. T. Doctor
Iacobus Damianus
Iacobus Hautin
Iacobus du Jardin
Iacobus Lobetius
Iacobus Malbrancq, Hiſtoricus
Iacobns Ranzonier
Iacobus Simonis
Ioannes Bourgeſius
Ioannes Buzelinus
Ioannes Caillet
JOANNES COUVILLON, S. J. Theol. in Tridentino.
Joannes Crombecius
Ioannes Foullon
Ioannes de la Haye
Ioannes Holonius
Ioannes Horrion
Ioannes Lans
Ioannes Leonius
Ioannes Major
Ioannes du Monceaux
Ioannes Oliverius
Ioannes Oranus
Ioannes le Peſſier
Ioannes Præpoſitus, S. T. Doctor
Ioannes Roberti, S. T. Doctor
Ioannes Surius
Ioannes Macherentinus.
Ioannes Vincart
Ioannes Guilielmus Wiltheim
Leonardus Berton
Martinus du Cigne
Martinus Couvreur
Martinus l'Hermite
Michael Cuvelier
Michael Seneſchal
Nicolaus Du Toict } Miſſionarii
Nicolaus Trigault }
Paulus Duezius
Petrus Bonvoiſin
Petrus Bouille
Petrus des Nourices
Petrus Eulardus
Petrus de Halloix
Petrus Matthiæ.
Petrus d'Outreman
Petrus Pennequin, S. T. D.
Petrus Taffin
Philippus Bebius
Philippus Berlaimontius

Phi-

Philippus Bouchy
Philippus Hannotel
Philippus d'Oultreman
Philippus Schoville
Philippus Du Trieu, S. T. D. Duac.
Theophilus Bernardinus
Toſſanus Bridoul
Turrianus le Feburc.

SOCIETATIS JESU GERMANI.

ADamus Contzen
Chriſtophorus Brouwerus
Gisbertus Schevichanus
Guilielmus Nakatenus
Henricus Elverich
Henricus Putzius
Hermannus Crombach
Hermannus Thyræus
Jacobus Caniſius
Joannes Adamus Schall, Miſſionarius Sinenſis
Joannes Gamans
Joannes Leurenius
Joannes Roſenthal
Matthias Putzius
Petrus Buſæus, S. T. Doctor
* Vener. P. Petrus Canisius, Apoſtolus Germaniæ
Petrus Michael
Petrus Roeſt, S. T. Doctor
Petrus Thyræus

§. XVIII. TRINITARII.

JAcobus Bourgeſius, Atrebas
Joannes Bertoul, Atrebas.
Joannes Godart, Atrebas.
* Robertus Gaguinus, Duacenus, Generalis Ordinis.

FINIS.